ANALECTA FRANCISCANA

SIVE

CHRONICA ALIAQUE VARIA DOCUMENTA

AD

HISTORIAM FRATRUM MINORUM

SPECTANTIA

EDITA

A PATRIBUS COLLEGII S. BONAVENTURAE

ADIUVANTIBUS

ALIIS PATRIBUS EIUSDEM ORDINIS.

Tomus II.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

MDCCCLXXXVII.

CHRONICA

FRATRIS NICOLAI GLASSBERGER

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

EDITA

A PATRIBUS COLLEGII S. BONAVENTURAE

Nihil obstat.

Romae, die 20 Martii 1887.

Fr. BERNARDINUS Minister Generalis.

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae die 22 Martii 1887.

Can. FRANCISCUS LORENZI V. G.

PRAEFATIO.

1. **Auctor horum Chronicorum est Fr. Nicolaus Glassberger de Moravia.** — Filius fuit reformatae familiae Ordinis Minorum, quae nuncupatur de regulari Observantia, quam S. Ioannes Capistranus in Germania et Polonia mire promoverat. Ipse narrat (p. 452), se habitum religiosum in Conventu Ambergensi suscepisse an. 1472 e manibus P. Ioannis Spiegel, Guardiani. Occupatus erat in scribendis his Chronicis an. 1508, ut scribit pluries (cfr. p. 285), et functus est Norimbergae munere Confessarii Monialium S. Clarae (cfr. p. 452, 456, 467). Studiis historicis diligenter se dedit; propria manu Chronica et documenta transcripsit, in specie illa Chronica Ordinis, quae vocantur XXIV Generalium, nec non vitam S. Francisci a tribus eius sociis compositam. Nam in quodam codice ad nostram Provinciam Tyrolensem S. Leopoldi spectante in fine exemplaris praedictorum Chronicorum legitur (solutis notis compendiosis): « Explicit in provigilia nativitatis Domini 1491 per me fratrem Nicolaum Glasberger in magno frigore et incommodo iuxta temporis qualitatem ». Eadem manus praeter laudatam Legendam S. Francisci in eodem codice alia documenta scripsit. De itinere, quod suscepit in patriam et de disputationibus, quas sustinuit cum Hussitis,

ipse refert p. 467 seq. Quo anno Fr. Nicolaus mortuus sit, non potuimus investigare. A pluribus Ordinis scriptoribus mentio quidem fit Fr. Nicolai, quem vocant *Glabspergensem* (sic!), sed vix aliud de eo dicitur, nisi quod Chronica Provinciae Argentinae manuscripta reliquerit, quae tamen nemo eorum vidit. Ita Waddingus (Scriptores Ordinis Minorum); Ioan. a S. Antonio (Bibliotheca universa Franciscana, Matriti 1732), II. 386; Melissanus de Macro (Supplementum Annalium Min., editum a Fr. Anton. M. de Turre Augustae Taurinorum 1710). Sbaralea (Supplementum ad Script. Min. pag. 555) confundit haec Chronica cum illis eiusdem Argentinae Chronicis anonymis, quae in tom. I. nostrorum Analectorum (pag. 276-300) edita sunt, quibus se usum esse Waddingus pluries testatur. Tamen Sbaralea recte nostro Nicolao *Glabspergen.* (sic) attribuit illud opusculum, de quo protinus (n. 2.) scribimus.

2. **Aliud opusculum eiusdem auctoris publicatum est an. 1498.** — Ipse enim Glassberger illo anno curavit editionem libri *Trilogium animae* Fr. Ludovici de Prussia eique inseruit proprium opusculum, ut statim videbimus. Editio illa in 4° parvo cum 2 columnis, quam accurate descripsit Hain (Repertor. bibliogr. II. n. 10313), in titulo figuris ornato habet: « Trilogium animae non solum religiosis, verum etiam saecularibus, praedicatoribus, confessoribus, contemplantibus et studentibus lumen intellectus et ardorem affectus amministrans ». Folia non sunt numerata. In ultima pagina: « Finit opus insigne tripartitum, de animae videlicet potentiis, passionibus habitibusve initiatum, continuatum, consummatum ad Theosebiam in devotissimo sancti Bernardini loco suburbii praeclarae christianissimae urbis Brunnensis marchiatus Moraviae, currente anno 1493. Post hoc in imperiali civitate Nurmberg (sic!) ad preces fratrum minorum ibidem commorantium: per Anthonium Koberger ad laudem dei impressum et ad hucusque finem feliciter perductum. Anno MCCCCXCVIII. VI. die Martii ». — In folio 1. exstant epistolae duae, quarum prima est directa ad nostrum Nicolaum *Glasberg* (sic nomen in hoc libro constanter scribitur; in praedicto codice vero *Glasber-*

ger); altera est Fr. Nicolai responsio. Iuvat ex eisdem nonnulla excerpere, ut redintegretur memoria alterius viri scientia et pietate eminentis. Prima incipit: Frater Paulinus de Lemberg Ordinis Minorum de Observantia, olim provincialis vicarius Provinciae Bohemiae, fratri Nicolao Glasberg de Moravia eiusdem Ordinis professo in Nuremberga confessori, quod opus Ludovici de Prussia impressoribus tradat ad imprimendum, ut ad communem utilitatem deveniat. — Venerabilis Pater, salutem et sinceram in Domino caritatem. Vestram quam habetis diligentiam, quod *Trilogium* novum opus imprimi possit et sic ad multorum pervenire posset notitiam, habeo pergratam, eo quod opus cedit ad Dei honorem et gloriam, proximorum salutem, maxime studiosis ad magnam consolationem et eruditionem ac vestrae Paternitati ad meritorum cumulationem... Opus autem, quod se ipsum commendat legentibus, mea laude non eget, quae parva esse potest in comparatione laudum, quibus ipsum R. P. Fr. Ludovicus a Turre, Vicarius Provinciae S. Antonii, Rmi P. Generalis Commissarius, extollit, qui libros secum in Italia per triennium habuit et plene perlegit: ut puta refertum esse seraphicis ardoribus et cherubicis illuminationibus, quantitate non magnum, sed continentia virtuali maximum, scientia profundum, sapientia altum. Habet enim in fundamentis allegationes fidas pariter et abundantes theologorumque veritates lucide enucleatas. Editorem quoque pater praefatus censuit sacrae theologiae seraphicum interpretem. — Nec mirum, quia ab ineunte aetate studio litterarum ac sacrae Paginae se applicavit. In alma universitate Coloniensi ipse *Fr. Ludovicus de Hilsberg* [Heilsberg], olim nominatus Ioannes, cognomento Wolgemuth, promotus ante annos 39, post haec rexit scholas in Gerlitz in Posnania, in Thorn etc. Demum per annos 30 sub regulari Observantia strenue Christo militans, introivit in potentias Domini, et Dei gratia non defuit ei, cum qua laboravit et laborare non cessat fideliter et devote, et talentum sibi traditum in terram non abscondit, sed ad mensam ponit, praesertim ad exhortationem Patrum in Capitulo gene-

rali, quibus libri ad examinandum exhibiti sunt, qui doctrinam approbaverunt. Precamur igitur nos omnes et ego vice omnium vestram Paternitatem, ut tale et tantum per incuriam non pereat opus, sed quam citius commode fieri potest, artis impressoribus peritis tradatur, quo sitis quam maxima esuriesque quam plurium refocilletur etc. Ex loco S. Bernardini extra Brunnam, anno salutis 1496, in festo S. Scholasticae virginis [10 Febr.]. — Respondet Nicolaus *Glasberg* ex Nuremberga 22 die Februarii an. 1498, se librum opificibus tradidisse; deinde de eodem Fr. Ludovico Pruteno etiam dicit, quod fuerit « amplior (sic!) magister illius beati et vere sancti viri fratris Alexii, sacerdotis in Vratislavia Ordinem ingressi et nunc sepulti in loco « beuton » (Beuthen) in Capella s. Crucis, qui in Domino obdormiens multis hodierno anno clarescit miraculis ». Concludit de Fr. Ludovico dicens: « Accedit etiam ad ipsius laudem et admirationem, quod hoc opus commune esse voluit, et introduxit theologiam nedum speculativam, verum etiam mysticam, prout in theosophiis Doctoris nostri S. Bonaventurae Seraphici reperit » etc.

Revera *Trilogium* illud est opus eruditione et pietate conspicuum, refertum sententiis ex Patribus et principalibus Scholasticis fideliter relatis et in Prooemio recensitis. Inter hos sunt Victorienses, S. Thomas, Nicolaus de Lyra, Gerson, sed praecipue S. Bonaventura et Alexander Halensis. Dignum est, quod iterum typis exprimatur. In 1. parte libri tractatur de nobilitate animae eiusque potentiis (capitula 52); in 2. de passionibus, praesertim de amore unitivo cum Deo (cap. 32); in 3. vero de habitibus, virtutibus, donis etc. (cap. 33). Tota haec doctrina ad pietatem vitamque interiorem relata est. Huius fratris Ludovici mentionem faciunt Waddingus (Scriptores etc. et Annal. ad an. 1494); Sbaralea (Supplement. etc.); Rodulphius (lib. III.); Marcus Ulyssipon. (Chronic. III. lib. 6. c. 40.). — Haec, quia non aliena a scopo *Analectorum* nostrorum, paulo diffusius hic notavimus ad memoriam egregii auctoris et religiosi ab oblivione vindicandam.

Huic igitur libro, et quidem III. partis 6. capitulo, Glass-

berger inseruit opusculum ab ipso compositum, quod sic incipit: « Et quoniam in praecedenti § facta fuit mentio de Chronicis fratrum Minorum, et Chronica fratrum Minorum dicit, quod S. Franciscus incepit vitam istam secundum Vincentium [inferius additur: Gallum in Speculo historiarum], anno Domini 1206, pontificatus Domini Innocentii tertii anno quartodecimo (sic!), aetatis vero suae anno vicesimo quinto (et hoc intellige, quando conversus fuit a saeculo); ad elidendum et confutandum errorem et opinionem Iacobi Philippi Bergomensis Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini in Supplemento Chronicorum in libro XIII, sub anno 1209, ubi dicit, Franciscum Seraphicum, natione Italum, ex Assisio Umbrorum civitate, discipulum Ioannis Boni Mantuani, et habitum religionis ab eodem Ioanne suscepisse et in manibus eius professionis votum sub regula beati Augustini emisisse: *quaeritur, utrum beatus Franciscus fuerit discipulus praedicti Ioannis Boni Mantuani, Eremitae; et utrum fuerit professus Ordinem et regulam fratrum Eremitarum S. Augustini.* — Et videtur primo, quod sic » etc. Adductis more scholastico 4 argumentis in contrarium, suam sententiam probat locis ex antiquis Chronicis verbotenus relatis, et in fine solutionis 3. argumenti ad oppositum repetit, quod « ista parvula summula est collecta per P. Ludovicum Ordinis Minorum ». Deinde pergit: « Quibus ego Nicolaus de Moravia *addidi hanc quaestionem,* non sensum de sensu recitando, sed verbum de verbo narrando pro illis qui raro originales libros ad manum habent. Igitur patet, quod Casimirus non fuit immediatus rex post Ladislaum regem nec haereticus, sed Georgius praedictus » etc. — Revera fideliter refert non pauca ex Legenda S. Francisci dicta trium sociorum, ex S. Bonaventurae duabus Legendis et ex Chronicis XXIV Generalium. Citantur etiam alii, scilicet « antiqua Legenda Thomae a Celano, Bartholomaeus Pisanus in libro Conformitatum, et similiter frater Peregrinus de Bononia, nec non Legenda fratris Aegidii sancti viri et etiam Legenda fratris Bernardi de Assisio ». — Totum opusculum replet fere 11 paginas praedictae editionis.

Pluries auctor meminit cuiusdam *maioris Chronicae* (p. 15, 58, 83, 84), quae non alia videtur esse ab ea, quam alias vocat *antiquam Ordinis Chronicam* (XXIV Gen.), ubi revera inveniuntur quae narrat. Solummodo (pag. 83) verba: « quam in maiori chronica *posui* », scrupulum animo iniicere possent. Tamen, paucis verbis exceptis, eadem iterum inveniuntur ibidem; in exemplari tamen a Fr. Nicolao, ut diximus, transcripto, ipse de Fr. Bertholdo referens *titulum specialem* suprascripsit, qui non est in alio eorundem Chronicorum codice, qui pertinet ad bibliothecam civitatis Assisiensis.

3. **Unus tantum horum Chronicorum codex cognitus est.** — Hic conservatur in archivo conventus fratrum Minorum Reform. Monachii in Bavaria. Eundem integrum iam plures abhinc annos transcripsit socius nostri Collegii, P. Quinctianus Müller, Provinciae Saxoniae S. Crucis alumnus, qui etiam multam operam consumsit, ut errata codicis, praesertim nomina propria saepe in codice corrupta, quantum fieri potuit, recte scribantur et narrationes auctoris cum locis aliorum Ordinis scriptorum conferantur; sicut notae ad calcem positae satis monstrant. — Codex iste manuscriptus est chartaceus in 4°, saeculi XVI. ineuntis, et habet folia numerata 297 (vel potius 298, cum numerus 192 bis sit scriptus). Ipsi operi in codice a fol. 1. usque 5. ab alia manu praemittitur descriptio singulorum monasteriorum superioris Alemanniae, quae in editione nostra exhibetur tanquam secunda appendix p. 570 seqq. Interiectis 4 foliis vacuis, incipiunt ipsa Chronica in fol. 10[a]. Eadem manus scripsit usque ad fol. 282[b]; deinde continuant diversae manus. Constat, Fr. Nicolaum saltem usque ad annum 1472 haec Chronica composuisse (cfr. p. 452), sed probabiliter usque ad annum 1485, a quo anno alia manus, et ut videtur, etiam alia ratio componendi conspicitur. — Multa indicia, praesertim quaedam vitia, quae non nisi librariis apographum scribentibus convenire videntur, suadent, codicem non esse auctoris autographum. Quod confirmatur chirographo valde diverso, quod exhibetur in exemplari Chronicorum XXIV Generalium supra n. 1. memorato.

Initium huius codicis (a fol. 10[a]. usque ad fol. 40[b], sive ab an. 1206 usque 1262) iam editum est a D. G. C. Evers in opusculo inscripto: Analecta ad fratrum Minorum historiam, Lipsiae 1882; qui tamen interdum codicem male interpretatus est, ut benevolus lector in notis adiectis ad calcem observare potest. — Alia parte eiusdem codicis usus est Dr. Sigism. Riezler (Die literarischen Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwig des Baiern, Leipzig 1874) excerpens breviter ea quae in nostra editione (a pag. 132-184) habentur de imperatore Ludovico bavarico. — Nonnulla ex eisdem Chronicis transcripsit coaevus auctor, Fr. Gilbertus Nicolai, dictus Gabriel Maria, celeber Ordinis reformator in Gallia, qui cum fama sanctitatis obiit 1532, 27. Aug. (cfr. Wadd. Scriptores etc.). Hic enim in suo Tractatu in Regulam S. Francisci testatur, se sumsisse litteras Fr. Ubertini a Casale (pag. 149 seq.) ex Chronicis nostri Nicolai *Glans berger* (sic legitur in editione eiusdem). Eadem prorsus verba ex *Gilberto* iterum refert Fr. Ioannes a Komorowo in suo *Memoriale Ordinis Fratrum Minorum,* ed. a Xaverio Liske et Antonio Lorkiewicz, Leopoli 1886, ubi pag. 123 legitur: « Placet litteras ipsius Ubertini hic inserere, quas refert in sua Chronica Nicolaus Glaff Berger » (sic!). Cum autem idem Fr. Ioannes in nullo alio loco utatur nostris Chronicis, sine fundamento a praedictis editoribus dicitur, eum cognovisse librum Fr. Nicolai Glassberger.

4. **Haec Chronica non exigui pretii sunt ad res antiquas Ordinis et Ecclesiae, praesertim in Germania, illustrandas.** — Auctorem satis diligenter et bona fide ex fontibus rerum gestarum, quos adire potuit, hausisse compertum est. Quod in *factis* referendis non raro correctione et saepius supplemento egeat, hoc communiter accidit auctoribus Chronicorum, immo omnibus de rebus historicis, praesertim antiquis, scribentibus, cum procul intuentibus plura maneant ignorata quam scita. Etiam in *iudiciis* circa res narratas ferendis auctor interdum labitur et offendit. Prudens lector, quin a nobis moneatur, sua sponte iudicabit, nos, dum fidelissime hoc documentum historicum publicamus, minime approbare nonnullas asser-

tiones, quae vel falso, vel immoderate prolatae sunt. Hoc praesertim observandum est circa res, quas refert de horrendo illo occidentali schismate, quo per 39 annos tota Christi Ecclesia incredibiliter affligebatur, populique christiani in partes sibi infestas scindebantur, cum unaquaeque pars caput suae obedientiae proclamaret legitimum Christi vicarium et adversarias partes tanquam schismaticas aspernaretur. Quae igitur Fr. Nicolaus dicit contra Summos Pontifices, qui nunc communiter ut legitimi sunt agniti (scilicet Urban. VI. eiusque successores), nec non in favorem Conciliorum Pisis et Basileae congregatorum, haec nullius auctoritatis sunt. Quam exacerbati tum temporis fuerint animi, testantur litterae illae indignae (cfr. pag. 229), quas quidam anonymus finxit tanquam a Satana ad archiepiscopum Ioannem de Ragusa scriptas [1]. — Ceterum venia danda est nostro auctori, qui in temporibus istis perplexis veritatem non est assecutus; quod non paucis etiam sanctis viris tunc accidit.

Etiam in iis, quae de notissimis *controversiis*, in Ordine nostro circa observantiam paupertatis exortis, ab eodem narrantur, deficit interdum aequitas et caritas. Improbandum est, quod carpit S. Coletam, mirabilem Ordinis reformatricem; alios etiam nonnullos adversarios suae familiae de Observantia nimis acri censura impetit. Plurima autem ea aetate convenerant in unum, praesertim in Germania et in Gallia, quibus exasperatum erat dissidium inter fratres de Communitate et de Observantia regulari, quae familia a Ss. Bernardino et Ioanne Capistrano mire erat propagata. Tempora illa erant quam maxime concitata. Generatim illa aetate undique conclamabatur, et non sine ira et studio partium, res ecclesiasticas esse reformandas. Nec ipsi meliores religiosi inter Conventuales negabant, reformationem Conventuum plurimorum esse necessariam; quod comprobari potest ex ipsis Capitulorum ordinationibus, quae nimiam di-

[1] Eaedem litterae referuntur etiam a Theodorico de Nieheim et sunt nunc satis notae. Cfr. opus egregium Dr. Ludwig Pastor: Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters, Herder in Freiburg 1886, I. 137.

sciplinae relaxationem passim supponunt. Etiam Fr. Bonifacius de Ceva, quem auctor noster saepe impugnat, acerbe conqueritur de statu eorum Conventualium, qui, ut dicit, nondum ad verum erunt reformati (Firmamentum trium Ordinum B. P. Francisci, Parisiis 1512, p. I. fol. 37.[a] col. 1.). Sed, ut vulgo accidit, qui conveniebant in proclamanda opportunitate reformationis, iidem dissidebant de via et ratione, quam oporteret inire. Laudatus Fr. Bonifacius in Gallia indefesso studio reformationem quandam promovit, sed ita, ut *perfecta Ordinis unitas* sine ulla separatione conservaretur. Hoc intendens compilavit grande illud volumen modo memoratum, in quo multum urget praeceptum Regulae, quod omnes sub uno Ministro Generali et uno diversarum Provinciarum Ministro unitatem Ordinis servare debeant. Hinc aegre tulit, Observantium familiam cum multa libertate vivere suis legibus sub Vicario Generali et Vicariis Ministris Provincialibus, faventibus Summis Pontificibus; quod manifestam Regulae fractionem esse putabat. Ipsi concedendum est, quod nemo facile negabit, unitatem regiminis magnum Ordinis esse bonum, optimamque fuisse talem reformationem, qua totus Ordo in puritate observantiae et in unitate regiminis conspiraret. Revera etiam sancti illi Ordinis reformatores, Bernardinus Senensis eiusque socii in principio unitatem Ordinis, ut potuerunt, intactam retinere volebant et familiam suam regebant ut Commissarii Ministri Generalis, non ut eius Vicarii. Praesertim Ioannes Capistranus ab initio reformationi potius generali omni studio incumbebat. Sed iidem tandem non libenti, sed invito animo separationem quandam necessariam esse, experientia docti, agnoscebant (vide sententiam Ioannis Capistrani pag. 289-94). Hinc est etiam, quod ipsi Summi Pontifices saeculi XV. modo unitati Ordinis, modo puritati observantiae magis prospicere intendebant; unde decretis inter se contrariis modo Conventualibus, modo Observantibus magis favebant; modo his aliquos conventus tradebant reformandos, modo illis restituebant alios, vel eosdem. Hinc facile intelligitur, confusionem iurium, irritationem animo-

rum, litium multiplicationem in fine saeculi XV. passim, praesertim in Germania et Gallia, magis magisque crevisse. Post multa tandem experimenta frustra tentata Leo X. a. 1517 melius esse iudicavit, attenta inveterata a saeculis diversitate observantiae, duos distinctos Ordines perfecte separatos constituere, ut utraque familia, Conventualium et Observantium, secundum suas leges, sive mitiores sive severiores, pacifice vivere posset. Ordo igitur fratrum Minorum Conventualium, qui in Germania vulgo vocantur Minoritae, ab anno 1517 usque ad haec tempora profitetur quidem Regulam S. Francisci, sed temperatam quibusdam Summorum Pontificum privilegiis, praesertim quoad observantiam paupertatis. Ipsum Concilium Tridentinum (Sess. 25, de Regular. c. 3.) concessit, quod etiam Mendicantes, « exceptis domibus fratrum S. Francisci Capucinorum et eorum qui Minores de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps *bona immobilia eis possidere liceat* ». — Haec observavimus, ut etiam rerum Ordinis nostri minus peritis manifestum sit, ea quae in his Chronicis crimini dantur fratribus Conventualibus illius aetatis, quod scilicet regulae suae essent transgressores, non spectare ad praesentem Ordinem Minorum Conventualium, qui suis legibus dudum ab Ecclesia probatis laudabiliter regitur.

5. **Nonnulla de fontibus dicenda sunt, quibus Fr. Nicolaus usus est.** — In prologo (p. 3) ipse dicit: « Quae de hac re in diversis Chronicis ac aliis scriptis spersa reperi, iuxta ingenii mei mensuram simplici stilo breviter conscripsi ». Provinciae suae archivis usus, plura certe documenta ad Ordinem in Germania spectantia ad manus habuit, quae postea perierunt. Etiam *Chronicon Saxoniae* ab ipso citatur (p. 85). Quoad res universi Ordinis manifeste excerpsit scripta, quibus in altero suo opusculo in *Trilogio* impresso usus est (cfr. supra n. 2.). Prae ceteris usque ad an. 1374 continuo fideliter transcribit *Chronica Ordinis,* quae nunc communiter vocantur XXIV Generalium. Ex eisdem affert passim etiam

aliorum auctorum dicta, ut Fr. *Peregrini Bononiensis* (cuius Chronica, ut videtur, perierunt), Fr. *Thomae a Celano,* cuius nomen cum eisdem Chronicis scribit *a Ceprano* sive *Ceperano,* Fr. *Bernardi a Bessa.* Legendas tamen *trium Sociorum* (vide supra n. 1.), *S. Bonaventurae* et *Conformitates Fr. Bartholomaei Pisani* prae oculis habuit. — Adventum fratrum Minorum in Germaniam refert transcribendo narrationem Fr. *Iordani a Iano* (impressa in I. Analect. Francisc. p. 1-19); exemplar autem huius libri, quo usus est, praeferendum esse ei quod ex codice Berolinensi publicavimus, observat cl. P. Denifle Ord. Praed. (Archiv für Litteratur und Kirchengeschichte des Mittelalters von P. Heinr. Denifle O. P. und Fr. Ehrle S. I., Berlin, Weidmann, I. 63.).

In nostra editione Iordani opusculum ad an. 1238 in medio sermone abrumpit; sed Fr. Nicolaus (p. 62) ad annum 1239 pauca alia ex eodem refert: « Frater autem Iordanus dicit, quod octo menses praefuit » (scilicet Fr. Albertus de Pisis, electus 1238). — Citatur ab ipso etiam *Speculum Minorum Fr. Iacobi Oddonis Perusini* (quod saepius a Waddingo allegatur, adiuncto titulo *Franciscina),* et *Chronicon universale veteris Testamenti et historiae Eccl. Hermanni Gigas Minoritae.* — Quod attinet *Chronica anonyma* eiusdem Provinciae Argentinae (Analecta Francisc. I. p. 279-300), prima eorum pars pauca tantum addit Iordano. Porro quae Fr. Nicolaus narrat de reformatione Provinciae Argentinae valde conveniunt cum secunda parte Chronicorum anonymorum, quae inscribitur: De introductione sacrae Observantiae in Provinciam Argentinam (p. 291 seqq.). Hinc duo auctores ex vel eisdem fontibus ista hauserunt, vel alter sequitur alterum. Tunc autem videtur esse probabilius, auctorem huius narrationis exscripsisse librum Fr. Nicolai. Si enim verba huius relationis ultima in Chron. anonymis (p. 294) attenduntur, ubi sermo est non tantum de P. Casparo Schatzgero in Capitulo generalissimo Romae 1517 praesente, sed etiam de posteriore haereticae pravitatis inundatione et Conventuum destructione; manifestum est, saltem qui hoc scripsit post Fr. Nicolaum vixisse. Deni-

que in rebus ad Ordinem minus spectantibus pluries allegatur *Chronicon Andreae Ratisbònensis Canonici,* quod impressum est in Eccardi opere *Corpus historicum medii aevi,* I. p. 1931.

6. **Antiquiora de originibus Ordinis Minorum scripta hic breviter recensere opportunum esse videtur.** — Nonnulla documenta paucis abhinc annis publicata sunt, quibus adhibitis complures res particulares ad historiam eiusdem Ordinis pertinentes rectius vel accuratius quam saeculis praecedentibus determinari possunt. De adventu fratrum Minorum in Angliam et Germaniam novum attulerunt lumen ipsa originalia opuscula Fr. Thomae Eccleston et Fr. Iordani, quorum tantum compendia Waddingus cognovit. Haec cum a viris acatholicis primum in lucem prolata essent, a nobis in I. tom. *Analectorum Franciscanorum* novis curis edita sunt. His et aliis multis minoribus monumentis, quae de fundationibus Conventuum, vel vitis Fratrum agunt, nonnulli errores Waddingi iam correcti et lacunae expletae sunt; quod animo libenti et grato concedimus. Sed nonnulli ulterius progressi, reiectis probatissimis testimoniis antiquis, quasi novam aedificare voluerunt historiam de vita S. P. Francisci eiusque Ordine, quia scilicet, ut quidam dixit, origo huius Ordinis adhuc involuta est *mysticis tenebris,* quae non nisi luce recentioris artis criticae dissipari possent. Non defuerunt qui inveterato contra Ecclesiam Dei odio et fictis vanisque de Ordinibus religiosis opinionibus ducti pessima quaeque, nullis vel levissimis rationibus adhibitis, sibi finxerint atque blasphemaverint quae ignorant. Alii vero, et praecipue editor libri *Monumenta Franciscana,* I. B. Brewer, quem honoris causa nominamus, animo sincero et benevolo veritatem assequi conati sunt. Sed dolendum est, quod ignoraverunt plura, quae post Waddingum ab aliis Ordinis auctoribus verius scripta erant, tum etiam alia plura vetusta documenta; ut nihil dicamus de defectu sufficientis intelligentiae rerum ad Ordinem religiosum spectantium. Hinc non est mirandum, eosdem in pluribus manifeste halucinatos esse. Plures etiam critici, qui Waddingum tanquam artis criticae penitus expertem exagitant novaque,

paucis vel nullis innixi documentis, imaginati sunt, in exiguis eorum scriptis erraverunt foedius illo Waddingo, quem aspernantur. Waddingus enim, qui primus immensam documentorum molem collegit et illa aetate multis caruit subsidiis et exemplis, quae nunc cuique praesto sunt, apud peritum iudicem facile excusatur, quando immensis difficultatibus succumbens interdum pedem offendit.

Sed his omissis, plura de historiae antiquae Ordinis fontibus egregie nuper scripserunt duo viri clarissimi, P. Fr. Ehrle S. I. et P. Henr. Denifle O. P. Ille quidem, pluries de hoc argumento tractans, a nobis laudatus est iam in I. tomo *Analectorum* (p. XV); et scripta eius de hac re impressa sunt in folio periodico *Zeitschrift für katholische Theologie* VI. p. 189 seqq., VII. p. 323 seqq., p. 767 seqq.; P. Denifle autem in supra iam laudato *Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte* etc., I. p. 146 seqq. et p. 630 seqq. Haud ingratum pluribus fore putamus, hoc loco invenire catalogum antiquiorum de S. Francisco eiusque instituto scriptorum, quae nunc cognita sunt; sequimur autem praecipue vestigia praedictorum duorum auctorum.

1. *Fratris Thomae a Celano vita prima S. Francisci* scripta 1229, iubente Domino Gregorio IX. Primo est edita in *Actis Sanctorum* t. II. Octobr. a P. Suysken 1748, deinde Romae 1806 a P. Steph. Rinaldi, et tertio Romae 1880 cum versione Italica a Canonico Amoni. Incipit: *Decus et vitam beatissimi Patris nostri Francisci,* et est divisa in tres partes. Invenitur etiam in non paucis codicibus mss., quorum antiquissimum P. Denifle (Archiv etc. I. p. 148) aestimat esse qui habetur Barcinone in Hispania, in Archivo de la corona de Aragon, p. Ripoll n. 41.

2. *Eiusdem vita secunda,* ab auctore inscripta: *Memoriale in desiderio animae de gestis et verbis Ss. Patris nostri Francisci.* Haec vita, tres continens partes, simul cum prima vita bis edita est Romae 1806 et 1880 a memoratis viris. Exstat etiam manuscripta Assisii in codice olim ad Sacrum Conventum pertinente. Duplex opusculum de vita S. Francisci a Fr. Thoma scriptum esse, ipsi Waddingo non erat ignotum.

Sbaralea autem (Supplement. p. 673) codicem manuscriptum ante oculos habuit et plura ex eo excerpsit. De eodem etiam loquitur P. Panfilo. Secundam hanc vitam a Thoma scriptam esse, inter antiquos testantur Salimbene, Iordanus, Chronica XXIV Generalium, Nicolaus Glassberger, Ioannes de Komorowo; quorum testimonia videsis infra p. 68 et nota 7; et p. 73. Ibi secundum Chronica XXIV Generalium narratur, Ioannem de Parma Fr. Thomae praecipisse, « ut vitam beati Francisci, quae *antiqua Legenda* dicitur, *perficeret,* quia solum de eius conversatione in primo tractatu de mandato Crescentii, olim Generalis, compilato, omissis miraculis, fecerat mentionem, et sic secundum tractatum de miraculis sancti Patris compilavit, quem cum epistola, quae incipit: *Religiosa vestra sollicitudo* etc., eidem Generali misit ». Haec epistola deest in editis; sed de miraculis scribitur in secunda opusculi parte, in tertia vero parte, quae habet capitula 143, multa e vita S. Francisci colliguntur eo fine, ut latius post Fr. Eliam serpenti languori disciplinae opponantur exempla et verba sancti fundatoris.

Sed non legitime inde concluditur, nullius auctoritatis esse totam secundam vitam; nec quidquam probant argumenta, quibus Dr. Karl Müller, professor Universitatis Hallensis (*Die Anfänge des Minoritenordens,* Freiburg 1885), nimia confidentia probare vult, Thomam a Celano, cuius probitas tot testimoniis celebratur, *scientem mendacia scripsisse*[1]. Primum autem eiusdem argumentum est, quod in secunda illa vita non fit mentio de Elia; quod quidem verum est, sed silentium illud non est *mendacium* et optimis rationibus explicari potest. Non est, inquam, *mendacium nec fraus.* Prima eiusdem vita non erat nec retractata nec suppressa, sed omnibus aditu pervia; secunda vita est continuatio et supplementum primae et ita quasi secunda pars eiusdem. Quo igitur iure probet professor theologus, quod *tacere* de iam ab eodem dictis et vulgatis sit

---

[1] Dicit enim p. 181: « Es finden sich auch Züge eingeflochten, *die unwahr sind und deren Unwahrheit Thomas kennen musste* ». Verba cursivis litteris impressa etiam ab auctore sic distinguuntur.

scientem falsa loqui, et quod *non repetere* iam dicta et non retractata sit veritatem «*fraudulenter supprimere*[1] »? — Honestas etiam habuit *rationes,* ut potius de Elia tacere voluerit quam loqui. Homo ille tantae prius auctoritatis in Ordine *vivebat adhuc contumax* in sua apostasia et excommunicatione († an. 1253), quo optimi quique Ordinis dolore et ignominia valde affligebantur. Num forte auctor serio miratur, quod, quando aliqua familia opprobrium sustinet filii degenerati, vix domi unquam eiusdem mentio fiat? Sed graviores etiam rationes Thomae suaserunt potius de ipso tacere, nempe ipse scopus, quem in scribendo continuationem illam habebat. Finis autem determinat media ad finem, et ex fine quodcumque opus iudicari debet. Finis autem scribendi minime fuit criticam historiam scribere (ut D. Müller ei imponere videtur), sed legendam coram fratribus piam historiam, ad eorum aedificationem, ut dicitur, utilem. Delictum quidem esset ad hunc finem obtinendum *falsa* scienter *dicere,* vel *vera negare;* minime autem *tacere ea* quae fini non congruebant; tamen aliunde nota erant. — Secundo D. Müller eidem exprobrat, quod dixerit, Petrum Cataneum primum fuisse vicarium S. fundatoris; quod etiam affirmant Chronica XXIV Generalium, noster Fr. Nicolaus et alii multi. Auctor autem ille confidenter contendit, Petrum Cataneum *nunquam* fuisse vicarium. Pro hac autem assertione probanda nullum affert documentum nec argumentum saltem verisimile, sed praeconceptae opiniones inanes hoc ei suggesserunt. Quod enim Thomas a Celano in prima vita nihil de vicario Petro dixerat, hoc argumentum a silentio hic prorsus nihil valet. Qui autem res ad Ordinem spectantes usu etiam minimo cognoscit, exploratum habet, quod, ipsa necessitate cogente, Superior Ordinum, sive localis sit sive generalis, semper, quando saepius vel diutius abest, habere debet vicarium, qui vice eius negotia quotidie occurrentia procuret. Reapse ita est legibus

---

[1] Auctor eo procedit, ut dicat (p. 181), quod ibi benedictio Eliae, quam Fr. Thomas in prima *vita* [scilicet adhuc notissima] communicaverat « *unterschlagen wird* ».

constitutum non tantum ab antiquo in Ordine nostro, sed in omnibus Religionibus. Cum autem S. Franciscus frequentissime et per longiora temporis spatia absens esset, certissime praesumendum est, eum tunc habuisse vicarium negotia urgentia curantem, etiamsi nihil de hoc in monumentis traditum esset. Sed revera narratur, eum administrationem Ordinis vicario ex *officio* deputasse, quin tamen penitus curam Fratrum dimiserit. Et quod auctor ille supponere videtur, eundem semper fratrem vicarium fuisse, iam per se caret omni probabilitate. Teste Iordano (n. 11.), quando Sanctus cum intimo suo amico Petro Cataneo in Orientem profectus est, ubi iam erat Fr. Elias, reliquit duos vicarios. Reversus ex Oriente, morte amisit suum Petrum Cataneum († 10 Martii 1221). Tunc certe Fr. Eliam factum esse vicarium, constat. Quod autem iam ante Elias hoc munere functus sit, et ante eum nemo, gratis fingitur a nominato auctore. Proferat documenta, quae hoc testantur et contrarium testimonium Fr. Thomae elidere possunt, et credemus ei! — Tertium *mendacium* Thomae secundum eundem est, quod (parte III. c. 86.) dixerit, S. Franciscum cum S. Dominico familiariter *Romae* conversatum esse; hoc esse falsum, iam ab Hase et Voigt invicte demonstratum fuisse. Sed pace praeclari viri, dicendum, eum etiam hoc loco nimis coece credere praedictis viris, reiectis antiquis testimoniis. Argumenta enim ab Hase prolata partim sunt falsa, partim nihil probant contra substantiam facti a Thoma narrati. Sed hoc loco non vacat rem discutere. Attamen supposito etiam, non autem concesso, Thomam in hac re errasse, sicut et ipse auctor et multo magis Hase et Voigt in pluribus erraverunt, quo iure in solo viro religioso honestissimo detorquet in pessimam partem quemcumque lapsum?

3. *Alia et tertia Legenda* memoratur a Bernardo de Bessa, quod scilicet scripsit « eam quae incipit: *Quasi stella matutina,* vir venerabilis dominus, ut fertur, Ioannes [de Ceprano, sive Ceperano] Apostolicae Sedis notarius ». Hanc vitam oblivione obrutam revera esse scriptam, nunc exploratum est,

cum P. Denifle O. P. (cfr. Archiv etc. I. p. 148, et Ehrle, Zeitschrift etc. p. 391 seq.) in codice originali liturgiae Ordinis Praedicatorum an. 1256 terminato repererit lectiones pro festo S. Francisci ex memorata vita exscriptas et sic superscriptas: « Ex gestis eius abbreviatis, quae sic incipiunt: *Quasi stella* ». Eadem excerpta idem invenit etiam *Matriti* in manuscripto quodam libro Roderici de Cerrate.

Ceterum circa hanc et praecedentem vitam nomenque auctoris magna iam ab antiquo confusio propagata est (cfr. Ehrle loc. cit. p. 394). Iam saeculo praecedenti Sbaralea (Supplem. p. 233, sub titulo Fabiani Hungari) Oudino exprobrat, quod « *immani errore* » Legendam antiquam, scilicet secundam vitam Thomae a Celano, confuderit cum saepius edito libro *Speculum vitae S. Francisci et sociorum* (de hoc *Speculo,* quod continet compilationem posteriorem et male factam variorum opusculorum, cfr. Sbaralea et Ehrle locc. citt.). Recte etiam de eodem Speculo scriptum est in Actis Sanctorum Bolland. Oct. t. II. p. 550 (ed. Antw.). Eundem tamen « immanem errorem » renovaverunt Voigt aliique post eum. Ab hinc paucos menses scriptum est (Göttingische gelehrte Anzeigen 1886, n. 24.) inter alia falsa et mirabilia, « infallibili testimonio » (sic!) Fr. Ioannis a Komorowo tandem nodum solutum esse, scilicet quod Thomas a Celano et Ioannes a Ceprano non sint nisi unus idemque auctor; deinde additur, Legendam antiquam non esse nisi praedictum *Speculum,* Coloniae 1623 editum!

4. *Legenda trium Sociorum* S. Francisci, scilicet Fratrum Leonis, Rufini et Angeli, iubente Ministro Generali Crescentio conscripta. Scriptum hoc exiguae quidem molis est, sed magni momenti, cum tres auctores uniti sint testes omni exceptione maiores. Editum est in *Actis Sanctorum* (Octob. t. II.) et cum aliis antiquis Legendis a Canonico Amoni Romae 1880.

5. *Vita metrica,* quae est prima vita Thomae a Celano in versus hexametros saeculo XIII. fusa ab anonymo, quem Sbaralea sine argumento solido suspicatur esse Fr. Ioannem

Cantianum Anglum. Integra edita est cum versione Italica a professore Cristofani Prati 1882.

6. Celeberrima *Legenda S. Francisci* (maior) *a S. Bonaventura,* instante capitulo generali Narbonensi (1260), scripta (Wadd. ad an. 1260, n. 18.). Eadem simul cum Legenda minore oblata est capitulo Pisis 1263 celebrato. Sanctissimus Doctor Ecclesiae usus est non tantum vitis auctorum praecedentium, imprimis duabus Legendis Thomae a Celano, sed etiam relationibus plurium sociorum S. Francisci, ut fratrum B. Aegidii, Illuminati, Leonis, qui sanctitate et longa cum eodem conversatione prae ceteris idonei testes erant (cfr. Prologus Legendae). Capitulum generale Parisiis 1266 decrevit, solam S. Bonaventurae Legendam retinendam, plurimas vero alias amovendas esse et delendas (Ehrle loc. cit. p. 396, et Wadd. loc. cit.). Post exortas enim in Ordine controversias et altercationes displicuit pluribus, vitam secundam Thomae a Celano (cfr. Wadding. ad an. 1256, n. 4.) publice legi. Data enim opera ille heroicas actiones et verba ad consilium spectantia graviter opponit vitae plurium relaxatae. Ut paci consulat, aliquatenus mitius procedit S. Bonaventura; reapse tamen eandem describit imaginem seraphici Sancti, sed ita ut melius consilia et praecepta eiusdem distingui possint. In recensendis tamen *factis* optime convenit cum memoratis testibus, et non nisi summa iniuria et prorsus temere plures recentes scriptores rationalismo addicti auctoritatem huius opusculi probatissimi spernunt. Attendendum autem est, S. Doctorem minime intendisse scribere historiam, qualem recentes historiographi solum *sciendi* causa exigunt.

7. *Vitae antiquae B. Aegidii Assisinatis,* editae in *Actis Sanctorum* (Aprilis t. III. p. 218 seqq.), quibus multa de S. Francisco narrata confirmantur.

8. *Liber Bernardi a Bessa de laudibus B. Francisci*, de quo auctore probabilissime dicitur, eum fuisse socium S. Bonaventurae. Exstat in unico cod. huc usque noto bibliothecae Taurinensis; sed multa ex hoc libro transierunt in Chronica XXIV Generalium, de quibus infra sermo est. De hoc libro

cfr. imprimis P. Ehrle (loc. cit. p. 323 seqq.), qui etiam post P. Panfilo ex hac Legenda sumsit et edidit (ibid. p. 338) catalogum Ministrorum Generalium cum lectionibus variantibus aliunde collectis.

9. *Conformitates* Bartholomaei Pisani, qui praeter alia antiqua documenta etiam adhibuit Chronica XXIV Generalium. Alias etiam de vita S. Francisci Legendas scriptas esse, traditum est. *Historia Fr. Iuliani* (apud Iordanum n. 53 et infra p. 46) non videtur esse nisi pars Officii ecclesiastici, scilicet lectiones secundi nocturni, quae antiquitus sic appellari solebant.

Praeter haec opuscula de vita S. Francisci scripta merentur hic recenseri alia antiqua monumenta nomine *Chronicorum* distincta.

10-12. In I. tomo *Analectorum* nostrorum habentur tria opuscula iam saepius memorata, scilicet Iordani a Iano, Thomae Eccleston et quaedam anonyma (cfr. ibid. *Observationes praeviae);* quibus adiungi debet notissimum opus Fr. Salimbene, cuius nunc novae editiones post Parmensem parantur. — Nuper cl. P. Denifle O. Pr. (Archiv etc. I. p. 630 seqq.) probat, Waddingum non immediate Iordanum exscripsisse (nec arbitrarie mutasse, ut ei exprobratum est), sed Chronica illa anonyma; item, eundem in hoc errasse, quod Balduinum de Brunswick (Brandenburg) putaverit esse auctorem istius manuscripti, quod vocat etiam historiam ms. Provinciae Saxoniae vel Argentinae, cum potius tenendum sit, Balduinum non nisi res a Iordano dictatas notasse. Hoc exploratum nobis esse videtur. Attamen simul attendendum est, quod Waddingus (ad an. 1216, n. 10.) dicit: « Simplicitatem autem fratrum et idiomatis imperitiam lepidam huic suae repulsae occasionem ministrasse, referunt Chronica mss. Provinciarum *Saxoniae, Argentinae* et *Germaniae inferioris, quorum penes me sunt exemplaria;* quam etiam illustriss. recenset Gonzaga his verbis » etc. Hinc dubitari non potest, quin Waddingus revera *habuerit et etiam inspexerit tria* illa distincta Chronica. Praesumendum est, eadem quoad initia Ordinis in Germania valde similia ex illa narratione Iordani exhibuisse. Sicut autem

communiter in Provinciis Ordinis, ita etiam in Saxonia exstitisse *Chronica,* testatur Fr. Nicolaus (p. 85). Tres illas Provincias transcripta vel saltem excerpta suorum Chronicorum Waddingo misisse, iam inde argui potest, quod hoc omnibus Provinciis stricte mandatum erat a Ministro generali Benigno a Genua specialibus litteris, quae publicatae sunt in Annalium Ordinis tomo XXV. (in nostro Collegio 1886 impresso) p. 347 seq.

13. *Chronica antiqua Ordinis* sive XXIV Generalium, quae incipiunt: *Quoniam praeteritorum narratio utilis est ad erudiendum* etc. Liber hic est adhuc ineditus et invenitur in non paucis mss., quorum novem a P. Denifle (Archiv etc. I. p. 147) indicantur, quibus illa supra (n. 2.) memorata, et ni fallimur, etiam altera atque fortasse plura addenda sunt. Eisdem Fr. Nicolaus continuo usque ad an. 1374 usus est, ut in notis nostris monstratur; eadem cognita erant etiam Fr. Ioanni a Komorowo. — Auctor horum Chronicorum habuit ad manus etiam fontes nunc perditos, ut opusculum Fr. Peregrini a Bononia. Quod liber iste habeat suos errores et defectus, non negamus; sed saepissime supplet, ubi alii fontes deficiunt. Sed de his Chronicis plura dicenda erunt, quando, Deo favente, edentur.

14. De pluribus recentioribus Chronicis hic loqui supersedemus; breviter tamen commemorandum est *Speculum Ordinis Minorum Fr. Iacobi Odonis* (sive de Oddis) Perusini, quia eo usus est etiam Fr. Nicolaus, ut supra diximus. Secundum Waddingum *(Scriptores Ord. Min.)* in hoc libro, *italice* scripto, « quod vulgariter vocant *Franceschinam,* per 12 capita per varios titulos virtutum recenset omnes viros sanctos et illustres, qui in Ordine floruerunt... Codex est magnus, stilo barbaro, historia veridica ». Sbaralea *(Supplementum)* vult, auctorem absolvisse opus an. 1474 et mortuum esse an. 1483. Fr. Nicolaus autem videtur habuisse librum *latine* scriptum. Cum multa existant *Specula Minorum,* ut Sbaralea ibidem asserit, nos rem iniudicatam relinquimus, quae forte relatio intercedat inter hunc librum et latinum *Speculum vi-*

tae S. Francisci et sociorum, quod est in regia bibliotheca Berolinensi, Mss. theol. lat. 4.° n. 196, saec. XIV. (cfr. I. Analecta Franc. p. XI); qui codex certe ante illum Iacobum scriptus est. Ipse etiam multum discrepat a famoso illo libro, simili titulo distincto et saepius impresso, de quo supra locuti sumus. — Ultimo loco commemoramus *Memoriale Ordinis Minorum a Fr. Ioanne de Komorowo compilatum;* quod post Henr. Zeissberg (Wien 1873) nuperrime completius publicarunt Xav. Liske et Ant. Lorkiewicz (Leopoli 1886). Haec Chronica momenti sunt magni quidem pro historia Ordinis in Polonia, sed fere nullius pro generali Ordinis notitia, cum auctor excerptis suis ex antiquioribus fontibus satis notis errores immisceat.

Denique de auctoritate historica, qua fruuntur non pauca documenta, quae ab an. 1219 a Summis Pontificibus respectu Ordinis Minorum emanarunt, superfluum est disserere.

Haec igitur sunt antiqua fundamenta principalia, quibus nititur vera historia originis fratrum Minorum. Iudicet igitur prudens lector, quid censendum sit de exorbitante assertione, nuperrime repetita, quod sola brevissima Chronica Fr. Iordani sint « lapis fundamentalis » eiusdem historiae; nec ipse mirabitur, hac via procedentibus origines Ordinis Minorum « involutas esse *tenebris* », non quidem « mysticis », sed manifestis crassisque.

15. **Denique circa temporum rationem, quae spectat ad primordia Ordinis, aliqua tangenda esse videntur.** — Diligentia in annotandis annis in antiquis vitis Sanctorum plerumque desideratur; sed quoad rem, de qua agimus, specialis ratio est, quare initium Ordinis non eodem modo computatur. Nam aliqui principium Ordinis computant, et quidem rectius, a receptione primorum discipulorum, quod constat factum esse 1209, mense Aprilis; alii vero et antiquiores a tempore, quo Franciscus renuntiavit paternis bonis coram episcopo Assisiensi et paulo post habitum eremiticum induit. Hoc autem vel ultimis mensibus anni 1206, vel primis anni 1207 evenit, cum S. Franciscus per duos annos integros habitu ere-

mitico indutus incesserit. Nec debet esse contradictio auctorum, quando alii profitentur annum 1206, alii 1207, cum illa aetate initium anni non raro computabatur a festo Annuntiationis B. M. V., scilicet 25 Martii. Quoad generalem vitae S. Francisci chronologiam remittimus lectorem ad P. Panfilo da Magliano, Storia compendiosa di S. Francesco e dei Francescani, Roma 1874, I. c. 1. n. 4-11, qui prae aliis probabilius, ut nobis videtur, diversas antiquorum computationes in concordiam redegit. Cum autem de tempore *primae* missionis Fratrum in terras extra Italiam nuper plura asserta quam probata sint, liceat etiam nobis proferre quae de hac re probabiliora nobis videntur. Res non esset quidem tanti momenti in se; sed videmus, nonnullos in defensione propriae opinionis ita excedere, ut certum esse pronuntiant quod valde dubium est, immo ut fontes ipsis contrarios penitus et in omnibus spernant.

Eventu faustam missionem Germanicam, duce Fr. Caesario, an. 1221 evenisse, in controversiam vocari nequit; *primam* autem, duce Fr. Ioanne de Penna, frustra tentatam esse an. 1219 et non prius, peremptorie a Dr. Voigt demonstratum esse, docet Prof. Dr. Müller (loc. cit. p. 57 seq.). Eidem computationi assentit P. Eubel (Geschichte der oberdeutschen Minoriten-Provinz, p. 195). Hanc opinionem nos quoque (Analecta I. p. 2, nota 9.) probabilem esse insinuavimus. Nunc autem, pensatis omnibus, putamus, rationes huius opinionis solvi posse, et probabilius esse, recte a Chronicis XXIV Generalium, Glassberger et Chronicis anonymis assignari an. 1217; quod etiam putant P. Panfilo et Evers. Sed Waddingus, Mariano a Florentia nimis fidens, vult esse annum 1216, et similiter Ioannes a Komorowo. Cum prima autem illa missione coniuncta erat quaedam divisio Provinciarum, quia Fratres voluerunt in his terris « habitacula construere », quod tunc ipsis non permittebatur (Tres Socii c. 16.). Quaedam autem praenotanda esse videntur, ut res melius pateat.

1. Ante annum 1221 et saltem ab anno 1216 iam multa capitula generalia fratrum apud S. Mariam de Portiuncula

celebrata sunt. Tres Socii, fratres Leo, Rufinus et Angelus, (Legenda c. 14.), testes et *spectatores,* narrant, S. Franciscum, postquam locum S. Mariae ad inhabitandum obtinuerit, ordinasse, « quod ibi fieret capitulum *bis* in anno, scilicet in Pentecoste et in Dedicatione S. Michaelis. In *Pentecoste* conveniebant *omnes* fratres apud S. Mariam ». Iidem (c. 15.) dicunt, Cardinalem Hugolinum familiaritatem contraxisse cum S. Francisco eumque protexisse post mortem domini Ioannis de S. Paulo, qui saltem vixit usque ad an. 1214 et inter Cardinales primus fuerat novi Ordinis protector (ob personalem affectum, non quidem ex *officio,* quod officium, teste Iordano (n. 14.), non nisi post reditum S. Francisci ex Oriente institutum est). Haec unio cum Cardinali Hugolino non potest esse posterius anno 1217, ut infra videbimus. Deinde ibi subiicitur: « Postea rogavit eum beatus Franciscus, ut in Pentecoste dignaretur fratrum capitulo interesse; qui statim benigne assensit, atque ex tunc interfuit eorum capitulo *omni anno.* — Quando vero ad capitulum veniebat, exibant processionaliter obviam ei omnes fratres in capitulo congregati. Ille autem, venientibus fratribus, descendebat de equo et ibat pedes cum eis usque ad ecclesiam S. Mariae, eisque postea faciebat sermonem et celebrabat Missam, in qua vir Dei Franciscus *Evangelium decantabat* ». — Sed procedente tempore, in regula diffusiore post reditum S. Francisci ex Oriente, adiuvante Fr. Caesario, ut Iordanus (n. 15.) dicit, disposita, capitulum Pentecostes *omni* anno faciendum esse praecipitur. Non nisi in ultima regula an. 1223, 29. Novembris ab Honorio approbata, generalia capitula ad triennium prorogata sunt. Quare omnino praesumendum est, reapse omni anno usque ad an. 1221 bis vel saltem semel capitula generalia ad S. Mariam celebrata esse, nisi grave impedimentum obstiterit, quod fortasse 1220 ob iter Orientale S. Francisci accidit. Hinc non improbabiliter Chronica XXIV Generalium ad an. 1219 dicunt, fratres post capitulum Pentecostes cum litteris commendatitiis Cardinalium *in sequenti capitulo, eodem anno celebrato,* per mundum universum transmissos esse.

Licet igitur capitulo 1221 non Protector Ordinis Cardinalis Hugolinus, sed teste Iordano[1] Reynerius adfuerit, in aliis tamen et etiam praecedentibus Hugolinum illuc venisse, non incertum est.

2. Honorius III. 11. Iunii 1219 litteras Apostolicas omnibus Praelatis (et postea 1220 Galliae episcopis) scripsit, quibus eos exhortatus est, ut fratres Minores recipiant « sicut catholicos et fideles ». Tres autem Socii (c. 16.) indicant rationem, *quare* praedictae litterae a Papa impetratae sint. Narrant enim, primam missionem quasi in universas mundi provincias remansisse irritam, fratresque de quibusdam terris expulsos esse, « ne forte essent homines infideles; quia licet praefatus dominus Innocentius III. Ordinem et regulam approbasset ipsorum, non tamen hoc suis litteris confirmavit; et *propterea* fratres a clericis et laicis tribulationes plurimas sunt perpessi. Unde ex hoc compulsi sunt fratres fugere de diversis provinciis, ac sic angustiati et afflicti nec non et a latronibus exspoliati et verberati ad beatum Franciscum cum magna amaritudine sunt reversi (cfr. Iordan. n. 3. 6. 18.) — Hoc enim *passi erant* quasi in omnibus ultramontanis partibus, ut in *Alemannia, Hungaria* et pluribus aliis. Quod cum notificatum fuisset dicto domino Cardinali, vocavit ad se beatum Franciscum et duxit eum ad dominum Papam Honorium, domino Innocentio iam mortuo; et aliam regulam a beato Francisco, Christo docente, compositam fecit per eundem dominum Honorium cum bulla pendente solemniter confirmari ». Verum est, disertis verbis hunc ultimum tantum et praecipuum favorem, quo Honorius III. fratres defendit (1223), hic recenseri, omissis pro usitata illis auctoribus brevitate duabus litteris 1219 et 1220 ab Honorio certissime scriptis. Sed Dr. Müller (loc. cit. p. 61, 62) asserit, ipsos fratres, quia *praevidissent* difficultates, quas missio ad exteras

---

[1] Loc. cit. n. 16. Mirum est, Iordanum ibi praesentem et spectatorem scripsisse: « Franciscus *creditur* tunc Evangelium legisse »; quod, si textus non est corruptus, potius congrueret dicere testi ab aliis res praecedentium capitulorum audienti.

nationes esset habitura, *prius* litteras illas commendatitias procurasse, quam missionem aggrederentur. Attamen pro hac assertione, quae nec ordini narrationis nec ipsis eventibus respondet, idem neminem nisi se ipsum exhibet testem.

His praemissis, primo rationes, quae favent antiquae et nostrae computationi, exponemus, et deinde fundamenta novae opinionis examinabimus.

1. Prorsus incredibile videtur esse, fratres iam munitos litteris Honorii III. commendatitiis ubique expulsos et passim tanquam haereticos esse tractatos; quod tamen *omnes* antiqui testes, Iordano non excepto, narrant. Sed si in capitulo Pentecostes anni 1219 primo decreta esset illa missio, certe habuissent iter exsequentes litteras 12. Iunii eiusdem anni. Hinc patet, standum esse antiquae relationi, primam missionem sine illis litteris et *ante* eas factam esse; et non nisi tristi experientia iam edoctos fratres 1219 Summi Pontificis protectionem implorasse. Quo conficitur, ante illud capitulum fratres iam missiones tentasse.

2. Constat et ab ipsis contrariae opinionis defensoribus asseritur, iam anno 1218 fratrem Eliam cum *pluribus sociis* in Orientem missum esse, immo Iordanus (n. 9.) dicit: « Frater autem Elias *minister provincialis est institutus ultra mare a beato Francisco* ». Dr. Müller (p. 58, nota 1.) opponit, hanc institutionem intelligendam esse non de anno, quo illi mittebantur (1218), sed de anno 1219, quo primo Provincialium munus institutum sit. Sed evasio haec et adiuncta ratio non satisfacit. Non enim narratur, Eliam missum fuisse ad Evangelium praedicandum *Mahumetanis,* sed « cum sociis suis ultra mare », ubi ab illo tempore Ordo semper habuit Provinciam, sicut alibi. Gratis igitur fingitur, hanc Eliae missionem, utpote factam *ad infideles,* praecessisse tempore tentatam fundationem aliarum Provinciarum. Scimus quidem, quod ipse S. Franciscus, motus desiderio martyrii (ut de non paucis aliis Sanctis legitur), Mahumetanis frustra *proposuerit* praedicare iam ante fundationem Provinciarum. Hoc fuit secundum Thomam a Celano (Vita prima c. 20. p. 45) « *sexto* conversionis suae

anno», id est 1212; reapse tamen hoc exsecutus est « tertio decimo suae conversionis anno » sive 1219 (ibid. c. 21. p. 46). Idem fortasse etiam dicendum est de B. Fr. Aegidio. Sed praedictos plures fratres cum Elia ultra mare missos esse prius quam alii in terras Italiae adiacentes, in se nullatenus est verisimile nec ullo antiquo documento docetur, ut illico videbimus.

3. Iam ante annum 1219 (quo S. Franciscus, ut constat, in Orientem profectus est), et quidem probabilissime an. 1217, S. Franciscus missionem fratrum in Galliam non tantum proposuit, sed *incepit,* immo ipse in Galliam proficiscens iam venit Florentiam. Thomas a Celano (Vita prima c. 27. p. 57), postquam laudibus celebravit Cardinalem Hugolinum, sic prosequitur: « Cum enim tempore quodam dominus iste legationem, sicut saepe solebat, pro Sede apostolica in Tuscia fungeretur, beatus Franciscus non multos adhuc fratres habens et volens in Franciam ire, devenit Florentiam, ubi tunc iam dictus episcopus morabatur. Nondum alter alteri erat *praecipua familiaritate* coniunctus, sed sola fama beatae vitae mutua eos et affectuali iunxerat caritate » (cfr. etiam locus trium Socior. c. 15, supra relatus). Deinde narratur, Cardinalem monuisse virum Dei, ut « ipsum coeptum *non perficeret iter,* sed ad *curam et custodiam* eorum quos sibi Dominus Deus concesserat, sollicite vigilaret »; et concluditur, Franciscum sermonem efficacem cum gaudio magno accepisse. Dicit quidem Dr. Müller, iam auctores Actuum Sanctorum probasse, hanc narrationem esse prorsus fictam vel falsam. Sed ut bene observat P. Panfilo (I. c. 4. n. 12.), illi auctores decepti sunt *falsa lectione* codicis, quo usi sunt, cum contra auctoritatem aliorum codicum omiserit particulam *non,* et habeat sic: *coeptum perficeret iter.* Iter autem Francisci praedictum usque *Florentiam* a Bollandistis minime eversum est. Res autem illae evenerunt manifeste ante annum 1219, quo S. Franciscus reapse ivit in Orientem, non obstante consilio Cardinalis; et adiuncta, ut patet, suadent, quod non evenerint posterius quam anno 1217. — Insuper nunc exploratum est, quod praedictus Cardinalis anno 1217 reapse in Tuscia fue-

rit ut Legatus apostolicus. Hoc constat duabus Bullis Papae Honorii III, quarum una scripta est 23. Ianuarii 1217, anno pontificatus eiusdem I, in qua legitur: « Mittimus ad vos [in partibus Lombardiae et *Tusciae*] venerabilem fratrem nostrum Ugolinum episcopum ». In altera vero, ad Pisanos et Ianuenses pro pace restituenda directa, dicit, se iam eundem Cardinalem misisse, ipsumque reversum esse ad apostolicam Sedem; haec scripta est 1. Decembris 1217, an. pont. II. (cfr. Bullarium Rom. ed. Taurinensis). Optime igitur narratio et computatio Chronicorum XXIV Generalium cum hoc convenit. — Haec argumenta confirmant antiquam computationem et rem satis exploratam reddere possunt, si insuper novae opinionis fundamenta sunt potius arbitraria quam secundum sanae criticae artis regulas stabilita, quod secundo loco nobis examinandum est.

1. Testimonium ex *Iordano* sumtum, quod adversarii tanquam peremptorium praedicant, prorsus *nihil valet*. Innititur enim in unius codicis *uno loco manifeste corrupto et infelici prorsus coniectura a Dr. Voigt mutato;* quod a nobis probandum est. Legitur igitur in illo manuscripto (n. 3.): « Anno vero Domini *1219* et anno conversionis eius decimo *frater* Franciscus... misit fratres in Franciam, in Theutoniam, in Hungariam, in Hispaniam » etc. Si standum est numero *decimo* litteris scripto, corrigendus est numerus 1219 et ponendus 1217; et tunc ipse Iordanus confirmaret antiquitus receptum annum 1217. Locus igitur manifeste corruptus correctione critica eget. Hoc vidit Dr. Voigt et, retento numero 1219[1], vocabulum *frater* mutandum esse censet in *tertio*. Cum autem non habuerit nisi apographum codicis Berolinensis, ex ipso solo Iordano coniectando primitivam lectionem restituere se posse confidit, et quidem cum securitate tam *certa,* ut, reiecta antiquorum Chronicorum et auctorum computatione, lapis fundamentalis creatus sit, in quo deinceps ratio historica vere scientifica inniti possit et debeat! Nec defuerunt qui fidenti animo

[1] Qui aliqualem usum antiquorum codicum habet, novit, nihil in apographis illius aetatis frequentius occurrere, quam error in numeris scribendis.

eum secuti sint. — Videndum est igitur, utrum mutatio praedicta facta sit secundum regulas a peritis in textuum critica vulgo adhibitas ac revera mereatur laudem rationis vere scientificae.

Prima eiusdem ratio nihil aliud probat nisi incredibilem levitatem scientificam huius correctoris. Contendit enim, vocem *frater* mutandam esse in *tertio,* quia tale nomen *Patri* Francisco non conveniat. Sed ipse textus Iordani ab eodem editus, sed perfunctorie lectus, incautam assertionem confutat. Nam paulo inferius (n. 17.) legitur, Fr. Eliam dixisse: « Fratres! ita dicit *frater,* significans beatum Franciscum, qui quasi per excellentiam a fratribus *frater* dicebatur »! Certo igitur ibi retinenda est vox *frater.*

Secunda ratio eiusdem inde sumta est, quia infra (n. 10.) legitur: « Eodem anno, quo alios fratres misit, videlicet anno conversionis XIII ». Hanc autem missionem supponit *eandem* esse cum praedicta (n. 3.) et *primo* in Germaniam facta; hinc etiam n. 3. vult ponendum esse *decimo tertio.* Sed haec assertio ex misera *petitione* principii, ut dicunt, procedit, est prorsus arbitraria et ipsi contextui Iordani parum conveniens. Nullo verbo Iordanus indicat, missiones, de quibus loquitur n. 10, fuisse primas nullasque ante ipsas esse tentatas; nisi autem hoc supponatur, argumentatio pro textus mutatione est prorsus inanis. Optime autem omnia n. 10. dicta applicari possunt missionibus anno 1219 exsecutioni datis, etiamsi aliae antea tentatae sint. Melius etiam ordo narrationis procedit, quam si auctor iterum, interiectis aliis, ad primam Germanicam missionem revertatur. Accedit, quod Iordanus (n. 17.) in quodam loco (ut legitur in ipsa editione a Voigt curata, et verbotenus etiam apud Glassberger p. 19) clare refert, ante annum 1221 iam *aliquoties* missionem Germanicam frustra tentatam esse; quae verba nec Voigt nec sequaces legisse vel attendisse videntur. In illo capitulo et coram tot fratribus Elias dixit: « Et quia ad eos (Germanos) *aliquoties* missi fratres male tractati redierunt » etc. Haec verba Fr. Eliae non negligere, sed saltem explicare debuerunt qui sustinent, ante

annum 1219 nullam fuisse talem missionem, cum an. 1220, absente S. Francisco, vix missio fieri potuerit. Nolumus quidem nimis urgere illa verba,[a] tacentibus aliis testibus; sed tamen illa facile cum nostra sententia componi possunt. Recte autem concludimus, neque secundam rationem posse coniecturam Dr. Voigt reddere probabilem.

Tertio autem in contrarium afferimus illam regulam, quae communiter in critica textus corrupti correctione observatur, ut, deficientibus operis codicibus, recurratur ad opera aliorum auctorum, qui excerperunt vel citarunt librum anteriorem; quorum ope ars critica saepe lectiones corruptas emendare potest. Glassberger autem et auctor anonymorum Chronicorum (quos tamen Voigt non cognovit) aliud et, ut videtur, melius manuscriptum Iordani habuerunt et fere verbotenus transcripserunt, ita ut haec opera quasi locum alterius vel tertii codicis supplere possint, licet non diffiteamur, eos etiam alios fontes adhibuisse. Uterque autem distinctissime dicit, primam missionem factam esse anno 1217. Nisi igitur *historicis rationibus* prius probatum fuisset, hos auctores in anno errasse, textus corruptus ope illorum esset corrigendus. Sed illi correctori potius placuit arbitrarie locum mutare et ex mutato arguere atque alios fontes spernere.

2. Sed etiamsi gratis concedamus, illum correctorem divinando verba a Iordano dictata recte restituisse, nihilominus res, de qua agitur, remanet ambigua et minime certa. Idoneus quidem testis est Iordanus in rebus, de quibus, ut plerumque evenit, tanquam spectator loquitur; unde quod narrat de capitulo anni 1221, cui ut *novitius* intererat, libenter admittimus. De *praecedentibus* autem capitulis non paucis ipse non nisi relata ab aliis dictare potuit; nec videtur habuisse ad manus illa aliorum scripta monumenta, quae auctor Chronicorum XXIV Generalium adhibuisse constat, sed senex ex memoria res narrat. Praeferendum esse etiam in his ipsum aliis testibus et spectatoribus, credat qui velit, sed talem credulitatem non imponat aliis. Immo quoad *numeros annorum* Iordanus bis protestatur, memoriam suam deficere: primo quidem in

genere dicens in Prologo: « Super annorum vero numero sicubi per oblivionem, utpote iam senex et debilis, ut homo erravi, veniam postulo a lectore » etc.; secundo (n. 7.) dubitationem suam profert speciatim quoad fratres in Hispaniam missos [1]. Nescimus autem, quo iure illi viri critici Iordano velint vindicare in his maiorem fidem, quam ipse sibi attribuit. — Ponderatis his omnibus, iudicet prudens lector, utrum fundamentum, quo solo nititur Voigt, sufficiat ad opinionem suam novam « scientifice » demonstrandam.

Dr. Müller vero affert pro eadem opinione aliud fundamentum ex Legenda trium Sociorum (c. 16.) dicentium: « Expletis itaque *undecim annis ab inceptione religionis,* et multiplicatis numero et merito fratribus, electi fuerunt Ministri et missi cum aliquot fratribus quasi per universas provincias, in quibus fides catholica colitur et servatur ». Deinde narratur eorum expulsio, ut supra iam tactum est. Chronica XXIV Generalium rem sic determinant vel explicant: « Anno Domini 1217, ab inceptione vero Ordinis undecimo, computando a *prima conversione* S. Francisci » etc. Dr. Müller, hac reiecta interpretatione, scribit [2]: « id est anno 1219, *quia* Socii eodem modo sicut *tota antiqua aetas* inceptionem Ordinis ponunt anno 1209 ».

Contra hanc interpretationem obiicimus: 1. Ratio adiecta sive assertio, quod *tota antiquitas* computet initium Ordinis ab anno 1209, scilicet a receptione primorum discipulorum, non est usquequaque vera. Salimbene enim, qui Ordinem intravit 1238, initium eiusdem computat ab anno 1207, cum scribat (Chronica p. 348): « Eodem anno (1207) inchoavit beatus Franciscus *Ordinem* fratrum Minorum et vixit in eo *XX annis completis* ». Eandem computationem repetit p. 405.

2. Thomas a Celano bene quidem distinguit tempus conversionis (1207 vel 1206) ab *inchoatione Ordinis;* attamen

---

[1] Ibidem editio Voigt ab orginali Berolinensi discedit ponens *ut* pro *et;* revera *et* propositionem reddit non parum confusam.

[2] Das heisst im Iahr 1219, weil die Socii ebenso wie die *ganze ältere Zeit* die inceptio ordinis ins Iahr 1209 setzen.

quando temporis rationem exhibet, *semper* computat ab anno *conversionis* (cfr. Vita prima c. 1. p. 12; c. 9. p. 24; c. 20. p. 45; c. 21. p. 46; et opus II. c. 1. p. 66; c. 8. p. 80). Eundem modum tempus indicandi etiam tres Socii semper observant in aliis locis (c. 7. p. 42; c. 8. p. 46; c. 17. p. 96); solummodo in quarto supra citato loco adhibent phrasim *ab inceptione religionis,* qua prima specie videntur ab alio termino computationem incepisse. Nam vocabulum *religionis* saepe usurpatur sensu stricto pro *Ordine.* Nihilominus recte et passim etiam nostra aetate usurpatur sensu *minus stricto,* ita ut comprehendat etiam statum Eremitarum, qui auctoritate Episcoporum habitum ecclesiasticum portant. Tales recensentur esse personae religiosae (*S. Congreg. Episc. in Fundana* 17. Ian. 1594); immo fere communiter Canonistae docent, eos gaudere privilegio Fori et Canonis (cfr. Ferraris, Prompt. Bibliotheca v. Eremita n. 12. 13.). — Unde supposito etiam, quod textus sit genuinus, tamen remanet dubium, utrum tres Socii, verbum illud stricte intelligentes, computent ab anno 1209, an, prout in ceteris locis, ab anno 1207, vel potius 1206. Haec altera computatio suadetur, quia, si incipimus a mense Aprilis 1209, verba: « expletis undecim annis », indicant quasi medium annum 1220, quod etiam in adversariorum opinione est certissime falsum. Cum antiqua autem computatione numerus ille satis concordat, si primo recipimus computationem Thomae a Celano, qui (Vita prima c. 9. p. 24) dicit: « Conversionis eius annus *tertius* agebatur, quo in tempore quasi eremiticum ferens habitum... incedebat »; et si secundo respicimus non tantum decretum, sed etiam exsecutionem illius missionis. — Cum igitur locus ille in Legenda trium Sociorum minime sit certae explicationis, tenenda est potius interpretatio Chronicorum Ordinis antiquorum quam recens coniectura nullis documentis firmata.

Ut igitur dicendi de hac re tandem finem faciamus, censemus, ex documentis hucusque notis concludendum esse, iam anno 1217 missiones fratrum Minorum in Galliam et Germaniam incepisse, multaque capitula generalia ad S. Ma-

riam ante annum 1223 celebrata esse, quorum plura tum inter se similia tum ab antiquis scriptoribus non satis distincta sint. Distinguitur tamen unum prae ceteris nomine *de cortinis,* quod ponit Waddingus anno 1219 et dicit, in eo fuisse 5000 fratres et Cardinalem Hugolinum. Etiam S. Bonaventura (Legenda maj. c. 4.) refert, eundem numerum *aliquando* in capitulo Pentecostes adfuisse; hoc idem narravit, teste Eccleston (coll. 6. alias 5.), Fr. Martinus Barton, qui ibidem fuit praesens cum suo fratre carnali, huius « capituli seneschallo », et addit, in eodem capitulo S. Franciscum domum apud St. Mariam de Portiuncula aedificatam voluisse destruere. Quinque millia etiam Glassberger capitulo *anni 1221* tribuit. Manifestum tamen est, capitulum anni 1221, cui secundum Iordanum tantum 3000 millia fratrum cum Cardinali Reynerio interfuerunt, non fuisse capitulum *de cortinis,* sed eidem tantum simile, nisi supponamus, Waddingum cum suis testibus quoad annum aliaque plura adiuncta deceptum fuisse. Sed de his nolumus quidquam diiudicare, sed potius nostram huius rei ignorantiam fatemur.

Restat, ut publice gratias agamus tum R. R. Superioribus Conventus nostri Monacensis, qui liberalissime codicem nobis in usum tradiderunt, tum R. P. Conrado Eubel, Herbipolensis Conventus Minorum Conventualium filio, quia saepius de corruptis nominibus propriis corrigendis aliisque rebus a nobis consultus, humanissime nos certiores fecit.

In Collegio S. Bonaventurae ad Claras Aquas 21. Martii 1887.

FRATRES EDITORES.

JESUS.

Epistola venerandi patris fratris Bartholomaei Wyer ad fratrem Nicolaum Glassbergerum, adhortantis eundem ad sequentis opusculi compilationem.

Frater Bartholomaeus Wyer [1] Ordinis Minorum, fratrum conventus Nurembergensis eiusdem Ordinis Guardianus, meritis licet insufficientibus, dilecto sibi in Christo patri fratri Nicolao Glassberger dicti Ordínis, salutem plurimam dicit.

Illustrium virorum, frater adamate, quos Religionem nostram sacerrimam veluti agrum frugiferum coelesti infusum rore, cuique Dominus benedixit in suae institutionis primordiis, ubique gentium abunde protulisse legimus, clara nomina, titulos nobiles gloriasque saepenumero triumphales mecum considerans, sicut dignis laudum ipsorum praeconiis, quibus iidem virtutum [2] viri praestantissimi tum celsis suorum divinorum operum meritis, tum dexteritate ingeniorum doctrinaeque eminentia, memoriam sempiternam toto terrarum orbe merito consecuti, ex his alii sacri senatus consultu publicis beatissimorum Pontificum decretis inter Divos relati cultu venerandi ecclesiastico; alii vero disertissimorum virorum floridis orationibus, rosco ore ingenioque prope divino scriptis, immortalitati consecrati [3], debiti honoris reverentia longe solemniter celebrandi imitandique nobis traditi sunt, plurimum in Domino glorior: sic etiam eorum iura meritorum, quos citra ad nostram aetatem usque in ipsa Religione ac nostra praecipue Argentinensi Provincia, copiosa vitae sanctitudine ac

---

[1] De quo cfr. cod. fol. 273 b, 275 a, 277 a, 281 b, 283 a, vel hic ad an. 1502, 1504, 1505, 1507, 1508; et de Glassberger cod. fol. 139 b, 233 b, 235 b, 241 b, vel hic ad an. 1426, 1472, 1479.

[2] Ita clare cod., editio 1 *virtutem,* quae etiam paulo inferius contra cod. *consulto* pro *consultu* et immediate ante *idem* pro *iidem* legit.

[3] Edit. 1 falso *immortalitatem consequutis* et paulo superius *dissertissimorum* pro *disertissimorum.*

praestanti doctrina floruisse accepimus, incuria nostra hactenus neglecta, haud mediocriter doleo. Doleo, inquam [1], nos languide torpentes in tanto otio, cunctis colendam honoribus illorum memoriam minus aequo prosequi, posteritati ex quorum exemplis dependeat, subtrahere, negligere quorum beatae vitae imitanda sanctitas futuris post nos esse possit in sanctae conversationis proposito [2] religiosi fervoris incitamentum. Sane cognoscens, te a pluribus retroactis temporibus cura praecipua cognoscendis patrum studiis sollicitum plurima et celebria ex ipsorum gestis e diversis gentium provinciis in schedulis [3] comportasse, quae plena virtutum exemplis legentes ad bene ac beate vivendum non parum aedificare habent, timensque ne, te ab Altissimo aliquando ex hac miseriarum valle ad siderea regna vocato, etiam ipsa sic, ut dictum est, in schedulis hinc inde relicta ex integro ab hominum memoria deperire delerique contingat, quemadmodum verbis saepius feci, sic scriptis summis te nunc precibus aggredi induxi in animum, orans, quatenus ad Dei gloriam et fratrum aedificationem, qui gestarum rerum notitia polles, hanc Provinciam subire velis, patribus immortalitatem, sanctae imitationis exemplum posteris redditurus. Absolveris autem eam persplendide, si, ab primo institutae Religionis anno dicendi principio facto, per omnes annorum lineas transiens ad nostram tempestatem usque, brevem historiam compegeris, qua secundum successionem Ministrorum Generalium et quos nostra Argentinensis Provincia primos in ipsa Religione patres, fundatores, Ministros ac in Observantia Vicarios habuerit [4]; deinde Ordinis praesertim in ipsa dicta Provincia regimen profectumque sub eisdem; ac postremo, si quae relatione digna contigerint, edisseras. Qua in re si morem mihi gesseris [5] splendidam meritorum coronam tibi labore ipso in coelis fabricabis, quam tibi reddet qui est benedictus in saecula saeculorum, in quo laetissimus vale. Ex Nuremberga.

RESPONSUM.

Reverendo in Christo ac religioso patri fratri Bartholomaeo Wyer, Guardiano conventus Nurembergensis optime merito, Ordinis Minorum, frater Nicolaus Glassberger, eiusdem Ordinis.

Paratissimam ad vota voluntatem offert inter ceteras quas iniuncti necessitate [6] officii religioso geris in pectore curas, spirituali in Domino profectu nedum praesentium, sed et futurorum post nos in Ordine fratrum te sollicitante, sicut nuperrime vicariatus officio functus ore, sic nunc calamo dolere te, optime pater, dicis, plurima patrum celebria gesta, quae utique posteritati profutura esse [7] poterant, hactenus a nobis neglectui habita, ac idcirco mihi cum mandare possis, solita humilitate persuades deprecando, ut ab primo institutae Religionis anno dicendi principium aggressus, singulorum, qui post beatissimum Patriarcham nostrum Franciscum succes-

---

[1] Edit. 1 perperam *itaque.*

[2] Edit. 1 omisit hoc verbum *proposito.*

[3] Cod. loco huius voculae modo *zedula* modo *cedula* legit.

[4] Edit. 1 contra cod. *habuit.*

[5] Ita recte et clare cod., sed ed. 1 *intergesseris* (?) pro *mihi gesseris.*

[6] Ita clare cod., ed. 1 vero *nactivitate* (?).

[7] Edit. 1, repugnante cod., *etiam.*

sive in Ordine generalatus officium gesserint, nomina, electiones, profectum ac dilatationem sub eorundem regimine Ordinis, praesertim quemadmodum et per quos fratres ab ipso fonte, Italia, in nostram Argentinensem Provinciam derivatus sit, quosque ipsa Provincia Ministros Provinciales ac in Observantia Vicarios tum Generales tum etiam Provinciales habuerit [1] etc., intra unius libelli angustias concludam in eum praecipue finem, ut habeat posteritas nostra quos in spiritualis philosophiae studio auctores sequatur. In qua re, etsi tibi semper parere in votis habeam, sollicitum cognita mihi propria me reddit imperitia, qua praeclara patrum gesta, quae labore nullo undecumque accepta didici, humili rusticoque extenuare potius quam explicare timeo sermone. Verum attendens, quod debent qui proficere velint in scriptis ecclesiasticis, ad morum dumtaxat aedificationem editis, non nitorem forensis eloquentiae neque rhetoricae florem disciplinae, sed rectas quaerere regulas bene vivendi, cunctatione amota, tuae iussionis [2] praesidio fultus, manum operi admovi, et quae meo profectui e diversis libris et locis accepta, sive meo tempore gesta, in schedulis annotaveram, intra unius opusculi angarium coarctata conscripsi, quod quidem opusculum praesentibus tuae Paternitati dedico, quo [3] tua auctoritate munitum, aliorum iudicia non pertimescat. Benigna igitur manu, optime pater, illud suscipe et me tuis orationibus apud immortalem Deum iuva. Vale.

In nomine Domini Iesu incipit brevis annotatio, ex diversis chronicis et scriptis extracta, de omnibus Generalibus Ministris in Ordine Minorum, quorum primus fuit beatissimus Pater Franciscus, ipsius Ordinis institutor et rector, ac etiam de omnibus Ministris Provincialibus Provinciarum superioris Alamanniae ac Saxoniae et nonnullis Bohemiae, cum multis notabilibus a tempore beati Francisci et citra iuxta decursum annorum gestis, tractans. Et primo

PROLOGUS.

Nicolaus de Lyra [4], celeberrimus sacrae theologiae doctor Ordinis nostri Minorum, in Postilla, quam edidit super librum Esther, capitulo VI, « memoriam praeteritorum dirigere dicit in agendis respectu futurorum ». Occasione cuius referentem me olim aedificationis gratia nonnulla de primis fratribus, a beatissimo Patre nostro Francisco in Theutoniam missis, quemadmodum in diversis chronicis legeram, audientes quidam ex venerabilibus confratribus meis, rogaverunt, iussitque mihi reverendus pater, cuius in praesentiarum curae subsum, ut de Provincia Argentinensi secundum successionem tam Generalium quam dictae Provinciae Ministrorum Provincialium brevem historiam texerem, qua ipsius Ordinis in ipsa eadem plantationem, profectum ac regimen succincte stiloque simplici traderem, quibus illi iubenti, istis rogantibus utcumque parui. Et quidem merito, nempe qui parere semper, praesertim in tam pio opere, quod multis profuturum spero, debeo. Quare bona venia omnium manus ad opus misi, et quae de hac ipsa re in diversis chronicis ac aliis scriptis

---

[1] Edit. 1 contra cod. *habuit.*

[2] Ita clare cod., ed. 1 falso *missionis.*

[3] Edit. 1 *quod* (?), sed contradicente cod. Verbum *quo* hic idem sonat ac *quatenus.*

[4] Cfr. Lucas Waddingus, Scriptores Ordinis Minorum p. 265 (edit. Rom. 1650).

spersa reperi, iuxta ingenii mei mensuram simplici stilo breviter conscripsi, salvo semper saniori intellectu, paratus semper emendare quae male seu minus bene tradita, probata fuerint, submittendo me correctori [1] omni melius sentienti, obnixius rogans, ne quis in hoc scripto correctoris officio fungatur, nisi ubi ei lucidis ac legitimis probamentis minus bene sensisse videor. Ad gloriam individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, viventis et regnantis in saecula saeculorum.

INCIPIT TRACTATUS.

Beatissimus Pater noster Franciscus de civitate Assisii, sita in valle Spoletana, oriundus fuit. Hic in adolescentia mercantiam, quae apud Italos in pretio est, sectatus, a Spiritu sancto primum internis quibusdam inspirationibus, ac deinde nonnullis sibi factis revelationibus quasi quibusdam manuductionibus a saeculari vita et consortio segregatus, ceu ingentis alicuius fabricae lapis primarius ac fundamentalis, cui omnis structurae moles inniti habet, futurus malleo multarum infirmitatum, tribulationum ac tentationum [2] super incudem patientiae probatus, in virum perfectum hoc ordine legitur transformatus. Primum enim duobus annis, postquam segregatus est a mundo, honestum et quasi eremiticum habitum indutus, baculum, corrigiam et calceamenta ferens in pedibus, nunc mendicando ibat [3] per civitatem Assisii, nunc latitabat in eremis, nunc leprosis ministrabat, intendebatque devotissime iuxta mandatum sibi e cruce datum reparationi trium ecclesiarum, praesagio quodam futurorum. Hanc autem vitam secundum Vincentium [4] incepit

Anno Domini 1206, anno pontificatus domini Innocentii tertii 14°, aetatis vero suae 25° [5]. Unde est versus:

Innocentius Papa tertius, sub quo sanctus Franciscus Ordinem Fratrum Minorum incepit.

Sex mille ducenti, incepit Ordo Minorum,
Numero dux quorum bis decem vixit annorum.

Anno Domini 1209, dum idem beatissimus vir Missam in ecclesia devotissime audiret, et legeretur illud Evangelium [6], quo Apostolis a Christo evangelica norma

---

[1] Ita recte et etiam exigente contextu cod., ed. 1 vero *correctioni.*

[2] Ita clare cod., ed. 1 falso *tribulationem ac tentationem.*

[3] In ed. 1 desideratur haec vocula *ibat.*

[4] Id est Bellovacensem (Beauvais), Ordinis Praedicatorum, in suo celeberrimo libro « Speculum » intitulato († 1264). Erat educator filiorum S. Ludovici, regis Franciae.

[5] Ita dicunt etiam chronica XXIV Generalium, fol. 1. r. c. II, quibus auctor huius codicis praeter alia diligentissime usus esse videtur. Exemplar horum chronicorum (ab an. 1360-1374 exaratorum), quae hic et in sequentibus citamus, exstat Assisii, in bibliotheca sacri Conventus. — Sed notandum est, quod Vincentius conversionem an. 1207 contigisse dicit. Deinde anachronismus hic habetur; nam cum Innocentius electus sit 8 Febr. 1198, legendum est: anno... tertii *9* loco *14*. Amanuensis chronicorum Gen. scripsit XIIII pro VIIII, mutando V in X, qui modus scribendi erroneus non raro in codicibus antiquis invenitur. — De conversione S. Francisci cfr. Waddingus, Annales Minorum, tom. I. (edit. Lugdunensis 1625), Praefatio § 4; et Fr. Panfilo da Magliano O. M., Storia compendiosa di S. Francesco e de' Francescani, vol. I. (Romae 1874), Introduzione n. IV. seq.

[6] Matth. 10, 9. 10.

praescribitur in vivendo, ne videlicet *aurum vel argentum, aut aes in zonis possideant, nec virgam nec duas tunicas nec calceamenta deferrent,* Evangelii non surdus auditor, illico calceamenta posuit, peram et tunicam abdicavit, reiectisque baculo et corrigia, unica contentus tunicula, pro cingulo funem sumpsit, omnem diligentiam cordis apponens, qualiter et audita perficeret et apostolicae vitae se per omnia cooptaret [1]. Quo tempore, secundum opinionem probabiliorem, et lapide fundamentali Ordo Fratrum Minorum felix initium sumpsit. Taliter itaque a mundo Vir sacer abstractus, cum a multis — ut est iniquus interpres in dubiis infectus mortalium animus — non religiosus, sed insanus haberetur, aliis hoc, aliis aliud de eo opinantibus, et ipse dictis duobus annis a mundanis hominibus irrisus, ob hoc propositum religiosum non immutans, in maxima poenitentiae austeritate, paupertate et patientia soli Deo servire amaret; vir quidam in civitate Assisii honorabilis [2] nobilitate, divitiis ac prudentia inter concives suos adeo praestans, ut eius consilio tota illa civitas regeretur, nomine Bernardus, animadvertens prudenter in viro Dei tantum mundi contemptum tantamque eius in adversis patientiam, instinctu divino eum ad secum in sua domo coenandum et quiescendum invitavit, caute eius vel sapientiam vel fatuitatem exploraturus. Cumque coena peracta, in eadem camera in lectis, quos Bernardus ipse parari [3] iusserat, ad quiescendum se composuissent, durius stertendo Bernardus alto se somno immersum finxisset, clam beatus Pater de lecto surgens, mente pariter ac facie in Deum elevata manibusque devotissime sursum porrectis ac largiter fluentibus lacrymis, interruptis vicibus haec verba desiderio ardenti et amantis affectu replicabat: *Deus meus et omnia, Deus meus et omnia.* Quae dominus Bernardus cum lampadis more nobilium intra cameram ardentis fulgore vidisset ac audisset, totus ab intra compunctus, mane surgens dixit Beato: « Frater Francisce, habens in proposito derelinquere mundum, decrevi sequi te, et quaecumque mandaveris mihi, facere ». Cui Sanctus, pro conceptu primae sobolis totus in Deo exhilaratus, respondit: « Adeo magnum, inquit, est, o domine Bernarde, quod flagitas, ut sit hic [4] merito consilium a Deo quaerendum. Pergamus itaque ad ecclesiam, et ibidem dicetur nobis, quid in re faciendum sit ». Missa igitur in ecclesia audita, ac praemissa ad Dominum oratione, rogat beatus Pater Franciscus sacerdotem, ut Missale in nomine Domini aperiat. Quod cum, edito crucis signo, sacerdos devotus fecisset, occurrit primo: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae possides et da pauperibus* [5]. Secundo librum aperuit, et occurrit: *Qui vult venire post me, abneget se-*

---

[1] Cfr. chronica fr. Iordani, n. 2, quae una cum chronicis anonymis et fr. Eccleston de adventu Fr. Minorum in Angliam, infra saepius citandis, habentur in libro inscripto: Analecta Franciscana, tom. I. (Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam 1885). Cfr. etiam Wadding., l. c. ad an. 1208, n. I. et 1209, n. VIII. nec non Panfilo, l. c. n. VIII.

[2] Edit. 1 contra cod. *honorabili.*

[3] Ita cod., sed ed. 1 *pari* et immediate post *se somposuissent* pro *se composuissent.*

[4] Edit. 1 male *hoc* et deinde falso *adeo* pro *a Deo.*

[5] Matth. 19, 21; alter textus ibid. 16, 24; tertius Marc. 6, 8. — Ita etiam habent chron. XXIV Gen., sed Thomas a Celano, Vita secunda S. Francisci (Romae 1880), parte I. c. X, Legenda Trium Sociorum (Romae 1880) c. VIII. et S. Bonaventura, Vita S. Francisci, seu Legenda maior (Romae 1880) c. III. nec non Waddingus, l. c. ad an. 1209, n. I-V, inverso ordine, textum tertii loci secundo loco ponunt.

metipsum et tollat etc. In tertia vero libri apertione occurrit: *Nihil tuleritis in via.* Quo viso, dixit domino Bernardo beatus Franciscus: « En cernis consilium Domini! Vade ergo et illud opere satage implere ». Statim itaque hoc facto, dominus Bernardus cunctas et largas patrimonii sui opes distractas in pretio, comitante eum beato Francisco, in platea sancti Georgii pauperibus erogavit et eodem anno, hoc est 1209, 16 kalendas Maii[1] habitum et vitam apostolicam assumpsit. Eodem etiam tempore dominus Petrus Cathani, iurisperitus et canonicus ecclesiae sancti Rufini, omnibus suis rebus pauperibus datis, Ordinem intravit, quos post lapsum spatium octo dierum vir de Assisio, Aegidius nuncupatus, provocatus illorum exemplo, secutus, cum in praefata platea omnia sua pauperibus distribuisset, sancto Patri habitu et vita coniunctus est. Successive post hos fuerunt alii octo ad Ordinem recepti, videlicet frater Sabatinus[2], fr. Moricus parvulus, fr. Iohannes de Capella, qui prior usum birrettorum in Ordinem introduxit, fr. Philippus Longus, primus visitator Pauperum Dominarum, fr. Iohannes de sancto Constantio, fr. Barbarus, fr. Bernardus Vigilantis de Fida[3] et fr. Angelus Tancredi de Reate, primus ex equestri Ordine Religionem ingressus.

Isti sunt XII primi fratres, Religionis nostrae XII fundamenta, vita Apostolis conformes, Evangelii sancti renovatores, omnes viri sanctissimi praeter dictum Iohannem de Capella, qui factus pro suis demeritis leprosus, furia succensus, Ordinem exivit et a Deo in manibus daemonum relinquitur, ut in tam perverso discipulo Christo conformaretur Franciscus. Cum hac sua familia sanctus Pater Franciscus in quodam tugurio derelicto secus Assisium, quod *rivus tortus*[4] dicebatur, sese recepit, ieiuniis et orationibus vacans ac novas et[5] teneras plantulas coelestis imbribus doctrinae rigans. In ipso loco, divino Spiritu inspirante, quandam pro se et suis fratribus regulam conscripsit, cui pene omnia consilia evangelica inseruit, omnes tam praelatos quam subditos nominibus evangelicis in ea nominando, praelatos quidem *Ministros*, iuxta illud[6]: *Qui maior est inter vos sit minister vester;* porro omnes generaliter fratres *minores* iuxta illud: *Quod fecistis uni ex his fratribus meis minoribus, mihi etc.*

Cum eisdem denique XI fratribus ipse XII. ad praesentiam domini Papae sese conferens Pater beatus, Innocentii videlicet tertii, praedictam regulam per Sedem Apostolicam approbandam obtulit et se suosque penitus a mundo abstrahi instanter supplicavit. Porro idem Summus Pontifex, divina revelatione sibi facta, qua scilicet Lateranensem basilicam ruinae proximam pauperis Francisci vidit dorso, ne caderet,

---

[1] Id est 16 Aprilis, in quo die totus Ordo S. Franc. professionem renovando memoriam suae originis celebrat.

[2] Edit. 1 falso *Gabatinus*, et paulo inferius omisit *Longus* post *Philippus*.

[3] Pro quo Wadding. *Bernardus* de *Viridante*, et P. Rodulphius *Vigilantius*. — Paulo inferius ed. 1 adiunxit *in* post *Ordine*, contradicente cod. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1209, n. IX-XIX, XXVIII, XXXVI, XXXVII, et ad an. 1210, n. III.

[4] Haec et alia usque ad 1212 quasi verbotenus leguntur in chron. XXIV Gen., fol. 1. v. col. II. seqq. Sed ut ex Thoma a Cel., Vita I. c. 14. et 16, et Leg. Trium Sociorum, c. XIII. clare apparet, illuc se recepit post reditum ab urbe Roma. Cfr. etiam Panfilo, l. c. Introduz. n. X. et c. II.

[5] Edit. 1 *ac*.

[6] Matth. 23, 11; seq. textus ibid. 25, 40. 45.

Iohannes de sancto Paulo Episcopus Sabinensis, Cardinalis, primus Ordinis protector.

Sanctus Franciscus primus Minister Generalis Ordinis Minorum et dux.

sustentari, et suasu domini Iohannis de sancto Paulo, Episcopi Cardinalis Sabinensis, qui se beato Patri et suis in protectorem in curia obtulerat, supplicationi eius annuens, approbavit regulam favorabiliter et omnibus eis tam clericis quam laicis, quos scilicet laicos ibidem totondit, dedit de poenitentia praedicanda mandatum, sanctum tunc Patrem Franciscum Generalem Ministrum constituens, qui eidem mox genibus flexis obedientiam promisit, aliis de mandato ipsius Papae Fratri Francisco firmiter promittentibus obedire [1].

Reversus autem beatus Pater ad vallem Spoletanam cum suis fratribus, coepit iniunctum sibi praedicationis officium non segniter exequi, castra, villas et civitates perlustrans. Pariter fecerunt fratres alii, quibus abeuntibus: « Ite, ait dulcis Pater, annuntiantes hominibus pacem, praedicate poenitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, in beneficiis grati, quia pro his omnibus regnum vobis praeparatur aeternum ». Illi autem coram Viro sancto se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiae sanctae mandatum. Et dicebat unicuique singillatim: *Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* [2].

Ipsorum itaque virtuosis sermonibus et exemplis permoti, viri non pauci Ordinem sunt ingressi. E quorum numero fuerunt fr. Silvester, primus in Ordine sacerdos; fr. Pacificus, egregius in saeculo poeta sive versificator, ab imperatore ea de re laureatus, *rex versuum* dictus, videns Patrem beatum Franciscum in monasterio quodam actu praedicantem duobis transversis ensibus in modum crucis consignatum; qui sanctissime in Ordine vivendo, antequam fieret primus Minister Franciae, signum T, mira colorum varietate distinctum, in fronte Francisci videre meruit; fr. Leo, columbinae simplicitatis homo, confessor sancti Patris Francisci, quem Pater fratrem *pecorellum* peculiari nomine vocabat; fr. Rufinus, genere nobilis [3], consanguineus sanctae Clarae; fr. Massaeus, vir multum facundus et carus Sancto; fr. Iuniperus, admirandae magis quam imitandae humilitatis et patientiae homo; fr. Moricus de Ordine Cruciferorum, vir summe sibi austerus, et fr. Iohannes, cognominatus a sancto Francisco *simplex*, et alii plures.

Ordo Pauperum Dominarum inceptus est anno Domini 1212.

Anno Domini 1212 idem Generalis Minister, sanctus Franciscus, instituit Ordinem Pauperum Dominarum, quem sex ante annos futurum in Dei Ecclesia, reparando [4] ecclesiam sancti Damiani, opere prophetavit. Cuius Ordinis prima plantula virgo fuit sanctissima Clara [5], quam egredientem de saeculo nequam fratres noctu in ecclesia sanctae Mariae de Portiuncula attonsam et Religionis vestibus indutam, in monasterio sancti Pauli Nigrarum Sanctimonialium [6] commendaverunt,

---

[1] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1210, n. VI-XX.
[2] Psalm. 54, 25. — Cfr. Thom. a Cel., Vita I. p. I. c. XII.
[3] Edit. 1, repugnante cod., *nobili*.
[4] Ita cod., ed. 1 perperam *reparandi*.
[5] Cfr. Thom. a Cel., Vita I. p. I. c. XXII. et Wadding., l. c. ad an. 1212, n. X. seqq.
[6] Id est Ordinis S. Benedicti.

deinde transferentes eam ad ecclesiam sancti Michaelis de Panso, infra Assisii civitatem constitutam, et demum ad ecclesiam sancti Damiani foris muros civitatis eiusdem, ubi cum sorore sua Agnete, superatis multis tribulationibus, fuit per beatum Patrem reclusa, in perpetuum Christo servitura [1]. Fuit autem ipsa sacratissima virgo Christi Clara, cum saeculum reliquit, annorum 18, et in Ordine quadraginta duos stricte nimium vivens consummavit. Haec volens, Ordinem suum titulo sanctae paupertatis insigniri, paupertatis privilegium a domino Papa Innocentio III. postulavit. Quod vir magnificus audiens: « Nunquam, ait, est tale privilegium a Sede Apostolica postulatum ». Quare, ut insolitae petitioni sanctae virginis favor insolitus arrideret, ipse Pontifex petiti privilegii primam notulam non sine lacrymis devotis sua manu conscripsit.

Idem etiam Pontifex ad consilium sancti Francisci hospitale sancti Spiritus in urbe Roma construxit.

Eodem anno, scilicet 1212, suae vero conversionis sexto, sanctus Franciscus, martyrii desiderio fervens, ad praedicandam fidem christianam et poenitentiam Saracenis ac aliis gentibus ad Terram Sanctam et partes Syriae transfretare tentavit. Sed divina dispositione, quae eum ad maiora servavit, ventis contrariis flantibus, in Slavoniae partibus navi applicante, redire ad Italiam est compulsus. Verum quia sancti desiderii flamma in eius sancto pectore fervescens eum quiescere non sustinuit, aliquantum temporis transacto, denuo ad infidelium partes iter arripuit, Marochium videlicet versus, Miramolino regi et genti eius Saracenicae salutare Christi Evangelium nuntiaturus. Sed mortalium nemo divinae ordinem dispositionis turbare praevalet. Gravissima igitur valetudine, cum ad Hispanias venisset, detentus, visitata ecclesia sancti Iacobi Apostoli et ibidem divina revelatione (quod redeundo loca Fratrum habitationi apta recepturus esset et tenellam familiam in Christo roboraturus) instructus, regredi compellitur. Transiens vero Montempessulanum [2], cum in quodam ibidem hospitali ad populum sermonem haberet, futurum ibidem conventum fratrum suorum venerabilem spiritu prophetico praedicavit; quod et evenisse clarum est [3].

Anno Domini 1215 concilium generale Lateranense Innocentius Papa III. Romae celebravit, ubi sanctus Franciscus [4] sanctum Dominicum, qui cum Fulcone, Tolosano vel Toletano Episcopo, illuc pro sui Ordinis approbatione advenerat, reperit, quem a Deo ostensa sibi visio familiarem sibi fecit. Qui videlicet Dominicus ab ipso Pontifice redire ad suos fratres et cum eis eligere aliquam regulam approbatam iubetur, quam redeunti ipse confirmare velle promisit. Sed concilio soluto, Pontifex ipse Innocentius

Anno Domini 1216 Perusium curiam movit et ibidem mortuus est XVI. kalen-

---

[1] Cfr. chron. XXIV Gen. fol. 2. r. c. II. — Immediate post ed. 1 *sanctissima* pro *sacratissima* et paulo inferius *insignari* pro *insigniri*.

[2] Id est Montpellier, oppidum Franciae.

[3] Cfr. Thom. a Cel., Vita I. p. I. c. XX. et Wadding., l. c. ad an. 1214, n. I. seqq.

[4] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1215, n. XXXIV.

Honorius Papa tertius, qui confirmavit Ordines Praedicatorum et Minorum, sedit annos X.

das Augusti, pontificatus sui anno XIX°[1], cui successit in pontificatu Honorius, qui Cencius antea dicebatur, existens camerarius Cardinalium. Ad hunc, mortuo Innocentio tertio, beatus Dominicus Romam rediit et ab eo sui Ordinis confirmationem obtinuit. Unde patet, Ordinem Minorum priorem Praedicatorum esse, quia incepit anno 1206[2], pontificatus domini Innocentii anno decimo[3]; Praedicatorum vero sub Honorio III, qui Innocentio successit, pontificatus eius anno primo, videlicet anno Domini 1216. Sed quia ipsi Praedicatores iam approbatam regulam elegerunt, fuerunt statim confirmati, et ideo in litteris papalibus Minoribus praescribuntur Praedicatores. Sedit autem idem Papa Honorius annos X, menses VII, dies XIII.

Anno Domini 1217, ab inceptione Ordinis XI°, computando a prima conversione sancti Francisci, ab approbatione vero regulae IX°, domino Honorio III. tunc Ecclesiam gubernante, multiplicatis iam numero et merito fratribus, in generali capitulo, Assisii ad sanctam Mariam de Portiuncula celebrato, assignatae fuerunt Provinciae, et electi Ministri, qui cum multis fratribus fere per universas provincias orbis, in quibus fides Catholica viget, destinati sunt[4]. Sanctus Franciscus autem sicut verus pastor, forma gregis factus, visitato sancto Petro Romae, versus Franciam, quam Provinciam ipse sibi elegerat, cum fratre socio profectus, ibidem reperit dominum Hugolinum, Cardinalem Episcopum Hostiensem, sanctae Sedis Apostolicae in ea gente legatum, qui ipsum redire in Italiam compulit, dicens: «Frater, nolo, te a curia elongari, quia absentia tua canibus tuae Religionis latrandi contra eam occasionem paras, et dominus Papa, te praesente, eam cum reliquis Cardinalibus benignius et melius contra aemulos eius fovebit et defendet». Hac inductus ratione, sanctus Franciscus Italiam rediit et loco sui fratrem Pacificum, virum sanctissimum ad Franciam misit, qui primus ibidem Minister factus, illam Provinciam provide gubernavit[5].

Ea tempestate fratres multos ad Hispanias sanctus Franciscus misit, ut iuxta superius[6] dictam revelationem divinam sibi in ecclesia sancti Iacobi oranti factam, et

---

[1] Sedit ab an. 1198-1216, vel 18 annos, 6 menses et 9 dies.

[2] Vel probabilius, ut auctor ipse supra pag. 5 dixit, 1209. Nam hoc anno, non autem 1208, ut D. Voigt (Die Denkwürdigkeiten des Minoriten Iordanus von Giano, Leipzig bei Hirzel 1879) emphatice affirmat, recepit S. Franciscus supra memoratos discipulos, quibuscum Romam se contulit et ab Innocentio III, pontificatus eius an. XI, oraculo vocis vivae approbationem suae regulae accepit. — Cfr. Panfilo, l. c. c. II.

[3] Non erat decimo, sed *nono*.

[4] Cfr. Legenda Trium Soc., c. XVI. et chron. anonyma, l. c. pag. 279, quae etiam Wadding. prae oculis habebat, et quae saltem copiam chron. ab ipso sub nomine: Chronica Saxonica vel Balduini citatorum repraesentant. Hoc ergo anno, non autem 1219, ut vult D. Voigt (l. c.) erat prima missio fratrum in Germaniam. Secundum Ioh. de Komorowo erat haec missio an. 1216, ut etiam vult Waddingus.

[5] Ita etiam chron. XXIV Gen., fol. 2. v. c. I, sed non habent, ut auctor falso, *ibidem reperit.* Constat enim, S. Franc. solum an. 1214 redeundo ex Hispania Franciam visitasse; hoc vero anno, ut clare ex Thoma a Cel. (Vita 1. p. I. c. XXVII.) et ex Brevi quodam in Bullario Romano (C. Cocquelines, ed. Rom. 1740) dato 23 Ian. 1217 apparet, eum solum usque ad Florentiam venisse, in qua urbe tunc Hugolinus moratus est ut legatus. — Vide Panfilo, l. c. c. IV. n. 12.

[6] Pag. 8. Paulo inferius ed. 1 contra cod. *in habitationem congrua* pro *inhabitationi congrua.*

loca fratrum inhabitationi congrua reciperent, et haereticos, qui tunc ad Hispaniam corrumpendam illuc confluxerunt, catholico dogmate confutarent, populos in fide sana continendo. Quos quidem fratres homines in regnum [1] Portugalliae advenisse peregrino habitu indutos ac extranea lingua loqui videntes, haereticos esse suspicati, male gratanter receperunt et inter se habitare nullatenus concesserunt. Taliter vexati fratres ad reginam tunc Portugalliae Urracam [2], dominam utique piam, humilem ac devotam, se conferentes, expositis ei suis impedimentis, supplicaverunt pro remedio opportuno. Ipsa vero cognitis eorum statu, causa adventus et proposito sancto, veros eos servos Dei iudicans, obtinuit a marito suo, domino Alphonso rege, ut Ulyssipone [3] duo pro se loca construere possent fratres praedicti, quos ipsa ibidem Domino servientes non secus ac mater filios fovit. Soror autem dicti regis, Sancia nomine, virgo Deo devota et perpetuum pro Christi amore caelibatum [4] ducens, comperta dictorum fratrum sanctitatis fama, eos ad se vocavit et audiens ab eis verba vitae, tantam cum eis familiaritatem contraxit, ut habitus aliquot fratrum in castro suo ei concessum sit tenere, quos fratres interdum Compluti ad eam hospitandi gratia divertentes induerent. Ea iuvante in dicto eius castro Alanquerio [5] fratres conventum construxerunt, in quo inter ceteros fratres a beato Francisco directos quidam fuit frater devotionis, solitudinis ac orationis praecipuus amator et sollicitus detestator consortiorum mulierum, quem domicella quaedam, Maria Garcia [6] dicta, frequenter accedens, in suo studio molestabat, quamquam ei nec loqui nec eam videre vellet, aspectum eius ac praesentiam veluti serpentis vitans fugiendo. Die autem quadam illi muliebri importunitate se accedenti ac de frequenti repulsa conquerenti idem frater respondit: « Vade, inquit, et fer huc paleas et ignem ». Quae cum attulisset et ad iussionem fratris paleas igne succendisset: « Quod, ait, istae paleae cum igne, hoc servus Dei lucratur [7] loquendo cum muliere ». Hoc dicto, illa rubore suffusa recessit. Cumque frater ille plenus virtutibus fini vitae huius propinquaret, coelica circa exanime eius corpus lux mire resplenduit, testis eius nitidae puritatis. Cuius animam vidit eadem hora sanctus Antonius, canonicus adhuc Colimbricae [8] Missam celebrans, in specie avis pulcherrimae per purgatorium celeriter volantem ad coelum.

Inter praedictos fuit etiam frater Zacharias, Romanus, domnae Sanciae multum carus, in eodem conventu Alanquerii [9], qui inter alia suarum studia virtutum fre-

---

1 Edit. 1 *regno*.

2 Codex ms. falso *Orcham*.

3 Cod. scribit *Ulixbona*.

4 Ita clare et postulante contextu cod., ed. 1 vero *celebratum*. Paulo superius et postea cod. *Sanxia* pro *Sancia*.

5 Edit. 1 non bene *Alamquerio*. Est enim Alanquer, oppidum Lusitaniae.

6 Auctoritate chron. XXIV Gen., fol. 2. v. c. II. seq. correximus nomen *Gratiae*, quod habet cod. et ed. 1, in *Garcia*, quam voculam etiam Wadding., l. c. ad an. 1217, n. XXIII. et XXIV, Peregrini Bononiensis et Mariani testimonio nisus, exhibet; et paulo inferius posuimus eadem auctoritate *se accedenti ac*, pro quo cod. mendose *se accenditi ac*, et mendosius ed. 1 *se attedienti ac*.

7 Edit. 1 falso *luctatur* et paulo inferius *exanimatum* pro *exanime*, quam voculam clare exhibet cod.

8 Cod. semper *Colimbria* i. e. Coimbra, oppidum Lusitaniae.

9 Ita recte, et etiam contextu « in *eodem* conventu » exigente, cod., ed. 1 vero male *Languerii* et explicat in nota: Laniaron (Granada?).

quenter coram imagine Crucifixi, quae hodie in domo capituli eiusdem conventus manere dicitur, devotissime orans meruit, quod, sicut compertum est, eadem imago voce humana sensibiliter ei loqueretur, ipsum de salute animae informando; qui et ipse multis post mortem miraculis coruscavit.

In conventu autem Vimarensi [1] fuit inter fratres per beatum Franciscum primitus missos frater Gualterus, devotus et perfectus, qui tam clara et famosa sanctitate resplenduit, ut gentes latius ad Ordinis devotionem attraheret et vita exemplari in melius reformaret. Ex cuius sepulcro, antequam transferretur, oleum fluxisse ferunt, quod multis aegrotis remedia sanitatis conferebat.

Ad Theutoniam missi sunt frater Iohannes de Penna [2] cum fratribus fere sexaginta, qui, cum designatam provinciam ingressi linguam terrae ignorarent, interrogati sunt, si comedere vellent, vel hospitari etc.; huiusmodi fieri responderunt gentili lingua *ia*, quod est adverbium affirmandi, fuitque necessitatibus eorum satisfactum. Quod simplices illi fratres cognoscentes, vocabulum illud pietatis nescio quid prae se ferre, ac idcirco decreverunt, ad singula interrogata taliter *ia* respondere velle. Quibusdam autem theutonica lingua interrogantibus, si haeretici existentes ad hoc advenissent, ut, sicut quidam in Italia haeretici [3] Lombardiam, sic Alamanniam ipsa pestifera haeresi inficerent, responderunt verbum praefatum, hoc est *ia*, putantes, forte quaeri a se, si comedere vel bibere vellent. Ob hoc itaque quidam ex ipsis verberati, quidam vinculis constricti, quidam nudi ad choream pertracti, omnes vero male tractati dimissi sunt, cito fines illius terrae egressuri. Videntes itaque, fructum se nullum in Theutonia facturos, in Italiam remearunt. Ex quo facto Theutonia a tam barbaricae ferocitatis hominibus habitari reputata est, ut ad ipsam, nisi martyrii desiderio ferventes, nemo fratrum mitti vellet. Quia ergo fratres nullas sui status litteras ferebant — regula, quippe necdum bullata, simplici verbo per dominum Innocentium Papam approbata fuerat — fratres in diversis orbis partibus dispersi ab aliquibus admittebantur ut pauperes, sed aedificare non permittebantur; ab aliquibus vero Theutonicis sicut falsarii et suspecti iniuriati de regionibus pellebantur. Unde non post multum temporis ad beatum Franciscum sine fructibus, verberibus, iniuriis, damnis et contumeliis affecti, reversi sunt dolentes [4].

Dominus Hugolinus Episcopus Hostiensis Cardinalis secundus protector Ordinis Fratrum Minorum.

Per idem tempus quidam e fratribus hoc ipsum domino Hugolino, Cardinali Episcopo Hostiensi, qui, defuncto domino Iohanne de sancto Paulo, Cardinali Episcopo Sabinensi, supradicti Ordinis protectore, se beato Francisco et fratribus in protectorem et procuratorem ex devotione obtulit, notificaverunt. Qui eos vexationibus praedictis redimere volens, vocatum ad se beatum Franciscum domino Papae Honorio praesentavit, quem reperit in negotiis Ordinis pium, favorabilem et benevolentem. Praedicante autem sancto Patre coram ipso Summo Pon-

---

[1] Chron. XXIV Gen. rectius *Vimaranensi.* Vimaranum enim est oppidum Lusitaniae et dicitur vulgo Guimaraens.

[2] De quo cfr. Bartholomaeus a Pisa, Lib. Conformitatum, fructus 8, fol. 61 b.

[3] In ed. 1 desideratur vocula *haeretici;* immediate post cod. et ed. 1 mendose *Almaniam* pro *Alamanniam.*

[4] Cfr. Leg. Trium Soc., c. XVI, chron. Iordani, l. c. n. 5. et anonyma l. c. pag. 280, nec non Wadding., l. c. ad an. 1216, n. X.

tifice et sacro senatu [1] et Ordinem commendante, Spiritus Dei, qui in eo loquebatur, tanta corda virorum illorum sublimium devotione ad Ordinem succendit, ut singuli ex fratribus aliquos ad secum morandum habere vellent. Petivit tunc etiam sanctus Franciscus a domino Papa praedictum dominum Hostiensem, de quo per visionem monitus fuit, et obtinuit in protectorem, qui primus hoc officium secundum formam regulae postulatus gessit [2].

Eodem anno 1217 quidam monachus, Dithmarus nomine, perrexit ad Terram Sanctam, transiens sortes [3] Zabulon et Nephtalim, venitque Semphoram oppidum, de quo sancta Anna, mater beatae Virginis, orta est; similiter Nazareth civitatem pertransiit, et ipse scripsit librum de Terra Sancta et denuntiavit domino Papae statum eiusdem Terrae, qui, scilicet Papa Honorius, praedicavit Ierosolymitanum iter in civitate Roma, quod Innocentius inchoaverat.

Anno Domini 1218 Otto imperator obiit in castro Hartissburg [4] et sepultus est in Brunopoli. Et quia conclusum fuerat in conciiio generali, ut eo anno in kalendis Iulii cruce signati iter arriperent, multi de partibus Alamanniae proficiscuntur, sed ne pergant, in civitatibus Apuliae impediuntur, et auctoritate Apostolica votum eorum differtur et inutilibus dimittitur per compensationem.

Anno Domini 1219, ab prima conversione sancti Francisci XIII°, sed ab approbatione regulae XI°, generale capitulum apud sanctam Mariam de Portiuncula fuit celebratum, in quo electis Ministris de voluntate Dei, fratres fere per totum mundum missi fuerunt cum litteris domini Papae, tenoris sequentis: « Honorius Episcopus [5] etc. et infra. Cum, dilecti filii, frater Franciscus et socii eius de vita et Religione Minorum, abiectis vanitatibus huius mundi, elegerint vitae viam a Romana Ecclesia merito approbatam, et serendo verbum Dei Apostolorum exemplo diversas circumeant regiones, universitatem vestram rogamus et exhortamur in Domino, vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus, cum latores praesentium de praedictorum fratrum collegio exeuntes duxerint ad vos declinandum, ipsos recipientes sicut catholicos et fideles, eis ob reverentiam divinam et nostram vos exhibeatis favorabiles et benignos » etc. [6] Pari modo scripserunt dominus Hugolinus, Episcopus Hostiensis, protector Ordinis, et plures reverendissimi domini Cardinales, efficaciter fratres et co-

---

[1] Scilicet Cardinalium.

[2] Thom. a Cel., Vit. I. p. I. c XXVII. et Vit. II. p. I. c. XVII; Leg. Trium Soc., c. XV, Wadding., l. c. ad an. 1217, n. V. Errare videtur D. Voigt (l. c. p. 66) dicens, Ordinem ne anno 1219 quidem habuisse protectorem; de quo specialiter videsis chron. anon. l. c. ad an. 1219.

[3] Edit. 1 falso *fortes* et immediate post mendose *Gemphoram* pro *Semphoram*.

[4] Id est Harzburg; deinde cod. hic et subinde semper *Brunschwick* (Braunschweig) pro *Brunopoli*.

[5] Pro *etc.* Wadding. sic continuat: servus servorum Dei Archiepiscopis et Episcopis, Abbatibus, Decanis et aliis ecclesiarum Praelatis, et in fine: Datum 3 idus Iunii, pontificatus nostri anno 3. — Sunt primae litterae Apostolicae Ordini concessae.

[6] Ita chron. XXIV Gen., nec non Wadding., l. c. ad an. 1219, n. XXVIII. (cum quo convenit prorsus P. Sbaralea in suo Bullario), sed post *Minorum* legit *fratrum* et deinde pro *serendo verbum Dei* exhibet *serendo semina verbi Dei* (ita et chron. Gen.), *circumeunt mansiones* pro *circumeant regiones, collegio existentes* (ita et chron. cit.) pro *collegio exeuntes, recipiatis... fideles* loco *recipientes... fideles; alias eis* pro *fideles, eis,* et *exhibentes* pro *exhibeatis.* — Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 4.

rum statum commendantes. Quibus litteris visis, fratres caritative recepti, Ordinem multum dilataverunt, in quibusque partibus orbis construentes loca. Missi enim fuerant, ut dictum est [1], ad Gallias, Hispanias, Hungariam, Angliam etc., regna, in quibus cultus Christi celebris habetur.

Porro, quibus Hungaria sors advenerat, per quendam Episcopum navi illuc transvecti, cum divisi campos hinc inde transirent, pastores — ut sunt brutum et ferox hominum genus — canibus impetierunt eos, aversa cuspide lanceis sine intermissione eos verberantes, nihil loquendo vel postulando. Quod fratres ipsi plurimum admirantes et dolentes, quia ignorantibus latinum illis barbaris loqui non proderat, ipsi inter se conquesti de iniuria, requirebant ab alterutris, curnam ita caederentur? Respondente autem quodam e fratribus, quia forte tunicas ipsorum superiores ambirent; illis datis, non desistentibus et inferiores tunicas contulerunt. Et nec sic quidem cessantibus illis, subintulit frater, quia bracas eorum forte habere amarent. Praeter bracas siquidem, ablatis tunicis, Evangelii pauperes nil prorsus quod darent, habebant. Quas etiam nequam illi viri accipientes, nudos fratres abire concesserunt. Et retulisse sibi frater Iordanus in scriptis [2] quendam ex ipsis dicit, quindecies eo modo bracas in Hungaria se amisisse. De quibus cum pro pudore frater castus plus omnibus doleret, hoc ingenio usus est, ut bracas ex post luto boum ac aliis immunditiis sordidaret, quas illi sic pollutas abominati, retinere eum concesserunt. Quod si ridiculum alicui videtur haec et his similia scriptis commemorare, meminerit, Ambrosium dicere, « auctorem salutis nostrae Iesum nudatum penitus, sicut egressum de matris utero, suspensum in cruce », pro cuius amore, quia haec ipsa fratres patienter pertulisse credendum est, indignum scribere nequaquam putamus. Sane huiusmodi ludibria et verbera fratres experti, videntes, se nullos ibidem facere fructus, in Italiam redierunt [3].

Contigit per idem tempus, fratres quosdam inter montes siti intollerabili afflictos de mandato sui Praesidentis inventam benedixisse aquam, cui Deus aquae merito obedientiae ipsorum tantam contulit virtutem et saporositatem, ut pretiosissimi dulcorem vini eis vincere videretur, quo magis miraculo quam sapore recreati fuerunt.

De fratribus vero in Hispaniam directis missi sunt quidam Marochium, infidelibus Christi fidem praedicare, quorum quinque, videlicet Berardus [4], Otto, Petrus, Accursius et Adiutus pro Christo martyrium constanter pertulerunt. Horum cum martyrium et legenda ad sanctum Franciscum delata fuissent, audiens, se in ea commendari,

---

[1] Supra pag. 9. Immediate ante ed. 1 perperam *fuerunt* pro *fuerant*. — Quoad Angliam est error auctoris, quia teste Thoma Eccleston, l. c. collat. I, fratres an. 1224 illuc venerunt, et quidem feria tertia post festum Nativitatis beatae Virginis, id est 10 Septembris.

[2] Id est in suis chron. l. c. n. 6.

[3] Vide chron. anonyma, l. c. ad an. 1219, cum quibus Wadding., l. c. ad an. 1219, n. XLI. ad verbum convenit. Notatu dignum quod Wadding. ibi dicit: « Hoc, inquit, refert Balduinus de Bruinswick (sic) in historia ms. Provinciae Saxoniae, quae penes me est, quam ille partim concinnavit ex iis quae praesens vidit, partim ex iis quae accepit a Iordano Deyano (sic), qui cum primis patribus ad Saxones fuerat destinatus ». Sed utrum Wadding., qui hic inter chronica Balduini et chronica Prov. Saxoniae non distinguit, qui etiam usus est eisdem chron. anonymis, quae primo edita sunt in « Analecta Franciscana », supra pag. 5, nota 1. annotata (quod constat, cum manuscriptum ab ipso notis sit adornatum) non habuerit ad manus, nisi haec chron. anon., sub diversis titulis ab ipso citata, quod nobis verisimilius videtur, an potius distincta opuscula ; nondum exploratum est.

[4] Cod. et ed. 1 mendose *Becaldus* et deinde ed. 1 *Adiuto* pro *Adiutus*.

vidensque, fratres illorum passione[1] gloriari, quia erat sui maximus contemptor ac laudis et gloriae hominum aspernator: « Unusquisque, ait, de sua, et non de aliena passione gloriatur[2] ».

Istorum quinque martyrum exemplo permotus, sanctus Antonius, tum Fernandus Martini vocatus, existens canonicus sanctae Crucis Colimbricae, zelo martyrii ardens, Ordinem intravit, anno suae aetatis vigesimo quinto[3], et decem annis plenus sanctitate et praeclarus miraculis et doctrina consummavit.

Ad provinciam Provinciae, quam sancti Ludovici modo nominamus, missi sunt ex eodem capitulo frater Iohannes Bonelli de Florentia, vir perfectus et magni zeli, qui a beato Francisco *parasilis*[4] *sive baiulus de Florentia* dicebatur. Qui postmodum ibidem Minister factus, capitulum Arelatense tenuit, in quo, sancto Antonio de titulo crucis Iesu praedicante, beatissimus Pater Franciscus, in aëre sublevatus, benedicens fratribus apparuit[5].

Ad Aquitaniam missus est columbinae simplicitatis homo, frater Christophorus, de Romandiolae partibus oriundus, qui, cum esset parochialis sacerdos, spreto saeculi luxu, beatum Franciscum secutus, suscepta ab illo benedictione, ad partes dictas migravit, ubi Christo perfecte studuit famulari. Qui etiam in vita et post mortem miraculis multis coruscans, regionem illam illustravit, in conventu Chaturci[6] quiescens.

Missus est ad Angliam[7] per sanctum Franciscum frater Agnellus Pisanus, qui conventum Pisis fundaverat, et Custos[8] institutus, et cum eo frater Albertus de Pisis, postea Minister Theutoniae et demum Generalis Minister, cum tribus aliis fratribus, ut ipsam Religionem in eo regno plantarent, ipso fratre Agnello Ministro ibidem instituto. Qui quidem tertia die Maii Angliam ingressi, venerunt Cantuariam, ubi fratres Praedicatores iam habentes conventum, benigne eos receperunt. Inde pergentes Oxoniam, pervenerunt nocte quadam ad grangiam[9] quandam Monachorum nigrorum monasterii Arabudio, in vastissimo nemore inter praedictam civitatem et Londinum situati, ad quam grangiam tunc temporis quidam monachorum recreationis gratia

---

[1] Ita cod., sed ed. 1 perperam *passionem*.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., fol. 3. v. c. II. et chron. Iord., l. c. n. 7. 8; nec non Wadding., ad an. 1219, n. XLVIII. seqq.

[3] Ita recte cod., ed. 1 *viginti quinque*.

[4] Ita codex et ed. 1; sed chron. XXIV Gen. probabilius *perasilis*, quod verbum significare videtur hominem, qui portat peram vel saccum. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1211, n. XXII.

[5] De quo vide Thom. a Cel., Vit. I. p. I. c. XVIII.

[6] Id est Cahors. — Immediate ante desiderantur in ed. 1 voculae *in conventu*.

[7] Sed non hoc anno, ut iam supra pag. 13, nota 1. dictum est. Tota tamen narratio, quae invenitur etiam verbotenus in chron. XXIV Gen., fol. 6. v. c. I, est corrigenda secundum Thom. Eccleston, de quo videsis l. c. collat. I.

[8] Id est Parisiis in Francia, ut dicit Eccleston, l. c. collat. I; chron. Gen.: et ibidem Custos.

[9] Id est praedium vel villa rustica; cfr. Du Cange, Glossarium. — Immediate post ed. 1 falso *magistrorum* pro *nigrorum*, quod verbum clare exhibet cod. Monachi nigri sunt Benedictini. — Deinde paulo inferius pro *Arabudio* chron. XXIV Gen. et S. Antoninus (chron. tit. 24. c. 7. § 2.) habent *de Arabudo*, sed contextu exigente debet esse, ut iam Wadding. suspicatus est, *de Abingdon* (Abindonia); et subinde cod. et ed. 1 incongrue *Londiam* (chron. XXIV Gen. *Londoniam*) pro *Londinum* (London).

diverterant. Qui quia praedictos Dei servos male tractassent, nocte illa Christus ad iudicium faciendum sedere visus, ipsos morti adiudicavit, uno evadente per intercessionem et patrocinium sancti Francisci, ut latius patet *in maiori chronica* et libro *Conformitatum fratris Bartholomaei de Pisis* [1], ubi traditur, quemadmodum Abbas praedicti monasterii et monachus ille ac dominus Rudolphus, Herefordiensis [2] Episcopus, et plures alii Ordinem ingressi, tanta in humilitate conversati sint, ut dicti Episcopus et Abbas lapides et aquam in baculo ad muri constructionem simul [3] portaverint in suis humeris.

Eodem anno, fratribus hinc inde missis, beatissimus Pater Franciscus, caritatis ardore spiritum eius ad martyrium perurgente, pro fide Trinitatis sui effusione sanguinis dilatanda tertio ad partes infidelium navigare decernens, assumptis sociis, fratre videlicet Illuminato et fratre Petro Cathani ac decem aliis de fratribus, transfretavit. Et cum ad castra Soldani intrepidus tenderet, captus in via et multis iniuriis ac verberibus affectus, inter verbera clamabat: « Soldan, Soldan ». Ad quem cum venisset, homo crudelis in aspectu viri Dei in mansuetudinem versus, eum reverenter suscepit, benigne tractavit ac praedicantem libenter audivit. Cumque fructum nullum se facere ibidem videns, redire disponeret, iussit ipsum Soldanus armata manu ad Christianorum exercitum, qui tunc urbem Damiatam [4] obsidebat, adduci. De qua Viri sancti peregrinatione loquens, dominus Iacobus de Vitriaco Cardinalis, in historia Ierosolymitana [5], ait: « Vidimus primum Ordinis Fratrum Minorum fundatorem, Franciscum nomine, virum simplicem ac illitteratum, dilectum Deo et hominibus, ad tantum ebrietatis excessum et fervoris spiritum raptum fuisse, quod cum ad Christianorum exercitum in terra Aegypti devenisset, ad Soldani Aegypti castra intrepidus et fidei clypeo munitus accessit. Quem cum in via captum tenuissent Saraceni: « Ego, inquit, Christianus sum, ducite me ad dominum vestrum ». Quem cum ante ipsum perduxissent, videns eum homo crudelis in aspectu viri Dei mansuetudine conversus, ipsum per dies aliquot sibi et suis Christi fidem praedicantem [6] attentissime audivit. Tandem vero metuens, ne aliqui de exercitu suo, eius verborum efficacia ad Deum conversi, ad exercitum Christianorum transirent, cum omni reverentia ad nostrorum castra deduci praecepit, dicens ei: Ora pro me, ut Deus legem illam et fidem, quae magis sibi placet, dignetur mihi inspirare ».

Fr. Helias Minister Syriae et vicarius beati Francisci.

Frater autem Helias Minister Provincialis Syriae est institutus ultra mare a beato Francisco. Ad cuius praedicationem clericus quidam, Caesarius nomine, conversus, ad Ordinem receptus est. Iste Caesarius, Theutonicus, fuit natus de Spira, quondam magistri Conradi de Spira, praedicatoris crucis et post Hildesiensis [7] Episcopi,

---

[1] Libr. I. fruct. VIII. p. 69 b. Totum factum narrant chron. XXIV Gen., fol. 6. v. c. I. seqq. et Wadding., l. c. ad an. 1220, n. LIX. — Chronica maiora citata usque nunc nondum inventa sunt.

[2] Rectius *Rodulphus Herfordiensis.*

[3] Ita sonat lectio codicis, pro qua ed. 1, omissa vocula *simul,* legit *ad muros construendos portaverint.* Pro *in baculo* chron. Gen. congruentius *cum baculo et barrili.*

[4] Cod. et ed. 1 perperam *Damiacam.* — Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 10.

[5] Id est in sua Historia Occidentis c. 38.

[6] Edit. 1 male *praedicante.*

[7] Cod. constanter *Hildemensis* (Hildesheim).

et[1] eius in theologia discipulus. Qui Caesarius adhuc in saeculo magnus praedicator et zelator vitae evangelicae fuit. Ad cuius praedicationem cum in civitate sua Spira matronae quaedam, depositis ornamentis, humiliter incederent, viri earum super hoc commoti, ipsum quasi haereticum incendio tradere contendebant. Sed dictus magister eum eripuit et Parisius remisit; demum, solemni passagio facto, mare transiens, ad praedicationem fratris Heliae saeculo valefaciens, ut praefertur, Ordinem intravit, in quo clarus vita et doctrina consummavit.

Dum autem beatus Franciscus ultra mare pergere vellet cum fratribus praefatis, duos vicarios in Italia instituit, videlicet fratrem Matthaeum de Narnia[2] et fratrem Gregorium de Neapoli, quorum Matthaeum ad sanctam Mariam de Portiuncula, ut venientes ad Religionem reciperet, instituit, Gregorium vero circuire per Italiam et fratres confortare et consolari iussit. Et cum secundum primam regulam fratres feriis quarta et sexta, et de licentia beati Francisci feriam secundam et sabbatum ieiunarent et aliis diebus carnibus vescerentur, isti vicarii cum senioribus fratribus Italiae capitulum celebrantes statuerunt, ut fratres diebus carnium procuratis non uterentur carnibus, sed sponte dumtaxat oblatis. Item statuerunt, ut feriam secundam fratres sicut aliis duobus diebus ieiunarent, et ut eadem feria et sabbato lacticinia non procurarent, immo ab eis abstinerent, nisi a fidelibus devotis afferrentur.

Super quibus constitutionibus, quia regulae sancti Patris addere praesumpserant, indignatus quidam frater laicus, assumptis illis constitutionibus secum, sine licentia vicariorum transfretavit et ad beatum Franciscum veniens, dicta in primis culpa sua, quod sine vicariorum licentia ad eum venisset, et venia postulata, dicta statuta ei obtulit, quorum necessitate compulsum se venisse dicebat, adiiciens, Ordinem per totam Italiam turbari tam per vicarios ipsos quam alios fratres nova molientes. Constitutionibus perlectis, beatus Pater Franciscus, cum carnes ante se haberet — in prandio enim erat — dixit fratri Petro: « Domine Petre, quid faciemus »? Qui respondit: « Ha domine Francisce, quod vobis placet, quia vos potestatem habetis ». Nempe quia frater Petrus dictus vir litteratus erat et nobilis, idcirco beatus Pater urbanitate sua eum honorando dominum appellabat, et e regione ille Patri suo spirituali, se humiliando, eundem reverentiae cultum eidem impendebat, qua videlicet mutua reverentia tam ultra quam citra mare certantes, honore invicem praeveniebant. Intulit itaque Pater sanctus: « Comedamus secundum sanctum Evangelium quae nobis apponuntur[3] ».

Fuit eodem tempore ultra mare pythonissa quaedam, quae, quia multa vera, antequam evenirent, praedicebat[4], in ideomate gentis suae *veridica* dicebatur. Haec dixit fratribus, qui cum sancto Francisco erant: « Redite, redite, quia absentia fratris Francisci Ordo turbatur, scinditur et dissipatur ». Hoc verum inventum est. Nam frater Philippus Longus[5], qui erat visitator Dominarum Pauperum, contra voluntatem

---

[1] Ita cod., sed excidisse videtur verbum *socius* ante *et*. Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 9.

[2] Edit. 1 falso *Narria;* de Matthaeo vide Bartholomaeum Pis., l. I. fr. 8. p. 54. Gregorius hic dictus est idem ac ille qui ab Eccleston, l. c. collat. I. et VI. citatur; de qua identitate minime dubitari potest, ut D. Evers (ed. 1) opinatur. — Cfr. etiam chron. Iord., l. c. n. 11.

[3] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 13.

[4] Edit. 1 incongrue *praedicabat.*

[5] De quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1209, n. XXIX, et 1219, n. XLVII; de Iohanne de Capella idem ad an. 1209, n. XIX. XX.

sancti Francisci, qui humilitate magis quam iudicii potestate adversa vincere volebat, litteras Sedis Apostolicae, quibus turbatores ipsarum excommunicare poterat, impetrarat. Similiter frater Iohannes de Capella Ordini se subtraxerat et fundator novi Ordinis haberi affectans, collecta multitudine magna leprosorum utriusque sexus, regulam quandam pro illis conscripserat, pro qua approbanda se cum suis Sedi Apostolicae praesentaverat. Et alia nonnulla, absente sancto Francisco, turbationum semina, sicut praedicta *veridica* dixerat, iactata iam pullulabant [1].

Videns itaque beatus Franciscus, se in conversione gentis Saracenicae nihil proficere nec assequi posse coronam martyrii, quia «Saraceni, ut dominus Iacobus de Vitriaco in praedicta historia [2] dicit, tamdiu fratres de fide Christi et evangelica doctrina praedicantes libenter audiebant, donec Mahumeto ut mendaci et perfido manifeste contradixerunt; ex tunc enim crudeliter usque ad necem ferme verberibus affectos de suis finibus ocius exire compulerunt». Haec, inquam [3], beatus Pater videns, divino oraculo praemonitus, assumptis secum fratribus, videlicet Helia, fratre Illuminato, fratre Petro et ceteris sociis ac fratre Caesario, quem frater Helias, Minister Syriae, sicut praedictum est [4], ad Ordinem receperat, ad partes fidelium remeavit. Sicque Dei clementia ordinante et sancti Francisci promerente virtute, misericorditer et mirabiliter est factum, quod Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, et tamen nullatenus inveniret, ut et merito non careret optati martyrii et insigniendus in posterum servaretur privilegio singulari. Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipsius aestuaret in corde, ut post patentius evaporaret in carne [5].

Veniens autem ad Italiam, cognitis plenius turbationum causis, non ad turbatores, sed ad dominum Papam Honorium se contulit. Ad fores ergo domini Papae Pater humilis iacens, cubiculum tanti principis perstrependo pulsare non audebat, sed eius spontaneum egressum longanimiter exspectabat. Quo egresso, beatus Franciscus, facta ei reverentia, dixit: «Sanctissime pater Papa, Deus det tibi pacem». Cui ille: «Benedicat tibi Deus, fili». Et beatus Franciscus: «Domine, cum sis magnus dominus et magnis saepe praepeditus negotiis, pauperes ad te accessum habere non possunt nec tibi loqui, quoties necesse habent. Multos mihi papas dedisti, da unum, cui, cum necesse habeo, loqui possim, qui solus vice tua causas meas et Ordinis mei audiat et discutiat». Ad quem Papa: «Quem vis, ut dem tibi, fili». Et ille: «Dominum Hostiensem, quem mihi prius [6] dedisti». Et Papa concessit. Cum ergo beatus Franciscus domino Hostiensi, papae suo seu protectori, causas turbationum retulisset, litteras fratris Philippi in continenti revocavit, et frater Iohannes cum suis cum verecundia est repulsus. Et sic, causis turbationum subito sedatis, Ordinem secundum sua instituta reformavit. Et videns beatus Franciscus fratrem Caesarium sacris litteris eruditum, ipsi commisit, ut regulam, quam ipse simplicibus verbis

---

[1] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 13.

[2] Loc. cit. lib. II. c. 22. — Paulo inferius ed. 1, seducta correctione a posteriore manu incongrue facta, *audiebantur* pro *audiebant.*

[3] Ita cod., sed ed. 1 *itaque.*

[4] Supra pag. 15.

[5] Cfr. Bonav., Leg. maior c. IX, ubi haec verbotenus, sed rectius *potentius* pro *patentius.*

[6] Vide supra pag. 13.

conceperat, verbis Evangelii adornaret; quod et fecit [1]. Et quia fratres de diversis rumoribus, quos de beato Francisco audierant, aliis dicentibus eum mortuum, aliis occisum, aliis submersum in mari, plurimi turbati fuerant, intelligentes, quod viveret et iam rediisset, prae gaudio nova lux eis oriri visa est [2].

Anno Domini 1220 Fridericus imperator, huius nominis secundus, Romae coronatur in imperatorem in basilica sancti Petri de mandato domini Honorii Papae per ministerium domini Hugolini, tunc Episcopi Hostiensis et nostri Ordinis protectoris, ubi idem imperator de bonis et praediis imperii intra Italiam sitis multa contulit ecclesiae beati Petri, et votis accumulans, de manu eiusdem Episcopi Hostiensis rursus crucem accepit ad perficiendum iter Ierosolymitanum.

Hoc autem anno, XVII. kalendas Februarii, pontificatus domini Honorii III. anno quarto, septem annis ante mortem sancti Francisci, quinque supradicti [3] fratres Marochium missi martyrium suum compleverunt. Reversus sanctus Franciscus de ultra mare, indixit capitulum generale.

Anno Domini 1221, decimo kalendas Iunii, [4] indictione XIII, die sancto Pentecostes apud sanctam Mariam de Portiuncula sanctus Franciscus celebravit generale capitulum, ad quod secundum consuetudinem Ordinis, quae [5] tunc erat, tam professi quam novitii convenerant. Et aestimati sunt fratres, qui ibidem convenerant, quinque [6] millia. Huic capitulo interfuit reverendissimus dominus Raynerius [7], diaconus Cardinanalis, cum pluribus aliis Episcopis et Religiosis, ad cuius iussionem quidam Episcoporum Missam celebravit, sancto Francisco Evangelium decantante [8]. Fratres autem,

---

[1] Caesarius ergo, ut ex hisce clare liquet, non erat, ut D. Evers erronee animadvertit, auctor regulae ex Evangelio concinnatae, sed solum eius adornator.

[2] Cfr. chron. Iordani, n. 14. 15. — Paulo superius ed. 1 *plurimum* pro *plurimi.*

[3] Pag. 11.

[4] Id est 23 Maii. Ita etiam Iordanus, l. c. n. 16. et chron. anonyma. Sed est manifestus error, cum festum Pentecostes hoc anno esset tertio kalendas Iunii i. e. 30 Maii (Vide L'art de Verifier les Dates des faits historiques, Novelle Edition, Revue etc. par un Religieux Bénédictin de la Congregation de S. Maur, a Paris chez Desprez MDCCLXX), pro quo Iohannes de Komorowo, Tractatus chronicae fratrum Minorum de Observantia, a tempore Constantiensis Concilii, et specialiter de Provincia Poloniae, editus a D. Henrico Zeissberg (Archiv für österreichische Geschichte t. 49. p. II. Wien 1872) legit kalendas Iunii.

[5] Edit. 1 falso *qui* et immediate post omittit voculam *tam* ante *professi.*

[6] Chron. Iordani, l. c. n. 16. *tria;* Eccleston, l. c. collat. VI. et S. Bonav. *quinque,* nisi forte intelligant aliud capitulum 1219; chron. anonyma illud dicunt *frequentissimum.*

[7] Cardinalis S. Mariae in Cosmedin, ex familia Capocci, Viterbii, Ordinis Cisterciensium et tam amicus S. Dominici quam S. Francisci (cfr. Ciaconius, Ord. Praedicatorum, Vitae et res gestae Pontificum Rom., sub Innocentio III.).

[8] Fr. Iordanus, l. c., qui novitium huic capitulo se interfuisse profitetur, hoc quasi dubitans dicit: Franciscus *creditur* legisse Evangelium; ipse saltem hoc non audivit. Certum autem videtur, S. Franciscum in capitulo an. 1219, praesente Hugolino, protectore Ordinis, solemniter celebrato et frequentissimo, Evangelium cantasse; hoc enim Tres Socii c. XV. expresse dicunt. Duo autem haec capitula annorum 1219 et 1221, quae quoad multas circumstantias haud dissimilia fuerunt, interdum a scriptoribus confusa sunt, saltem quoad ipsum nomen *capitulum storearum.* Dum enim Wadding. aliique hoc nomine denotant capitulum an. 1219, Ioh. de Komorowo dicit: a. D. 1221 kld. Iunii... indixit B. Franciscus capitulum, quod in aliis chronicis de Cortinis (i. e. tentoriis) vocatur.

quos prae multitudine conventus praedicti aedificia capere nequibant, subter umbracula in campo spatioso habitabant, comedebant ac quiescebant, viginti tribus mensis ordinate et spatiose hinc inde dispositis. Ad necessitates huius capituli deserviebat populus terrae mente promptissima, panem et vinum abunde ministrantes, super tantorum congregatione fratrum et reditu [1] beati Francisci gavisi.

Beatus autem Pater, sumpto themate, videlicet: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium* [2] etc., dulciter fratribus praedicavit, docens, virtutes [3], patientiam et exempla sancta mundo demonstranda. Consimiliter sermo ad populum fiebat, aedificabaturque tam populus ipse quam clerus universus. Quis autem, quanta tunc inter fratres caritas, patientia, humilitas, obedientia et spiritualis iucunditas fuerit, dicere praevalet? Tale enim capitulum tam in fratrum multitudine quam in ministrantium solemnitate in Ordine postea celebratum non legi [4]. Et licet fratrum tanta convenisset multitudo, tamen [5] tam hilariter populus omnia ministrabat, ut post septem dies capituli fratres compulsi sint portam conventus claudere et nihil recipere et infra duobus diebus remanere, ut Deo gratias agerent et expenderent iam oblata et recepta.

DE SECUNDA MISSIONE FRATRUM IN THEUTONIAM EIUSQUE PRIMO MINISTRO.

Circa finem huius capituli, cum esset iam terminandum, venit in memoriam beato Francisco, quod Ordinis aedificatio non venisset in Theutoniam. Et quia beatus Franciscus tunc debilis erat, quidquid ex parte sui capitulo dicendum erat, frater Helias loquebatur. Ad eius itaque pedes sedens beatus Franciscus, traxit ipsum per tunicam. Qui inclinans ad ipsum, quid vellet, auscultavit. Et erigens se ait: « Fratres, ita ait Frater — significans beatum Franciscum, qui per antonomasiam *Frater* a fratribus dicebatur — est quaedam regio Theutonia, in qua sunt homines christiani et devoti, qui, ut scitis, saepe per terram nostram cum longis baculis et largis ocreis, laudes Deo et Sanctis eius decantando, in sudore et solis ardore transeunt ac limina Sanctorum visitant. Et quia ad eos aliquoties missi fratres male tractati redierunt, nullum ad ipsos ire compellit Frater, sed qui zelo Dei et animarum inspirati ire vellent, eandem eis obedientiam [6], immo ampliorem dare vult, quam daret euntibus ultra mare, addens, quod, si qui essent qui ire vellent, surgerent et se in partem traherent ». Et desiderio martyrii inflammati, surrexerunt circiter nonaginta fratres, morti se offerentes et seorsum, sicut iussi fuerant, secedentes, exspectabant responsum, qui et quanti et qualiter et quando ire deberent.

Erat autem tunc temporis quidam frater in capitulo, nomine Iordanus, qui con-

---

1 Id est ex Syria.

2 Psalm. 143, 1.

3 Iordanus legit: virtutes et monens ad patientiam.

4 Iordanus, de quo haec narratio deprompta est, dicit *vidi*.

5 Ita etiam est legendum verbum abbreviatum in cod. ms. Iordani, pro qua lectione ed. 1 (scil. codicis Iord.) et etiam 2 non bene interpretatae sunt *convenientium*.

6 Errat D. Evers, sequendo D. Voigt, dicens, hoc loco « obedientia » indicare litteras, quibus itineris securitas confirmetur; hic indicat idem ac meritum obedientiae.

suevit in orationibus suis Domino supplicare, ne sua fides corrumperetur ab haereticis Lombardiae, aut a fide mutaretur per ferocitatem Theutonicorum, et ut ab utrisque ipsum dignaretur Dominus misericorditer liberare. Qui videns, multos fratres surgere paratos ad eundum in Theutoniam, aestimans, eos statim a Theutonicis martyrizandos, et dolens, quod fratres missos in Marochium et ibidem martyrizatos nominetenus non noverat, volens in istis cavere quod sibi acciderat in illis, surgens medio omnium ivit ad illos, discurrens per singulos et quaerens: « Quis es et unde es »? aestimans, gloriam magnam esse, si ipsos martyrizari contingeret, quod dicere posset: « Illum novi ». Inter quos fuit quidam frater, nomine Palmerius, diaconus, qui postea in Magdeburgo [1] Guardianus factus est, vir iucundus et hilaris, de finibus Apuliae de Monte Gargano oriundus. Ad quem cum frater ille curiosus venisset et interrogasset: « Quis es et unde es », et ille respondisset: « Palmerius vocor », iniecta ei manu, subintulit: « Et tu ipse noster es et nobiscum ibis ». Et ille nomen Theutonicorum perhorrens [2] respondit: « Non sum de vestris, sed nosse volens vos ad vos veni, non animo vobiscum eundi ». Et ille iucunditate sua praevalens, ipsum detinuit et renitentem et verbis et factis ad terram secum detraxit et inter alios secum sedere coegit. Et interim, dum haec agerentur, et inter alios detineretur ille frater curiosus, adscriptus est alii provinciae, et proclamatur: « Talis frater vadat ad talem provinciam »! Interim autem, dum fratres illi [3] nonaginta exspectarent responsum, datus est Minister Theutoniae frater Caesarius Theutonicus, de Spira, habens potestatem eligendi de nonaginta fratribus quos vellet. Et cum fratrem illum curiosum inter alios invenisset, monitus est ab aliis, ut et ipsum secum duceret. Et cum ad Theutonicos invitus iret et constanter diceret: « Non sum de vestris, quia animo eundi cum illis non surrexi », ductus est ad fratrem Heliam, vicarium beati Francisci. Fratres autem provinciae illius, cui adscriptus erat, haec videntes, eo quod debilis esset, et terra, ad quam ibat [4], frigida, ipsum retinere contendebant; frater autem Caesarius ipsum secum ducere modis omnibus affectabat. Frater Helias sic diremit [5] dicens: « Praecipio tibi, frater, per sanctam obedientiam, ut deliberes finaliter, an ire velis, an dimittere ». At ille per obedientiam constrictus, cum dubitaret, quid ageret, eligere timuit propter conscientiam, ne, si eligeret, voluntatis suae esse videretur; ire timuit propter Theutonicorum crudelitatem, ne, si in passionibus patientiam perderet, in anima periclitaretur. Et ita inter utrumque perplexus et consilium in se ipso non inveniens, accessit ad fratrem multis tribulationibus probatum, qui [6] quindecies in Hungaria bracas amiserat, et ab eo consilium requisivit dicens: « Frater carissime, sic mihi praeceptum est; et eligere timeo, et quid agam, ignoro ». At ille: « Vade ad fratrem Heliam et dic: Frater, nec ire volo nec remanere, sed quidquid mihi praeceperis, hoc faciam: et ita te ab hac perplexitate liberabis ». Quod et fecit. Quo audito, frater Helias praecepit ipsi in

---

[1] Cod. et ed. 1 *Madeburg,* oppidum Borussiae.

[2] Ita cod., ed. 1 *perhorrescens.*

[3] Edit. 1 incongrue et contra cod. *alii.*

[4] Ita cod., ed. 1 *ibant.*

[5] Scilicet litem, ut legit Iordanus.

[6] Auctoritate Iordani hanc voculam, certe supplendam, adiunximus et paulo inferius posuimus *amiserat,* pro quo cod. et ed. 1 exhibent male *amiserit.* — Vide supra pag. 13.

virtute sanctae obedientiae, ut cum fratre Caesario in Theutoniam properaret. Iste fuit frater Iordanus, diaconus, de Iano [1], vallis Spoletanae, qui supradicta de se ipso coram fratribus recitavit in capitulo provinciali in Halberstadio tempore sancti Bonaventurae, anno Domini 1262, dominica *Iubilate* celebrato, et frater Balduinus de Brunopoli [2] conscripsit, instigante fratre Bartholomaeo, tunc Ministro Saxoniae. Qui quidem Iordanus tali eventu ad Theutoniam venit et Theutonicorum ferocitatem, quam horruit, evadens, Ordinem cum praedicto Caesario in ea plantavit, ut latius infra dicetur. Haec ego ex memorati fratris Balduini scriptis extraxi [3].

DE PRIMO MINISTRO THEUTONIAE.

Frater Caesarius de Spira primus Minister Theutoniae tempore sancti Francisci.

Frater ergo Caesarius de Spira, Theutonicus, primus Minister Theutoniae per sanctum Franciscum datus, sollicitus de obedientia sibi iniuncta utiliter adimplenda, assumptis secum fratribus Iohanne de Plano Carpinis, praedicatore in latino et lombardico, et Barnaba Theutonico, praedicatore egregio in lombardico et theutonico, et Thoma de Zelchio vel Celano, qui antiquam legendam sancti Francisci postea conscripsit, Iosepho de Tarvisio [4] et Abrahamo Hungaro et Simone Tusco, filio comitissae de Colazono [5], et Conrado Theutonico clerico et Petro sacerdote de Camerino et Iacobo et Gualtero sacerdotibus et Palmerio diacono et fratre Iordano de Iano diacono, et quibusdam fratribus laicis, videlicet Benedicto Solato Theutonico et Henrico [6] Suevo, et pluribus aliis, quorum nomina in memoria apud Dominum sunt, fuerunt tamen in universo 12 clerici et 15 laici.

His igitur frater Caesarius assumptis, quia ipsemet, utpote homo devotus, beatum Franciscum et alios sanctos fratres invitus deseruit, de licentia beati Francisci socios sibi datos per domos in Lombardia divisit, ut in illis suum verbum exspectarent. Ipse vero in valle Spoletana moram fecit fere per tres menses. Et cum iter arripere disponeret ad Theutoniam, vocatis fratribus suis, fratrem Iohannem de Plano Carpinis, qui postea Minister Theutoniae et sub Innocentio IV. nuntius Apostolicus ad Tartaros fuit, et fratrem Barnabam et quosdam alios misit ante faciem suam ad praeparandum sibi et fratribus suis locum in Tridentum, aliis fratribus per ternos et quaternos subsequentibus [7].

---

[1] Ianum, italice *Giano*, est oppidulum in dioecesi Spoletana situm, ubi erat a tempore S. Francisci conventus parvulus Fratrum Minorum. In Cod. scribitur *Yane*.

[2] Cod. hic et semper *Baldewinus de Brunschwick*, de quo cfr. chron. Iord., l. c. Prologus.

[3] Waddingus, l. c. ad an. 1221 n. IV, « se hanc narrationem de missione fratrum in Theutoniam etiam a Balduino de Brunschwick, illius nationis viro, non tam desumpsisse quam exscripsisse » affirmat. Totus textus iterum hic ad verbum convenit cum textu chron. anonym. Cfr. supra pag. 13, nota 3. et chron. Iord., l. c. n. 16-19. — Dominica *Iubilate* est tertia post Pascha.

[4] Cod. et ed. 1 *Tervisio*, italice Treviso. Immediate post ed. 1 falso *Abrahamo vangaro* pro *Abrahamo Hungaro*.

[5] Ita recte Bartholomaeus Pisanus, Libr. Conf. l. I. fruct. 8. p. 54a, et Martyrologium Franciscanum ad 7 Novembris. Cod. et ed. 1 *Colozon*, Wadding. *Colazone*.

[6] Cod. semper scribit *Heinricus*.

[7] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 19; chron. anon., l. c. p. 281; Wadding., l. c. ad an. 1221, n. VI. VII.

DE PROFECTU FRATRUM IN THEUTONIAM [1].

Congregatis igitur fratribus successive venientibus ante festum beati Michaelis in Tridento, a domino Episcopo Tridentino benigne per dies quindecim, sic successive veniendo, sunt recepti. In festo autem sancti Michaelis frater Caesarius sermonem fecit ad clerum et frater Barnabas ad populum. Ad quorum praedicationem quidam civis Tridentinus, vir dives, lombardica et theutonica lingua eruditus, nomine Peregrinus, fratribus novis habitibus superioribus et inferioribus vestitis, et reliquis rebus suis omnibus venditis et pauperibus distributis, ad Ordinem est receptus.

Frater autem Caesarius, post haec convocatis in Tridento fratribus suis, factaque admonitione de humilitate et patientia custodienda, relictis ibi aliquibus fratribus pro populi aedificatione, et alios binos ternosque confoederans, unum temporalibus, alium spiritualibus praeficiens, ante se praemisit in Bulsanum [2]. Et ibidem dominus Episcopus Tridentinus fratres successive venientes per dies aliquot sustentavit et dedit eis licentiam in sua dioecesi praedicandi. De Bulsano vero venientes in Brixinonem, benigne a loci Episcopo sunt recepti. De Brixinone vero montana intrantes, post prandium venerunt Sterzingam. Et cum homines panem ad manum non haberent, et fratres mendicare nescirent, sperantes, quod in sero venirent, ubi pietate hominum reficerentur, venerunt in Mittenwald, ubi cum magna penuria duabus buccellis panis et septem rapis famis miserae saevitiam cum gaudio cordis temperabant, immo provocabant, et collatione habita inter se, quomodo ventrem vacuum implere possent, ut post laborem septem milliarium [3] quietem peragerent, decreverunt, ut de aqua puri fluentis praetereuntis biberent, ne venter vacuus murmuraret.

Mane autem facto, famelici et vacui surgentes coeptum carpebant iter. Et cum ad dimidium milliare processissent, coeperunt oculi deficere, crura tabescere, genua infirmari a ieiunio et toto debilitari corpore. Unde et prae angustia famis vellicabant [4] de agatiis agatia et spinella et cornus et ceterarum consimilium arborum silvestres fructus, quos repererunt in via. Et quia sexta feria erat, solvere ieiunium metuebant. Videbantur tamen aliquantulum refocillari eo ipso, quod pomella agrestia praedicta ferebant, ut, si extrema necessitas urgeret, haberent quod [5] manducarent. Et sic nunc pausando, nunc lente procedendo, difficulter Matreium [6] pervenerunt.

---

[1] Ita cod., ed. 1 *Theutonia.*

[2] Cod. hic et subinde *Bozanum*; deinde falso *Brixiam* (i. e. Brescia in Italia) pro *Brixinonem* (italice *Bressanone,* theutonice *Brixen);* postea *Stertzingen* (Sterzing) pro *Sterzingam,* et *Mittwalden* pro *Mittenwald.*

[3] Chron. anon. et Wadding.: milliaria *Germanica* i. e. 14 horas.

[4] Cod. et ed. 1 perperam *fellicabant.*

[5] Ita cod., ed. 1 vero *quid.*

[6] Id est Matrey in Tyrolo, pro quo cod. et ed. 1 *Machrei.* — Sed hic Glassberger, in narratione secutus fr. Iordanum, etiam errat dicendo, fratres illos primo pervenisse Mittenwald et deinde Matreium, cum secundum positionem geographicam res vice versa se habeat. Factum hic narratum potest evenisse aut prope Mittewald citra Sterzingam in Tyrolo ad fluvium Eisaccam (Eisach), aut prope Mittenwald in confinibus Bavariae ad flumen Isaram (Isar).

Et ecce Deus, *cui derelictus est pauper*[1], pauperum suorum sollicitus providit, ut, cum oppidum intrarent, obvium haberent duos viros hospites, qui ipsis duas denariatas panum[2] emerunt. Sed quid haec inter tantos? Verum, quia tempus raparum erat, mendicando rapas, quod panis deerat, rapis suppleverunt. Facto ergo prandio, magis referti quam refecti processerunt; et ita per villas et castella et monasteria transeundo Augustam pervenerunt, ubi a domino Sybotone[3], Episcopo Augustensi, ac etiam a Vicedomino, nepote suo, maioris ecclesiae canonico, benignissime sunt recepti. Ipse enim dominus Episcopus Augustensis tanto affectu ad fratres ferebatur, ut singulos ad oscula reciperet et cum osculo dimitteret. Vicedominus vero cum tanto affectu eos recepit, ut a curia sua cederet et fratres in ipsa collocaret. Insuper et a clero et a populo benigne sunt recepti et reverenter salutati[4].

DE DIVISIONE FRATRUM PER DIVERSAS CIVITATES ET PRIMO CAPITULO THEUTONIAE.

Igitur praedicto *anno Domini 1221* circa festum beati Galli[5] frater Caesarius, primus Minister Theutoniae, convocatis fratribus suis numero ferme 31 in Augusta, in ingressu Theutoniae *primum* capitulum celebravit, ex quo capitulo misit fratres ad diversas provincias Theutoniae. Praemisit autem fratrem Iohannem de Plano Carpinis et fratrem Barnabam praedicatores in Herbipolim[6], qui inde transiverunt in Moguntiam, Wormatiam, Spiram et Argentinam et Coloniam, se hominibus ostendentes et verbum poenitentiae praedicantes et fratribus subsequentibus hospitia praeparantes. De eodem capitulo misit frater Caesarius Minister fratrem Iordanum cum duobus fratribus sociis, videlicet Abrahamo et Constantino, in Salisburgum[7], qui ab eiusdem loci Archiepiscopo benigne sunt recepti. Item, tres alios cum fratre Iosepho misit in Ratisbonam, ubi manserunt usque ad annum Domini 1229; et tunc coeperunt aedificare solemne monasterium in eadem urbe, ut suo loco dicetur. Frater vero Caesarius praecedentium vestigia subsequens, fratres verbo et exemplo in bono confirmabat.

Eodem anno idem frater Caesarius Herbipolim veniens, ibidem recepit ad Ordinem iuvenem habilem et litteratum, nomine Hartmodum, quem Italici nominare nescientes, Andream appellabant, eo quod die sancti Andreae Apostoli ad Ordinem est receptus. Qui Hartmodus brevi sacerdos et praedicator[8] factus, Custos postmodum

---

1 Psalm. 10, 14.

2 Id est panem pretii duorum denariorum (Vide Du Cange, Glossarium). — Immediate post ed. 1 *emerant* pro *emerunt*, refragante cod.

3 Sed tunc temporis, ut iam Waddingus recte suspicatus est, secundum historiam dioecesis Augustanae, a r.mo d. Antonio de Steichele, Archiepiscopo Monacensi, editam, *Sigfridus III. de Rechberg* erat Episcopus Augustanus (1208-1227), dum Siboto de Seefeld eius erat successor (1227-1248).

4 Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 21. 22; chron. anon. l. c. p. 282.

5 Id est 16 Octobris.

6 Theutonice Würzburg, civitas Bavariae.

7 Cod. scribit modo *Saltzburch* vel *Saltburch*, theutonice Salzburg, tunc temporis ad principem Episcopum, nunc vero ad Austriam pertinens.

8 Ita cod., ed. 1 perperam *praetor*.

Saxoniae est effectus. Similiter quendam Rodingerum[1] recepit ad Ordinem, qui post Guardianus in Halberstadio fuit et magister disciplinae spiritualis beatae Elisabethae, docens eam servare castitatem, humilitatem et patientiam, et[2] orationibus invigilare et operibus misericordiae insudare. Post quem factus est eius magister Conradus de Marburgo. Item recepit quendam fratrem laicum, nomine Rudolphum.

Eodem anno dominus Papa Honorius dedit Ordini privilegium, quod nullus post professionem factam Ordinem exire praesumat, exeuntem autem nullus audeat retinere, et quod nullus possit sub habitu nostro extra obedientiam evagari, et contra hoc praesumentes possint fratres censuram ecclesiasticam exercere. In illo autem privilegio vocat Ministros Provinciales Priores. Et ob hoc credo positum fuisse in regula[3]: « Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire iuxta mandatum domini Papae » etc. Nam istud privilegium datum fuit, antequam regula esset bullata.

Eodem anno 1221 beatus Franciscus instituit Ordinem, qui dicitur Poenitentium, propter illos, qui matrimonio iuncti poenitentiam facere flagitabant, quorum primus fuit beatus Lucius. Nam illius Ordinis homines secundum formam a viro Dei acceptam novis se poenitentiae legibus vinciebant, quorum vivendi modum idem Christi famulus Franciscus Ordinem Fratrum de Poenitentia nominari decrevit. Nimirum, sicut in coelum tendentibus poenitentiae viam omnibus constat esse communem, sic et hic status clericos et laicos, virgines et coniugatos in utroque sexu admittens, quanti sit apud Dominum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit.

Eodem anno 1221, nonis Augusti[4], obiit S. Dominicus, initiator Ordinis Praedicatorum; et non fecit regulam, sicut fecit sanctus Franciscus. Hic non plene sex annis eidem Ordini praefuit post confirmationem[5] sui Ordinis. Et, ut scribit frater Hermannus Gigas[6] in sua chronica, post aliquot annos, videlicet 1234, canonizatus est et translatus de ecclesia Fratrum Minorum in Bononia, ubi decem annis sepultus iacuit, ad ecclesiam Fratrum Praedicatorum, quae prius dedicata non erat. Canonizavit autem eum Papa Gregorius IX. Spoleti, V. kalendas Septembris[7], pontificatus sui anno octavo.

---

[1] Chron. Iordani, l. c. n. 22-26. *Redingerum;* cfr. chron. anon. l. c. p. 283; Wadding., l. c. ad an. 1221, n. X.

[2] Ita recte cod., ed. 1 vero *in* et immediate post, mirabile dictu, ut etiam D. Voigt in sua ed. chron. Iordani, falsissimo *minime* pro *misericordiae,* quod verbum cod. clarissime exhibet et contextus, fides catholica et vita Sanctae postulant. — Pro *Marburgo* cod. *Marckpurg.*

[3] Cap. II. — Datum est decimo kalendas Octobris (22 Septembris) 1220, pontificatus Honorii an. quinto. Cfr. chron. XXIV Gen. f. 7. r. c. I, Eccleston, l. c. collat. XIV. p. 248 et Wadding., l. c. ad an. 1220, n. LVII, ubi et habentur integrae litterae.

[4] Id est 5 Augusti; Salimbene, Chronica, (Parmae 1857) dicit *octavo idus Augusti* (6 Augusti), quod est rectum secundum Martyrologium Romanum et Ordinis Praedicatorum. Festum autem ex constitutione Pauli Papae V. celebratur 4 Augusti.

[5] Quae fuit an. 1216.

[6] Rectius Gygas, qui est Frater Minor saeculi XV. et scripsit Flores temporum seu Chronicon universale veteris Testamenti et historiae ecclesiae, in primis Imperatorum et Pontificum nec non Ordinum usque 1513.

[7] Secundum Ciaconium, l. c. canonizatio facta est *Reate* an. 1233, et quidem, ut dicit Andreas Victorelli, nonas Iulii. — Wadding., l. c. ad an. 1235, n. XXXV. dicit 3 idus (13) Iulii.

Anno Domini 1222 fuit in Italia vir quidam, Bartholomaeus [1] nomine, qui audita fama beati Francisci circumquaque diffusa, ad eius praedicationem avocatiam relinquens, sub honesto habitu et secundum tertiam regulam dignos poenitentiae fructus faciebat. Hic tantam cum beato Francisco familiaritatem contraxit, ut ei potestatem recipiendi ad Ordinem concesserit [2]. Habebat autem idem Bartholomaeus daemoniacum in domo sua, qui sine intermissione loquebatur. Cum autem beatus Franciscus die quadam accederet hospitium illud, antequam ad illud venisset, daemoniacus ille penitus obmutuit et triduo tacuit praeter morem suum. Post recessum vero sancti Francisci non sine admiratione domini Bartholomaei consuetam loquacitatem resumpsit. Interrogatus autem et in nomine Domini adiuratus, ut diceret, cur praeter solitum tacuisset, respondit: « Ex quo Frater Franciscus fuit in tali loco huc veniendo, et donec transivit eundem locum hinc recedendo, adeo fui ligatus, ut nec unum verbum formare potuerim [3] ». Et repertum est, tres dies effluxisse, donec sanctus Franciscus de uno loco ad alium transivit, sicut daemon dixerat. Et adiecit ipse dominus Bartholomaeus interrogare: « Estne, inquit, vere talis ac tantus Franciscus, quod eius virtutes et magnalia cum admiratione totus mundus agnoscat » ? Ait daemon: « Non est diu, quod princeps noster nos omnes insimul congregavit et dixit, quod Pater misericordiarum nunquam mundum sic peccatis involvi permisit [4], quin lapso ei semper aliquem reformatorem miserit pro peccatoribus convertendis. Unde post Adam misit Noe, postea Abraham, deinde Moysen et Prophetas, post quos Christum et Apostolos misit. Quia ergo, inquit, modo humanum genus viam Christi et Apostolorum eius reliquit, et memoria passionis eius penitus a cordibus hominum recessit, ex multis argumentis claret, quod mittendus est aliquis populi reformator. Cumque videmus, hunc Franciscum ardua virtutum cum tanto fervore conscendere, mundana contemnere, vitam Christi renovare, tantam hominum perfectorum congregationem post se trahere, ad conversionem hominum verbo et exemplo tanto conatu niti, certitudinaliter cognovimus, quod ipse est, quem [5] timebamus pro mundi reformatione mittendum. Et adiecit princeps noster, quod Deo Patri contra mundum irato Filius promisit suam passionem in puro homine renovari velle, per quem cordibus fidelium imprimeretur, a quibus videtur penitus abolita. Et ideo, ait daemon, contra ipsum Franciscum et eius Ordinem omnes vires nostras congregavimus. Nam cum in tali loco septem tantum fratres essent huius Ordinis, ferme octo millia daemonum ad eos tentandos fuerunt missa. Invenimus autem viam, qua ipsos saltem per obliquum ad transgressionem regulae deduceemus. Nam contra castitatem per mulierum familiaritatem et insolentium iuvenum receptionem, contra paupertatem per aedificiorum sumptuosas superfluitates, contra obedientiam per principum familiares commansiones et opinionum varietates, ita quod opinionum diversitate quasi a statu primo Ordo videbitur cecidisse. Sed tum surget alius frater eiusdem Ordinis, qui et maiora faciet quam Franciscus, et tunc Ordo ad tantae culmen

Exemplum nota.

---

[1] Wadding.: Bartholomaeus Baro.

[2] Cod. incongrue *concessit.*

[3] Cod. iterum incongrue *potui.*

[4] Ita cod., ed. 1 male *promisit* (chron. Gen. *dimisit)* et deinde falso *qui* pro *quin.*

[5] Edit. 1 perperam *quod,* repugnante cod.

sanctitatis ascendet, quod tertia pars hominum ad statum poenitentiae per monita ipsius Ordinis se convertet [1] ».

DE CAPITULO WORMATIENSI.

Eodem anno Domini, videlicet 1222, frater Caesarius, Minister Theutoniae, tot iam fratres tam clericos quam laicos ad Ordinem receperat, quod fratribus de civitatibus vicinis *primum* [2] capitulum *provinciale* in Wormatia celebravit. Et quia locus, in quo fratres recepti erant, arctus erat, nec ad celebrandum et praedicandum multitudini aptus, habito consilio domini Episcopi et Canonicorum, ad celebrandum et praedicandum in maiori ecclesia convenerunt, Canonicis in unum chorum sese coarctantibus, alterum chorum fratribus reliquerunt. Fratre vero Missam celebrante et choro contra chorum certatim cantante, divinum officium cum magna solemnitate peregerunt.

De hoc capitulo misit frater Caesarius duos fratres cum litteris pro fratribus, qui erant in Salisburgo, qui ad capitulum non venerant, ut, si vellent, ad ipsum venirent. Illi vero, quia se totos obedientiae dederant, ita ut nihil suae voluntatis perficere vellent, non modicum turbati super conditione [3] in littera posita, scilicet « si vellent », dixerunt: « Eamus et quaeramus, cum nihil velimus, nisi quod ipse vult, cur nobis sic scripserit ». In via vero constituti, cum gustandi gratia ad villam quandam venissent, bini et bini per villam mendicantes, responsum habebant theutonice *Gott beroth,* quod latine dicitur: Deus vos adiuvet, vel potius, Deus vobis provideat. Unus autem ipsorum videns, quod ad hoc verbum eis nihil daretur, cogitavit et dixit: « Istud *Gott beroth* nos hodie non reficiet ». Et praecurrens fratrem, qui theutonice mendicabat, coepit latina lingua panem mendicare. Et responderunt Theutonici: « Nos latinum non intelligimus [4], loquere nobis theutonice ». Tunc frater corrupte proferens dixit: « *Brod dur Godt* ». At illi: « Mirum est, inquiunt theutonice, loquens theutonicum dicis, te theutonicum nescire », et adiecerunt: *Gott beroth.* Et frater exultans in spiritu et subridens et simulans, se ignorare quod dicerent, posuit se in bancam seu scamnum [5] et sedit. Unde vir et mulier sese mutuo inspicientes et subridentes, propter improbitatem eius dabant ei panem, ova et lac. Videns igitur, quod tali simulatione utili sibi et fratrum suorum necessitati posset subvenire, per

---

[1] Tota haec narratio invenitur in chronicis XXIV Generalium, f. 7. r. c. II. et etiam apud Waddingum, l. c. ad an. 1222, n. XXII. XXIII, qui eam refert, auctore S. Antonino (non Antonio, ut habet falso D. Evers), Archiepiscopo Florentino (in chronicis l. 24. c. 7. § 3.).

[2] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 26. Wadding., qui non cognovit chron. Iordani, est secutus chron. anon. l. c. p. 282, quae omittunt hoc verbum. Ideo illa argumentatio D. Evers in ed. 1 (p. 26) contra eum nihil valet, qua dicit, « Waddingum hoc loco verbum *primum* fortasse propterea praetermisisse, quod supradictum Augustae habitum capitulum, ingressu Theutoniae facto 1221, *primum* iam denominatum sit ». Etiam Waddingo non erat ignotum, haec duo capitula fuisse omnimode diversa.

[3] Ita cod., ed. 1 *conditionem.*

[4] Edit. 1 erronee *intellegimus.*

[5] Edit. 1 *bancum seu stampnum,* refragante cod.

duodecim domos simili modo transiens tantum mendicabat, quod septem fratribus sufficiebat. In eadem via constituti, venerunt in sancta die Pentecostes [1] ante Missam in villam quandam et ibidem Missam audiebant; et quidam ex ipsis communicavit. Et populus villae super simplicitate et humilitate fratrum adeo est compunctus, ut genua coram ipsis fratribus in signum reverentiae curvantes, eorum vestigia honorarent. Inde transeuntes Herbipolim, Moguntiam et Wormatiam, venerunt Spiram, et ibidem invenientes fratrem Caesarium et plures fratres congregatos, a quibus consueto more benignissime recepti fuerunt, culpaverunt eum, quod conditionaliter eis scripsisset. Quibus ipse etiam suam intentionem exponendo satisfecit [2].

Eodem anno, qui fuit secundus ab ingressu fratrum in Theutoniam, frater Caesarius, in Colonia et supradictis civitatibus fratribus iam collocatis, paucitatem sacerdotum habens et tantam [3], ut oporteret, unum novitium sacerdotem, alternatim in Spira et Wormatia in solemnitatibus fratribus celebrantem, eorum confessiones audire, fecit tres fratres ad sacerdotium promoveri, videlicet fratres [4] Palmerium, Abrahamum Hungarum et Andream Theutonicum, Hartmodus antea vocatum.

Anno Domini 1223, mense Ianuarii, sanctus Franciscus obtinuit primo a Deo, intercedente beata Virgine Maria, matre eius, et deinde ab eius vicario, domino Honorio Papa tertio, plenariam indulgentiam omnium peccatorum accedentibus ecclesiam sanctae Mariae de Angelis prima die Augusti, durantem a primis vesperis dictae diei usque ad secundas vesperas diei sequentis, inclusa nocte. Hanc autem indulgentiam a Christo intercessione Virginis Mariae dictae ecclesiae concessam dictus Pontifex, viso miraculo rosarum, quas rubeas et albas beatus Franciscus a beatissima Virgine deferendas eidem acceptas ipsi Perusium [5] mense Ianuarii detulit, confirmaverat, sed diem non determinaverat. Quare beatus Franciscus secundo pro ea re cum fratribus Angelo de Reate, Bernardo de Quintavalle, primogenito suo, et [6] Petro Cathani Romae Pontificem adiit, qui tum eandem diem determinavit, dans in mandatis septem Episcopis, videlicet Episcopo Assisinati, Episcopo Perusino, Episcopo Tudertino, Episcopo Spoletano, Episcopo Fulginati, Episcopo Nucerino [7] et Episcopo Eugubino, ut dictam ecclesiam praedicta die consecrantes, eandem indulgentiam ibidem publicarent. Cumque dictis Episcopis indulgentia saepe dicta indiscreta videretur, et vellent dumtaxat decem annos denuntiare, nutu Dei omnes septem plenariam a poena et a culpa indulgentiam pronuntiare sunt compulsi, sicut sanctus Franciscus. Huius rei fuerunt multi testes audientes, illam indulgentiam publicari, scilicet dominus Supplommus Ugolini, presbyter, dominus Andreas de Monte Melmo et Assisio, Neapoleo de Armentzano, dominus Iohannes de Qualentana (?), pater domini Hie-

---

[1] Id est 22 Maii.

[2] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 27. In chron. anon. non habetur haec narratio, et etiam non in 1. edit. Annalium Waddingi.

[3] Edit. 1 contra cod. perperam *tantum*.

[4] Edit. 1 *fratrem*. — Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 28; chron. anon. l. c. p. 283; Wadding., l. c. ad an. 1222, n. XXIV.

[5] Edit. 1 *Perusiam*.

[6] In ed. 1 desideratur haec vocula *et*.

[7] Ita recte cod., ed. 1 erronee *Nucarino* et immediate ante *Sulginato* pro *Fulginati* (cod. *Fulginato*). Urbes episcopales dictae sunt: Assisi, Perugia, Todi, Spoleto, Foligno, Nocera, Gubbio.

ronymi, dominus Iohannes Petri Tibalducci, dominus Brandus Lamanifri et alii multi, sicut latius hoc tradit frater Bartholomaeus de Pisis in libro Conformitatum, conformitate XIV [1]. Cui scire placet, ibidem legat.

Eodem anno fecit frater Caesarius ordinari fratrem Iordanum de Iano, vallis Spoletanae, in sacerdotem, qui fere per unam aestatem alternatis vicibus solus fuit in Wormatia, Moguntia et in Spira.

Eodem etiam anno frater Caesarius instituit fratrem Thomam de Celano Custodem conventuum Moguntinensis, Wormatiensis [2], Spirensis et Coloniensis.

Eodem quoque anno videns [3] frater Caesarius — qui erat vir contemplativus, zelator maximus Evangelii et paupertatis ac fratribus adeo acceptus, ut ipsum post beatum Franciscum sanctissimum venerarentur — Ordinem iam in Alamannia dilatatum, attaediatus et habens desiderium visendi beatum Franciscum et fratres vallis Spoletanae [4], instituto Vicario fratre Thoma, tunc unico Custode, assumptis secum fratre Simone, filio comitissae de Colazono [5], viro nobili, modo Sancto et sepulto in Spoleto, de quo scribit Bartholomaeus de Pisis in libro Conformitatum, conformitate octava, et quibusdam aliis honestis fratribus perrexit ad beatum Franciscum et ab eo benigne est receptus. Et in capitulo generali, quod eodem anno apud sanctam Mariam de Portiuncula celebratum fuit, idem frater Caesarius a ministerii officio absolvitur, cum annis duobus praefuisset, et ei frater Albertus de Pisis, qui iam de Anglia redierat, in Officio substituitur [6].

DE SECUNDO MINISTRO IN THEUTONIA.

Frater Albertus de Pisa secundus Minister Theutoniae institutus anno Domini 1223.

Secundus Minister Theutoniae tempore sancti Francisci fuit frater Albertus de Pisa, qui postea etiam factus fuit Minister Hispaniae et demum Generalis [7] substitutus in generali capitulo, anno Domini 1223 Assisii ad sanctam Mariam de Angelis celebrato, cum quo de eodem capitulo ad Theutoniam missi sunt de Italia viri honesti et litterati, videlicet frater Marcus de Mediolano et frater Iacobus de Tarvisio et frater Anglicus iurisperitus, et alii quamplures fratres.

---

1 Libr. II. fruct. 2. p. 136a, ubi nomina rectius sonant: Suppolinus Ugollini (ita etiam Wadding., ad an. 1223, n. I.), Andreas de Monte Mellino (potius Mollino) de Assisio (ita Wadding.), Napoleo de Armenzano (W. Nepoleus de Armensono), d. Iohannes Gualterii (W. Ioh. Calcei), pater d. Iohannis, d. Ioh. Petri Tibalducii (W. Ioh. Petri Tubaldi), d. Brundus Lamanfri (W. Orlandus Lamenfre). — Non hoc an. 1223 concessa est haec indulgentia, sed probabilius intra an. 1216-17, saltem certo ante an. 1221, in quo an. (10 Martii) Petrus Cathaneus, uti ex inscriptione sepulcro eius insculpta clare apparet, iam mortuus est. Cfr. Panfilo, l. c. c. XII. n. 5.

2 Edit. 1 contra cod. *Wormacensis.*

3 Edit. 1 omisit male hanc voculam *videns.*

4 Edit. 1 adiungit hic contra cod. particulam *et.* Paulo superius cod. et ed. 1 *Almania* pro *Alamannia.*

5 Cod. hic *Colozano.*

6 Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 30. 31; chron. anon. l. c. p. 283; Wadding., l. c. ad an. 1221, n. XXIV.

7 D. Evers (ed. 1) hic dicit: « Helia de generalatu amoto, Albertus iterum Generalis electus 1240 obiit ». Sed est error. Nam Albertus non erat ante Heliam Minister *Generalis,* sed solum *Provincialis.*

Frater igitur Albertus, cum venisset in Theutoniam, convocatis senioribus fratribus Theutoniae, videlicet fratre Iohanne de Plano Carpinis et fratre Thoma, Vicario et Custode, et quibusdam aliis fratribus, communicato cum eis consilio, celebravit capitulum in Spira iuxta murum apud leprosos in Nativitate beatae Virginis, in quo loco tunc Guardianus fuit frater Iordanus, qui in eodem capitulo Missam decantavit. In ipso capitulo de statu et dilatatione Ordinis sollicite cogitantes patres, fratrem Marcum de Mediolano Custodem Franconiae et fratrem Angelum de Wormatia Custodem Bavariae et Sueviae, fratrem Iacobum Custodem Alsatiae, fratrem Iohannem de Plano Carpinis Custodem Saxoniae constituerunt, et ipsum Iohannem de Plano Carpinis fecerunt clericorum multitudini praedicare. Sermone vero finito, dominus Episcopus Spirensis fratrem Iohannem de Plano Carpinis et fratres Ordinis eius [1] clero et populo suo recommendans, ipsis et praedicandi et confessiones audiendi in sua dioecesi auctoritatem dedit. Ad fratrum vero praedicationem et exemplum multi ad poenitentiam compuncti Ordini se reddiderunt, quorum unus fuit Burckhardus, filius comitis de Poppenborch [2], maioris ecclesiae Canonicus, et Albertus, magister puerorum, vir litteratus, et quidam nomine Ludolphus, et miles unus. Orta autem ibidem turbatione de recessu quorundam ab Ordine, gratia populi tepuit erga fratres, ita ut cum indignatione ipsis eleemosynam ministrarent et quasi aversis [3] vultibus respuerent mendicantes. Subito autem, Dei providentia operante, gratia amissa refloruit, et populus ad amorem fratrum est reversus.

DE LOCIS SAXONIAE ETC.

Eodem anno Domini 1223 frater Iohannes de Plano Carpinis, Custos Saxoniae, Ordinem suum dilatare volens, misit plures fratres discretos et maturos in Hildesiam, in Brunopolim, in Goslariam, in Halberstadium et [4] in Magdeburgum. Consimiliter fecit frater Angelus de Wormatia, Custos Bavariae et Sueviae; et frater Marcus de Mediolano, Custos Franconiae, misit fratres in Bambergam, qui ibidem susceperunt locum, ubi modo leprosorium est [5]. Sequenti anno misit fratres in inclytam civitatem Norimbergam [6], ubi ad capellam sancti Pauli iuxta aquam Pegnitiam, ex opposito monasterii monacharum Cisterciensis Ordinis, postea solemne monasterium construxerunt.

---

[1] Ita cod., ed. 1 *sui*, quod verbum primo ab auctore scriptum, ab ipso quoque correctum est. — Cfr. chron. Iord., l. c. n. 33. 34, ubi etiam nomina singulorum fratrum enumerantur.

[2] De familia comitum Poppenburgensium in Hildesia, vide Lüntzel, Geschichte der Dioecese der Stadt Hildesheim II. p. 527.

[3] Edit. 1 *adversis*, refragante cod.

[4] In ed. 1 desideratur haec vocula *et*. Pro *Hildesiam* etc. cod. legit *Hyldesheym, Brunschwick, Gloslariam, Halberstat, Madenburch.* — Cfr. chron. Iord., l. c. n. 36, chron. anon. l. c. p. 284 et Wadding., l. c. ad an. 1223, n. XXIII.

[5] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1223, n. XXIII, ubi post verbum *est* addit: Reformatus est an. 1460 per rev.mum Episcopum Bambergensem, dom. Georgium et Vicarium Provincialem Argentinensem; quae additio invenitur in chron. anonymis, p. 296, unde id quod supra p. 13, nota 3. diximus, confirmatur.

[6] Cod. semper *Nuremberg*, theutonice Nürnberg, oppidum Bavariae, situm ad fluvium Pegnitiam (Pegnitz), pro quo cod. paulo inferius mendose *Pegantiam,* chron. anon. et Wadding. *Pegnesum.*

DE CONFIRMATIONE REGULAE A DOMINO PAPA HONORIO.

1223
Confirmatio regulae Fratrum Minorum per dominum Honorium Papam tertium.

Anno Domini 1223 cum, dilatato iam Ordine, vivendi formam per dominum Innocentium tertium approbatam dominus Hugolinus, Cardinalis et protector Ordinis, vellet per successorem ipsius, dominum[1] Papam Honorium etiam tertium, in perpetuum facere roborari ac confirmari, beatus Franciscus, praeostensa sibi coelitus visione de micis[2] panum subtilissimis, ut regulam ad compendiosiorem formam reduceret, iuxta quod dictabat visio ostensa, a Deo praemonitus ascendit cum duobus fratribus sociis, scilicet fratre Leone de Assisio et fratre Bonitio[3] de Bononia, in montem Raynerii[4], ibique pane tantum et aqua contentus, ieiunans et orans ut alter Moyses, regulam, quam ex ore Dei sibi assistentis percepit, diligenter conscribi fecit. Quam cum descendens de monte fratri Heliae, suo vicario custodiendam tradidisset, et ille, paucis diebus elapsis, assereret, per incuriam perdidisse, iterum Vir sanctus in montem ascendens, Spiritu sancto revelante, eam instar prioris reparavit[5]. Sancto vero in monte existente, cum diversi Ministri audientes, eum[6] novam regulam conscribere, et timentes, ne nimis strictam faceret[7], congregati cum fratre Helia vicario eum accedentes dicerent, se protestari, quod, nisi eam de eorum consilio faceret, se ad eam minime obligarent, vox in aëre audita est Christi dicentis, velle[8], quod illa regula ab universis fratribus ad litteram servetur, cum omnia ibi posita de sua scripta essent voluntate.

Et eodem anno, tertio kalendas Decembris[9], eadem regula per dominum Papam Honorium III, pontificatus eius anno VIII, ab inceptione vero Ordinis, ex quo sanctus Franciscus coepit habere fratres, anno XV, confirmata est[10]. Ad cuius observantiam fratres ferventer inducens dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic fratribus fecisse, sicut sibi fuerant[11] divinitus revelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, nondum totius anni diebus evolutis, impressa sunt ei stigmata domini Iesu digito Dei vivi tamquam Bulla Summi Pontificis Chri-

---

1 Edit. 1 perperam *domini.*

2 Cfr. S. Bonav. Leg. maior. c. IV.

3 Ita recte, cod. et ed. 1 *Bonisio,* chron. Gen. *Boniso.*

4 Sive Fontis Columbae, prope urbem Reatinam (Rieti).

5 Ita etiam S. Bonav., Leg. maior c. IV. et chron. XXIV Gen. Quod sequitur invenitur quidem in chron. Gen., Speculo vitae S. Francisci etc. (ed. Metensis 1509), apud Barthol. Pis. (l. Conf. I. fruct. 9. p. 77a), Wadding. ad an. 1223, n. X. et alios, sed caret probabilitate historica et depromptum est ex libro fanatici Ubertini de Casale « Arbor vitae » intitulato, ubi sine ulla fontis indicatione primus hoc et nonnulla alia nova de Helia narrat, quae fidem minime merentur.

6 Edit. 1 perperam *cum.*

7 Ita cod., ed. 1 male *facerent.*

8 Ita cod.; subaudi *se,* ut legunt chron. Gen. Ed. 1 econtra falso *volo.*

9 Id est 29 Novembris.

10 In cod. exciderunt haec verba *confirmata est,* quae certe supplenda sunt, ut etiam ed. 1 recte fecit. — Cfr. S. Bonav., Leg. maior c. IV. et chron. XXIV Gen., f. 7. v. c. II.

11 Ita cod. et etiam S. Bonav., l. c., ed. 1 vero *fuerunt.*

sti ad confirmationem omnimodam regulae et commendationem auctoris, sicut infra dicetur.

Anno Domini 1224, facto provinciali capitulo per fratrem Albertum de Pisis in festo Assumptionis beatae Virginis in Herbipoli, Custodibus, Guardianis et praedicatoribus convocatis, fratrem Iohannem de Plano Carpinis, Custodem Saxoniae, absolutum in Coloniam transmiserunt, et fratrem Iacobum de Tarvisio, tunc Custodem Alsatiae, virum gratiosum, mansuetum, modestum et pium, Custodem *secundum* Saxoniae ordinaverunt, mittendo cum eodem de senioribus fratribus Ordinis tam clericis quam laicis, qui sua humilitate et exemplo vitae brevi in gratia apud clerum et populum profecerunt [1].

DE STIGMATIBUS SACRIS.

Eodem anno 1224, a regulae et plenariae indulgentiae confirmatione [2] nondum anno elapso, circa festum Exaltationis sanctae Crucis, ut in quadam divina revelatione [3] continetur, in eodem festo oranti sancto Francisco in latere montis Alvernae Iesus Christus in specie Seraph apparens, suae sanctissimae passionis stigmata ei corporaliter impressit, quibus quasi Bulla Regis altissimi exstitit insignitus biennio, antequam spiritum redderet coelo [4].

Eodem anno frater Albertus, Minister Theutoniae, videns incrementum Saxoniae, et quia de Saxonia per Thuringiam erat transiturus ad Rhenum, misit fratrem Iordanum, Guardianum de Moguntia, cum septem fratribus, ut in Thuringia domos reciperet et fratres in locis competentibus collocaret. Frater vero Iordanus cum fratribus suis iter de Moguntia in Thuringiam VI. kalendas Novembris [5] arripuit et in die sancti Martini Erfordiam [6] pervenit. Et quia imminebat hiems, et tempus aedificandi non erat, de consilio burgensium et aliquorum clericorum fuerunt fratres in curiam sacerdotis leprosorum extra muros collocati, donec burgenses de statu fratrum melius ordinarent [7].

Fratres autem missi cum fratre Iordano hi fuerunt: frater Hermannus de Witense [8] sacerdos et praedicator, novitius, frater Henricus de Herbipoli subdiaconus,

---

1 Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 37; chron. anon. l. c. p. 284, cum quibus convenit Wadding., l. c. ad an. 1224, n. XLV.

2 De confirmatione indulgentiae cfr. supra pag. 28, nota 1.

3 De qua cfr. Barthol. Pis., Libr. Conf. l. III. c. 31, p. 207a et chron. Gen., ubi f. 110. r. c. II. narratur, quod an. 1282 in capitulo generali in Argentina celebrato, Generalis Bonagratia Ministro Tusciae, Philippo, praeceperit, ut diligenter inquireret, si posset invenire, qua die et hora fuerint impressa in corpore beati Francisci stigmata Iesu Christi, et invenerit fratrem laicum sanctum, qui de hac re habuerat talem visionem.

4 Cfr. Thom. a Cel., Vita I. p. II. c. 3; Leg. Trium Soc., c. XIV; S. Bonav., Leg. maior c. XIII; Wadding., l. c. ad an. 1224, n. XV. seq.

5 Id est 26 Octobris.

6 Theutonice Erfurt, oppidum Borussiae. — Festum S. Martini est 11 Novembris.

7 Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 38. 39; chron. anon. l. c. pag. 284, cum quibus Wadding., l. c. ad an. 1224, n. XXV. convenit.

8 Auctoritate chron. Iordani posuimus *Witense* i. e. Weissensee in Thuringia, pro quo cod. *Wicense*.

novitius, frater Arnoldus clericus, novitius; laici vero: frater Henricus de Colonia, frater Gernotus de Wormatia, frater Conradus Suevus. Et istos subsecuti sunt frater Iohannes de Coridua (?) et frater Henricus de Hildesia[1].

QUOMODO SANCTUS FRANCISCUS OFFICIUM GENERALATUS RESIGNAVIT.

Cum vero idem Generalis, beatus Franciscus, infirmitatibus et doloribus quasi continuis gravaretur, pro teneritate complexionis in quodam capitulo, quantum potuit, generalatus officio cessit et loco sui instituit fratrem Petrum Cathani ad Ordinem gubernandum, cui statim promisit firmiter obedire. Cum autem fratres multum lacrymarentur videntes, se quodammodo orphanos fieri tanto patre orbatos, beatus Franciscus, elevatis oculis in coelum iunctisque devotissime manibus, dixit: « Domine, recommendo tibi familiam tuam, quam hactenus mihi commendasti. Et nunc propter infirmitates meas, quas nosti, dulcissime Iesu, curam ipsius non valens habere, eam recommendo Ministris, qui in die iudicii coram te, si quis propter eorum negligentiam, vel malum exemplum seu asperam correctionem perierit, rationem reddere teneantur[2] ». Ex tunc mansit subditus, usque ad mortem humilius[3] se gerens in omnibus quam aliquis fratrum, quamquam Generalis Minister nullus usque post eius obitum est electus.

At vero, cum frater Petrus Cathani aliquo tempore Ordinem rexisset ut vicarius, ante sanctum Franciscum ex hac luce migravit[4]. Qui cum, sancto Francisco absente, in ecclesia sanctae Mariae de Portiuncula tumulatus, crebris miraculis coruscaret, et illorum occasione frequentia populi cum muneribus ad sepulcrum eius conflueret, reversus ad locum Sanctus et videns, se et fratres illarum oblationum et visitantium multitudine in sancti studio propositi multimode inquietari, ad eius sepulcrum accedens dixit: « Frater Petre, tu mihi semper, dum viveres, obediens fuisti; et quia propter tua miracula nimis ab istis saecularibus infestamur, debes mihi etiam mortuus obedire. Quare tibi praecipio per obedientiam, quod cesses ab miraculis, quorum causa a saecularibus perturbamur ». Ex tunc nullum miraculum fecit. Nescio, quid potius in hac re mirandum, Francisci meritum, an obedientiae virtus, cuius vi se subiectos Sancti ostendunt in coelo[5].

Post mortem fratris Petri praedicti beatus Franciscus fratri Heliae de Assisio Ordinem regendum commisit, viro utique famoso et saeculari prudentia illustri. Qui Helias, quamvis a Sancto et multis aliis vocaretur Minister, non tamen fuit ipse vel quicumque alius, vivente sancto Francisco, electus vel ab Ordine receptus tamquam Minister Generalis[6].

---

[1] Cod. *Hyldessheym*. Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 40, ubi septimus fratrum, quorum modo mentio facta est, *Conradus de Herbipoli subdiaconus, novitius,* et *Iohannes de Coridua* vocatur *Io... de Colonia.*

[2] Cfr. Thom. a Cel., Vit. II. pag. 93; S. Bonav., Leg. maior c. VI; chron. XXIV Gen., f. 8. r. c. II.

[3] Edit. 1 falso *humillimum.*

[4] Id est 10 Martii 1221, uti ex monumentis historicis nunc certum est.

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 8. r. c. II. et Wadding., l. c. ad an. 1220, n. XXIII, ubi tamen erronee dicit, Franciscum fr. Heliam a vicariatu generali absolvisse; et ad an. 1221, n. III.

[6] Ita etiam chron. XXIV Gen., l. c.

Circa idem tempus frater Helias statuit, ut de cetero nullus frater carnes manducaret, non obstante quod sanctus Franciscus supradictos[1] duos suos vicarios, eadem statuentes, reprehendisset ut novitatum praesumptores, ipso Helia sciente. Ideo die quadam cum frater Helias Angelo ad portam fratrum in specie pulcherrimi iuvenis pulsanti et ab ipso fratre Helia quaerenti, utrum observatoribus sancti Evangelii liceat de omnibus, quae eis apponuntur, manducare, quemadmodum tradidit Christus, et[2] utrum liceat alicui observatoribus sancti Evangelii contraria imponere evangelicae libertati[3], superbe et dure respondisset, sanctus Franciscus, tunc orans in silvis et revelatione divina haec omnia cognoscens, ipsum Heliam ut Angeli repulsorem severiter redarguit et de voluntate Domini dictum eius statutum cassavit.

Eodem tempore erant simul in Thuringia in castro Nuwenburck[4] dominus Ludovicus lantgravius et coniux eius, sancta Elisabetha, filia regis Hungariae, nec non domina Sophia nata de Bavaria, dicti principis mater. Et cum Elisabetha, amatrix humilitatis et misericordiae cultrix, leprosum quendam balneo lotum in lecto principis reclinasset, socrus eius, illo comperto, apprehensa manu filii, duxit ipsum ad lectum dicens: « Recognosce modo, quod his Elisabetha solet inficere stratum tuum ». Tunc aperuit[5] Deus devoti principis interiores oculos, viditque in toro positum Crucifixum. Qua contemplatione elevatus, pius princeps rogavit sacram coniugem, ut tales in stratu[6] suo frequentius collocaret. Intellexit enim, quod in membris suis infirmis fovetur et suscipitur Christus. Qua in re accidit, ut vir sacer et devotus princeps, quo delectaretur, aspiceret, et immitis femina, principis mater, videret quod horreret. Hanc sanctam et devotam matronam idcirco his interserere placuit, quia meruit sancti Patris nostri Francisci litteris ante mortem consolari, et quia fuit mater omnium pauperum, praesertim Fratrum Minorum.

Illo etiam tempore beatus Antonius de beneplacito beati Francisci fuit primus studens in theologia, et cum eo frater Adamus de Marisco[7], Anglicus, in Ordine per generale capitulum ordinatus. Qui accesserunt pro studio theologiae Abbatem sancti Andreae de Vercellis, qui tunc inter omnes theologos habebatur excellentior, et libros beati Dionysii noviter de graeco in latinum transtulerat et pulcherrimo com-

---

[1] Supra pag. 16. Sed est error, quod fr. Helias aut ante aut post mortem S. Francisci huiusmodi statutum fecerit. — Quod sequitur et invenitur in chron. XXIV Gen., Speculo vitae S. Francisci et eius sociorum, apud Bartholomaeum Pis., (l. I. fruct. 9. f. 92 a) et Wadding., l. c. ad an. 1221, n. I, probabilitate historicae veritatis caret.

[2] In ed. 1 desideratur haec vocula *et*.

[3] Ita cod., ed. 1 vero *libertatis*.

[4] Id est theutonice *Neuenburg*.

[5] Edit. 1 male *apparuit*.

[6] Ita cod., ed. 1 *strato*.

[7] Ita recte; sed cod. et ed. 1 *Marsico*. — Sed Antonius erat iam sacerdos ante ingressum Ordinis S. Francisci, quod est certum; quoad eius studium cfr. pag. seq., nota 1. Iam vero teste Eccleston, l. c. collat. III, fr. Adamus de Marisco post an. 1226 in Anglia Ordinem ingressus est, postquam in saeculo iam fuit magister celebris: ergo impossibile est, quod insimul cum Antonio missus fuerit ad studium theologiae. Ipse quoque Waddingus, l. c. ad an. 1221, n. XXXI, ubi etiam invenitur haec narratio, iam de narrato quoad Adamum dubitavit, et quoad S. Antonium errat dicens, eum non fuisse sacerdotem ante Ordinis ingressum.

mento exposuerat. Tunc enim de Mediolano Vercellas translatum fuerat studium generale. Ab dicto igitur Abbate benigniter recepti, in illis quinque[1] annis — intellige, postquam sanctus Antonius in notitiam fratrum venit — quibus cum domino Abbate in libris beati Dionysii studuerunt, ad tantam mentis elevationem ac serenitatem et lumen sapientiae pervenerunt, ut ipsas Hierarchias non didicisse, sed percurrisse viderentur, ut Abbas ipse, tantam in eis mentis elevationem conspiciens diceret se, doctum ab indoctis, et textum Hierarchiae in eorum animabus realiter depinxisse. Unde idem venerabilis Abbas in dicto commento, capitulo 3.° particula[2] *Sublimiter enim*, de beato Antonio sic loquitur: « Frequenter amor penetrat, ubi cognitio physica foris stat. Legimus enim, quosdam sanctorum Episcoporum minus imbutos physicis, qui et mysticam theologiam captu mentis haurientes coelos penetrabant, omnem physicam subtilissime transcendentes usque ad sanctissimam Trinitatem. Quod et ego in sancto fratre Antonio de Ordine Fratrum Minorum peculiari familiaritate expertus sum. Qui cum esset minus imbutus litteris saecularibus, animi puritate et mentis ardore succensus, mysticam theologiam captu mentis et ferventer desideravit et abundanter hausit, ut possim de eo dicere quod scribitur de Iohanne Baptista[3]: *Ipse erat lucerna ardens et lucens*. Quo enim ardore et amore ardebat interius, etiam lucebat exterius ». Quaere in praedicto commento[4].

Et licet sanctus Antonius tantam sufficientiam a Deo haberet, legere tamen non praesumpsit, quantumcumque a fratribus rogatus, nisi[5] praehabita licentia sancti Francisci, qui ei tale in scriptis fertur responsum dedisse: « Carissimo meo fratri Antonio frater Franciscus salutem in Christo. Placet mihi, quod sacram theologiam

---

[1] Id est ab an. 1221-1225. Sed hoc est gravissimus error. Nam certissimum est, S. Antonium an. 1221 venisse in notitiam fratrum; item constat, eum esse institutum an. 1222 praedicatorem et an. 1223 ab ipso Francisco primum lectorem theologiae, ad quod munus subeundum an. 1224 Montempessulanum missus est. — Wadding., l. c. ad an. 1222, n. XXXI, alludit quidem ad hanc narrationem, sed dicit: « Unum aut alterum annum sub Abbate Antonium studuisse puto, et aliquando in Galliam euntem, aut in Italiam redeuntem Lombardiamque vicinam lustrantem ad eum aliquoties deflexisse »; quae opinio tamen sola hypothesis est, sine vero fundamento, sicut etiam illud quod rev. P. Dominicus Grammer O. M. Conventualium (cfr. Wetzer und Walter, Kirchenlexicon, 2. Auflage, Herder), nescio qua auctoritate nisus, proponit, scilicet « Antonium in fine anni 1222 a S. Francisco Vercellas ad studium theologiae mysticae sub celebri Abbate Thoma missum esse ». Doctissimus P. Magister Ant. Azzoguidi O. M. Conv., econtra in nota 34. ad commentarium Sicconis Polentonii de vita et miraculis S. Antonii clare demonstrat, S. Antonium an. 1224 Vercellis solum praedicasse et hac occasione familiaritatem Abbatis adeptum esse.

[2] Ita cod., ed. 1 perperam *periculum (?)*, pro quo Wadding., l. c. ad an. 1224, n. XXXII. legit *cap.* 3.° *eiusdem operis sub littera V* (chron. Gen. solum *cap.* 3.° *sub littera u)*, ubi etiam citat verba sequentia ex S Antonini chron. t. 24. c. 4. § 3. et Mariani chron. l. 1. c. 19.

[3] Ioan. 5, 35, in quo textu ed. 1 perperam *Semper* pro *Ipse* exhibet.

[4] Sed inveniri minime potest; qua de re optime iure iam cl. P. Henricus Denifle Ord. Praed., nunc Subarchivarius bibliothecae Vaticanae (cfr. Gersenisten und Thomisten, Innsbrucker theologische Quartalschrift, 1882) dixit, « se gratias maximas acturum esse ei qui sibi illum locum demonstraret ». — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 40. v. c. 1, ubi tota haec narratio habetur in vita S. Antonii, quae eadem est ac illa quae apud Bollandistas « legenda alia dicta » citatur, et in qua (p. 729) locus dictus reperitur.

[5] Edit. 1 contra cod. *non*.

legas fratribus, dummodo propter huiusmodi studium sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant, sicut in regula continetur [1] ».

Et ferunt aliqui, ipsum beatum Antonium socium sancti Dominici fuisse, dum essent adhuc Canonici regulares.

Cum autem apud Paduam sanctus Antonius Abbatem quendam nigrorum [2] monachorum praedicantem et verba Apostoli ad Dionysium commemorantem audiret, totus alteratus ex dulcedine verbi Dei, per magnum spatium temporis fuit raptus.

Idem Sanctus cum apud Montempessulanum fratribus theologiam legeret, accidit, quendam novitium ab Ordine recessisse nocte et secum Psalterium glossatum magni valoris, cum quo famulus Domini docebat, furtive nihilominus detulisse. Hoc autem audiens vir Dei, nimis doluit et ad orationis suffragium conversus meruit, ut eidem novitio in ponte quodam daemon cum securi terribiliter occurreret dicens: « Revertere ad servum Dei Antonium et ad Ordinem tuum cum Psalterio, alioquin de mandato Dei te mox interfectum in flumen praecipitabo ». Territo autem et stupefacto novitio et redire nolente, in tantum mox magnitudine crevit et deformitate daemon, ut novitius timore correptus reverteretur ad virum Dei, culpam suam agnoscens [3] et Psalterium cum lacrymis offerens, Ordinem devote repetendo, in quo post multa tempora in pace postea quievit [4].

Tempore etiam illo [5], quo coeperunt fratres in Alamannia et Theutonia multiplicari, fratrum quidam venerunt de Tridento versus Lindaviam [6], ibidemque recepti, iverunt duo ex ipsis ad castrum Michelsteyn [7], quos dominus castri, quamquam bello cum hostibus esset in crastinum conflicturus, magna devotione susceptos humane tractavit. Post coenam peractam affectuose eos rogavit domina castri, ut Deum pro salute viri sui intente deprecarentur, ut ipsum Dominus ab instantis belli periculis misericorditer praeservaret. Cui frater senior, divino oraculo edoctus, respondit: « Non paveas, domina, confide in Domino et in meritis beati Patris nostri Francisci, quibus scito, indictum bellum minime futurum, sed partes mirabiliter concordatas et pacatas cum salute redituras. In crastino vero, aciebus ferventibus animis hinc inde ordinatis ad pugnam, fratribus cum domina castri sollicite incumbentibus orationi, spiritus pacis unum comitem ex adversariis dicti domini de Michelsteyn induit, qui cum paucis ad loquendum ei veniens dixit: « Domine, nonne satis est fatuitatis nostrae tamdiu [8] perdurantis? Terras nostras iamdudum vastavimus, multis ex

---

1 Ita chron. XXIV Gen., f. 40. v. c. II, ubi etiam sequentia de Antonio habentur. Wadding. autem, l. c. ad an. 1222, n. XXXIII. legit: Placet mihi, quod sanctae theologiae litteras fratribus interpreteris, ita tamen, ut neque in te, neque in ceteris (quod vehementer cupio) exstinguatur sanctae orationis spiritus iuxta regulam, quam profitemur. Vale.

2 Edit. 1 iterum perperam contra cod. *magistrorum* et paulo inferius *verbum* pro *verba*. — Verba Apostoli sunt Act. 17, 22-34.

3 Edit. 1 contra cod. non bene *cognoscens*.

4 Cfr. chron. XXIV Gen., f. 40. v. c. II. et Wadding., l. c. ad an. 1231, n. XIV.

5 Id est an. 1224.

6 Theutonice Lindau, oppidum Bavariae. Immediate post ed. 1 *ibidem* pro *ibidemque*, contradicente cod.

7 Cod. hic *Michalesteyn*.

8 Ita cod., ed. 1 perperam *iamdiu*.

nostratibus hinc inde interemptis, et iam[1] nunc alterutrum mutua caede interficere congredimur! Numquid melius foret, pacem inter nos ipsos componeremus, quam litem cum tantis damnis et dispendiis tanto tempore continuamus »? Mox dominus de Michelsteyn, divino impulsu dictis assentiens, respondit: « Utique veritatem loquimini, quod melius est postulantes; idcirco paratus sum vestram facere voluntatem ». Sicque pace inter eos firmata sine quocumque mediatore alio quam Deo, qui XX[2] duobus annis turbulentissime dissederant, in momento cum magna omnium laetitia concordati, ad propria redierunt. Quo cognito miraculo, dominus Bartholomaeus tam affectuali devotione fratres tractavit, quod in patria illa bene quadraginta annis fratres dominorum de Michelsteyn fratres Ordinis communiter vocarentur[3].

Post aliquot autem annos, sancto Francisco iam in coelis glorificato, filia eiusdem domini, cuidam militi nupta, beato Francisco et Ordini multum devota, in confessorem habuit fratrem Fredebaldum Ordinis Minorum, virum devotissimum et perfectum. Post cuius decessum accidit, unum de filiis dictae dominae squinantia adeo graviter pati, ut loqui non valens morti proximus crederetur. Mater igitur de salute filii, cuius vita desperata erat, sollicita, unum capillum cum almutio dicti fratris Fredebaldi supra guttur, locum passionis filii, ex devotione alligavit et[4] in galli cantu noctis Nativitatis Domini divina in ecclesia audire perrexit, filium desperatum cum ancillis vigilantibus derelinquens. Et cum ibi tristis et anxia pro salute filii Deum deprecaretur, unus servitorum eius laeta facie accedens dixit: « Domina, Dei gratia filius vester totaliter est sanatus ». Quo audito, quasi gravi somno excitata, surrexit et domum reversa, invenit filium loquentem perfecte sanatum[5]. Cumque quas gutturi superalligaverat reliquias removere vellet, ille manum eius tenens dixit, se hoc nullatenus concessurum, donec sibi diceret, quale foret emplastrum tam salubre, quod superposuisset. Cui illa respondit: « Vere nihil posui nisi capillum unum et almutium patris nostri fratris Fredebaldi ». At ille: « Pro certo noveritis[6], domina, quod vobis ad ecclesiam eunte (sic!), venit ad me frater Fredebaldus cum alio fratre parvo, me consolabiliter visitans; et dixit ei ille frater pusillus: « Frater Fredebalde, ubinam patitur filius tuus »? Cui cum ille locum passionis designasset, manu sua tumorem gutturis mei tetigit, et mox videbatur mihi massa rotunda ab intra descendere. Vidi autem in manu dicti parvi fratris clavum nigrum, volam eius penetrantem; qua plagata manu gutturi meo superducta, perfecte, ut cernitis, sum sanatus ». Idem itaque filius praedictae dominae, bellicosus et audax, saeculo derelicto, Ordinem Iohanni-

---

1 Edit. 1 falso *etiam* pro *et iam*.

2 Cod. legit incongrue *XXII duobus* et ed. 1 *XXI duobus* (chron. anon. recte *XXII,* chron. Gen. male *XXXII* annis) pro *XX duobus*.

3 Cfr. de hoc et sequente chron. XXIV Gen. f. 73. r. c. I, chron. anon. l. c. p. 285, unde haec transcripsit Wadding., l. c. ad an. 1224, n. XLV.

4 Cod., qui nunc exhibet correctionem a manu posteriore male factam, legit probabilius, ut ed. 1, *alligatis* pro *alligavit et,* sed valde incongrue. Quocirca auctoritate chron. Gen. et etiam contextu exigente correximus. Chron. anon. et Wadding. legunt *circumligat et* et deinde *convolat* pro *perrexit*.

5 Chron. XXIV Gen. legit correctius: loquentem et ab infirmitate perfecte liberatum.

6 Edit. 1 contra cod. falso *novitatis*.

tarum intravit, prope Spiram, Wormatiam et Argentinam conversatus. Haec anticipando dicta sint post obitum sancti Francisci celebrata.

Anno Domini 1225 Conradus Cardinalis, Portuensis Episcopus, Apostolicae Sedis legatus, per se et plures cooperatores verbum crucis praedicavit per totam Alamanniam, et quamplures cruce signati sunt.

Illis etiam diebus dominus Gulielmus [1], Episcopus Parisiensis postea, natione Alvernus, doctor profundus, multos libros scripsit et verbi divini praedicatione [2] abunde fructificans, plures communes et publicas peccatrices feminas a peccatis retraxit, quibus Parisius novam domum filiarum Dei inchoavit hoc anno Domini 1225, et ipsas in congregatione vivere fecit secundum instituta regulae sancti Augustini. Ex quibus Ordo incepit, qui dicebatur: Poenitentium sanctae Mariae Magdalenae, habentium famulos, qui ipsis eleemosynam [3] colligebant.

Ex hoc loco frater Carthusiensis in suo fasciculo, errore ductus putans, eundem Gulielmum instituisse Ordinem Augustinensem, sic dicit: « Gulielmus Parisiensis incepit Ordinem Augustinensem, quae [4] etiam dicuntur mendicantes » — haec ille — cum tamen Gulielmus ipse non instituit Ordinem Augustinensem, sed praedictum Ordinem mulierculárum, quae dicebantur de Ordine sanctae Mariae Magdalenae, et duravit usque ad concilium Lugdunense secundum [5], ubi fuerunt cassati omnes Ordines mendicantes praeter Ordines Minorum et Praedicatorum [6].

Quod autem fuerit dictus Ordo institutus de mulieribus communibus conversis, patet manifeste per litteras sequentes pro ipsis editas [7]:

W. decanus et N. cantor sancti Petri Moguntinensis, conservatores et iudices Ordinis sanctae Mariae Magdalenae in Alamannia a Sede Apostolica instituti, omnibus Ecclesiarum rectoribus ceterisque Christi fidelibus praesens scriptum visuris, salutem et misericordiae visceribus abundare. Ad notitiam Christi fidelium credimus pervenisse, qualiter dominus Papa gavisus de conversione illarum mulierum, quae iamdudum in limo profundi infixae, videlicet in sordibus peccatorum, ad semitam veritatis reductae, poenitentiam iam suorum facinorum facere Deo student, ipsis ad sustentationem vitae multa privilegia et indulgentias contulit speciales, ut tam pietatis intuitu quam tantarum inductu indulgentiarum populus fidelium excitatus, praedi-

---

1 Cod. scribit modo *Gwilhelmus* modo *Wilhelmus*.

2 Edit. 1 male *praedicationem* et paulo posterius incongrue *peccatores* pro *peccatrices*, refragante cod. — Tota haec relatio confirmatur per d. M. Louis Moreri, qui in suo libro: Le grand Dictionaire historique, Paris 1745, chez François Pitteri, vol. IV. p. 670, ita scribit: « Guillaume de Paris, Evêque de cette ville, et l' un des plus célèbres Prélats de son temps, avoit été médecin du roi Philippe II. et était né a Aurillac en Auvergne d' une famille nommée Bauffeti. Il enseigna la theologie, fonda un monastère de filles et convertit per ses sermons un grand nombre de femmes de mauvais vie... Nicolas de Braye, qui a écrit la vie de Louis VIII, en vers, fait eloge de Guillaume de Paris, qu' il nomme *gemma sacerdotum, cleri decus* etc... Il fut mis en 1228 sur le siége episcopale de l' eglise de Paris... et mourut le mardi de la semaine sainte de l' an 1248.

3 Edit. 1 falso *eleemosyna*.

4 Ita clare cod., ed. 1 vero *qui*.

5 Id est 1274.

6 De quo cfr. Salimbene, chron. pag. 119 et 262, seq.

7 Cod. et ed. 1 incongrue *editis*.

ctis quasi ad rudimenta fidei conversis maiori affectu impendant caritatis, praesertim cum ipsis ad se sustentandum propriae non [1] suppetant facultates. Proinde, cum dominus Papa tam novae plantationis teneritatem ad fructum maturitatis in Christo vice Christi per fluenta misericordiae perducere paterne intendens, nos vice sua dicti Ordinis conservatores et iudices constituerit, ipsius mandatum, ut decet, exsequi cupientes, universitatem vestram rogamus » etc. Ex quo dictae mulieres sub regula sancti Augustini mendicantes vivunt, posset dici pro concordia, quod fasciculus Carthusiensis eas intendit, dicendo Ordinem sancti Augustini [2] etc., ut supra. Item, post biennium idem Ordo fuit confirmatus sub Gregorio IX [3].

Sanctus igitur Franciscus post sacrorum stigmatum impressionem, licet thesaurum inventum in agro multa diligentia studeret abscondere, latere tamen non potuit, quin aliqui stigmata manuum viderent ac pedum, quamquam manus quasi semper portaret contectas et pedibus ex tunc incederet calceatis. Viderunt enim, dum viveret, fratres plurimi, qui, licet essent propter sanctitatem praecipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum sic esse ac se vidisse, tactis sacrosanctis, iuramento firmaverunt. Viderunt etiam alii, et ex familiaritate, quam cum Viro sancto habebant, aliqui Cardinales. Cum autem idem Sanctus esset Christo iam cruci confixus tam carne quam spiritu, non solum seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castella circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam ceteros animaret. Fratribus quoque dicebat: « Incipiamus, fratres, servire Domino [4], Deo nostro, quia huc usque parum profecimus ».

Eodem anno 1225 Engelbertus, Coloniensis Archiepicopus [5], occisus est a Friderico, comite de Isenburg. Et cum Henricus, Friderici imperatoris secundi filius, hoc anno rex Alamanniae est [6] declaratus et duxisset filiam Leopoldi, ducis Austriae, nomine Margaritam, et cum ea, praesentibus principibus regni, nuptias apud Norimbergam solemniter celebraret; et eodem etiam tempore et loco filius ducis Austriae sororem Ludovici lantgravii duxisset in uxorem et nuptias celebraret, Fratres Minores intraverunt in maiori numero in Norimbergam. Nam ante [7] pauci numero illuc venerant, et sic semper ibidem manserunt usque in hodiernum diem [8] et continue.

---

[1] In ed. I desideratur haec vocula *non*, et deinde legit *perfluenter* pro *per fluenta*.

[2] Ita clare cod., ed. I vero *S. Antonii*, de quo supra minime erat sermo.

[3] Edit. I omittit perperam numerum *IX*. — Institutio huius Ordinis, qui plurimum gaudebat favoribus Gregorii IX. (1227-1241) et Innocentii IV. (1243-1254) et iam in principio saeculi XIII. in Germania sub nomine: *Orden der Magdalenerinnen*, vel *von der Busse der heiligen Magdalena*, vel *Orden der Reuerinnen* erat valde divulgatus, usque nunc non erat satis nota. Cfr. Helyot, l' histoire des Ordres ecclesiastiques, vol. III. p. 401 seq. et Cardinalis Hergenröther, Kirchengeschichte, 2. Auflage, Bd. I. p. 852, Herder.

[4] In ed. I desideratur hoc verbum *Domino*. — Cfr. Thom. a Cel., Vit. I. p. II. c. III, Tres Soc., c. XVII, S. Bonav., Leg. maior c. XIII. Vide etiam Analecta Franciscana, Observationes praeviae, praesertim pag. XII. seq.

[5] 1215-1235, natus erat an. 1185. — Deinde cod. et ed. I legunt non bene *Ysenberg* pro *Isenburg*.

[6] Ita cod., sed congruentius *esset*, ut ed. I posuit. — Pro *Margarita* cod. semper *Margaretha*.

[7] Scilicet an. 1224; vide supra pag. 29.

[8] Id est an. 1508, quo scripsit auctor.

Eodem anno 1225 dedit dominus Papa Honorius Ordini privilegium, quod apostatae Ordinis a Prioribus seu Custodibus excommunicari debeant et possint, mandans universis Praelatis Ecclesiarum, quod tales ut excommunicatos devitent. Item, quod fratres tempore generalis interdicti possint officium dicere et celebrare divina in oratoriis suis, clausis ianuis et interdictis et excommunicatis exclusis. Item, quod possint in suis oratoriis cum altari portatili celebrare divina. Ex quo patet, quod non fuerint de mente beati Francisci, non obtinere fratres debere privilegia ab Ecclesia Ordini necessaria [1], ut quidam volunt, sed tantum ad superbiam et laxationem regulae ducentia, ut ex concessis, ipso adhuc vivente, privilegiis intelligi datur [2].

Eodem quoque anno 1225 misit frater Iordanus fratres laicos ad explorandum civitates Thuringiae, quae essent aptae ad conventuum constructionem. Quos subsequebatur et nonnunquam praecedebat frater Hermannus novitius, sacerdos et praedicator. Cui venienti Isenacum [3], ubi olim cappellanus Dominorum domus Theutonicae existens, Ordini se tradiderat, cum pluries praedicantem populus omnis civitatis, quocumque stationem indiceret, sequeretur, praedicatione eius et conversionis eius exemplo, qua scilicet conversione de statu tanti lucri, quem in dicta domo habuerat, ad tam strictum, humilem et pauperem Ordinem sese humiliaverat, attractus, et hoc videntes duo ibidem plebani timerent, ne, si alteri ipsorum fratres adhaererent, alteri omnis populus detraheretur et per consequens [4] offertoria perderet, alterutrum praevenire cupientes, unus eorum duas ecclesias, alter unam offerrent, ut quam mallet ex his eligeret ad immorandum: ille sine consilio fratrum eligere non praesumens, demandavit fratri Iordano, ut, assumpto secum fratre discreto socio, veniret Isenacum et eligeret cum consilio quod placeret. Qui veniens elegit cum consilio locum, ubi fratres modo manent; quem locum beata Elisabetha, dum in vita fuit, saepe visitavit [5].

Eodem consimiliter anno receperunt fratres in carnisprivio [6] locum in Gotha, in quo manserunt fratres 25 annis, opera misericordiae et hospitalitatis tum nostris quam fratribus Praedicatoribus et omnibus Religiosis iuxta posse liberaliter exhibentes.

Eodem etiam anno de consilio domini Henrici, plebani sancti Bartholomaei, et domini Guntheri, vicedomini, et aliorum burgensium Erfordiae transtulerunt se fratres in ecclesiam sancti Spiritus tunc desertam, in qua olim feminae Religiosae Ordinis sancti Augustini [7] habitaverant, et ibidem sex annis ferme manserunt. Is vero qui fratribus a burgensibus procurator datus fuerat, cum interrogaret fratrem Iordanum, si in modum claustri pro fratribus aedificari vellet, quia ipse frater Iordanus claustrum in Ordine nondum viderat, ignorans, quid claustrum esset, respon-

---

[1] Edit. 1 perperam contra cod. *nactiva.*

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 8. r. c. II. Sed tam dicta chron. quam auctor noster errant quoad annum. Bulla enim prima data est die 28 Decembris 1223; secunda 3 Decembris 1224; tertia vero 29 Martii 1222, ut ex Bullario nostro liquido constat.

[3] Cod. semper *Ysennacum,* theutonice *Eisenach.*

[4] Ita clare cod., ed. 1 male *communes* et immediate post *alteri utrum* pro *alterutrum.*

[5] Cfr. Chron. Iordani, l. c. n. 41. et Wadding., l. c. ad an. 1225, n. XXI.

[6] Id est tempore Quadragesimae.

[7] De quibus cfr. supra pag. 37, nota. 2. et pag. 38, nota 3.

dit, se quidem ignorare claustrum, petere autem tantummodo aedificari pro eis domum secus aquas[1], in quam pro pedibus lavandis possent descendere; quod et factum est.

Eodem quoque anno circa festum Apostolorum Petri et Pauli[2] missi fuerunt fratres in Northusam[3], ibique bene a burgensibus recepti, in quodam horticello, de quo annuatim quatuor solidi pro censu solvebantur, et in quo domus erat competens, frequentantibus[4] ecclesiam accommoda, ad eorum consolationem sunt collocati. Verum quia fratres missi omnes laici erant, Custos attaediatus toties pro eorum confessionibus audiendis discurrere, quoties necesse erat, cum annis tribus ibidem mansissent, eos revocavit et in alias domos misit. Sed post lustrum unum, virgine quadam fratribus aream donante, illuc sunt reversi et usque hodie ibi manent.

Eodem anno Domini 1225 ad petitionem domini Ernesti comitis quatuor fratres laici missi sunt in Mulhusam[5]. Qui comes, domo quadam nova, sed nondum tecta, et adiacente illi horticello[6] eis condonatis, eos in cellario quodam castri sui, donec ipsam domum tegerent et horticellum sepirent, collocavit. In quo cellario fratres ipsi orantes, comedentes et hospites recipientes, eo contenti, domum dictam et dictum horticellum tegere et sepire infra annum neglexerunt. Quare ipse comes nullum profectum in eis cernens, manum ipsis subtraxit. Non habentes ergo fratres ipsi unde domum tegerent aut hortum[7] sepirent, necessitate compulsi inde recesserunt. Laici enim fratres sine assistentia fratrum clericorum fructum in populo minime facere possunt. Postea vero, anno domini 1231, fratres clerici et laici illuc reversi, domino Henrico, fratre domini Ludovici, mariti sanctae Elisabethae, contra Fridericum II. in Romanorum regem electo, concedente, in hospitali recepti sunt. Cumque magister hospitalis, sibi subtractum putans quidquid dabatur fratribus, ipsis gravis esset et captiosus circa eos existeret, fratres hoc non ferentes, data eis area a quodam milite, aedificaverunt locum, quem hodie fratres inhabitant.

Eodem anno fratres, qui extra muros Erfordiae[8] commorabantur, intra civitatem sunt translati.

Eodem etiam anno missus est a fratre Alberto de Pisis, Ministro Theutoniae, fratri Iordano, tunc Custodi Thuringiae, in subsidium et consolationem frater Nicolaus de Rheno, dictus *humilis*, quod ea virtus specialiter in eo emicuit, sacerdos et iurisperitus, qui postea Bononiae obiit, copiosum habens testimonium sanctitatis. Qui, ut refert frater Bartholomaeus de Pisis, libro Conformitatum, conformitate octava[9], mortuum dicitur adhuc vivens resuscitasse et caeco, erutis oculis, novos oculos dedisse. Huic fratri Nicolao cum frater Iordanus, Custos Thuringiae, inter Gotham et Isenacum occurreret, reverenter et fraterne se in osculo salutaverunt et sic con-

---

1 Edit. perperam *aquam*. — Cfr. chron. Iord., l. c. n. 42. 43.
2 Id est 29 Iunii.
3 Cod. *Northum*, theutonice Nordhausen.
4 Cod. legit mendose *frequentatibus*.
5 Cod. *Mulhusen*, theutonice Mühlhausen.
6 Contextu postulante ita legendum est, cod. vero et ed. 1 *adiacens illi horticellum*.
7 Edit. 1 contra cod. *horticellum*.
8 Ita cod. contra ed. 1. Cfr. chron. Iord., l. c. n. 45. 46.
9 Pag. 58a.

sederunt. Frater autem Nicolaus existens frater humilis et simplicitatis columbinae [1], cum sederet reverenter et in silentio coram fratre Iordano, frater Petrus de Isenaco, fratris Nicolai socius, homo hilaris et iucundus, sciens fratris Nicolai humilitatem dixit ei: « Frater Nicolae, non agnoscis regem et dominum nostrum »? Et ille, coniunctis manibus, humiliter respondit: « Libenter cognosco et servio domino meo ». Et frater Petrus adiecit: « Ipse est enim Custos noster ». Quo audito, surrexit et culpam suam dixit cum longa venia, quod tam irreverenter ipsum recepisset. Et surgens cum omni humilitate, flexis genibus, fratri [2] Iordano litteras suae obedientiae ostendit et praesentavit. Frater vero Iordanus misit (ipsum) in domum Erfordiensem, ut ibi mandatum suum exspectaret. Et post tres hebdomadas frater Iordanus misit ei litteras, ut ibidem esset Guardianus. Quas reverenter suscipiens ait: « Et quid est quod fecit mihi pater noster »? Frater vero Iordanus de humilitate fratris Nicolai ita confusus erat, ut ipsum vix cernere posset et infra sex hebdomadas venire Erfordiam non auderet. Frater vero Nicolaus sua patientia vel praesentia fratres melius in sua disciplina tenebat, quam aliquis alius invectionibus et praeceptis [3].

Fratres vero in Herbipoli ad sanctum Bartholomaeum primum consederunt, postea translati sunt ad locum, ubi habitant in praesentem usque diem.

Eodem etiam anno, videlicet 1225, frater Iacobus de Tarvisio, Custos Saxoniae, in nova civitate Magdeburgo [4] ecclesiam fundavit Fratrum Minorum, quam in festo Exaltationis sanctae Crucis [5] fecit per dominum Albertum, Archiepiscopum eiusdem loci, consecrari. Qua consecrata, dominus Episcopus omnem ornatum altaris fratribus liberaliter dereliquit. Frater vero Iacobus dictus, cum infra Octavam Dedicationis Missam in eadem ecclesia celebraret, illa finita, viribus coepit repente destitui, ut in hospitium fratrum, quod in civitate veteri iuxta ecclesiam beati Petri habebant, portaretur — nam praeter ecclesiam fratres in nova civitate aedificia adhuc non habebant — ubi XII. kalendas Octobris [6], quae est vigilia beati Matthaei, migravit ad Dominum. Fratres vero vix habentes locum sepulturae et usum sepeliendi non habentes, habita deliberatione, quid facerent, maxime propter synodum, quae instabat celebranda in festo sancti Mauritii, ad quam iam multi Episcopi convenerant [7], decreverunt, ut ad dominum Hildesiensem Episcopum, qui iam ad synodum venerat, accederent et eius super hoc consilium explorarent. Dominus autem Hildesiensis, quia fratrem Iacobum valde et sicut patrem diligebat et venerabatur, dederat familiae suae in mandatis, ut sive dormiret sive aliud quid [8] ageret, quando fratres ei loqui vellent, sibi dicerent. Episcopo autem iam dormiente excitato, dictum est ei, quod Iacobus iam obiisset. Super quo compunctus, flevit et ait: « Ecce hoc est somnium, quod vidi », et adiecit: « Ego veniam et sepeliam eum ». Viderat enim in somnis

---

1 Ita clare cod., ed. 1 vero falso *simplicitate columbina.*

2 In ed. 1 desideratur haec vocula *fratri.*

3 Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 47, chron. anon. l. c. pag. 286, de quibus sumpsit Wadding., l. c. ad an. 1225, n. XXI.

4 Theutonice Neustadt-Magdeburg in Borussia.

5 14 Septembris.

6 20 Septembris.

7 Ita recte cod., ed. 1 vero *venerant.* — Festum S. Mauritii est 22 Septembris.

8 In ed. 1 desideratur hoc verbum *quid.*

quendam mortuum albis indutum sive involutum, et dictum esse sibi: « Vade, solve ipsum ». Et corpore delato ad ecclesiam fratrum in nova civitate, quam ipsemet frater Iacobus fundaverat et dedicari fecerat, a domino Conrado, Hildesiensi Episcopo, in ipsa honorifice est sepultus. Sed postea, anno Domini 1238, ossa eius et fratris Simonis Anglici, primi lectoris in Magdeburgo et tertii Ministri, in antiquam civitatem, ubi nunc manent, translatis fratribus, sunt translata et ibidem sepulta [1].

Fratre autem Iacobo bonae memoriae defuncto, fratres Saxoniae non modicum turbati, fratri Alberto de Pisa, Ministro Theutoniae, supplicaverunt, ut ipsis de Custode dignaretur misericorditer providere. Minister autem, cum proponeret eis fratrem Nicolaum, Guardianum Erfordiensem, mittere in Custodem, sciens eius humilitatem, litteras ei mittere non praesumpsit, timens, quod officium ex humilitate non reciperet, sed potius ad ipsum recurreret. Et ideo decrevit ad ipsum personaliter accedere, si forte ex familiari allocutione ad recipiendum officium eius posset animum inclinare. Minister autem Erfordiam veniens, vocato ad hoc fratre Iordano, coepit loqui cum fratre Nicolao de officio custodiae Saxoniae recipiendo. Ipso vero se humiliter excusante et se modis omnibus insufficientem affirmante, utpote qui etiam nec numerare sciret nec dominus esse aut praelatus, coepit eum Minister in verbo et animo quasi indignanti dixit ei: « Nescis ergo esse dominus? numquid [2] ergo domini sumus, qui officia Ordinis tenemus? Dic ergo, frater, cito culpam tuam, quod officia Ordinis, quae magis servitutes et onera dici possunt, dominia et praelationes reputasti ». Cui humiliter culpam dicenti Minister custodiam Saxoniae in poenitentiam dedit, et ipse, sicut semper consuevit, flexis genibus, humiliter obedivit. Super illius obedientia [3] fratres admodum gavisi, in ecclesia sancti Spiritus, apud quam tunc manebant fratres, solemnizaverunt, fratre Nicolao Missam finaliter [4] et mente lugubri decantante. Factus ergo *tertius* Custos Saxoniae, humilitatem, quam tenere coepit, in officio constitutus non deseruit, sed ad scutellas et pedes fratrum lavandos humillimus semper et primus fuit. Et si fratri pro culpa sua super terram sedere aut disciplinam imponebat, eandem poenitentiam cum ipso humillimus exsolvebat. Et licet humilitatem et obedientiam ipsemet in omnibus servaverit, adeo tamen vindex et ultor pertinacis inobedientiae fuit, ut fratrem pertinaciter inobedientem etiam cum poenitentia difficulter ad gratiam reciperet, tantum malum reputans fratris inobedientiam et tantum bonum obedientiam, ut et facto et exemplo ostenderet, fratres debere in omnibus simpliciter obedire, et sine obedientia nihil valere [5].

DE FELICI TRANSITU BEATISSIMI PATRIS NOSTRI FRANCISCI.

Anno Domini 1226, in mense Aprili, beatus Franciscus Senis gravissimis infirmitatibus correptus, agnoscens vitae suae terminum appropinquare, fecit se Assisium

---

[1] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 48, chron. anon. l. c. pag. 286, de quibus hausit Wadding., l. c. ad an. 1225, n. XXII.

[2] Edit. I male *Num quod*, refragante cod.

[3] Ita cod., ed. I *obedientiam*.

[4] Chron. Iordani rectius *ferialiter*.

[5] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 49, chron. anon. l. c. pag. 287, quae secutus est Wadding., l. c. ad an. 1225, n. XXIII.

deferri, ubi, cum in palatio Episcopi aliquanto temporis spatio infirmus decubuisset et fini vitae proximus esset, ad sanctam Mariam de Portiuncula deportari[1] se fecit, ibique, cum vidisset, futuras Ordinis tribulationes propinquare, debitum universae carnis exsolvit, et anima eius sanctissima, carne soluta, transivit de hoc mundo ad Patrem, IV. nonas Octobris, anno pontificatus domini Papae Honorii tertii X. completo et XI. inchoante, aetatis suae anno XLV, a prima conversione sua ad Deum XX, ab institutione Ordinis sui, videlicet, ex quo fratres habere coepit, XVIII, Friderico II. imperante, anno eius imperii VII, Christi stigmatibus insignitus et miraculorum gloria clarus[2]. Qui in statu[3] perfectionis et institutae a se sanctae Religionis observantia decem annos sub domino Papa Innocentio tertio, et alios decem sub domino Papa Honorio etiam tertio, Dei clementia favente, laudabili fine consummavit.

Et post eius felicem transitum patenter visus est ferre in volis, plantis et latere effigiem plagarum Christi, multis utriusque sexus deosculantibus et palpantibus stigmata, carni eius impressa digito Dei vivi. Sane licet felix Pater beatus Franciscus desideraverit[4] in supradicta sanctae Mariae de Portiuncula ecclesia sepeliri, populus tamen terrae et cives Assisinates timentes, corpus eius propter signa, quae per ipsum in vita et in morte Deus dignatus est operari, a Perusinis, si illic reconderetur, violenter auferri, ipsum in ecclesia sancti Georgii[5] prope muros civitatis, in qua puer litteras didicit et postea primitus praedicavit, cum magnis solemnitatibus detulerunt et ibidem terrae condiderunt.

Defuncto autem beato Francisco, Ordinem rexit frater Helias, eius Vicarius, usque ad electionem alterius Generalis Ministri. Fratribus autem turbatis super obitu beati Francisci litteras consolatorias[6] per totum mundum destinavit, denuntians singulis et universis, quod ipsis omnibus — sic ei beatus Pater Franciscus praeceperat — ex[7] parte sancti Francisci benediceret et eos ab omnibus culpis absolveret, significans insuper de stigmatibus et aliis miraculis, quae post mortem beati Francisci per eum operari dignatus est Altissimus, mandando postremo Ministris Ordinis et Custodibus, ut convenirent ad eligendum Ministrum Generalem[8].

Anno Domini 1227, quarto nonas Februarii[9], post decessum beati Francisci frater Albertus de Pisa, Minister Theutoniae, profecturus ad capitulum generale pro futura Ministri Generalis electione, convocatis omnibus Theutoniae Custodibus, Guardianis et praedicatoribus, tenuit capitulum in Moguntia. In quo capitulo frater Nicolaus, a custodia Saxoniae absolutus, Vicarius est institutus, et ei frater Leonar-

---

1 Ita clare cod., ed. 1 incongrue *deportasse.*

2 Cfr. chron. XXIV Gen., f. 8. r. c. II, Thom. a Cel., Vit. I. p. II. c. VII, Tres Soc., c. XVII, S. Bonav., Leg. maior c. XIV.

3 Edit. 1 *statum,* contradicente cod.

4 Ita cod., ed. 1 *desideravit.*

5 Quae erat, ubi nunc exstat ecclesia S. Clarae.

6 Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1226, n. XLV.

7 Auctoritate Thom. a Cel., Vit. I. p. II. c. VIII. nec non chron. Iord., l. c. n. 50. posuimus *ex,* pro quo cod. et ed. 1 mendose exhibent *et.*

8 Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 50.

9 2 Februarii.

dus Lombardus successit. Sicque rebus ordinatis, frater Albertus cum fratribus, quos elegerat, ad generale capitulum profectus est [1].

Gregorius Papa IX, qui S. Franciscum, Antonium et Elisabetham et Dominicum canonizavit.

Eodem anno dominus Papa Honorius III. mense Martii moritur, et iuxta beati Francisci vaticinium [2] dominus Hugolinus, Episcopus Hostiensis, protector nostri Ordinis, assumitur ad papatum, et Gregorius nonus elegit nominari. Hic Pontifex fuit patria Anagninus e familia comitum [3], Innocentii tertii nepos, et fuit apud Septizonium [4] Pontifex creatus seditque annos quatuordecim, menses quinque, dies duos. Et dominus [5] Raynaldus, qui ei in episcopatu Hostiensi successit, fuit protector Ordinis Minorum.

Dominus Raynaldus Hostiensis Episcopus Cardinalis secundus protector.

Eodem anno concessit frater Helias, Vicarius Ordinis, fratri Danieli, Ministro olim Calabriae, fratri Angelo, fratri Samueli, fratri Donnulo [6], fratri Leoni, fratri Nicolao et fratri Hugolino, desiderio martyrii inspiratis, licentiam eundi ad Marochium, partes infidelium et ibi spargendi semen catholicae veritatis. Hi cum essent ex Tusciae partibus, per Hispaniam venerunt Septam, civitatem Marochiorum, ubi foris muros mercatoribus diebus aliquot praedicaverunt, quia intrare urbem nulli licitum erat Christiano. Deinde die quadam dominica a spiritu martyrii acti, praemunientes sese Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentorum [7] armis, clam civitatem intrant et publice Christum praedicant Saracenis. Illi vero furore succensi, verbis ignominiosis derisos capiunt et regi suo praesentant, de cuius mandato carceri mancipati, octo ferme diebus multis calamitatibus affliguntur. Die vero dominica sequenti, VI. idus Octobris [8], regi iterato praesentati, singillatim ad consilia Saracenorum tracti interrogantur, si quae contra legem Mahometi dixerant, revocare, et fide Christi abnegata, effici velint Saraceni, an capitali supplicio puniri, abnegantibus eis Christum praemiis et prosperis, non negantibus vero ultimo supplicio propositis. Ipsi vero mortem impiae vitae Saracenicae praeferentes, Christum Dei Filium et verum Deum esse, Mahometum vero seductorem iniquissimum, et legem eius damnabilem et exsecrandam ac a diabolo inventam constantissime profitebantur. Tunc spatarius quidam gladium vibrans, ut eos terreret, fratrem Danielem ense nuda in capite atrociter percussit. Illis vero Christum intrepide nihilominus confitentibus, lata contra eos sententia [9] mortis, manibus post tergum ligatis, nudi extra civitatem pertracti sunt, et capitibus truncatis, Deo immaculatas animas reddiderunt. Quorum venerabilia Sanctorum capita et corpora, a

---

[1] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 51, chron. anon. l. c. pag. 287, cum quibus convenit Wadding., l. c. ad an. 1227, n. IV.

[2] Vide Leg. Trium Soc., c. XVI. in fine.

[3] Scilicet Signiae, quae vocula in cod. excidisse videtur.

[4] Italice Settizonio; cod. mendose *Septizodum*, ed. 1 mendosius *Septimontium*. — Cfr. Ciaconius, Vitae et res gestae Pontificum Rom.

[5] In ed. 1 desideratur haec vocula *dominus*.

[6] Ita recte; cod. *Domulo*, ed. 1 *Domuto*.

[7] Ita clare et recte cod., ed. 1 vero vitiose *sacrorum*.

[8] 10 Octobris.

[9] Edit. 1 male *summa*, refragante cod.

Saracenis conquassata et dilacerata, a Christianis collecta sunt et in vico Ianuensium[1] mercatorum honorifice tumulata[2].

Post dormitionem sancti Francisci frater Helias basilicam mirae fortitudinis et magnitudinis coepit erigere extra muros Assisii in quadam voragine, quae ante *collis inferni* dicebatur; sed cum dominus Papa Gregorius IX. primum lapidem in fundamento ecclesiae posuisset[3], vocata est *collis paradisi.* Ex tunc pro illa fabrica idem frater Helias variis modis pecuniam extorsit et concham sive cippum marmoreum ante fabricam ipsam collocari praecepit, in quam sive in quem advenientes pecuniam pro fabrica dicta proiicerent. Super qua impuritate fratres olim socii sancti Francisci, praesertim frater Leo, non modicum dolentes, Perusium[4] ad fratrem Ægidium pro consilio habendo iverunt. Cui cum fabricae enormitatem retulissent, respondit dicens: « Si usque ad Assisium fuerit domus longa, mihi sufficit unus angulus ad morandum ». Cumque ab eo fratres quaererent, si frangerent illam concham; conversus ad fratrem Leonem: « Si mortuus es, inquit, vade, frange eam. Si autem vivis, dimitte eam, quia persecutionem Heliae gravissimam non poteris sustinere ». Quod intelligentes frater Leo et fratres[5] socii, concham ipsam penitus confregerunt. Pro qua re indignatus frater Helias, fecit eos per famulos suos duriter verberari et confusibiliter de Assisio expelli. Et ob hoc magna turbatio inter fratres orta est. Convenientibus ergo fratribus ad capitulum generale, tum propter excessum dictum, tum quia eius regimen regularis[6] vitae integritatem destruere videbatur, frater Helias ab officio regiminis fuit absolutus, et alius electus, ut mox dicetur[7].

Anno praedicto, videlicet 1227, apud sanctam Mariam de Portiuncula congregato capitulo generali, electus est in Ministrum Generalem frater Iohannes Parens, vir iustus et sanctus, spiritualis parentis officio fungens, tunc Minister Hispaniae, qui *primus* hoc officium post sanctum Franciscum per electionem capituli generalis gessit.

---

[1] Ubi homines ex Ianua (Genua) habitabant.

[2] Cfr. ch on. XXIV Gen. f. 8. v. c. I. — D. Evers (ed. 1) hic annotat: « Waddingus non leve nec contemnendum secutus testimonium Breviarii Minorum etc., illos fratres anno 1221 martyres obiisse refert; alii gravissimi testes martyrium illud an. 1227 assignant ». Sed Waddingus non attendit, errorem in hanc editionem irrepsisse. Nunc certissimum est, ut etiam ex Breviario noviter impresso patet, quod fratres illi an. 1227 martyrium passi sint.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1230, n. III, ubi habentur litterae Papae *Speravimus hactenus,* in quibus dicitur: « de manibus nostris lapide ibi primario posito ».

[4] Ita cod., ed. 1 *Perusiam.*

[5] Edit. 1 perperam *fratris.*

[6] Ita clare cod., ed. 1 *regularum.*

[7] Ita verbotenus chron. XXIV Gen., f. 21. r. c. I. et f. 8. v. c. II; Wadding., l. c. ad an. 1228, n. LXXIX. et 1229, n. II. — Sed tota narratio, quamvis generaliter considerata, sit vera, anachronismo laborat, et auctor anticipando aliqua refert. Quamobrem opportunum nobis videtur, hic breviter sequentia annotare. Helias postquam electione Ministri Generalis an. 1227 facta, eo ipso a vicariatu absolutus est, a Papa Gregorio IX. mandatum accepit erigendi templum magnificum in honorem S. Francisci. Quod opus inchoavit ut *praefectus fabricae construendae,* non ut *vicarius* Generalis Ministri, ut doct. P. Mag. A. Azzoguidi ex documento, in 26. nota ad vitam S. Antonii citato, demonstrat, an. 1228. Probabile est, quod occasione huius basilicae erigendae exorta sit inter fratres quaestio illa de usu pecuniae, de qua an. 1230, S. Antonio praesente, coram Papa

Hic olim civis Romanus et dominus legum [1], cum esset iudex in civitate Castellana, hac occasione Ordinem, adhuc vivente sancto Francisco, intravit. Cum enim die quadam per fenestram respiceret, vidit custodem porcorum porcos ad ingressum castelli minantem et propter insolentiam eorum non valentem eos intro propellere. Qui pastor, edoctus a socio, his verbis porcos incantavit: « Porci, porci, intrate castellum, sicut [2] iurisperiti et iudices intrant infernum. Quo dicto, mox multitudo porcorum sine grunnitu [3] castellum intravit. Quo verbo audito et miro viso, ne, cum et ipse iurisperitus et iudex esset, infernum intraret, mundum deserens Ordinem intravit, in quo factus est vita et sanctitate admirabilis [4].

Frater Iohannes Parens primus Generalis Minister post dormitionem S. Francisci electus anno 1227.

Idem frater Iohannes, Minister Hispaniae existens, cum apud Soriam regni Castellae capitulum celebraret, et tunc populus siccitate nimia periclitans [5] rogavit, ut Dominum eum fratribus pro pluvia precaretur, mox gratiam pluviae abundantis orans cum fratribus fertur impetrasse [6].

Fuit quoque idem Generalis vir habens gratiam magnam lacrymarum et tam strictus sibi, ut magnam partem Ordinis nudis pedibus incedens visitavit.

Frater Simon Anglicus Minister Theutoniae tertius.

Hic factus Minister Generalis, in hoc generali capitulo de consilio Ministro Franciae fratrem Albertum de Pisa, Ministrum Theutoniae, ab illa administratione absolvit et ei fratrem Simonem Anglicum, Custodem Normanniae, virum scholasticum et magnum theologum substituit [7]. Frater Simon autem, cum venisset ad Theutoniam cum fratre Iuliano de Spira [8], qui postmodum historiam beati Francisci et beati Antonii nobili stilo et pulcra melodia, quas modo cantamus, et Legendam sancti Francisci, quae

---

actum est. Anno 1233 (vel ut volunt alii 1232) Generalis Minister electus, fr. Helias pro perficienda basilica molestavit singulas Provincias (cfr. chron. Iord., l. c. n. 61.) et commisit alios excessus (de quibus cfr. Salimbene, chron. Liber de Praelato pag. 407). Quapropter coram Papa accusatus, depositus est an. 1239. — Item hic notatu dignum putamus, quoad Heliae officium viguisse duos errores: Alii, ut Wadding., voluerunt, Heliam bis fuisse Ministrum Generalem (1227-1230, 1233-1239), alii vero, ut Glassberger, cui favet D. Evers, eum, electo Ministro, remansisse vicarium Generalis Ministri. Utraque tamen opinio, quae praebebat ansam ad varios errores, falsa est. Cfr. Panfilo, l. c. c. XVIII.

[1] Ita vocabantur doctores Iuris. Cfr. Du Cange, Glossarium sub voce *Dominus*. — Iohannes Parens de Florentia dicitur, quia ibi habitum Ordinis sumpsit. Oriundus erat in oppido Carmignano, non longe a Pistoria; civitas Castellana est antiquitus Fescennium dicta, in Tuscia. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1211, n. XX. XXI.

[2] Edit. 1 falso *sic*, contradicente cod.

[3] Cod. mendose *grinitu* et ed. 1 *grinnitu* (chron. Gen. *mugitu*).

[4] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 67. r. c. II, ubi tamen dicunt: « quo anno electum sit, non invenitur clare ». Sed nunc luce clarius est, Iohannem Parentem an. 1227 electus et quidem *primum* Generalem post S. Franc. fuisse.

[5] Ita recte cod., ed. 1 vero *periclitatus*.

[6] Cfr. chron. XXIV Gen. l. c., Bernardus a Bessa, ms. bibl. Taurinensis, et Speculum vitae S. Francisci etc. in catalogo Generalium.

[7] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 52, chron. anon. l. c. pag. 287, quae transcripsit Wadding., l. c. ad an. 1227, n. IV, ita tamen, quod erronee loco Iohannis Parentis posuit nomen Heliae, quod falsissimum est.

[8] Chron. XXIV Gen., f. 114. r. c. II. dicit Iul. Theutonicus, de quo cfr. etiam chron. Iord.,

incipit: *Ad hoc quorundam* etc., urbana elegantia dictavit et composuit, statim indixit capitulum provinciale in festo Apostolorum Simonis et Iudae in Coloniam celebrandum; sed propter causam sequenti anno fuit hoc celebratum.

Eodem anno confirmavit dominus Papa Gregorius IX. Ordinem Poenitentium sanctae Mariae Magdalenae institutum a domino Gulielmo, Parisiensi Episcopo, ut supra [1] dictum est, et duravit usque ad concilium Lugdunense secundum.

Anno Domini 1228 inter Pascha et Pentecosten celebravit frater Simon Anglicus, Minister Theutoniae, provinciale capitulum in Colonia [2].

Eodem anno, XV. kalendas Augusti [3], veniens personaliter Assisium dominus Papa

Canonizatio sancti Francisci.

Gregorius nonus, sanctum Franciscum cum magnis solemnitatibus catalogo Sanctorum adscripsit. Frater autem Helias, Vicarius Generalis Ministri [4], in conventu Assisii pro constructione basilicae dictae ad civium instantiam fuit institutus.

Frater vero Iohannes Parens, Minister Generalis, animum ad rem divinam convertens, statuit in capitulo generali, ut corpus Domini summa cum reverentia in argentea vel eburnea pixide in capsella ab intra bene serata [5] teneretur, quod nunc aliqui super altare suspendunt.

Statuit etiam, nullum fratrem dominum vel magistrum debere nominari, sed ut communiter omnes vocarentur fratres.

Item, apostatam non recipi, si de fide suspectus sit, vel in publicam fornicationem lapsus, vel statutorum Ordinis contumax violator, nisi sufficienter toleratus et monitus se correxerit.

Ipse etiam praecepit, ut nullus novitius saecularium confessiones audiret, sed neque professus sine licentia sui Provincialis Ministri.

Hic Generalis missus est Romam [6] per dominum Gregorium Papam nonum, ut Romanos sibi rebelles ad obedientiam et pacem reduceret. Quibus non acquiescentibus idem Generalis praedixit, brevi futurum eis tantum periculum, ut compulsi pacem facturi essent, quam tunc pertinaciter recusabant. Hoc evenit. Nam post modicum temporis subito Tiberis in tantum excrevit, quod Romam terribiliter occuparet. Quo terrore Romani perculsi, mentionem de obedientia et reverentia et pace domino Papae exhibenda facientes, dicti Generalis Ministri et votum et vaticinium impleverunt [7].

Eodem quoque anno frater Iohannes Parens [8], Minister Generalis, audito quod

---

l. c. n. 52, chron. anon. l. c. pag. 288, de quibus deprompsit Wadding., l. c. ad an. 1227, n. IV. et Barthol. Pis., Lib. Conf. l. I. fruct. 8. pag. 112 b. — Legenda infra citata hucusque nondum reperta est. — Festum Apost. Simonis et Iudae est 28 Octobris.

[1] Pag. 38, nota 3. — Paulo superius desideratur in ed. 1 numerus *IX.* post *Gregorius.*

[2] Vide chron. Iordani, l. c. n. 53.

[3] Id est 16 Iuli.

[4] Sed est error; nam, uti supra pag. 45, nota 7, diximus, Helias hoc anno neque Generalis neque eius vicarius erat.

[5] Ita recte cod., ed. 1 falso *serrata.*

[6] Sed hoc erat an. 1230; cfr. P. Azzoguidi, l. c. pag. CV. n. 2, Panfilo, l. c. Introduz. n. XII et Reumont, Geschichte der Stadt Rom, Berlin 1867, Bd. 2. S. 512.

[7] Cfr. Bernard. a Bessa, l. c., Speculum vitae etc., chron. XXIV Gen., f. 67. v. c. I.

[8] Ita chron. anon., de quibus hausit Wadding., l. c., sed iterum posuit erronee Heliam pro Iohanne Parente.

Theutonia lectorem non haberet in theologia, absolvit fratrem Simonem Anglicum a ministerio Theutoniae et eum lectorem instituit, fratrem vero Iohannem de Plano Carpinis Ministrum destinavit. Qui, indicto capitulo provinciali in Wormatia, ibi litteras absolutionis fratris Simonis et suae institutionis demonstravit. In ipso capitulo canonizatio beati Francisci fratribus fuit denuntiata.

Frater Iohannes de Plano Carpinis quartus Minister Theutoniae institutus 1228.

Dictus autem frater Iohannes de Plano Carpinis volens Saxoniam honorare et exaltare, misit fratrem Simonem lectorem in Magdeburgum et cum eo viros probos et honestos et litteratos, videlicet fratrem Marquardum Longum de Asciburgio [1], Marquardum Parvum de Moguntia et Conradum de Wormatia, et plures alios. Hic frater Iohannes de Plano Carpinis, quia vir gravis et corpulentus erat, asino vehebatur et homines tunc temporis propter Ordinis novitatem et equitis humilitatem, maiori devotione ad asinum eius, exemplo Christi asinantis, movebantur, quam nunc propter assiduum fratrum abusum ad personas Ministrorum. Hic etiam Ordinis sui dilatator maximus, cum secundario [2] Minister existeret, fratres in Bohemiam, Daciam, Norwegiam et Hungariam misit. Domum quoque Metensem [3] maiorem recepit et Ordinem in Lotharingia plantavit. Hic quoque Ordinis sui [4] strenuus defensor fuit. Nam pro Ordine suo coram Episcopis et principibus constanter et personaliter stetit. Hic denique omnes fratres suos, velut mater filios et gallina pullos suos, cum pace et caritate et omni consolatione fovebat et regebat.

Anno Domini 1229 frater Iohannes Anglicus primus visitator in Theutoniam est missus, qui cum omni tranquillitate et pace fratres caritative admonebat et informabat et ad patientiam inducebat.

Et eodem anno fratres in Ratisbona de capella Salvatoris solemne monasterium auxilio nobilium de Drucksatz [5], de Eckenmul et comitum de Pogen construxerunt [6], et fundum dederunt nobiles de Paulstorff etc.

DE TRANSLATIONE SANCTI FRANCISCI.

Anno Domini 1230 profecturus ad capitulum generale frater Iohannes de Plano Carpinis, Minister Theutoniae, Assisii celebrandum, ultimum provinciale capitulum tenuit in Colonia, in quo fratre Simone [7] Anglico Vicario instituto, perrexit.

Eodem anno Domini 1230 [8], indicto capitulo generali apud Assisium per domi

---

[1] Cod. *de Aschenburck,* theutonice Aschaffenburg, oppidum Franconiae in Bavaria.

[2] Id est an. 1232.

[3] Id est in civitate Metz.

[4] In ed. 1 desideratur haec vocula *sui.* — Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 54.; chron. anon. l. c. p. 288, cum quibus convenit Wadding., l. c. ad an. 1228, n. LXXXVI, et ad an. 1229, n. XXVI. — De fr. Iohanne vide etiam Salimbene, chron. pag. 83, 86-88.

[5] Chron. anon. et Wadding. l. c. legunt *Trucksatz... de Bogen* pro *Drucksatz .. de Pogen.* — Cod. scribit semper *Ratispona* pro *Ratisbona.*

[6] Auctoritate chron. anon. adiunximus *construxerunt,* quod verbum in cod. certo excidit. — Immediate post ed. 1 male *in fundum* pro *et fundum.*

[7] Pro *Simone* legunt chron. Iord., l. c. n. 57. *Iohanne* et chron. anon. l. c. p. 288, nec non Wadding., l. c. ad an. 1230, n. XVI. solum *fratre Anglico.*

[8] Secundum Salimbene, l. c. p. 29. VIII. kalendas Iunii (25 Maii).

num Papam Gregorium nonum, in quo translatio beati Francisci fieret de ecclesia sancti Georgii [1] ad basilicam in eius honorem constructam, cui capitulo ipse dominus Papa personaliter interesse disposuerat, antequam convenissent fratres, volentes et debentes dictis translationi et capitulo interesse; fecit frater Helias, qui omnia per potentiam saecularem exsequebatur, non obstante quod frater Iohannes Parens Ordini praesidebat, eandem beati Francisci translationem fieri occulte, nolens, quod quisquam praeter paucos sciret, ubi sacrum Sancti corpus in ecclesia reconditum esset [2]. Propter quam causam, congregato capitulo, turbati sunt fratres omnes, inter quos erant frater Iohannes de Florentia Generalis et frater Iohannes de Plano Carpinis, Theutoniae [3] Ministri, frater Albertus Pisanus et sanctus Antonius et multo solemnes viri, dolentes, quia Sancti desideratam translationem videre non potuerunt. Nihilominus tamen fuit magna solemnitas celebrata, et tanta fuit multitudo populi ex vicinis urbibus congregata, ut civitate illam non capiente, per campos more gregum accumberet [4]. Dominus vero Papa, qui huic translationi interesse voluerat, nec valuerat, litteras Apostolicas et solemnes nuntios eidem capitulo misit, quibus non solum necessariam causam suae absentiae declaravit, sed et de quodam mortuo, per beatum Franciscum in Alamannia resuscitato, fratres certos reddidit et gaudentes. Per eosdem [5] autem nuntios crucem auream opere quodam gemmario pretiosam, in quo erat lignum sanctae Crucis interclusum, ornamenta quoque et vasa ad altaris ministerium pertinentia atque alia solemnia ornamenta et indumenta ecclesiae sancti Francisci transmisit, ecclesiam vero ipsam, in qua primarium lapidem pro fundamento locaverat, ab omni iurisdictione inferiori exemit [6].

Tunc frater Iacobus de Yseo, qui in principio translationis aderat, contingens sacrum pignus S. Francisci, liberatus fuit ab infirmitate rupturae, quam in puerili aetate in domo paterna incurrerat [7].

In ipso capitulo generali fuerunt bis mille fratres.

Tempore ipso surrexit multiplex dubitatio inter fratres de his quae in regula continentur. Minister vero Generalis frater Iohannes portabat regulam in manibus, asserens ipsam claram et observabilem et ab omnibus ad litteram observandam. Finito itaque capitulo, dominus Papa Gregorius IX. [8] pro dubiorum declaratione pulsatur.

---

[1] Cfr. supra pag. 43, nota 5. — Basilica, ab Helia ex mandato Papae Gregorii IX. exstructa, est ecclesia sacri Conventus, vel S. Francisci, non autem, ut D. Henricus Rybka in sua dissertatione historica pro doctoratu scripta (Bruder Elias, der zweite Generalminister der Franciscaner, Leipzig 1874) iterato erronee affirmat, basilica Mariae Angelorum seu de Portiuncula dicta. — Item idem D. Rybka errat graviter in diversis locis dicens, locum sepulturae S. Francisci esse ignotum usque ad hodiernum diem et ignotum remansurum esse. Constat, corpus Sancti inventum esse an. 1818.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 67. v. c. I. — Ed. 1 paulo superius non bene *scirent* pro *sciret.*

[3] Supple Provincialis.

[4] Ita cod., ed. 1 vero *accumberent.* — Litterae Apostolicae paulo inferius memoratae habentur apud Wadding., l. c. ad an. 1230, n. I.

[5] Edit. 1 contra cod. *easdem* et deinde valde incongrue *nunciones* pro *nuntios.*

[6] Cfr. Leg. Trium Soc., c. XVIII, Eccleston, l. c. collat. XIII. pag. 241 et chron. XXIV Gen., l. c., ubi haec quasi verbotenus.

[7] De quo cfr. Salimbene, l. c. ad an. 1230.

[8] In ed. 1 iterum desideratur numerus *IX,* post quem perperam legit *post* loco *pro,* refragante cod.

Qui tamquam ille qui sancti Francisci intentionem circa regulam noverat et ei pro regulae confirmatione adstiterat, oborta dubia liquido declaravit IV. kalendas [1] Octobris, anno Domini 1230, pontificatus sui anno quarto.

In eodem capitulo frater Iohannes de Plano Carpinis a ministerio Theutoniae absolutus, in Hispaniam Minister transmissus est. Cui in Theutoniae ministerio frater Simon Anglicus, primus lector Magdeburgensis, et frater Otto Lombardus, iurisperitus, fuerunt substituti, administratione ipsa in duas divisa, unam Rheni et alteram Saxoniae. Super Rhenum datus fuit frater Otto, in Saxoniam frater Simon, praedicti; frater autem Simon morte praeventus, officio non est functus.

Frater Otto Lombardus Minister Alamanniae multo tempore.

Frater Simon Anglicus Minister Saxoniae institutus, non usus.

In eodem quoque capitulo generali Breviaria et Antiphonaria secundum ordinem Provinciis sunt transmissa [2].

Frater Helias vero patres et fratres capituli dicti, quos clandestina beati Francisci corporis translatione non modicum offenderat, mitigare volens, multas gratias [3] Apostolicas Ordini et fratribus a se impetratas publicavit in capitulo eodem, dispensationes etiam contra regulae puritatem, praesertim quod possint fratres pecuniam per interpositam personam recipere, quas per subreptionem impetraverat; quibus dispensationibus pulcris et fucatis rationibus fratribus suadebat dare consensum. Cumque, ut erat facundus et ad persuadendum concinnus, huiusmodi coloratis et aureis verbis et inductionibus simulque [4] terroribus et minis multorum simplicium et timentium consensum fratrum extorsisset, et nemo ei contradicere auderet, palam prorumpentes in medium duo gloriosa luminaria Ordinis, sanctus videlicet Antonius Paduanus et frater Adamus de Marisco [5] restiterunt ei viriliter, in faciem asserentes, in dictis privilegiis maximam et manifestam subversionem regulae et evangelicae vitae, quam observare voverant, contineri, et se nunquam consensum praebituros. His duobus multi fratrum secreto adhaeserunt, inter quos praecipui fuerunt frater Albertus de Pisis, Minister tunc Angliae, et frater Iohannes Bonelli de Florentia, tunc Minister Provinciae [6] — qui capitulum Arelatense tenuit, in quo, praedicante S. Antonio de titulo Crucis, beatus Franciscus benedicens fratribus in aëre apparuit — quorum tamen nullus ipsi fratri Heliae manifeste resistere ausus fuit. Contra praedictos igitur duos strenuos regulae propugnatores, fratrem videlicet Antonium et fratrem Adamum, ingens tumultus fratrum subortus est asserentium, eos esse schismaticos et

---

[1] Id est 28 Septembris. — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 68. r. c. I. Cod. legit erronee *X. kldas* Oct., pro quo Bullarium Romanum (ed. Taurinensis 1858) exhibet *XVI. kldas Novembris,* contradicentibus Sbaralea, Wadding. et chron. Gen. — Praeclaram Pontificis de regula observanda declarationem: *Quo elongati,* datam Anagniae, videsis apud Wadding., l. c. ad an. 1230, n. XXIV.

[2] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 57; chron. anon. l. c. p. 288, de quibus Wadding., l. c. ad an. 1230, n. XVI. sumpsit.

[3] Utrum hoc sit revera tunc factum, nullo alio documento confirmatum invenitur.

[4] Ita cod., ed. 1 falso *similisque.*

[5] Hoc probabilitate historicae veritatis caret. Eccleston, qui l. c. collat. XIII. p. 242 nomina aliorum fratrum enumerat, nihil dicit de Adamo.

[6] Id est Provençe in Gallia; capitulum immediate post memoratum erat an. 1228, de quo cfr. supra pag. 14, nota 5.

Ordinis unitatis divisores, cum essent in rei veritate unitatis conservatores et defensores praecipui et constantes. Qui cum cernerent, sibi per fratris Heliae complices persecutiones personales intentari, necessitate compulsi, ad Sedem Apostolicam a gravamine appellaverunt. Cumque appellatione legitime interiecta, frater Helias vim eis inferre moliretur, protegente eos Domino, cuius causam agebant, et fratre quodam Ianuensi, poenitentiario et confessore domini Papae, adiuvante, fugerunt et cum dicto fratre ad praesentiam domini Papae se contulerunt. Fuga ipsorum intellecta, territus frater Helias, nuntios et litteras quaquaversum misit, ut tamquam schismatici et Ordinis divisores caperentur [1]. Sed incassum. Nam illi salvi ad dominum Papam pervenerunt, et ab ipso benigne recepti, causas suae appellationis et recursus sui ad Sedem Apostolicam eidem humiliter proposuerunt.

Quibus auditis, mandavit dominus Papa, omnes fratres capituli ad se citari. Et fratribus summa festinatione comparentibus, coram ipso partibus hinc inde dispositis, coeperunt fratres dicti Antonius et Adamus exponere, quomodo [2] ruinam et subversionem regulae et evangelici status per dicta privilegia praetensam sine salutis propriae detrimento sustinere non valentes, propter graves iniurias et personales persecutiones compulsi, Sedem Apostolicam appellassent, asserentes, se non credere, ipsum dominum Papam fratri Heliae talia privilegia concessisse praeiudicantia votis suis et evangelicae regulae, nisi cautelosis et callidis Heliae instigationibus [3] et subreptionibus circumventum. Accusamus, inquiunt, vestrae Sanctitati, beatissime Pater, fratrem Heliam cogere fratres procurare pecunias et thesauros congregare, de regula nihil curare, immo eam, quantum in se est, destruere, contra mentem sancti Francisci, qui in morte sua praevidens [4] futura, inhibuit, ne fratres talia privilegia peterent, tales dispensationes vel verius dissipationes procurando, et novam et extorsam regulae expositionem facere, quam dicit se a beato Francisco habuisse etc.

Cumque dicendi finem fecissent, frater Helias, qui hactenus humilitatem finxerat, intumescens et iracundia plenus, in praesentia tanti Pontificis fratri nunc sancto Antonio dixit: « Mentiris et falsum dicis [5] ». Qua indecenti responsione dominus Papa commotus, silentium imperavit, et conversus ad sanctum Antonium et fratres, qui cum eo erant, dixit: « Licet frater Helias sententiam excommunicationis in vos fulminaverit, tamen nullius sit vel fuerit firmitatis propter appellationem canonice interiectam ». Commendavit etiam beatum Antonium et ei adhaerentes dicens: « De plenitudine Apostolicae potestatis vos absolvo et vobis regratior de constantia et zelo Religionis ». « Et te, inquit, frater Antoni, arca testamenti [6], in quo tabulae

---

[1] Sed hoc non est credibile, quia Heliae deerat potestas ad hoc faciendum.

[2] Edit. 1 *quod* et paulo inferius *incurias* pro *iniurias,* refragante cod.

[3] Ita cod., ed. 1 *instagationibus* et immediate post incongrue *Vener. sancte* pro *vestrae Sanctitati.*

[4] Edit. 1 contra cod. male *providens.*

[5] Constat, Heliam an. 1239 ante suam depositionem huiusmodi locutum esse contra fr. Haymonem, non autem contra S. Antonium. Idem valet de sequenti respectu Papae. Iam vero ab omni veritate historica alienum est, quod Helias illos fratres excommunicaverit. Nam Helias tunc temporis carebat omni iurisdictione super fratres: ergo verba, quae dicuntur a Papa esse prolata, non sunt nisi fictitia.

[6] Hunc titulum revera Papa attribuit S. Antonio, non autem in tali occasione, sed occasione praedicationis in Curia habitae.

legis et thesauri sapientiae requiescunt, ab omnibus gravaminibus Ordinis eximo et exemptum omnibus fratribus denuntio, rogans te in caritate, ut soli contemplationi et compositioni sermonum vaces, ac ut mecum morari velis, te clementer invito » etc.

Beatus vero Antonius humiliter honores Curiae declinans, ut fructum animarum faceret, locum montis Alvernae sibi elegit, Apostolica benedictione dimissus, ubi, dum aliquamdiu moram in poenitentia et praedicationibus fecisset, videns se servus[1] Dei laboris fructum propter naturalem corpulentiam, qua premebatur, non posse portare, inde discessit Paduam versus, ubi infra annum hinc ad Christum migravit[2]. Quem idem Pontifex, paucis post elapsis diebus, ob vitae meritum et miraculorum coruscationem Sanctorum catalogo apud Spoletum adscripsit.

Porro frater Helias, qui dixerat, se sub prima regula a domino Papa Innocentio approbata receptum ad Ordinem posse pecuniam recipere, compulsus fuit profiteri regulam per dominum Honorium confirmatam[3]. Hac disceptatione coram Pontifice terminata, et fratribus cum gaudio ad suas Provincias redeuntibus, frater Helias maximam humilitatem finxit, ut videretur in alium virum mutatus. Nam[4] barbam suam nutriens et capillatior incedens, despectum habitum assumpsit et eremiticam vitam ducturus inde discessit, compatienbus ei multis fratribus propter eius simulatam humilitatem[5].

Mortuo per idem tempus fratre Simone, primo lectore Magdeburgensi, qui divisa administratione Theutoniae in duas, unam videlicet Rheni, alteram Saxoniae, in eodem generali capitulo *primus* Minister Saxoniae institutus, ante receptionem litterarum institutionis suae ex hac vita migraverat, contingit, per mortem eius administrationem Saxoniae Ministro, et domum Magdeburgensem lectore carere. Unde fratres administrationis Saxoniae, habito consilio, miserunt ad Generalem Ministrum fratrem Iordanum Lombardum. Frater vero Leonardus, Custos Saxoniae, et frater Iordanus dictus, Custos Thuringiae, ad capitulum Rheni seu Superioris Alamanniae, Wormatiae celebratum, accesserunt; in quo capitulo, quia una fuerat administratio et recenter[6] divisa, et frater Simon, morte praeventus, in nullo adhuc se de Ministri officio intromiserat, re adhuc quasi integra, ut fratres Provinciae et de corpore capituli sunt admissi. Ibi ergo Ministri et Vicarii et aliorum fratrum consilio frater Iordanus, sua custodia Custodi Saxoniae commissa, cum litteris obedientiae Ottonis, Ministri Rhenensis, et uno socio pro Ministro postulando et lectore ad Generalem

---

[1] Edit. 1 *servum,* contradicente cod.

[2] Scilicet feria VI, 13 vel, ut dicit Salimbene, 14 Iunii 1231; canonizatus est 30 Maii 1232.

[3] Cfr. Eccleston, l. c. collat. XIII. p. 243.

[4] Edit. 1 addit contra cod. *et* post *Nam,* quod verbum paulo inferius incongrue omittit post *assumpsit.*

[5] Totus hic tractatus de translatione corporis S. Francisci, de moribus et accusatione fr. Heliae etiam invenitur, sed diffusius, apud Wadding., l. c. ad an. 1230, n. VIII-XIII, ex quo reportant totum Bollandistae (13 Iunii p. 711), et in chronicis XXIV Gen., f. 71. v. c. II. seq., sed ad an. 1239. — Quamquam nonnulla, quae referuntur, vera sunt, maxima tamen pars aut fundamento veritatis historicae caret, aut errore anachronismi laborat. Qui in hac quaestione veritatem et claritatem quaerit, adeat Thomam Eccleston, l. c. collat. XIII, et Panfilo, l. c. cap. XIII. XVIII.

[6] Ed. 1 perperam contra cod. *recenti* et immediate post falso *divisa est* pro *divisa et.*

Ministrum est profectus. Ministro autem Generali deliberante, quem dare expediret, frater Iordanus petivit fratrem Iohannem Anglicum, quondam visitatorem Theutoniae, et obtinuit. Scripsit ergo Minister Generalis Ministro Franciae, ut fratrem Iohannem Anglicum mitteret pro Ministro Saxoniae et fratrem Bartholomaeum Anglicum pro lectore loco Simonis iam defuncti [1].

Frater ergo Iordanus, his pro voluntate impetratis, rediens [2] Assisium pervenit ad fratrem Thomam de Celano, qui gavisus dedit ei reliquias de beato Francisco pro munere. Acceptis ergo secum donis frater [3] Iordanus, videlicet de capillis et vestimentis sancti Francisci, ad Provinciam Saxoniae repedavit. Fratres vero Thuringiae, intelligentes de adventu fratris Iordani, Custodis sui, litteris ei occurrerunt rogantes, ut, quia non solum ipsum videre desiderarent, verum etiam necesse [4] haberent ei loqui, significare eis dignaretur, per quam domum fratrum transitum facere vellet. Quod et fecit. Nam cum pervenisset Herbipolim, mandavit fratribus custodiae suae, ut si ei necesse haberent loqui, in Isenaco occurrerent ei, quia inde erat transiturus. Gavisi ergo fratres ad locum designatum convenerunt, dantes portario in mandatis, ut fratrem Iordanum venientem non intromitteret, sed prius ipsis demandaret. Veniens ergo frater Iordanus ad portam et pulsans non est intromissus, sed portarius ad fratres currens nuntiavit, fratrem Iordanum ad portam stare. Super quo fratres plurimum gavisi remandaverunt ei, quod per portam hac vice intrare non posset, sed per portam ecclesiae. Interim autem fratres spiritu devotionis accensi, exultantes spiritu in chorum se colligunt, cruces et thuribulum et palmarum ramos et candelas ardentes tollentes in manibus, ecclesiam extra chorum bini et bini processionaliter intraverunt. Et e regione versi chorum contra chorum ordinant, et valvas ecclesiae aperientes et fratrem Iordanum intromittentes, ipsum cum tripudio et gaudio recipiunt, cantando responsorium: *Hic est fratrum amator*, chorum solemniter introducunt et ipsum modo non consueto in ferventis spiritus devotione suscipiunt. Frater autem Iordanus super modo non consueto attonitus, prout potuit, cantantes prohibuit, sed minime profecit; et manu silentium innuente eo, ut tacerent, ipsi cantum, quem inceperant, cum iubilo ferventissime compleverunt. Super quo cum frater Iordanus stupidus miraretur, venit ipsi in memoriam, quod reliquias beati Francisci, quas prae stupore oblivioni tradiderat, apud se haberet. Et exultans in spiritu, completo cantu, dixit: « Gaudete, fratres, et scitote, quia non me cum hac gloria, ut me, sed in me Patrem nostrum beatissimum Franciscum [5], qui me tacente, vestrum spiritum in sui praesentia excitavit, cuius reliquias apud me habeo, collaudastis ». Et extractis ac expositis reliquiis de gremio, posuit eas coram fratribus in altari [6].

Qui pie et sine invidia haec legerit, dubitare non poterit, sed manifeste comprobabit [7], non humano sensu, sed Spiritus sancti instinctu filios suum beatissimum

---

[1] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 58; chron. anon. l. c. p. 288, cum quibus hic et deinde convenit Wadding., l. c. ad an. 1230, n. XVI.

[2] Edit. 1 addit *ad* post *rediens*, refragante cod.

[3] In ed. 1 desideratur haec vocula *frater*.

[4] Ita cod., ed. 1 perperam *nactum*.

[5] In ed. desideratur hoc nomen *Franciscum*.

[6] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 59.

[7] Cod. mendose *comprobarit*.

Patrem in reliquiarum eius praesentia et filio honorasse. Quis[1] illum devotum et inconsuetum recipiendi fratribus modum et devotissimum spiritum dederat, nisi ille benedictus Spiritus, a quo omnis boni influentia procedit, et quem Pater beatissimus, qui in reliquiarum suarum munere praesens erat, in gratiam[2] filiis impetrarat? O beatissime Pater Francisce, quis digne aestimare aut cogitare poterit, quanta gloria apud Deum praefulgeas in coelis, cum Deus minima tua, puta capillos et vestimenta tua, cum tanta gloria etiam a nescientibus filiis faciat honorari in terris!

Et quia fratri Iordano humanum aliquid acciderat — puta quia beatissimum Patrem, qui et ipsum ad Ordinem receperat, in mundo viventem hominem infirmum viderat et noverat, eum post mortem non in tanta quanta debuit reverentia habuerat — ideo merito ei hoc Deus fecit evenire, ut ex hoc ei ostenderet, quam apud eos, qui beatum Patrem noverant, reverentia dignus esset, qui eius minima a nescientibus sic voluit honorari. Et ex tunc frater Iordanus beatum Franciscum, quem in carne viderat — et ob hoc ei quoddam humanum acciderat — in maiori reverentia et devotione coepit habere et honorare, cum videret, quod Deus corda fratrum Spiritu sancto inflammando eius reliquias apud se latere noluerit. Fuit autem idem frater Iordanus unus de primis fratribus a beato Francisco in Theutoniam missis, vir specie niger, statura pusillus, corde iucundus, benevolus et ad omne opus bonum paratus, vir magnae obedientiae, qui in Fratre Minore nulla signa sanctitatis sine obedientia venerabatur, aut alicuius momenti reputabat[3].

Frater Iohannes Anglicus Minister Saxoniae secundus.

Anno Domini 1231 reversus in Saxoniam, frater Iordanus misit fratrem Iohannem de Penna et fratrem Deodatum Parisium pro fratre Iohanne Anglico Ministro et fratre Bartholomaeo lectore in Saxonia institutis, ut eos honorifice conducerent in Saxoniam[4].

Eodem anno, feria VI, die mensis Iunii tertia decima[5], apud Paduam migravit ad Christum beatus pater Antonius de Ulyssipone, virtutibus clarus.

Similiter hoc anno[6], XIII. kalendas Decembris, apud oppidum Marburgum obiit beata Elisabetha, vidua relicta illustrissimi quondam principis domini Ludovici, lantgravii Thuringiae, et sepulta est in ecclesia fratrum Minorum, quam ipsa aedificaverat sumptibus propriis, ibique quievit usque annum septimum pontificatus domini Innocentii IV, et tunc fuit translata ad hospitale a dominis Ordinis Theutonicorum[7].

Anno Domini 1232, in die sancto Pentecostes, apud Spoletum canonizatur sanctus Antonius de Padua, magnis miraculis coruscans, a domino Papa Gregorio IX, pontificatus eius anno sexto, festumque eius die obitus sui, id est idus Iunii, solemniter celebrandum instituitur.

---

[1] Edit. 1 contra cod. *Quibus* pro *Quis.*

[2] Ita cod., ed. 1 vero *gratia.*

[3] Cfr. chron. anon. l. c. p. 289 cum quibus convenit Wadding., l. c. ad an. 1230, n. XVI.

[4] Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 60; chron. anon. l. c. p. 289, et Wadding., l. c. ad an. 1231, n. XLVIII. — Sed quia fr. Simon, primus Minister Saxoniae electus, officio non functus est, ideo fr. Iohannes *primus* Minister Saxoniae habetur.

[5] Vide supra pag. 52, nota 2.

[6] Hoc verbum *anno,* quod in cod. certo excidit, adiunximus.

[7] Nunc requiescunt ossa Sanctae in magnifica ecclesia, in eiusdem honorem in civitate Marburgo aedificata. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1231, n. I. seqq.

Eodem anno in capituto generali, Romae [1] celebrato, absolutus est frater Iohannes Parens ab ministerii generalis officio, et ei in officio successit frater Helias, quondam Vicarius beati Francisci. Hic frater Helias minus canonice exstitit electus. Nam capitulo Romae celebrato, incluso Generali Ministro praefato et Ministris Provincialibus et Custodibus in conclavi, supervenere fratres fautores fratris Heliae, qui fracto ostio cubiculi, Heliam, quem in manibus portabant, in sede Generalis Ministri posuerunt, tumultuose conclamantes, eum Generalem Ministrum esse debere, ut puta quem sanctus Franciscus etiam ante obitum suum Generalem ordinaverat. Quod videns frater Iohannes, surrexit de medio fratrum plorans et coram omnibus habitu nudatum se prosternens in terram ac indignum se tanto officio asserens, generali ministerio flens humiliter resignavit et, resumpto habitu, egressus est foras. Tunc intrusus magis quam electus est frater Helias in Generalem Ministrum. Et quia vafer et saeculari sensu astutus frater Helias erat, ut electioni suae colorem daret, coepit se callide excusare de tanto et quasi molestissimo sibi officii onere, asserens, sibi hoc officium non fore imponendum, quia debilis, quia impotens ad ambulandum, quia denique vitam communem sequi non valens esset. O magistra hypocrisis, doli artifex ambitio! « Detis, inquit, uni alteri hoc officium, fratres mei ». Tunc omnes dicti eius fautores, ipso forte praeordinante, clamaverunt, quod haberet equum et aurum comederet, dummodo regeret Ordinem, quem ei moriens beatus Franciscus recommendaverat.

Frater Helias secundus Generalis Minister post beatum Franciscum, qui praefuit annis VII.

Turbato autem capitulo generali, quia quidam fratrem Iohannem praefatum volebant, multitudo autem Heliam, antequam solveretur capitulum, ipso Helia subordinante, missa est relatio ad dominum Papam Gregorium IX, qui in Spoleto prope Assisium tunc morabatur, et suggestum ei in dolo, quomodo [2], licet pauci fratrum fratrem Iohannem pro Generali Ministro vellent, communitas tamen peteret Heliam, qui nullo modo assentire vellet electioni suae nec officium recipere, quin immo ostenderet magnum dolorem propter promotionem ad officium, et quod fratres coegissent eum. Hac fraude et dolo sibi apud Pontificem patrocinante, confirmatus fuit [3] frater Helias per dictum dominum Papam, vera credentem quae suggesta sibi erant. Quo facto, fautores fratris Heliae exaltati sunt et graves persecutiones zelatoribus Ordinis intulerunt [4].

---

[1] Ita dicunt chron. Iord., l. c. n. 61. et etiam, ut P. Irenaeus Affò Ord. Min. (Vita di Frate Elia, Ministro Generale de' Francescani, Parma 1783; notatu dignum hic putamus, post mortem auctoris (1797) an. 1819 secundam editionem huius vitae esse impressam, ubi consulto quidem, sed falso positum est, *primo* Ministro) observat (p. 61), chron. anon., quae a manu posteriore correcta essent. — Secundum Eccleston tamen, l. c. collat. XIII, celebratum est *Rieti,* et quidem 1233. Cfr. Panfilo, l. c. Introduz. n. XII. et cap. XVIII.

[2] Edit. 1 *quod,* refragante cod.

[3] Ita cod., ed. 1 falso *fecit.*

[4] Auctor vera cum falsis confundit. — Wadding., qui nonnulla ambigua documenta secundum suam opinionem interpretatur atque asserit, ut iam supra pag. 45, nota 7. diximus, quod fr. Helias officio generalatus bis functus fuerit, refert erronee, supra dicta an. 1236 evenisse. — Cfr. auctores supra nota 1. citatos.

In hoc etiam capitulo frater Iohannes Anglicus de Redingis, Minister Saxoniae, absolutus et ei frater Iohannes de Plano Carpinis secundo est substitutus. Frater vero Leonardus, Custos Saxoniae, mortuus est, redeundo de capitulo, in Cremona, civitate sua; cui substitutus est frater Bertholdus de Huxaria [1]. Veniens autem ad Saxoniam frater Iohannes de Plano Carpinis, misit fratres in Bohemiam, Daciam et Poloniam.

Frater Iohannes de Plano Carpinis secundus Minister Saxoniae.

Soluto igitur praedicto capitulo generali, frater Helias ad dominum Papam se contulit et multas eleemosynas [2], gratias et privilegia impetravit pro ecclesia et loco Assisii et maxime, quod posset recipere pecuniam per interpositam personam. Et post hoc statim misit visitatores per totum Ordinem, qui graves et iniquas fratribus imponebant leges, collectas pecuniarias per loca fieri faciebant et cogebant fratres pecuniam solvere et contribuere pro collectis, undecumque possent habere. Frater Helias autem thesaurizare coepit, equos habere et domicellos et ducere vitam laxissimam, sicut aliquis magnus princeps, Ordinem in servitutem redigens contra monita [3] beati Francisci et statuta pro fratribus stricta faciens, totum Ordinem moribus impuris maculabat. Quod ut verius videatur, subiiciam hic verba fratris Iordani, Custodis Thuringiae, sic de Helia in suo libello dicentis: « Frater vero Helias, factus Minister Generalis, opus ad sanctum Franciscum, quod in Assisio coeperat, perficere [4] volens, fecit exactiones fieri per totum Ordinem ad inceptum opus consummandum. Ipse enim habuit totum Ordinem in sua potestate, sicut ipsum habuerant beatus Franciscus et frater Iohannes Parens, qui ante ipsum fuerant. Unde et pro sua voluntate plurimum Ordinem inconvenientia disponebat [5]. Infra septem enim annos capitulum generale non tenuit et fratres sibi resistentes hinc inde dispersit ». Haec ille [6].

Eodem anno Domini, videlicet 1232, tempore dicti capituli receperunt Fratres Minores locum Pragae ab inclyto principe Przemislao, alias [7] dicto Ottokaro, rege Bohemiae. Cuius loci fundum ipsis fratribus nobilis vir de Ianowitz ad petitionem dicti domini regis devote et benevole contulit cum capella, in eodem fundo in honorem sancti Iacobi Apostoli ab antiquo consecrata.

Eodem quoque anno fundatus est locus fratrum in Myza [8] Bohemiae.

Anno Domini 1233 canonizatus est sanctus Virgilius, Archiepiscopus Salisburgensis in Baioaria [9], a domino Gregorio Papa IX, quarto idus Iunii.

Anno Domini 1234 Fratres Minores publice in maiori numero quam antea Pragam, Bohemiam intraverunt.

Hoc tempore Christo devota virgo, domina Agnes, filia regis Ottokari et soror Wenceslai [10] quarti, regis Bohemiae, audiens de sancta Clara et de beato Francisco,

---

[1] Ita recte cod., ed. 1 *Huxoria*. Theutonice est Höxter in Westfalia. — Cfr. supra pag. 48.

[2] Ita cod., ed. 1 *licentias*. — Cfr. supra pag. 50.

[3] Edit. 1 contra cod. *monitum*.

[4] Edit. 1 perperam *proficere*.

[5] Chron. Iordani, l. c. n. 61 legunt: plurima Ordini non convenientia disponebat.

[6] Cfr. Salimbene, l. c. p. 404 seqq. et Panfilo, l. c. c. XVIII.

[7] Ita cod., ed. 1 incongrue *alius*.

[8] Vel Mysa, id est Mies prope oppidum Pilsen.

[9] Ita recte cod., ed. 1 vero *Baivaria*. Est enim regnum Bavariae (Bayern). — Festum S. Virgilii est 27 Novembris.

[10] Cod. hic et deinde *Wentzeslaus*.

iam noviter in coelis glorificato, qui sub typo trium Ordinum tres ecclesias erexit, ad eius exemplum tres solemnes ecclesias Pragae construi propriis sumptibus fecit: Primam in pede pontis Pragensis in hospitali suo, quod amplis redditibus [1] et possessionibus dotatum pro infirmis, velut consobrina sua Elisabetha construxerat, aedificavit in honorem sancti Francisci, in quam collocavit Cruciferos cum rubea stella et cruce, qui de novo per Fratres Minores ad preces dictae virginis Agnetis instituti fuerant, ut infirmis ministrarent et de necessariis sollicite providerent; secundam in honorem Salvatoris omnium erexit, qua, pretiosis reliquiis Sanctorum, vasis et ornamentis ad cultum divinum pertinentibus decorata, se postmodum cum sororibus inclusit; tertiam in honorem sanctae Dei Genitricis Mariae et sancti Francisci iuxta suum monasterium pro Fratribus Minoribus, ei et eius sororibus divina celebraturis, fabricari iussit [2].

Anno Domini 1235 sanctam Elisabetham viduam, lantgraviam olim Thuringiae, plurimis miraculis et signis coruscantem dominus Papa Gregorius IX, pontificatus sui anno nono, Perusii canonizavit, sexto kalendas Iunii [3].

Eodem anno venerunt de Tridentino Pragam quinque sorores Ordinis sanctae Clarae, per dominum Papam Gregorium nonum dictae dominae Agneti petenti destinatae, quas ipsa cum magna spiritus exultatione susceptas in memoratum coenobium sancti Salvatoris introduxit. Et in proxima festivitate sancti Martini septem virgines clari generis et sanguinis de regno Bohemiae, sponso virginum castitatis nexibus vinciri cupientes, habitu et convictu coniunctae [4] sunt sororibus ante dictis. Agnes autem tamquam virgo prudens cogitans et considerans, quod in naufraga vita praesenti continue fluctibus nostrae mortalitatis iactamur, nec superna contemplari valemus propter tumultum mundanarum causarum, amore coelestium ardentius inflammata, in Pentecoste proxime sequenti, videlicet

Anno Domini 1236, praesentibus septem Episcopis et domino Wenceslao rege, fratre suo, ac Cunigunde regina, filia quondam Philippi, regis Romanorum, cum multis principibus, baronibus, nec non innumera utriusque sexus diversarum nationum multitudine, spreto regni fastigio et omni mundana gloria contempta, cum septem aliis nobilissimis regni sui virginibus ut columba innocua de diluvio nequam saeculari ad arcam sacrae Religionis convolavit. Cumque in monasterio, crinibus tonsis, vestes regias deposuisset, fletibus et luctui, ut Esther altera, apta indumenta suscepit, quatenus Clarae, matri suae pauperi, se habitu conformaret et gestu. Sic se [5] elongavit fugiens a procellosis mundi fluctibus, et salutis et spei suae ancoram supra petram, quae Christus est, fiducialiter collocavit. In antro ergo paupertatis amore pauperis Crucifixi et dulcissimae Matris eius usque ad mortem se recludens, per

---

[1] Ed. 1 falso *reditibus*.

[2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1234, n. III. seq.

[3] Id est 27 Maii. — Cfr. Salimbene, l. c. p. 8 et Wadding., l. c. ad an. 1235, n. I, ubi habentur litterae, quibus Papa denuntiat canonizationem factam, et diem festum Elisabethae coli praecipit 13 kldas Decembris (19 Nov.).

[4] Edit. 1 *convinctae*, contradicente cod.

[5] Cod. et ed. 1 legunt certo mendose *Sic sic* pro *Sic se;* deinde post *fluctibus* adiunximus particulam *et,* quae excidisse videtur in cod.

annos 55 quasi myrrha electa suavem diffudit fragantiam sanctitatis. Ad hanc misit Christi virgo sancta Clara plures epistolas consolatorias et instructivas. Eius virginis vita et modestia ac sanctitatis et miraculorum gesta singulari Legenda in maiori chronica exprimuntur.

Anno Domini 1237, pontificatus domini Gregorii Papae IX. anno XI, regnante Friderico imperatore II, dedicata est ecclesia Salvatoris Fratrum Minorum in Ratisbona a venerabili domino Sigfrido, Ratisbonensi Episcopo, pontificatus eius anno decimo, in honorem [1] summae et aeternae Trinitatis et gloriosae Virginis Mariae et beati Francisci confessoris et omnium Sanctorum.

Eodem anno receperunt Fratres Minores locum in Bohemia in Lutomeritz [2], in Ponte, alias Brix, et in Graecio reginae [3], quem locum rabies Hussitarum destruxit tempore Zizkonis [4], capitanei Taboritarum.

Eodem etiam anno, cum in diversis partibus orbis multi animo indurato discrederent, beatum Franciscum sacra stigmata recepisse, et lingua falsiloqua ipsum illa non habuisse publice praedicarent, dominus Papa Gregorius IX, pontificatus sui anno XI, misit efficaces litteras universis Ecclesiarum Praelatis de sacris beati Francisci stigmatibus, certum testimonium continentes.

Scripsit etiam eo tempore litteras Episcopo Olomucensi [5] in Moravia in provincia Bohemiae, qui oppositum praedicando rationibus nisus fuerat ostendere, quod beatus Franciscus non deberet cum cruce in manu depingi, cum non sit crucifixus; quem acriter de incredulitate et perniciosa praedicatione redargutum tamquam [6] praesumptuosum et temerarium, iussit quae contra Sanctum praedicaverat publice revocare praecipiendo, ut crederet, ipsum Sanctum ea vere habuisse.

Pari modo scripsit Prioribus Provincialibus Praedicatorum, ut fratrem Eberhardum [7] eiusdem Ordinis, quem blasphemum nominat, qui in Oppavia [8] Moraviae contra praedicta sancti Francisci sacra stigmata stultam linguam laxaverat, apud quemcumque eum morari contingeret, suspensum ab officio praedicationis haberent, digna pro meritis culpae praemia recepturum.

Dicto quoque anno destinavit frater Helias, Minister Generalis, visitatores suo convenientes proposito ad singulas Provincias, per quorum inordinatas visitationes fratres amplius exasperati fuerunt quam consolati, et fratres zelum regularis disciplinae habentes et factis Heliae resistentes, hinc inde dispersi sunt. Habito ergo consilio, fratres communiter decreverunt Ordini providere. Quibus in consilio praecipui frater

---

1 Edit. 1 incongrue *honore.* — Cfr. supra pag. 48 ad an. 1229.

2 Ita cod., ed. 1 vero *Lutmeritz;* est theutonice Leitmeritz. Immediate post ed. 1 *Ponte, alius Brix* pro *Ponte* (i. e. Bruck), *alias Brix,* nunc theutonice Brüx.

3 Cod. *Gretz reginae,* theutonice Königgrätz. — Vide supra ad an. 1228 pag. 48. et 1232 pag. 56.

4 Scilicet an. 1420, quo tempore Iohannes de Trocznow, Ziska dictus, caput fanaticorum Hussitarum, illud oppidum cepit.

5 Erat Fridericus XVI. — De hoc et sequentibus cfr. chron. XXIV Gen., f. 71. r. c. II. et Wadding., l. c. ad an. 1237, n. I. seq., ubi etiam inveniuntur integrae litterae papales.

6 Ita clare et recte cod., ed. 1 vero *tamque.*

7 Ita recte; cod. *Evercardum,* chron. Gen. *Evencardum,* Wadding., *Evechardum.*

8 Ita recte chron. Gen., cod. *Oppania,* ed. 1 *Opparia,* Wadding. *Oppanam.* Theutonice est Troppau.

Alexander de Hales et frater Iohannes de Rupella, magistri Parisienses tunc temporis, affuerunt [1].

Anno Domini 1238 frater Iohannes de Plano Carpinis Lombardus, Minister Saxoniae et Poloniae, tenuit capitulum in Praga ad sanctum Iacobum.

Eodem anno confirmatus est Ordo Fratrum Cruciferorum cum stella rubea, sub regula sancti Augustini militantium, per dominum Gregorium Papam nonum, quem fundaverat christianissima virgo domina Agnes, filia regis Ottokari, adhuc in saeculo existens [2].

Eodem etiam anno in vigilia [3] sancti Bartholomaei cepit Iacobus, rex Aragoniae illustris, Valenciam, civitatem Saracenorum et Christianis populatam. Cultum Mahometi in ipsa delevit, quamplurimis interfectis in vindictam necis sanctorum Fratrum Minorum, ibidem pro Christo occisorum, ut dictum est [4].

Praedicto anno fratres Saxoniae contra visitatorem appellantes ad Generalem Ministrum, fratrem Heliam, missis nuntiis, nihil profecerunt omnino. Unde ad dominum Papam coacti sunt appellare. Ad quem cum frater Iordanus de Saxonia venisset et, ipso salutato, iuberetur abire, frater Iordanus exire noluit, sed iucunde ad lectum domini Papae currens, pedem ipsius nudum extraxit et ipsum deosculans, exclamavit et socio dixit: « Ecce tales reliquias in Saxonia non habemus »! Et adhuc volente domino Papa, eos exire, frater Iordanus ait: « Non domine, nihil habemus a vobis petere modo ». Omnibus enim bonis per vos abundamus et gloriosi sumus. Vos enim estis pater Ordinis et protector et corrector; sed venimus tantum vos videre. Et sic tandem dominus Papa exhilaratus, erexit se et sedens in lecto et interrogans, quare venissent, adiecit: « Scio, quod appellastis; frater autem Helias veniens ad me dixit, vos per saltum appellasse, et nos respondimus ei, quod appellatio ad nos facta omnes appellationes absorbet ». Et fratre Iordano expediente Papam, super quibus fuerat appellatum, respondit Papa, fratres bene appellasse. Convenientibus ergo fratribus diversis ad Curiam pro appellatione quam fecerant prosequenda, et longa discussione facta, tandem maiorum resedit consilium, quod nihil agerent, nisi manum mitterent ad radicem, videlicet directe agendo contra Heliam [5].

Et consedentes, factoque inter fratres, qui convenerant, scrutinio, conscripserunt quaecumque scire poterant et probare de facto de fama contra Heliam. Quibus coram Papa recitatis, factae sunt coram eo disceptationes de propositis. Quam disceptationem dominus Papa sic sedavit dicens: « Ite et disceptate inter vos et obiectiones et responsiones ad obiecta conscribite et mihi praesentate, et ego iudicabo ». Quod et factum est. Unde dominus Papa, auditis et perlectis obiectionibus et responsionibus, definivit, ut fratres ibi congregati redirent ad suas Provincias et de diversis Provinciis intimarent de his necessariis et maxime de illis quae de reformatione Ordinis quaestionem moverant, et mitterentur viginti fratres maturi et discreti, qui quatuor septimanas ante capitulum generale convenirent Romae, qui super statu et reformatione Ordinis ordinarent. Et in illa disceptatione facta inter fratres inter alia

---

1 Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 61. 62; Salimbene, l. c. p. 405.

2 Cfr. supra pag. 57.

3 23 Augusti.

4 Supra pag. 44.

5 Cfr. chron. Iordani, l. c. n. 62, 63.

recitatum fuit, quod frater Helias quasi per septem annos non tenuit capitulum generale, et quod illam duplicatam ecclesiam Assisii cum campanis et campanili fieri fecit cum magna distractione fratrum contra puritatem regulae. Insuper, scripserunt Papae istam querimoniam dicendo [1]: « Vestrae Sanctitati accusamus, istum Generalem fratrem Heliam equos multos tenere, domicellos nutrire, contributiones pecuniarias a fratribus exigere violenter et cogere fratres poenis gravibus procurare pecunias et thesauros magnos congregare, et de regula nihil curare et magis ad destructionem suae regulae tendere videtur. Quare Pater sancte, cum iste non sit pastor, sed destructor sui Ordinis, non potuimus eius astutias sustinere et ad hanc sanctam matrem Ecclesiam pro remedio opportuno recursum habuimus, ut dictum est vestrae Sanctitati [2] reverenter ».

Quibus dictis et omnibus silentibus, respondit frater Helias dicens: « Beatissime Pater! Quando [3] fratres voluerunt me facere Generalem, excusabam me eis nec volui assentire, quia sum debilis corpore, nec valeo peditare nec asperitates Ordinis sustinere. Tunc communi assensu capitulum generale concessit mihi aurum comedere et equum habere, dummodo Ordinem regerem. Equus autem requirit famulum, et famulus expensas pecuniarias, sine quibus necessaria haberi non possunt. Et ut cum bona conscientia hoc facerem, habui recursum ad istam sanctam Sedem vestram, ut secundum intentionem sancti Francisci, quam in secreto didici, et vos, sanctissime Pater, scitis in parte, possem illi basilicae vestrae et fratrum indigentiis providere ». Et sic per singula se apparenter excusabat in tantum, ut videretur, omnibus mirantibus, facundia suae eloquentiae illos conclusisse. Tunc olim socii sancti Francisci responderunt ei, coram Papa dicentes: « Sanctissime Pater! Etsi sit ei concessum aurum comedere in necessitate et in modo loquendi, non tamen fuit ei concessum nec concedi potuit congregare thesaurum. Et si fuerit concessum habere equum pro necessitate, non fuit ei concessum, ut nutriret palafredos [4], et quod totum Ordinem suum spoliaret, et quod cogeret fratres contra regulam agere et pecunias quaerere pro suis collectis et tenere in cibis et mensis et vasis et domicellis vitam non Fratris Minoris, sed magni principis saecularis sine aliqua regulari disciplina in scandalum Ordinis et professionem evangelicae vitae. Talis est, inquiunt, beatissime Pater, vita et conversatio istius [5] ».

Tunc Papa assumens verba Danielis [6]: *Tu rex cogitare coepisti in strato tuo, quid esset futurum post haec: Et videbas ante te statuam, cuius caput aureum* etc., applicavit totam illam visionem statui Ordinis beati Francisci, dicens: « Rex est Christus, stratus eius crux, statua Ordo, caput aureum beatus Francicus » etc., exponendo usque ad pedes. Et post multa convertit sermonem contra fratrem Heliam, dicens: « Istum feceramus Generalem credentes, quia placeret toti Ordini propter familiaritatem, quam habuit cum beato Francisco, sed videmus nunc manifeste, quod Ordinem destruit et turbat ». Igitur

---

[1] Ita recte et clare cod., ed. 1 vero *Dci (?)*, et in nota dicit hoc verbum explicans *ut sequitur (?)*.

[2] Ita recte cod., ed. 1 iterum falso *venerande sancte*.

[3] Edit. 1 perperam *Quoniam*.

[4] Ita recte, vide Du Cange, Glossarium; cod. legit *pallifridos*.

[5] Cfr. supra pag. 55, 56.

[6] Cap. 2, 29. seq.

Anno Domini 1239 ex iussione domini Papae Gregorii IX. capitulo generali Romae per fratrem Heliam, Ministrum Generalem, indicto, convenientes ibidem [1] ante capitulum generale Discreti de diversis Provinciis missi, ut ipse Pontifex iusserat, de voluntate domini Papae et approbatione capituli generalis ordinaverunt, ut electiones [2] Ministrorum, Custodum et Guardianorum essent, et quaedam alia, quae adhuc hodie servantur. Insuper statuerunt, ut singuli Ministri in suis Provinciis tenerent unum capitulum, et subditi duo.

In eodem capitulo Provinciae fuerunt distinctae clare, ut puta Provincia Argentinae, Coloniae et Saxoniae [3] etc.

Cumque etiam propositae fuissent contra fratrem Heliam, Ministrum Generalem, querelae praedictae, dixit Papa: « Auctoritate igitur nostra absolvimus eum ab officio et denuntiamus esse absolutum. Et volumus, quod statim coram nobis ad electionem alterius procedatur ».

Eodem ergo anno Romae in capitulo generali loco fratris Heliae electus fuit in Ministrum Generalem frater Albertus de Pisis, vir bonus, olim secundus Minister Theutoniae, et missus quondam cum fratre Agnello per beatum Franciscum ad Angliam [4]. Quem dominus Papa statim confirmavit.

Frater Terdericus [5] Minister Alamanniae Augustae sepultus.	**Frater Albertus de Pisis tertius Minister Generalis post sanctum Franciscum electus Romae anno Domini 1239.**	**Frater Conradus de Wormatia Minister Saxoniae institutus, sed non computatur inter Ministros.**

In eodem Romano capitulo frater Iohannes de Plano Carpinis, Minister Saxoniae, est absolutus, et ei frater Conradus de Wormatia substitutus, qui, quia non receperat mandatum, non acceptavit officium. Quod soror Agnes de Praga audiens, misit ad dominum Papam, et sic institutionem fratris Conradi ipse revocavit. Nam Provincia Bohemiae adhuc erat sub Ministro Saxoniae.

Completis igitur omnibus in capitulo generali coram Summo Pontifice, et fratribus cum gaudio redeuntibus ad suas Provincias, frater Helias maximam poenitentiam et humilitatem ostendit, ut videretur in alterum virum mutatus, dimisitque barbam et capillos crescere, et despectum habitum assumens, recommendato loco et basilica et illo opere sumptuoso, quae inceperat, pro opere fratri Iohanni, qui ante ipsum fuerat Minister Generalis, inde recessit dicens, velle se amodo [6] poenitentiam facere secundum voluntatem beati Francisci cum fratribus, volentibus eum sequi. Dominus autem Papa et fratres eius simulationem ignorantes, et credentes eum veraciter conversum, liberaliter ei concesserunt, ut cum fratribus, volentibus ei adhaerere, ire et facere poenitentiam posset, ubicumque vellet. Ipse autem elegit et ivit Cortonam [7] ibique tam magnam sanctitatem finxit et ostentabat, ut dominus Papa, eius sancti-

---

[1] In profesto Pentecostes 15 Maii. — Cfr. supra pag. 59 in fine.
[2] Edit. 1 perperam *electos*.
[3] Cfr. chron. anon. l. c. p. 290, de quibus deprompsit Wadding., l. c. ad an. 1239, n. XII.
[4] Cfr. supra pag. 14.
[5] De quo cfr. chron. anon. l. c. p. 290.
[6] Edit. 1 incongrue *admodo*.
[7] Cod. hic et deinde scribit vitiose *Chorthonium*.

tate audita, iterum ad eum conversus, de depositione eius dolens, multas ei gratias faceret et concederet [1].

Eodem anno, post capitulum Romanum fratres Saxoniae, facto provinciali capitulo in festo Nativitatis [2] Virginis Mariae, elegerunt fratrem Marquardum Parvum in Ministrum, et ipse *tertius* Minister computatur in Provincia Saxoniae, quia frater Conradus de Wormatia non computatur inter Ministros propter causam praedictam [3]. Frater Marquardus autem, factus Minister Saxoniae, Ordinis sui zelator magnus fuit et austerae vitae. Hic bonis benignus, malis durus et incorrigibilibus austerus exstitit. Hic in negotio Ordinis contra fratrem Heliam laborans, perpetuam infirmitatem incurrit, in qua etiam Minister electus est; propter quam infirmitatem, quia exempla austeritatis dare non potuit, quae aliis imperabat, oportuit ipsum absolvi. Tenuit tamen tria capitula, antequam absolutus fuit, videlicet in Erfordia, in Hildesia [4] et in Altenburgo, in quo fuit absolutus.

Frater Marquardus Parvus tertius Minister Saxoniae.

Frater autem Albertus, Generalis Minister, cum in officio praefuisset menses octo et dies aliquot, anno Domini 1240, decimo kalendas Februarii [5], migravit ad Dominum. Alibi legitur, quod frater Albertus tantum [6] tribus mensibus in officio vivens, circa festum Nativitatis Virginis Mariae diem clausit extremum. In alia etiam chronica dicitur, quod infra quinque menses a sua electione ab hac luce discessit. Frater autem Iordanus dicit, quod octo menses praefuit [7].

Anno Domini 1240, vacante post mortem fratris Alberti officio Generalis Ministri, dominus Papa Gregorius IX. non patiens, Ordinem diu esse sine Generali Ministro, vocavit capitulum generale coram se in festo Omnium Sanctorum Romae [8] celebrandum, cui capitulo ipse personaliter assistens, vota fratrum eligentium audivit.

Et quamquam quidam fautores fratris Heliae ipsum iterum pro Generali vellent et postularent, ordinante tamen [9] Deo, vir magnae reverentiae et scientiae, frater vi-

---

[1] Cfr. chron. XXIV Gen. f. 72. v. c. II, ubi haec passim. Vide Panfilo, l. c. c. XVIII. Sed auctor aliqua repetit, quae iam supra pag. 52 dixit.

[2] 8 Septembris 1239. Unde liquido sequitur, quod fr. Iohannes ab an. 1232-1239, et non usque ad an. 1240, ut D. Evers hic erronee animadvertit, officium ministerii Provincialis Saxoniae obtinuerit.

[3] Cfr. supra pag. 61.

[4] Cod. hic *Hyldensshem* et deinde *Aldenburch* pro *Altenburgo*, oppidum ad fluvium Pleis.

[5] 23 Ianuarii. — Salimbene, loquitur l. c. p. 17, 50 de Alberto et dicit p. 51: Anno Domini MCCXL mortuus est.

[6] Ita cod., ed. 1 vero incongrue *tamen*.

[7] Chron. XXIV Gen. f. 73. r. c. I. dicunt: «Sed subito flos aruit, nam in officio tantum VI mensibus vivens, circa festum Nativitatis Domini diem clausit extremum». — Errat etiam Wadding., qui l. c. ad an. 1230, n. VII. et 1244, n. I. dicit, Albertum infra paucos menses (et quidem 8 Septembris) mortuum, et capitulum ad eligendum novum Ministrum eodem anno 1239 in festo Omnium Sanctorum celebratum esse. — Cfr. Eccleston, l. c. collat. XII. XIII. et Panfilo, l. c. c. XX. n. 2. 7.

[8] Sed probabilius *Anagniae*, ubi tunc temporis Papa morabatur. Cfr. Bernard. a Bessa, l. c. f. 119. c. I; chron. XXIV Gen., f. 76. v. c. I, ubi tamen sibi ipsis contradicentia dicunt, circa an. 1239 capitulum celebratum fuisse.

[9] Ita clare et recte cod., ed. 1 vero *id.*

Frater Haymo quartus Generalis Minister post beatum Franciscum.

delicet Haymo, Anglicus, Minister Angliae post fratrem Albertum Pisanum factus, speculum totius honestatis magnusque theologus [1], in Ministrum Generalem fuit electus et ab eodem Summo Pontifice confirmatus.

Ibidem etiam facta est divisio Provinciarum Ordinis et numerus limitatus, ipso domino Papa praesente et volente.

Ipse etiam Minister Generalis voluit, ut tam sua quam Provincialium Ministrorum et Custodum potestas limitaretur per capitulum generale. Et tunc Custodes perdiderunt potestatem instituendi et destituendi locorum Guardianos.

Sub isto Generali intravit beatus Bonaventura de Balneoregio Religionem nostram [2].

Hic Generalis in alio capitulo definitorio, quod tenuit Bononiae, fecit illam rubricam de agendis in Missa, quae incipit: *Sacerdos indutus planeta* etc., et fecit divinum officium diligentius corrigi et rubricas alias suppleri de voluntate domini Innocentii IV. privilegiis declarata.

Ad istius Generalis mandatum praecellentes in theologia magistri, scientia et religiositate praeclarissimi, frater Alexander de Hales et frater Iohannes de Rupella [3], qui tunc mundo quasi duo luminaria magis magis [4] fulgebant, habita collatione cum fratribus Gaufrido [5], Custode Parisiensi, Roberto de Bastia et Rigaldo et aliis pluribus discretis et eruditis fratribus, scriptum valde utile super regulam ediderunt, quod nominamus [6] declarationem quatuor Magistrorum, et dicto Generali et Definitoribus ad generale capitulum transmiserunt.

Anno Domini 1241 frater Haymo, Generalis Minister, visitatis Provinciis Alamanniae, venit in Provinciam Saxoniae et capitulum tenuit in Altenburgo [7] in festo sancti Michaelis, et in eo fratrem Marquardum, Ministrum Saxoniae, absolvit et inde [8] recedens, fratrem Iordanum Vicarium instituit et fratrem Gottfridum Ministrum dedit.

Eodem anno, XI. kalendas Septembris [9], Romae feliciter obiit dominus Papa Gregorius IX, anno sui pontificatus quinto decimo, sepultusque est ante secretarium beati Petri in Vaticano iuxta corpus beati Gregorii Papae, Friderico [10] imperatore in sententia excommunicationis perdurante.

---

[1] Salimbene, l. c. p. 120 dicit: « Ego habui doctorem in theologia fratrem Humilem de Mediolano, qui Bononiae sub fr. Haymone didicerat ».

[2] Contra Wadding., qui l. c. ad an. 1243, n. II. dicit, S. Bonaventuram hoc anno Ordinem amplexatum esse.

[3] Id est La Rochelle in Gallia. — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 76. v. c. II, ubi illud verbotenus; Eccleston, l. c. collat. XIII. p. 243 seq.; Wadding., l. c. ad an. 1242, n. II.

[4] Bernard. a Bessa, de quo sumpsit auctor chron. XXIV Gen., legit *magna* pro *magis magis*.

[5] De Bria; cod. male *Ganfrido* et deinde *Basileta* pro *Bastia,* pro quo chron. Gen. *Baseta.*

[6] Ita cod., ed. 1 vero falso *nominatus.*

[7] Cod. hic vitiose *Aldenborch.* Cfr. supra pag. 62, nota 4. — Festum S. Michaelis est 29 Septembris.

[8] Ita clare cod., ed. 1 *idem.*

[9] Id est 22 Augusti; sedit 15 annos, 5 menses, 10 dies. — Paulo post in ed. 1 desideratur vocula *Papa* post *dominus.*

[10] Excommunicatus erat hic persecutor Ecclesiae, de quo cfr. Salimbene, l. c. p. 50, 58, an. 1227 et iterum 1239.

Defuncto Papa, senatus Romanus Cardinales ad Romanum Pontificem eligendum in domo quadam, ut moris est, inclusit, ubi, dum 11 hebdomadas in electione laborantes, non concordassent, ita ut unus eorum, scilicet dominus Robertus de Thuzim [1] ibidem propter aëris intemperiem, quae in Urbe tunc invaluit, diem clauderet extremum, tandem eodem anno, VI. [2] kalendas Novembris, in dominum Gaufridum, Cardinalem Episcopum Sabinensem, consenserunt et Coelestinum quartum nuncupaverunt. Qui statim tertio die morbo correptus, nec pallio nec infula functus, XVII. die, id est quarto idus Novembris clausit diem extremum. Sic quibusdam Cardinalibus ab Urbe dilapsis — metuebant enim iterato recludi — vacavit Sedes mensibus viginti duobus et diebus 14.

Coelestinus Papa quartus sedit dies XVII.

Papa igitur mortuo et Ecclesia vacante, quia, ut dicit Seneca [3], nemo potest diu fictam ferre personam, frater Helias non sufferens amplius suam fictam humilitatem, de loco Cortonae prorupit, multis fratribus associatus, vigore praedicti privilegii impetrati [4], videlicet, ut de fratribus qui vellent possent eum sequi, et stante discordia inter Ecclesiam et ipsum imperatorem Fridericum, vocatus ad consilium ipsius imperatoris, factus fuit ei multum familiaris et in tantam eius gratiam devenit, ut ipse imperator ipsius fratris consilio in omnibus uteretur et regeretur [5]. Qui etiam imperator misit ipsum fratrem Heliam ambasciatorem Constantinopolim ad pacem tractandam inter duos imperatores [6], ubi multa dona et reliquias plurimas ab imperatore Graecorum recepit. Et sic iterum facta est plaga insanabilis in Ordine. Nam propter favorem quem habebat imperatoris, Heliae maxima multitudo fratrum Ordinis coepit adhaerere. Quidam fratres dicebant, eum non fuisse rite et canonice absolutum ab officio generalatus; quidam autem dicebant contrarium, et sic tantam fecit in ordine scissuram, ut quod sanctus Franciscus praedixerat de futura divisione Ordinis in tres partes, tempore Heliae videretur impletum esse. Nam quasi duae partes sequebantur Heliam, et maxime qui mundum et temporalia diligebant. Et ideo fratres qui volebant redire ad vomitum [7], pecuniam possidere et per interpositam personam recipere, sequebantur omnes fratrem Heliam.

---

[1] Sub hoc nomine dictus Cardinalis inveniri non potest. Sine dubio est ille magister Robertus Ummarcote seu Somercote, Anglus, qui a Gregorio IX. creatus, e vita discessit VI. kalendas Octob. 1241 sub Coelestino IV, ut patet ex eius inscriptione sepulcrali, non autem, uti Ughellius cum nostro auctore vult, tempore conclavis, in quo agebatur de eligendo Pontifice, cum certo sciamus, Coelestinum renuntiatum fuisse Rom. Pontificem IX. kalendas eiusdem mensis. — Cfr. Ciaconius, l. c.

[2] Edit. 1 omittit numerum VI. — Sed hic est error calculi. Secundum Ciaconium et Wadding., l. c. ad an. 1241, n. XXXI, est electus IX. kalendas Octobris (23 Sept.), non autem VI. kldas Novembris (27 Octobris).

[3] Ad Neronem caesarem, De clementia l. I. c. 1. n. 7 (Edit. Augustae Taurinorum 1828, Ioseph. Pomba): Nemo enim potest personam diu ferre. Ficta cito in naturam suam recidunt.

[4] Cfr. supra pag. 61.

[5] Iam an. 1238 fr. Helias favore tam Papae quam imperatoris gaudebat; cfr. Salimbene, l. c. p. 11 et 167; et E. Winkelmann, Acta imperii ined. saec. XIII, Innsbruck 1880, p. 299.

[6] Scilicet Balduinum II. et Iohannem Vattatium, Graecorum imperatorem, ut dicit Affò, l. c. p. 93. Utrum ibi revera de pace egerit, difficile est dictu, cum nullum documentum historicum hoc clare dicat.

[7] Edit. 1 perperam *vomitam.* Alluditur ad illud Proverb. 24, 26: Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 77. r. c. I, ubi illud verbotenus.

Anno Domini 1242 frater Gottfridus intravit Provinciam Saxoniae et factus est Minister *quartus*. Hic autem in comedendo et bibendo temperatissimus fuit et communitatis amator et singularitatum persecutor. Hic bonis fratribus benignus et malis austerus fuit. Hic viam, quam frater Marquardus, suus antecessor, inceperat, tenuit et per tres annos et aliquot menses Provinciam laudabiliter rexit.

Frater Gottfridus quartus Minister Saxoniae.

Eodem anno frater Stephanus, olim Abbas Ordinis sancti Benedicti, et tunc inquisitor haereticae pravitatis a domino Papa institutus, in nocte Ascensionis Domini cum socio fratre Raymundo in partibus Tolosanis est ab haereticis cum aliis de Ordine Praedicatorum martyrio coronatus et in conventu Tolosano venerabiliter sepultus [1].

Anno Domini 1243, tanto schismate durante, domini Cardinales in urbe Anagnia congregati, VII. kalendas Iunii [2] elegerunt dominum Sinibaldum [3] Cardinalem, natione Ianuensem, in Papam, et ipse Innocentius IV. elegit nominari. Qui de Anagnia, ubi electus fuit, Romam veniens, omnium applausu suscipitur et statim, peractis quae de more in consecrandis coronandisque Pontificibus fieri consueverunt, de pace cum Friderico ineunda mentionem facit. Et Papa ipse primum consilio fratris Heliae cum imperatore visus est concordiam fecisse. Sed perturbata concordia, volens dominus Papa in Franciam pro concilio [4] celebrando proficisci, cum pervenisset Ianuam, audita tanta Ordinis divisione, ei compatiens iussit, Ianuae capitulum generale congregari.

Dominus Innocentius IV. Papa.

Anno Domini 1244 capitulum generale fuit Ianuae celebratum, ad quod ipse dominus Papa citavit fratrem Heliam et omnes complices eius et sequaces. Helias autem credens habere gratiam ex his quae pro honore Ecclesiae visus fuerat cum imperatore tractasse, ivit illuc cum maxima fratrum comitiva, ut turbatio ex hoc fieret inter fratres. Et post maturam excusationem cognoscens dominus Papa fraudulentiam fratris Heliae, ipsum statim omni gratia et privilegio impetrato privavit et privatum denuntiari fecit, et quod nullus frater eum de cetero sequeretur [5].

Frater Haymo, cum Ordini praefuisset annis tribus cum dimidio, obiit et in conventu Anagniae est tumulatus. Cuius sepulcrum his versibus decoratur:

Hic iacet Anglorum decus, et doctor [6] Haymo Minorum.
Vivendo frater hosque regendo pater,
Eximius lector, Generalis in Ordine Rector.

---

1 Festum eorum, a Papa Pio IX. 6. Sept. 1866 approbatum, 7 Iunii in Ordine celebratur.

2 26 Maii; sed electio erat VIII. kalendas Iulii (24 Iunii). Cfr. Ciaconius l. c..

3 Flisco (Fieschi), Cardinalem S. Laurentii in Lucina; sedit 11 annos, 5 menses, 14 dies.

4 Scilicet Lugdunensi primo.

5 D. Evers (ed. 1) hic annotat: Nondum excommunicatus! — Sed graviter errat; nam postquam Helias ab Ordine apostatavit et Friderico excommunicato adhaesit, erat iam ipso facto excommunicatus, nominatim autem eum excommunicavit Gregorius IX, ut Salimbene, l. c. p. 411, 412 bis dicit; quam excommunicationem, uti ex actibus processus Heliae clare patet (cfr. Aff°, l. c. p. 100), Innocentius IV. renovavit. — Quae hic narrantur de Helia, sicut omnia quae iam de eo dicta et adhuc dicenda sunt, inveniuntur etiam in Speculo vitae S. Franc. etc., f. 167-175 verbotenus. Cum eo conveniunt chron. Gen., quae tamen dicunt, « Heliam non venisse ad capitulum, quia litteras Apostolicas non receperit (quod nobis non improbabile videtur). Et ita eo non comparente Papa eum excommunicavit ». Cfr. Dominicus de Gubernatis, Orbis Seraphicus tom. I. p. 98.

6 Ita cod. cum Speculo vitae etc.; ed. 1 et Wadding., *decor*. — Haymo iam an. 1243 Ana-

Huic successit frater Crescentius de Aesio, venerabilis senex, homo iustus et disciplinae zelo probatus. Hic de singulis Provinciis bonos fratres ad conventum Romanum vocavit, ut ad Curiam transeuntes quique suae nationis fratres pro consilio invenirent. Sed cum Curia ad Lugdunum esset translata et ibi longam moram contraheret, fratres sic vocati ad suas Provincias sunt remissi.

Frater Crescentius de Aesio quintus Generalis.

Eodem anno dominus Conradus, rex Romanorum, filius Friderici imperatoris, Conradum de Rothe in favorem Fratrum Minorum in Norimberga immunem fecit privilegio sequentis tenoris:

Littera.

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Ierusalem, Butigulo sculteto [1] et universis civibus in Norimberga fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Dum iustis pauperum Christi desideriis favorabiliter inclinamur, et propriae saluti consulimus et iuxta traditae nobis a Deo potestatis officium alios ad caritatis opera provocamus. Cum itaque Fratres Minores propter Christum pauperem voluntariam elegerint paupertatem, nos ad eorum inopiam tam in aedificiis quam in aliis eorum usibus necessariis sublevandam, ad suae petitionis instantiam et vestrum consensum Conradum de Rothe, civem de Norimberga, virum utique Deum prae oculis habentem et honestum, praedictis fratribus in Norimberga degentibus procuratorem [2] ad omnia eorum negotia, iuxta quod necessitas et utilitas exegerit, promovenda, de plenitudine nostri consilii, videlicet: Godefridi de Hohenloch, Crastonis de Goppergh, Conradi de Schmidelvellt et aliorum familiarium, duximus statuendum, ita quod idem Conradus, quem propter fratrum negotia suas oportet frequenter utilitates omittere, ab omni exactione et precaria liber sit penitus et immunis; quam exactionem sive precariam ipsi pro animae nostrae remedio duximus remittendam, ut fratrum negotiis vacet diligentius et intendat, salvo tamen eo, quod per libertatem huiusmodi eidem Conrado audacia delinquendi non praestetur [3], cum peccata nocentum esse non debeant impunita. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis seu ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Nam quicumque contra hanc ordinationem sive remissionem nostram saepe dictum Conradum in exactione aliqua seu precaria vel alia quacumque vexatione, quamdiu in servitio fratrum existit, molestare praesumpserit, indignationem nostram se sentiet graviter incurrisse.

Datum apud Norimbergam, anno Domini MCCXLIV, vigesima [4] die Februarii, tertiae indictionis.

Frater autem Helias videns se confusum et tantam humilitatem non ferens, iterum ad imperatorem Ecclesiae rebellem se contulit, fugiendo a facie Summi Pontificis; quem ipse imperator recipiens, omnibus suis amicis et fidelibus imperialibus litteris

---

gniae mortuus erat. De quo et sequenti Generali Crescentio Grizzi ab Aesio (Iesi), quondam Ministro Provinciali Marchiae Anconitanae, cfr. Eccleston, l. c. collat. XIII. p. 244.

[1] Id est praetor, praefectus vel iudex oppidi.

[2] Edit. 1 *procuratis* et deinde *Chrascionis* pro *Crastonis* ac *Schmidevellt* loco *Schmidelvellt*, cum mendose substituit *statuendi* pro *statuendum*, quod cod. legit et contextus exigit.

[3] Ita cod., ed. 1 perperam *pateretur*.

[4] In ed. 1 desideratur *vigesima*.

tamquam personam propriam commendavit, sicque ad consilium [1] Ecclesiae rebellis imperatoris vocatus et ab eo promotus, ei adhaesit. Papa igitur haec audiens, Heliam anathematis vinculo et sententia excommunicationis innodavit [2]. Nihilominus cum praedicto imperatore per aliquod tempus discurrens, postquam idem imperator per Ecclesiam fuit condemnatus cum omnibus ei [3] consilium et auxilium praestantibus, factus est frater Helias rebellis sanctae matris Ecclesiae et apostata Ordinis, et cum dominus Papa habitu Ordinis privavit.

Et dum post aliquod tempus infirmaretur Cortonae usque ad mortem, eius germanus frater [4], laicus Ordinis bonae vitae et sanctae conversationis, audita eius infirmitate, venit ad visendum eum et inter alia dixit ei: « Frater carissime, multum doleo, te esse excommunicatum et sine habitu extra Ordinem, praesertim in tam gravi infirmitate. Si videres viam, qua tantis tuis periculis obviare possem, non parcerem labori ». Cui suffusus lacrymis, frater Helias respondit: « Frater mi carissime, aliam viam non video, quam quod vadas ad dominum Papam et eum ex nomine meo humiliter et cum lacrymis depreceris, ut amore Dei et beati Francisci, cuius monitis saeculum derelinquens hunc sanctum Ordinem intravi ac cuius Vicarius fui, me ab excommunicatione absolvat et habitum Religionis mihi restituat ac offensam [5] dimittat ».

Festinus igitur frater perrexit ad Pontificem Summum, qui tali adiuratione flexus — erat enim beato Francisco valde devotus — culpam ei dimisit, a sententia excommunicationis absolvit et habitum reddi iussit. Festinavit, his impetratis, frater ille vehementer redire ad fratrem Heliam, et eum adhuc viventem et quasi in extremis inveniens, absolutione ei papali denuntiata, habitum Ordinis etiam ei restituit. Quibus ille acceptis, migravit in pace. Delictum hoc legitur frater Helias multis lacrymis expiasse, et meritis et precibus beati Francisci, in quo multum confidebat, in vita et post mortem hoc impetrasse. In hoc tamen tantum scandalum Ordini suscitavit, ut quod Sanctus de proxima tribulatione praedixerat, tunc temporis impletum videretur. Hic frater Helias vir adeo sapientia, etiam humana, erat famosus, ut raros ei pares Italia putaretur [6] habere.

Cum autem frater Aegidius casum fratris Heliae audisset, prostravit se toto corpore super terram et stringens se cum ea, osculabatur eam. Interrogatus autem, cur hoc faceret, respondit: « Volo descendere ad terram, quantum possum, quia ille cecidit propter saltum suum miserabiliter, cum esset sapiens nimis et Generalis Minister, et in tantum periclitatus est ».

Ex dictis patet, quod unum verbum non cecidit ex ore sancti Francisci, quod non fuerit adimpletum. Cum enim ei fuisset revelatum, quod frater Helias erat damnan-

---

[1] Ita cod., ed. 1 non bene *concilium.*

[2] Edit. 1 *innotavit,* refragante cod.

[3] Edit. 1 male *et* pro *ei* et immediate post *patrantibus* pro *praestantibus,* quae verba cod. clare exhibet.

[4] Sed est error. Ille frater laicus vocabatur Giambonino, et erat Heliae familiaris, non autem eius frater germanus.

[5] Edit. 1 perperam *offensa.*

[6] Ita cod., ed. 1 *haberetur.*

dus et extra Ordinem moriturus, Sanctus eum[1] ex tunc in tantum horruit, quod nec eum videre nec ei loqui poterat. Quod frater Helias advertens, cum humili importunitate causam requisivit. Cui cum sanctus Franciscus revelationem sibi de eo factam reserasset[2] per ordinem, ille stupefactus, cum multis lacrymis beato Francisco supplicavit, ne ovem suam desereret, sed more boni pastoris requireret et a mortis aeternae faucibus liberaret. «Novit enim Deus, ait, revocare sententiam, si peccator mutet delictum. Ego, inquit, ad te tantam devotionem habeo, quod si essem in inferno, et tu pro me orares, levius crederem ferre poenas; et ideo ora pro me, et non dubito, quod Dominus sententiam mutabit». Cumque sanctus Franciscus pro eo ferventer oraret, responsum accepit a Deo, quod non damnaretur, sed extra Ordinem moriturus esset. Quod sic evenit, quia extra consortium fratrum obiit in Cortona, quamquam ei habitus fuerit restitutus, ut dictum est[3].

Frater Crescentius autem, Generalis Minister, praecepit universis fratribus, quod sibi in scriptis mitterent quidquid de vita et prodigiis sancti Francisci veraciter scirent, et fecit colligi opusculum quoddam, in modum dialogi editum, quod incipit: *Venerabilium gesta patrum*[4] etc.

Item, eius mandato inducti frater Leo, confessor beati Francisci, frater Angelus et frater Rufinus, quondam socii sancti Patris, multa, quae[5] de ipso Patre beato viderant et a fide dignis fratribus, videlicet Philippo Longo, Illuminato et Massaeo de Marignano et a fratre Iohanne, socio sancti patris Aegidii, audierant, per modum Legendae[6] in scriptis redegerunt et eidem Generali transmiserunt. Alii etiam plurimi quae noverant recollegerunt, et sic multa magnalia, quae Sanctus in diversis orbis partibus fecerat, fuerunt publicata. Et postmodum ex mandato eiusdem Generalis Ministri et generalis capituli compilavit frater Thomas de Celano[7] primum tractatum

---

[1] Edit. I perperam *cum*.

[2] Edit. I falso *reservasset,* refragante cod. — In chron. XXIV Gen., f. 77. r. c. II. et etiam in Speculo vitae S. Franc. etc. habentur narrata verbotenus, et etiam sequentia, quae tamen, sicut hic referuntur, omni probabilitate historicae veritatis carent, quamquam multum probabile credimus, fr. Heliam meritis et precibus S. Francisci ante mortem gratiam conversionis recepisse. Constat enim, Heliam post mortem S. Francisci defectus relatos commisisse, dum tempore Sancti viventis fuit Religiosus bonus (filium bonum eum dicit Thom. a Cel., Vita I. p. I. c. VII.). Cfr. Panfilo, l. c. cap. 18. n. III. seq.

[3] Supra pag. 67.

[4] Cfr. cod. ms. Taurinensis et Speculum vitae etc. in catalogo Gen., et chron. XXIV Gen., f. 80. v. c. II.

[5] Edit. I valde incongrue *multaque* pro *multa, quae.*

[6] Haec est Legenda, quae « Trium Sociorum » dicitur et an. 1246 confecta est, ut ex eorum epistola ad Generalem Ministrum directa patet.

[7] Cod., qui convenit hic et deinde verbotenus cum chron. XXIV Gen., f. 80. v. c. I, etiam semper mendose scribit *Thomas de Ceperano* (ut etiam Marianus, S. Antoninus et alii erronee exhibent) pro *Thomas de Celano,* qui scripsit duas Vitas Sancti, Vitam primam, « iubente domino et glorioso Papa Gregorio », ut ipse testatur in Prologo, et Vitam secundam, iubente fr. Crescentio, quae duae Vitae, ut opponantur Legendae *novae* dictae S. Bonaventurae, sub nomine generico « Legenda *antiqua* » comprehenduntur, uti manifeste apparet paulo inferius pag. 75. — Clare scribit Salimbene, l. c. p. 60: « Hic (Crescentius) praecepit fratri Thomae de Celano, qui primum Legendam beati Francisci fecerat, ut iterum scriberet alium librum, eo quod multa inveniebantur de beato

Legendae sancti Francisci, de vita scilicet et verbis et intentione eius circa ea quae ad regulam pertinent; quae dicitur *Legenda antiqua*, quam dicto Generali et capitulo destinavit cum prologo, qui incipit: *Placuit sanctae universitati vestrae* etc. Quam Legendam postea frater Bernardus de Bessa ad compendiosiorem formam reduxit, et incipit: *Plenam virtutibus* [1] etc., et demum sanctus Bonaventura [2] breviori et elegantiori stilo compegit.

Hic Generalis senex ingressus est Ordinem, satis peritus in iure canonico et medicina. Qui parum post factus Minister Marchiae [3], invenit in Ordine unam sectam fratrum non ambulantium secundum Evangelii veritatem, qui instituta Ordinis parvipendentes, aestimabant se aliis meliores, et ad libitum suum vivebant ac omnia spiritui attribuebant, portantes mantellos curtos usque ad nates. Quos [4] idem Minister valenter exstirpavit et delevit.

Hic cum per triennium rexisset Ordinem, absolutus est in capitulo Lugdunensi, et ipse electus fuit in Episcopum Assisinatem; sed dominus Papa Innocentius IV. dedit illum episcopatum fratri Nicolao eiusdem Ordinis, qui eius confessor et familiaris erat, et frater Crescentius in sua humilitate quievit [5].

Frater Iohannes de Parma sextus Generalis Minister post S. Franciscum.

Anno Domini 1245 [6] dominus Papa Innocentius IV. in festo sancti Iohannis Baptistae celebravit generale concilium in Lugduno, et ibidem [7] fuit capitulum generale celebratum, in quo, absoluto fratre Crescentio, cum ipse et frater Haymo annis septem praefuissent, est [8] ei frater Iohannes de Parma substitutus, vir utique scientia et religiositate praeclarus, maximus paupertatis et humilitatis amicus, qui de studio Parisiensi, ubi Sententias legerat, ad ministerium fuit assumptus.

Frater quoque Gottfridus, Minister Saxoniae, cum annis tribus et mensibus ali-

---

Francisco, quae scripta non erant. Et scripsit pulcherrimum librum tam de miraculis quam de vita, quem appellavit: *Memoriale beati Francisci in desiderio animae*»; et habet prologum supra citatum. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1244, n. X. et 1249, n. III, ubi de duabus Vitis et tractatu miraculorum loquitur et recte Thomam de Celano auctorem nominat; chron. Iord., l. c. 19.

[1] Haec exstat in cod. manusc. bibl. Taurinensis.

[2] Cfr. Salimbene, l. c. p. 60.

[3] Eccleston, l. c. collat. XIII. p. 244, dicit erronee: Minister Veronae.

[4] Ita cod., ed. I perperam *quod.*

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 82. r. c. I. et Wadding., l. c. ad an. 1244, n. XI.

[6] Cod. potius 1247 legit; sed certo mendose, cum concilium Lugdunense I. an. 1245 celebratum fuisse constet. Itaque cum res, quae in sequenti referuntur, an. 1245 evenerint, hunc annum servandum esse duximus.

[7] Id est 1247, ut recte dicit Wadding., l. c. ad hunc annum, n. I-III, et etiam Salimbene confirmat, l. c. p. 62 et 137 dicens: «Sed et eodem millesimo (scil. 1247)... factus erat fr. Iohannes de Parma Generalis Minister in generali capitulo celebrato Lugduni, in mense Augusti, Papa Innocentio IV. ibi morante». Errat itaque D. Evers, paulo inferius ad verbum *septem* annotans: Calculi error! «quinque annis».

[8] Cod. et ed. valde incongrue *et.* — De Iohanne de Parma cfr. Salimbene, l. c. p. 125-137; Eccleston, l. c. collat. XIII. p. 244; chron. XXIV Gen., f. 82. r. c. II. et Wadding., l. c. ad an. 1247, n. III. seq., 1256, n. II-XVII, 1277, n. I, 1278, n. XXXI.

quot[1] praefuisset, in hoc Lugdunensi capitulo[2] est absolutus, et frater Conradus de Brunopoli, Hildesiensis lector, Vicarius est institutus. Et eodem anno in capitulo Hallensi, in Nativitate beatae Virginis celebrato, idem in Ministrum Saxoniae est electus et circa festum sancti Martini confirmatus. Hic in pace sibi per antecessores suos acquisita Provinciam[3] in disciplina et rigore et magna maturitate et observantia Ordinis gubernavit, et cum praefuisset annis fere sexdecim[4], labore fatigatus et attaediatus, cum multorum fratrum dolore et cum maxima importuna instantia obtinuit cessionem.

Frater Conradus de Brunopoli quintus Minister Saxoniae.

Frater Conradus de Coeli Porta Minister Superioris Alamanniae.

Mortuo autem Terderico, Ministro Superioris Alamanniae, et in Augusta sepulto, qui fuerat vir mirae perfectionis et sanctitatis, substitutus est frater Conradus de Coeli Porta[5], vir magni zeli et disciplinae amator.

Illo autem ipso tempore per Fridericum, ab imperio sententialiter depositum in concilio Lugdunensi[6], valde vexati sunt fratres nostri et de locis suis in multis provinciis confusibiliter eiecti, multi[7] detenti, aliqui etiam interfecti, quia mandatis Ecclesiae obedientes, tamquam filii piae Matri viriliter astiterunt; quod praeter Fratres Minores nulli alii Religiosi fecerunt[8].

Tunc etiam temporis Sigfridus, Moguntinus Archiepiscopus, fratribus gravis fuit.

Et in praedicto concilio Lugdunensi Papa statuit, Octavam Nativitatis beatae Mariae Virginis ab omnibus Clericis et Religiosis annuatim solemniter celebrari. Item statuit, ut iudex in excommunicando iuris ordinem non servans sit suspensus per mensem ab officio[9] et ingressu ecclesiae. Si secus fecerit et divinis se ingesserit, ipso facto sit irregularis, a qua[10] solus Papa dispensare potest et non alius (Extrav. de sententia excommunicationis: Cum medicinalis, lib. VI.).

Praedicto anno 1245[11] obiit frater Iohannes Spirensis, Guardianus. Hic fuit oriundus de Steyncalsi (?) oppido et in civitate Moguntina enutritus, et Canonicus fuit in ecclesia sancti Petri. Semper autem pie, devote, honeste ac caste cum gratia Dei vixit. Qui zelo Spiritus sancti accensus ad perfectionem evangelicam, dimissis omnibus, Ordinem Minorum est ingressus, in quo laudabiliter multis annis conversatus, in ma-

---

[1] Cfr. supra pag. 65.

[2] Sed hoc certo est error calculi, cum an. 1245 generale capitulum Lugduni non celebratum sit.

[3] Edit. 1 perperam *Provincia.*

[4] Vide inferius ad an. 1262.

[5] Circa an. 1244, dicunt chron. anon. l. c. p. 290.

[6] Cfr. Salimbene, l. c. p. 61 et 68: « Anno MCCXLV depositus est Fridericus praedictus imperator ab imperio ab Innocentio Papa IV. apud Lugdunum, civitatem Galliarum in pleno congregato concilio ».

[7] Edit. 1 falso *multum.*

[8] Cfr. chron. anon. l. c. p. 290. Wadding., l. c. ad an. 1244, n. 1; Huillard-Bréholles, histor. diplomatica Friderici II. IV, 2. p. 701; Höfler, Kaiser Friedrich II. p. 701.

[9] Ita cod., ed. 1 *officiis.*

[10] Supple irregularitate.

[11] Cod. iterum potuis legit 1247; sed mendose. Cfr. supra pag. 69, nota 6.

gnis virtutibus et gratiis excrescens, ita ut Deo et hominibus esset dilectus. Hic puerum, in Bruxella in aqua soffocatum, voto emisso ab parentibus de eius tumulo visitando in Spira, a mortuis suscitavit, duodeviginti contractos erexit, duos caecos illuminavit, paralyticos duos curavit, mutis loquelam et aliis pluribus beneficiis sanitatis concessit; lampas super eius sepulcrum pendens, duodeviginti vicibus exstincta, sine humano ministerio est accensa [1].

Eodem etiam anno, XII. kalendas Septembris [2], obiit venerabilis pater et magister Ordinis nostri, frater Alexander de Hales, de Anglia oriundus, sepultus in conventu Parisiensi in ecclesia fratrum, in cuius sepulcro tale epitaphium continetur:

Gloria doctorum, decus et flos philosophorum,
Auctor scriptorum, vir Alexander, variorum.
Norma modernorum, fons veri, fons [3] aliorum,
Inclytus Anglorum fuit archilevita; sed horum
Spretor cunctorum, Fratrum collega Minorum
Factus egenorum, fit [4] primus doctor eorum.

Similiter eodem anno Papa Innocentius dictus misit ad regem Tartarorum fratrem Iohannem de Plano Carpinis, olim Ministrum Theutoniae et etiam postea Saxoniae, et fratrem Stephanum Bohemum ac fratrem Benedictum Polonum, ut ipsum a persecutione Christianorum coercerent. Qui [5], ut ipse testatur in libello, quem de Tartaris conscripsit, ibi fuit per annum et quatuor menses, et ultra inter eos mansit et ambulavit. A Summo namque Pontifice Innocentio IV. mandatum acceperant, ut omnia quae apud eos erant, diligenter scrutarentur tam ipse quam frater Benedictus Polonus, socius suae tribulationis et particeps laborum. De istius fratris Iohannis de Plano Carpinis peregrinatione refert etiam frater Vincentius Ordinis Praedicatorum, in Speculo historiali. libro XXXII, capitulo II. et III. et XIX. usque ad capitulum XXVI. inclusive. Cui placet scire, perlegat librum praedictum [6].

Anno Domini 1246, insurgentibus aliquibus dubiis inter fratres, dominus Papa Innocentius IV. Lugduni existens, pontificatus sui anno tertio regulam super orta dubia declaravit. In qua declaratione concedit, quod Ministri Provinciales possint committere receptionem fratrum ad Ordinem suis Vicariis et aliis idoneis fratribus de consilio Discretorum, quod prohibitum fuit ad declarationem domini Gregorii IX.

Eodem anno electus fuit dominus Henricus, lantgravius Thuringiae, frater domini Ludovici, mariti sanctae Elisabethae, in regem Romanorum contra Fridericum. Qui in odium Friderici Conradum, filium Friderici, cum suo exercitu in conflictu apud

---

[1] Cfr. chron. anon. l. c. p. 290, de quibus sumpsit Wadding., l. c. ad an. 1245, n. XVIII; Barthol. Pis., l. c. f. 69a scribit *Stenical* pro *Steyncalsi;* est forsan theutonice Stendal in Borussia.

[2] 21 Augusti. — Secundum Martyrologium Franciscanum autem 13 kalendas Nov. (20 Octobris).

[3] Wadding. melius *lux*.

[4] Ita recte cod., ed. 1 *fuit*.

[5] Scil. Iohannes de Plano Carpinis.

[6] Constat, Ioh. de Plano Carpinis, Ministrum Theutoniae et legatum ad Tartaros, unum eundem esse. De quo cfr. Salimbene, qui l. c. p. 83-88 expresse dicit, se Iohannem redeuntem ex Tartaria apud Lugdunum an. 1247 vidisse atque cum eo locutum esse; chron. XXIV Gen., f. 81. r. c. II.; Wadding., l. c. ad an. 1245, n. IV, ubi etiam habentur litterae papales ad regem Tartarorum.

Francofurtum [1] in die sancti Dominici [2] vicit et fudit. Hic rex Henricus multum fovit fratres Ordinis in Saxonia.

Anno Domini 1247, Fratres Minores in Benosowia [3] receperunt locum, collatum per dominum Tobiam, praepositum Pragensem. Qui Tobias postea in eodem loco, factus Frater Minor, vitam finivit.

Anno Domini 1248, tertio idus Februarii, in nocte factus est terrae motus. Et eodem anno dominus Ludovicus, rex Franciae, transfretavit mare [4].

Anno Domini 1249 beatus Ludovicus, rex Franciae, Damiatam, civitatem Saracenorum fortissimam, in Octava sanctae Trinitatis miraculose cepit.

Anno Domini 1250 dominus Ludovicus, rex Franciae, captus fuit ab infidelibus. Quo facto, quidam apostata Ordinis Cisterciensis, Iacobus nomine, finxit, sibi stellam locutam esse, quod rex deberet a pastoribus liberari. Congregans ergo quasi omnes pastores totius occidentis, venit cum illis in Franciam, ubi Iacobo sententialiter condemnato, continuo dispersi sunt pastores [5]. Rex autem pro sua liberatione dedit centum millia marcarum argenti et civitatem Damiatam, et alias munitiones, quas priori anno ceperat, reddere compellitur.

Eodem anno in festo sanctae Luciae [6] obiit Fridericus imperator reprobatus et depositus, sub cuius tyrannica persecutione invaserunt Saraceni monasterium sanctae Clarae, sed eiusdem Sanctae orationibus miraculose repulsi fuerunt.

Anno Domini 1251 dominus Papa Innocentius IV. recessit de Lugduno in Italiam post annos sex cum dimidio, quibus fuerat in Lugduno [7].

Et eodem anno quidam privati magistri Parisius coeperunt contra Mendicantes Religiosos insurgere, inceptore malorum Gulielmo de sancto Amore, theologiae doctore, qui [8] ad sobrietatem non sapiens, contra dictorum Mendicantium statum libellum diffamatorium promulgavit asserens, eos non esse in statu salvandorum, et eis mendicitatem non esse meritoriam neque paupertatem, cum deberent propriis manibus laborare. Intitulabatur autem tractatus ille: «Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum», cuius principium erat: *Ecce videntes clamabunt foris* etc. Et frater Bertrandus de Baiona [9] de Provincia Aquitaniae pro fratribus Religiosis Mendicantibus splendide peroravit et positiones Gulielmi totaliter improbavit, ita ut ipse doctor blasphemus stupens diceret: «Vel tu es Angelus, vel diabolus, vel Strabo de Baiona». Ille enim frater Bertrandus realiter erat strabo [10].

---

1 Cod. hic et semper scribit *Francfurt*.

2 Id est 5 Augusti, quo obiit. Henricus, cognominatus «Raspe», mortuus est 17 Februarii 1247.

3 Edit. contra cod. *Benosawia*, aliter Benessow, Benessau, nunc Beneschau in Bohemia.

4 De hoc et sequentibus cfr. Salimbene, l. c. p. 147 et 160.

5 De quo cfr. Salimbene, l. c. p. 225 ad an. 1251.

6 13 Decembris, in Florentino (Fiorentino), oppidulo Apuliae in Italia; cfr. Salimbene, l. c. p. 166, et de sequenti chron. XXIV Gen., f. 82. r. c. II.

7 Cfr. Salimbene, l. c. p. 226.

8 Edit. I *qūa*, refragante cod. — Cfr. Salimbene, l. c. p. 131 et 233.

9 Id est Bayonne in Gallia.

10 «Hoc enim nomine ille frater audiebat saeculo, antequam initiaretur, et sub hac appellatione valde celebris erat in populis». Ita Marian. chron. c. 22. — Cfr. Salimbene, l. c. p. 19, 129, 130, chron. XXIV Gen., f. 82. v. c. I. et Wadding., l. c. ad an. 1256, n. XXX. seq.

Et eodem anno idem frater Bertrandus reversus Lemovicas[1] ad capitulum provinciale, ibidem obiit.

Anno Domini 1252, XVI. kalendas Octobris[2], dominus Raynaldus Cardinalis et Episcopus Hostiensis, Ordinis protector, auctoritate papali, Curia in Perusio residente, regulam, quam beatus Franciscus et sanctae Clarae et suis sororibus tradidit observandam[3], regulae Fratrum Minorum multum conformem, confirmavit et sigilli sui munimine roboravit, pontificatus domini Innocentii Papae IV. anno decimo[4].

Anno Domini 1253 idem dominus Innocentius Papa Assisii in conventu sancti Francisci ex devotione residens, cum mira solemnitate canonizavit sanctum Stanislaum, Episcopum Cracoviensem[5], in Polonia olim martyrizatum ab iniquo principe Boleslao, et ad honorem eiusdem Sancti ecclesiam et capellam dedicavit eodemque die ibidem Missam celebravit, et beatam Claram graviter infirmam cum Cardinalibus visitavit, et ad invicem de salute animae locuti sunt sufficienter.

Eodem tempore dictus Papa regulam sanctae Clarae praefatam confirmavit V. idus Augusti[6], et sub Bulla beatae Clarae et eius sororibus destinavit, pontificatus sui anno XI, et post triduum, ingravescente infirmitate, post Christi et eius Matris cum virginum comitatu visitationem, ancilla Christi Clara diem clausit extremum. Cuius exsequiis dominus Papa affuit et Missam de Virginibus dicere praecepit, quasi eam ante exsequias canonizare videretur. Respondente vero domino Raynaldo, morosius in his fore agendum, Missa de mortuis dicitur, et sermone dicti Cardinalis vita eius admirabilis commendatur.

Frater Iohannes de Parma, Minister Generalis, multiplicatis litteris praecepit fratri Thomae de Celano[7], ut vitam beati Francisci, quae antiqua Legenda dicitur, perficeret, quia solum de eius conversatione et verbis in primo tractatu, de mandato fratris Crescentii olim Generalis, compilato, omissis miraculis[8], fecerat mentionem, et sic secundum tractatum de miraculis sancti Patris compilavit, quem cum epistola, quae incipit: *Religiosa vestra sollicitudo* etc. eidem Generali misit.

Anno Domini 1254 consecrata est ecclesia Fratrum Minorum in Benosowia[9].

Eodem[10] anno missus est frater Iohannes de Parma a domino Innocentio IV. ad Iohannem, imperatorem Graecorum, et Manuelem, Patriarcham Constantinopolitanum, ut tractaret cum eis de Graecia Romanae Ecclesiae unienda, cum litteris multae recommendationis, in quibus eum *pacis Angelum* nominavit. Ubi idem Generalis in hac legatione multum vita et sanctitate aedificavit tam Imperatorem quam suos,

---

[1] Cod. et ed. I male *Lemonicas,* est Limoges in Gallia.

[2] 16 Septembris.

[3] Edit. I *tradiderat observendam* pro *tradidit observandam,* refragante cod.

[4] Cfr. de hoc et sequentibus chron. XXIV Gen., f. 82. v. c. I. et Wadding., l. c. ad an. 1252, n. XVIII.

[5] Cod. mendose *Croviensem.* — Martyrizatus est an. 1079; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1252, n. XIX. et 1253, n. I. seq.

[6] 9 Augusti; Bulla immediate post citata habetur apud Wadding., l. c. ad an. 1253, n. V.

[7] Cod. iterum mendose *de Ceperano;* cfr. supra pag. 68, nota 7.

[8] Ita clare cod., ed. I *intraculis.*

[9] Cfr. supra pag. 72, nota 3.

[10] Ita etiam chron. XXIV Gen., f. 83. r. c. II. Est tamen error; missus enim erat iam an. 1249

quam Clerum et populum universum, et supra dicta [1] unione legatos solemnes et mitti litteras per dictos Imperatorem et Patriarcham domino Papae cum apparatu magno procuravit. Sed illi legitimo impedimento compulsi sunt redire; alii tamen cum aequali solemnitate missi fuerunt, et illud negotium feliciter consummatum fuisset, nisi eodem anno et Papa et Imperator ipse ex hac vita decessissent. Et ideo negotium ulterius non processit.

Nam eodem anno dominus Papa Innocentius IV. in [2] festo sanctae Luciae Neapoli moritur, pontificatus sui anno duodecimo.

Et eodem anno dominus Raynaldus Cardinalis, Ordinis protector, assumitur ad papatum et Alexander IV. elegit nominari.

Alexander Papa IV. electus anno Domini 1254.

Postea ipse Generalis Minister cum aliquibus Ministris ab ipso domino Papa aliquem Cardinalem in protectorem Ordinis iuxta regulam postulavit. Quibus benigne respondens dominus Papa dixit, quod, quamdiu viveret, vellet esse immediate Ordinis protector [3].

Anno Domini 1255, pontificatus sui anno primo, canonizavit dominus Papa Alexander IV. sanctam Claram virginem, primam plantulam Ordinis Dominarum [4] sancti Damiani, quem Ordinem instituit fidelis et prudens servus Dei Franciscus.

Anno Domini 1256 in capitulo, Romae in festo Purificationis [5] beatae Mariae Virginis celebrato, electus est absens in Generalem Ministrum beatus Bonaventura de Balneoregio, magister theologiae, domino Papa Alexandro praesidente. In quo capitulo ordinatum fuit, quod de beata Clara fiet de cetero festum duplex. Ibidem etiam frater Iohannes de Parma absolutus fuit, cum Ordini annis decem praefuisset.

Beatus Bonaventura VII. Generalis Minister post beatum Franciscum electus anno 1256 Romae.

His temporibus frater Bertholdus de Ratisbona Ordinis nostri, eximius praedicator, exsequens iniunctum sibi praedicationis officium, tantum [6] profecit universitati tam Cleri quam populi, ut omnium in cordibus et auribus fuerit admirandus.

In praedicto capitulo in praesentia dominorum Cardinalium et 350 Fratrum Minorum dominus Alexander Papa devote ac publice protestatus est, se corporeis ocu-

---

et reversus 1251. Cfr. Salimbene, l. c. p. 148; Eccleston, l. c. collat. XIII; Wadding., l. c. ad an. 1249 et Panfilo, l. c. cap. 201 n. XIX.

[1] Edit. I male *supradicta*.

[2] Edit. I contra cod. adiungit incongrue *et* ante *in*.

[3] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 83. r. c. II.

[4] Ita clare cod., ed. I vero *dominicanarum*. — Cfr. Wadding. l. c. ad an. 1255 n. V, et supra pag. 7.

[5] 2 Februarii 1256, id est secundum illos qui computabant annum ab incarnatione Domini (25 Martii); secundum computum nunc consuetum erat 1257, sicut expresse testatur Salimbene, qui l. c. pag. 137 dicit: « An. Domini MCCXLVII factus fuit (Iohannes de Parma) Generalis Minister... Decem annis Ordinem Fr. Min. laudabiliter rexit: ultimum capitulum, quod sub eo celebratum fuit... factum est Romae in festo Purificationis an. D. MCCLVII... et omnes consenserunt in Bonaventuram, qui praefuit XVII annis ». — Cfr. de sequentibus Wadding., l. c. ad an. 1256, n. I.

[6] Edit. I male *tamen*, refragante cod. — De Bertholdo cfr. Salimbene, l. c. p. 335, seqq.; chron. XXIV Gen., f. 74. r. c. II; Carl Unkel, Berthold von Regensburg, Köln 1882.

lis vidisse stigmata beati Francisci. Absolvit etiam coram Cardinalibus, stans in sua magnifica gloria, omnes Fratres Minores tam praesentes quam absentes professos ab omnibus peccatis et peccatorum poenis, ut infra octo dies confiterentur, et ab omni vinculo excommunicationis, canonis et hominis et a simoniis, dispensavit cum eis de irregularitatibus contractis sive in Ordine sive ante ingressum Ordinis, et ratificavit omnes absolutiones, quas fecerunt ubique terrarum, si auctoritatem in aliquo non habuissent; Ordinem denuo confirmavit et dedit publice omnibus concurrentibus illuc, vere poenitentibus, omnibus futuris capitulis generalibus celebrandis, semper et ubique unum annum et quadragenam indulgentiarum. Praeterea, dedit futuris capitulis provincialibus centum dies indulgentiae.

Eodem anno Domini 1256 idem dominus Papa Ezelinum, tortorem [1] Christianorum, interfectorem sexaginta Fratrum Minorum et aliorum fidelium plurimorum, persecutorem sacrae fidei catholicae pro haeretico adiudicavit, et omnes fautores eius sententialiter excommunicavit et damnavit et a sancta Dei Ecclesia tamquam membra putrida et morbida praescidit, in littera Apostolica, quae incipit: *Scandalum fidei, malum Italiae et macula populi iste Ezelinus* etc. Qui Ezelinus tandem datus in reprobum sensum, se ipsum fame et inedia interfecit, nequaquam cibum sumere volens.

Anno Domini 1257 quidam magistri Parisienses in theologia, scilicet Gulielmus et Christianus et Odo, duplici corde composuerunt libellum infamiae contra Fratres Minores et Praedicatores. Ipsum librum, ipsis magistris praesentibus, Anagniae dominus Papa Alexander IV. sententialiter condemnatum, combussit in audientia [2]. Destituit quoque eosdem magistros ab officio et beneficiis perpetuo; fratres quoque utriusque Ordinis idem dominus Papa solemniter restituit famae suae, scribens Praelatis et Clericis universis, fratres praefatos esse in statu perfectionis et de numero salvandorum, ceteris paribus.

Anno Domini 1258 dominus Papa Alexander IV, pontificatus sui anno quarto, misit sub Bulla sua quandam regulam sororibus sancti Damiani de Brienna, sub qua vivunt monasteria Burgundiae ac Rhemense et multa monasteria Aquitaniae.

Anno Domini 1259 dominus Papa Alexander IV. rigorem regulae praedictae misericorditer temperavit, pontificatus sui anno quinto.

Anno Domini 1260 beatus Bonaventura, Generalis Minister, celebravit Narbonae generale capitulum, in quo constitutionibus Ordinis formam et ordinem dedit. Et ibidem canones poenitentiales eiusdem Generalis ad profectum simplicium fratribus sunt publicati et incipiunt: *Iudaei tabernaculo* etc. Et ibidem est ordinatum, quod fratres de Provincia Aquitaniae festum de sancto Martiali VII. die Iulii facerent.

Anno Domini 1261 obiit frater Tobias [3], quondam praepositus Pragensis, qui aedificavit locum in Benosowia Bohemiae, sepultus in medio chori eiusdem loci.

---

[1] Auctoritate Iohannis Vitodurani (Vitodurum, theutonice Winterthur, est oppidum Helvetiae), in cuius chron. (quae continentur libro « Corpus historicum medii aevi », ed. a Io. Georgio Eccardo, tom. I. Francofurti et Lipsiae, apud Io. Pautum Kraus 1743) pag. 1744 invenitur totus passus de Ezelino quasi ad verbum, adiunximus hoc verbum *tortorem,* quod in cod. nostro excidit. — De tyranno Ezelino cfr. Salimbene, l. c. p. 75, 179, 182.

[2] Domini magistri Alberti, Ordinis Praedicatorum, adiungit Ioh. Vitoduranus, l. c. — Cfr. Salimbene, l. c. pag. 233, Wadding., l. c. ad an. 1256 et 1257, et Panfilo, l. c. cap. 21. n. VIII.

[3] Vide supra pag. 72, ad an. 1247.

Anno Domini 1262, in die sancti Urbani Papae [1], obiit Viterbii sanctae memoriae Papa Alexander IV. et ibidem est sepultus, et cessavit episcopatus [2] usque ad decollationem S. Iohannis Baptistae [3], discordantibus Cardinalibus in electione, et tunc elegerunt dominum Iacobum, natione Gallicum ex civitate Trecensi [4], Patriarcham Ierosolymitanum, et Urbanus IV. est vocatus.

Dominus Urbanus Papa quartus, qui Clarissis regulam dedit.

Eodem anno Perusii obiit sanctae memoriae frater Aegidius, unus de primis sociis sancti Francisci, de quo dicebat beatus Bonaventura Generalis, quod ei pro speciali gratia concessum [5] est a Domino, ut in his quae ad bonum animae pertinent, adiuvaret invocatus [6].

Eodem anno Domini 1262 frater Conradus de Brunopoli in capitulo Halberstadiensi est absolutus, et in eodem capitulo, III. kalendas Maii, in primo scrutinio frater Bartholomaeus [7], quondam Minister Austriae, in Ministrum Saxoniae concorditer est electus et ibidem per fratrem Conradum auctoritate fratris Bonaventurae, Generalis Ministri, confirmatus. Et vocatus, quia absens electus fuit, ad petitionem fratrum, licet cum dolore, electioni de se factae consensit et capitulo eidem praesedit et cum consolatione fratrum terminavit. Hic praefuit quasi per decem annos et capitula in Provincia celebravit: 1um Erfordiae 1263; 2um Stendalii [8]; 3um Dresdae; 4um Gorlitii; 5um Brunopoli; 6um Lipsiae; 7um Nordhusae; 8um Lubeci; 9um Brandenburgi antiquae. Mortuo autem fratre Conrado de Coeli Porta, Ministro Superioris Alamanniae, successit ei frater Albertus, quem frater Bonaventura, Minister Generalis, confirmavit [9].

Frater Bartholomaeus sextus Minister Saxoniae.

Anno Domini 1263, in Octava dominicae Resurrectionis, translatum fuit corpus beati Antonii de Padua ad praegrandem ecclesiam, in eius honorem constructam. Cuius lingua post annos triginta duos recens et rubicunda reperta est, quam praesens frater Bonaventura Generalis reverenter in manibus accipiens dixit: *O benedicta lingua* [10] etc.

Frater Albertus Minister Superioris Alamanniae sive Argentinae.

Eodem anno fuit capitulum generale Pisis in die Pentecostes celebratum, in quo

---

1 Id est 25 Maii; sed erronee dicitur an. 1262, cum Alexander IV. iam an. 1261 mortuus sit. Cfr. Salimbene, l. c. p. 242.

2 Scilicet Romanus.

3 29 Augusti.

4 Cod. et ed. 1 mendose *Cortensi.* Iacobus Pantaleo enim erat natus *Trecis,* gallice Troyes.

5 Ed. 1 contra cod. *consessum.*

6 Ita etiam chron. XXIV Gen., f. 99. v. c. II. et Wadding., l. c. ad an. 1262, n. XVII. seq.; sed Aegidius mortuus est in festo S. Georgii (23 Aprilis) 1261. Cfr. Panfilo, l. c. cap. 15. n. V.

7 De quo cfr. chron. Iordani, l. c. Prologus.

8 Cod. legit Standel (theutonice Stendal in Borussia); et deinde Dresen (theut. Dresden, urbs regni Saxoniae); Godelitz (theut. Görlitz in Silesia); Brunschwick; Liptz (theut. Leipzig); Nordhusen (theut. Nordhausen); Lubeck (theut. Lübeck).

9 Hic explicit ed. 1.

10 Quae semper benedixisti Dominum et alios benedicere fecisti, nunc manifeste apparet, quanti existis meriti apud Deum. Cfr. chron. XXIV Gen., f. 105. v. c. II. et Wadding., l. c. ad an. 1263 n. XIII-XIV.

aliquae rubricae [1] Breviario additae sunt, praesente Bonaventura. Celebrato eodem capitulo, idem Generalis petivit a domino Papa Urbano IV. dominum Iohannem Gaietanum, sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconem Cardinalem, in Ordinis protectorem, quamvis idem dominus Papa dominum Ancherum [2], nepotem suum, dare voluisset. Sed non acceptantibus fratribus, dictum Iohannem concessit, qui postea factus Papa, dictus fuit Nicolaus III, tamquam pater Ordini praecipua devotione coniunctus.

Praedicto domino Iohanne ad protectorem Ordinis deputato, accidit, quod fratres ex certis temeritatibus Dominarum sancti Damiani, quibus sibi ius ministeriorum ab Ordine vendicabant, fratribus petentibus et generali capitulo ordinante et domino ipso protectore assistente, ab earum obsequiis fuerunt absoluti per dominum Papam Urbanum IV, adiecta declaratione, quod Ordo nullo eis debito teneretur. Unde etiam dominus Papa alium eis protectorem praefecit, scilicet dominum Stephanum, Cardinalem et Episcopum Praenestinum [3]. Sed quia hic volebat quasi ex auctoritate fratres ad dictarum obsequia Monialium revocare, factum est, quod uni tantum, scilicet domino Iohanni praedicto, uterque Ordo fuit commissus. Qui dedit eis regulam, quam nunc habent, in qua nulla fit mentio de Fratribus Minoribus, sed immediate subiiciuntur Ordinis protectori. Quam misit eis sub Bulla domini Papae Urbani IV. anno Domini 1264, pontificatus eius anno tertio, et ibi intitulantur: *Sorores sanctae Clarae;* sub qua [4] vivunt omnia monasteria Alamanniae et Italiae [5].

Hic Papa Urbanus IV. instituit [6] celebrare festum Corporis Christi et ipse, congregata magna multitudine tam Cleri quam populi cum Cardinalibus et Pontificibus, praedicare praecepit solemniter crucem in subsidium Terrae Sanctae, et Fratribus Praedicatoribus et nostris Minoribus per litteras Apostolicas stricte dedit in mandatis, eandem crucem per Dei Ecclesiam praedicare cum larga indulgentia, quam in litteris misit.

Anno Domini 1264 cometes insignis magnitudine apparuit per tres menses; et ultima die Septembris dominus Papa Urbanus ex hac vita migravit Viterbii, pontificatus sui anno IV, et ipsa nocte, qua Urbanus Papa obiit, cometes disparuit. Deinde vacavit Sedes mensibus quinque et

Anno Domini 1265 dominus Guido Fulcodii [7], Cardinalis et Episcopus Sabinensis, olim Archiepiscopus Narbonensis, in festo S. Agathae est electus, qui Clemens IV. elegit nominari. Hic dominus Papa fratri Bonaventurae, Generali Ministro, archiepiscopatum Eboracensem in Anglia pinguissimum contulit; sed ipse de Parisius ad praesentiam domini Papae se contulit et tanto gradui tam efficaciter quam humiliter cessit.

Clemens Papa quartus 1265 electus.

---

[1] De quibus cfr. chron XXIV Gen., l. c. et Wadding., l. c. ad an. 1263, n. XVI.

[2] Cod. mendose *Antherum.*

[3] Cod. et chron. XXIX Gen. hic et semper scribunt vitiose *Penestrinum;* est enim Praeneste vel hodie Palestrina, oppidum Italiae.

[4] Supple regula.

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 166. r. c. I. et Wadding., l. c. ad an. 1263, n. XVII.

[6] Non hoc anno, sed 1264.

[7] Cod. mendose *Gwido Falcadii.* Oriundus erat ex civitate S. Aegidii, gallice Saint Gilles. — Festum S. Agathae est 6 Februarii.

Inter ipsum Clementem Papam et Manfredum, ducem Apuliae, bellum ingravatum est pro patrimonio sancti Petri, quod praefatus Manfredus Ecclesiae violenter abstulerat.

Anno Domini 1266 fuit capitulum generale Parisius celebratum, et ibi fuit definitum, quod in singulis conventibus Datarium [1] habeatur et ante « *Pretiosa* » secundum ordinem legatur, quae « *Pretiosa* » immediate post Primam legatur, etiamsi tunc Missam contigerit celebrari.

Item, in vigilia Nativitatis Domini, cum pronuntiatur in Datario: *Iesus Christus in Bethlehem* etc., et in passione Domini, dum legitur: *Et inclinato capite, emisit spiritum*, et simile; omnes ad terram se prosternerent propter tanti beneficii memoriam et summam dignationem Domini Dei nostri Iesu Christi.

Item, in oratione *A cunctis* a nomine gloriosae Virginis usque « et in omnibus Sanctis » inclinent se fratres in festis, et in diebus ferialibus genuflectant.

Item, quod in Missa conventuali ad elevationem Domini duo cerei, ubi commode haberi poterunt, accendantur.

Item, moneantur fratres, ut uniformiter se habeant in officio Missae secundum ordinationem et rubricam illam, quae incipit: *Indutus planeta sacerdos.*

Praecedenti anno Domini, videlicet 1265, decimo kalendas Februarii [2], misit frater Bonaventura, Generalis Minister, litteras de Lugduno domino Decano et toti Capitulo in Sarburgo in Provincia Argentinae, annuens desiderio eorum, et fratri Alberto, Ministro Superioris Alamanniae, dedit in mandatis, ut ad petitionem dictorum dominorum Decani et Capituli Sarburgensis fratres Ordinis nostri ad civitatem Sarburgensem mittat, ut ibidem iuxta eorum desiderium residentiam faciant; et ab illo tempore est ibi conventus Sarburgensis. Mandavit etiam fratri Gottfrido, ut in Provinciam Alamanniae se transferret ad manendum.

Anno Domini 1266 Clemens Papa, missis litteris, dedit fratribus nostris in mandatis, crucem per Alamanniam praedicare fideliter et instanter contra Soldanum Babyloniae. Quas litteras domini Papae frater Albertus, Minister Alamanniae, sub sigillo domini Engelberti, Archiepiscopi Coloniensis, recepit sub tali forma:

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis suis Ministris Provincialibus et Custodibus et Guardianis Fratrum Minorum in Alamannia, Dacia, Swecia, Bohemia et Polonia, praesentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gementibus olim dilectis filiis, magistro et praeceptoribus etc. et infra. Universitati vestrae per Apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo, mandamus ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus in Bohemiae, Daciae, Sweciae ac Norwegiae regnis, et in Frisiae, Poloniae, Pomeraniae ac Curlandiae [3] regionibus, nec non in Magdeburgensi, Bremensi, Moguntinensi, Coloniensi, Salisburgensi provinciis ac civitatibus et dioecesibus, quae in Livoniae et Curoniae et Prussiae subsidium a Sede Apostolica sunt concessa etc.

---

[1] Datarium, quod est proprie liber (Necrologium dictum), in quo data et tempus obitus annotantur, hic significat Martyrologium, in quo agitur de Sanctis, et quod semper in choro in « Prima » legitur.

[2] 23 Ianuarii.

[3] Cod. mendose *Gorlandiae.*

Dictas litteras misit frater Albertus, Minister Alamanniae, fratri Wernhero, Custodi Bavariae, ut omnes fratres Guardianos et praedicatores incitaret ad crucem praedicandam; quod et fideliter fecerunt. Unde hac occasione eodem anno Albertus, lantgravius Thuringiae, et Otto de Brandenburgo cum filio suo, et Albertus etiam, dux de Brunopoli, atque multi alii in Prussiam peregrinando contra paganos cum signo crucis profecti sunt. Et quia hiems saevis erat, eodem tempore nihil proficientes, ad propria sunt reversi.

Eodem etiam anno facta est congressio in Apulia inter Carolum [1], fratrem regis Franciae Ludovici, et Manfredum, ducem Apuliae, filium quondam Friderici imperatoris, in qua Manfredus victus occubuit et cum pluribus millibus occisus est, non longe a Benevento. Occiso Manfredo dissipatoque eius exercitu, dominus Papa Clemens dictum Carolum honore et gloria sublimavit et fecit eum regem Siciliae. Et hic fuit avus sancti Ludovici Episcopi.

Duo de Ordine Minorum felici transitu ex hoc saeculo migrantes, videlicet frater Petrus, Minister Calabriae, et frater Gulielmus, confessor Christi et presbyter in Tuderto, Domino declarante merita sanctitatis eorum, plurimis et stupendis miraculis claruerunt, in tantum ut quatuor mortuos resuscitaverint.

Ipso etiam tempore subiugavit sibi Soldanus [2] Babyloniae, profanus hostis Christi et Ecclesiae, Terram Sanctam, quam Salvator noster proprio sanguine consecravit, videlicet Ierusalem, Nazareth, Bethlehem, Betphage, sepulcrum Domini etc. Cepit quoque perfodiens castrum munitissimum Templariorum, quod dicitur Saphet, in quo Fratres Cruciferos et alios Christianos inventos duris vinculis constrinxit, ad duo millia et plures. Hos omnes Soldanus singillatim examinari iussit, publicam de vita eius dando promissionem, quicumque ex eis Christum Iesum et fidem negarent, et Mahometum, illum nequam seductorem, colerent. In illa tam periculosa ac valida tentatione fidelium duo Fratres Minores, videlicet frater Iacobus, Custos fratrum, et eius socius, frater Ieremias, sincerissimi servi Dei, zelo fidei accensi, constantissime per medium captivorum discurrentes, singulariter universos et universaliter singulos in fide catholica confortabant; ex quibus octo timore mortis impulsi, fidem negantes publice apostataverunt. Ceteri omnes in confessione nominis Christi perseverantes, pariter decollati sunt, Soldano iubente. Ultimo post omnes ipsi duo fratres capitalem sententiam subeuntes, glorioso martyrio coronati sunt.

Alii quoque septem fratres, socii ipsorum, iubente Melthasar, Soldano Aegypti, in Syria similiter decollati sunt [3].

Eodem anno, videlicet 1266, obiit frater Wernherus, vir vitae venerabilis, praedicator et confessor, et sepultus est iuxta fratrem Gottfridum. Nam frater Gottfridus, Westfalus, in Erfordia pluribus annis providus pro curis fratrum, utique fidelis in commisso, in senectute bona defunctus et sepultus, apparuit in oratione cuidam religiosae matronae dixitque ei: « Vade ad fratres et nuntia ex parte mea, quod frater

---

[1] Cod. vitiose semper *Karulum.* — Cfr. Salimbene, l. c. p. 244, 245, et Wadding., l. c. 1266, n. I. II.

[2] Nomine Bendocdar.

[3] Cfr. Wadding., l. c. 1266, n. IX, et Marinus Sanutus, Secreta fidelium crucis super Terrae Sanctae recuperatione et conservatione, lib. III. part. XII. c. VIII.

Wernherus de Magdeburgo sequetur me et iacebit iuxta me ». Hoc nuntiatum et factum est eo anno, quo et ille defunctus est.

Anno Domini 1267 [1] cruce signati sunt in subsidium Terrae Sanctae Ludovicus, rex Franciae, rex Angliae, rex Aragoniae, rex Navarrae, Carolus, rex Siciliae, frater regis Franciae et filii regis Franciae, Archiepiscopus Rothomagensis et multi alii comites, milites et cives et virorum bellatorum multa millia.

Hoc anno idibus Octobris [2] in Viterbio est canonizata per dominum Clementem Papam IV, pontificatus eius anno tertio, venerabilis Hedwigis, olim ducissa Poloniae, quae post suum felicem transitum plurimis prodigiis miraculorum claruit. Cuius translatio in episcopatu Vratislaviensi per dominum Guidonem, Cardinalem legatum Apostolicae Sedis, VII. kalendas Septembris facta est. Haec Hedwigis fuit matertera sanctae Elisabethae ac Belae, regis Hungariae, et filia Bertholdi, ducis de Merano, soror Gertrudis, reginae Hungariae, fuitque mater Henrici, famosi ducis Poloniae et Silesiae, quem strenue pugnantem infideles Tartari occiderunt. Ipsius autem dominae Hedwigis confessor fuit frater Herbordus de Ordine Fratrum Minorum.

Anno Domini 1268 dominus Iohannes Cardinalis, Ordinis protector, videns, quod Ordo sanctae Clarae deficeret et in regulari observantia diminueretur, nisi esset sub cura Fratrum Minorum, sicut olim ante editam regulam per dominum Papam Urbanum IV. fuerat, rogavit fratrem Bonaventuram, Ministrum Generalem, ut ob amorem ipsius consentiret, ut in cura sororum ipse in persona propria et per fratres suos praestaret auxilium opportunum. Cui idem Generalis consensit. Et tunc idem Cardinalis misit litteras singulis Ministris sub sigillo protectoratus et Commissarii, et fratri Alberto, Ministro Alamanniae, destinavit litteras sequentis tenoris:

Iohannes, miseratione divina sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis, religioso viro in Christo dilecto fratri N., Ministro Fratrum Ordinis Minorum in administratione Alamanniae Superioris, salutem in Domino.

Cum regiminis Ordinis sanctae Clarae cura nobis ex commissione Apostolicae Sedis incumbat, venerabilem virum Generalem Ministrum tui Ordinis attente rogavimus, ut in cura huiusmodi exsequenda per fratres suos nobis praestaret auxilium opportunum. Porro [3], idem Generalis Minister nobis in hoc humiliter condescendat super ministeriis ecclesiasticis nec non et visitationibus per eosdem fratres dicto Ordini exhibendis, quibus suis litteris tradidit certam formam; nos quoque Ministris Provincialibus ac visitatoribus taliter per Ordinem assignatis vel etiam assignandis, quantum ad huiusmodi requirebatur officium, auctoritatem nostram commisimus, formam et modum exsecutionis ipsius quibusdam nostris litteris exprimentes. Sane decursu temporis sic officio procedente, nuper ex parte Religiosorum virorum, dilectorum in Christo filiorum fratrum tui Ordinis Definitorum ac totius capituli tuae Provinciae, nec non et dilectarum in Christo filiarum Abbatissarum et sororum monasteriorum eiusdem Provinciae Ordinis sanctae Clarae nobis exstitit intimatum, quod dicta

---

[1] Sed potius an. 1268; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1268, n. I.

[2] Secundum Martyrologium Romanum S. Hedwigis obiit die 15 Octobris an. 1243; eius festum Innocentius VII. 16. kldas Nov. (17 Octob.) celebrari indulsit. Bulla canonizationis autem: *Exultat*, data est VII. kldas Aprilis (26. Martii 1268), uti Bullarium Romanum et Ciaconius, l. c. exhibent.

[3] Supple *cum*. Deinde loco *condescendat* exhibet cod. lectionem dubiam.

monasteria a statu laudabili, quem habuerant hactenus tam in spiritualibus quam in temporalibus, non mediocriter collabuntur etc.

Datum Viterbii, tertio idus Februarii anno 1268, pontificatus domini Clementis Papae IV. anno tertio.

Eodem anno Conradinus rex, filius Conradi regis et Friderici quondam imperatoris nepos, Italiam intrans cum exercitu contra Carolum, domino Papa Clemente existente in Viterbio et de eo dicente, quod tamquam ad victimam iret, bello cum Carolo rege commisso, captus est et apud Neapolim iussu dicti Caroli regis decollatur IV. kalendas Novembris [1]. Prius tamen cuidam fratri de Ordine Minorum pluries confessus fuit cum sociis, et audita Missa, corpus dominicum sumpsit et dixit spatatario: « Ignosco tibi, quod me occidis », terque figuram dominicae crucis faciens brachiis super terram. Cum eo decollatus est Fridericus dux, filius Hermanni quondam marchionis de Bada [2] et ducis Austriae. Subsequenter in eodem mense Novembri in die sancti Chrysogoni [3] Clemens quartus, cum sedisset annis tribus, mensibus novem, diebus viginta duobus, obiit, qui in papatu nunquam Romam intraverat, et Viterbii sepelitur. Ex tunc vacavit Sedes annis duobus et mensibus novem propter discordiam Cardinalium, Domino permittente ad malum Christianitatis [4].

Anno Domini 1269 frater Bonaventura, Generalis Minister, celebravit generale capitulum Assisii, in quo fuit definitum, quod ob reverentiam Virginis gloriosae quolibet sabbato solemniter cantaretur una Missa, quando fieri poterit bono modo, ad cuius etiam honorem fratres praedicarent populo, quod, quando auditur campana maior conventus, trina vice dicatur *Ave Maria.* Item, quod in festo Angelorum in Septembri [5] fiat duplex officium iuxta morem Ecclesiae Romanae. Item, quod solemniter fieret officium in honorem Sanctorum, in quorum vocabulis constructae sunt ecclesiae fratrum, ita tamen, quod iteratio antiphonarum non fieret, et commemotiones solitae nec preces in Prima et Completorio aliquatenus omittantur. Item, quod fratres non dent sacramentum Communionis alicui in die Paschatis, nisi de licentia Superiorum vel parochialium sacerdotum, nec etiam in extremis, nec excludant sacerdotes parochiales, cum ad eorum confessiones audiendas vocantur, qui sunt in extremis et in articulo mortis constituti. Item, ut quando post Missam non dicitur aliquod officium, dicant fratres « Pater noster » et « Dominus det nobis suam pacem ». Item, quod erecti stent fratres, quando cantatur « Alleluia ». Item, nulli fratres utantur vasis stanneis in mensis neque pro se vasis aut crateris vitreis in conventu. Item prohibitum fuit, quod Eremitae recipiantur ad Ordinem nostrum.

Responsiones ad consultationes vide in Speculo fratrum per me annotatas circa tempora Bonaventurae et Bonagratiae, Generalium Ministrorum.

---

[1] 29 Octobris. — Cfr. Iohannes Vitoduranus, l. c. p. 1741.

[2] Cod. *Paden,* theut. Baden (lat. etiam Thermae inferiores vel austriacae), magnus ducatus.

[3] 24 Novembris. — Sed secundum Salimbene, l. c. p. 248, Wadding. et Ciaconium in vigilia S. Andreae, 3. kldas Decembris (29 Nov.) obiit.

[4] Cfr. Salimbene, l. c. p. 259, qui dicit: « Et steterant Christiani propter divisionem, quae erat inter Cardinales, sine Papa per tres annos et menses novem et dies XXI »; et pro sequenti capitulo p. 251.

[5] Die vigesima nona dicti mensis.

Iste Generalis frater Bonaventura ordinavit Parisius pro fratribus studentibus de toto Ordine illuc accedentibus, quod secundum quatuor nationes, scilicet Hispanicam, Alamannicam, Lombardicam et Romanam, essent quatuor assistentes, qui pro studentibus utilia proponerent et humiliter procurarent [1]. Sed heu! non mansit haec ordinatio in tali intentione, sed facta est laxatio regularis disciplinae, et pro utilibus vana et curiosa procurantur et pomposa.

Eodem anno, videlicet 1269, martyrizati sunt in Syria a Soldano Babyloniae et satellitibus eius septem alii Fratres Minores pro catholica fide. Qui postquam martyrium compleverunt, unus ex eis, videlicet frater Conradus de Hallis, sacerdos, decollatus in mare a perfidis proiectus est. Et ecce! duo clara luminaria, tam Christianis quam Saracenis videntibus, apparuerunt in littore circa corpus eius, unum ad eius caput, aliud supra corpus per continuum triduum. Ascendentibus etiam procellis maris in altum, luminaria non exstinguebantur. Quo miraculo territi, Saraceni fugerunt dicentes: «Deus Christianorum pugnat pro eis».

Ibidem, id est in Syria, in exercitu Caroli, regis Siciliae, unus Frater Minor, Guardianus, et cum ipso decem alii fratres Ordinis in suo claustro capti et vestibus spoliati, nudi ducti sunt ad vendendum per exercitum, quos Deus propter ipsorum innocentiam per quendam Abbatem Ordinis sancti Benedicti a vinculis et opprobrio liberavit, qui dato pretio eos redemit.

Anno Domini 1270 Bela, rex Hungariae, germanus sanctae Elisabethae, quinto nonas Maii, hoc est in festo Inventionis sanctae Crucis [2], feliciter obiit, et paululum post mortem eius obiit etiam Maria regina, uxor eius, Graeca, et Strigoniae in ecclesia Fratrum Minorum sunt sepulti. Horum corpora fecit Philippus, Archiepiscopus Strigoniensis, exhumari et contra iura in sua cathedrali ecclesia tumulari. Super quo facto causa coram Summo Pontifice diu ventilata, Fratres Minores eadem corpora cum honore ex integro rehabere meruerunt et ea coram Virginis ara gloriosius recondiderunt. Versus:

Aspice rem caram, tres cingunt Virginis aram:
Rex, dux, regina, quibus adsunt gaudia trina.
Dum licuit, tua dum viguit, rex Bela, potestas,
Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honestas [3].

Reliquit [4] filium Stephanum quartum, qui fuit pater Mariae, matris sancti Ludovici, Episcopi Tolosani Ordinis nostri, et Roberti, regis Siciliae, et aliorum.

Similiter obiit eodem anno christianissimus rex Francorum, Ludovicus, in peregrinatione ultra mare, et filius eius, nomine Iohannes. Navigaverat cum ipso rege ultra mare cruce signatus dominus Rigaldus, Archiepiscopus Rothomagensis et doctor Parisiensis Ordinis Minorum, in subsidium Terrae Sanctae, et multi Religiosi de Ordine Minorum et Praedicatorum, inter quos fuerunt frater Iohannes de Prisco et frater Walterus de Hoyo. Sed post mortem regis aliqui redierunt [5].

---

1 Cfr. chron. XXIV Gen., f. 107. r. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1269, n. IV.

2 3 Maii.

3 Ita Wadding., l. c. ad an. 1275, n. III. IV, sed cod. legit corrupte *res bella* pro *rex Bela*.

4 Scilicet Bela.

5 Cfr. Salimbene, l. c. pag. 255, 256.

Eodem anno Egra [1] civitas exusta est, et in ecclesia Fratrum Minorum quatuor fratres et cum ipsis centum homines et ultra combusti sunt, Domino permittente.

Anno Domini 1271, prima die Septembris, cum Sedes Apostolica vacasset ferme tribus annis, domini Cardinales in Viterbio congregati elegerunt dominum Theobaldum [2], archidiaconum Ecclesiae Leodiensis, cum esset ultra mare, et Gregorium decimum nominaverunt.

Dominus Gregorius Papa decimus electus 1271.

Frater Conradus Probus Minister Provincialis Superioris Alamanniae.

Eodem anno, absoluto fratre Alberto, Mininistro Alamanniae, in capitulo loco eius electus est frater Conradus Probus, lector conventus Constantiensis. Qui cum aliquot annis Provinciae praefuisset, factus fuit Episcopus Tullensis in Lotharingia, anno Domini 1280, ut inferius dicam.

Frater Conradus de Brunopoli septimus Minister Saxoniae.

Anno Domini 1272 in capitulo Magdeburgensi reelectus fuit frater Conradus de Brunopoli, qui etiam fuerat Minister Saxoniae ante fratrem Bartholomaeum. Qui Provinciam satis religiose rexit aliquot annis. Celebravit capitula in Brema, Prislaviae [3], Mulhusae, Friburgi, Hildesiae, Berlini, et dum iret ad capitulum generale Assisii tunc, id est anno Domini 1279, celebrandum, Bononiae infirmatus passione calculi et aliis infirmitatibus obiit.

Anno praedicto, id est 1271, decimo septimo kalendas Decembris [4], obiit reverendus et religiosissimus pater frater David, in Augusta sepultus, socius fratris Bertholdi de Ratisbona, qui scripsit libellum de exterioris et interioris hominis compositione secundum triplicem statum, videlicet incipientium, proficientium et perfectorum, et brevem expositionem super regulam Fratrum Minorum, ut clarius habetur in eius Legenda, quam in maiori chronica posui. Hora obdormitionis eius revelata fuit fratri Bertholdo actu Ratisbonae praedicanti, qui recommendans eum populo, hunc versum:

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit et quietus,
Vita dum praesens [5] etc.

in eius laudem dixit.

Et sequenti anno, hoc est 1272, in festo sanctae Luciae [6] virginis obiit etiam feliciter ipse frater Bertholdus de Ratisbona, praedicator magnus in diversis provinciis, videlicet in Thuringia, in Bohemia, ubi habuit interpretem fratrem Petrum, cog-

---

1 Theutonice Eger in Bohemia.

2 Secundum Ciaconium vocatur Thebaldus (Salimbene Tedbaldus, Wadding. Thealdus) et erat cives Placentinus et e Vicecomitum familia. — Leodia est theut. Lüttich in Belgio.

3 Rectius Primislaviae; cod. legit Brema (theutonice Bremen), Prislaviae (theut. Prenzlau), Molhusen (theut. Mühlhausen), Vriborg (theut. Freiburg im Breisgau), Hyldeszhem, Berlin.

4 15 Novembris, contra chron. anon. l. c. p. 290, de quibus deprompsit Wadding., l. c. ad an. 1272, n. XV, quae referunt, eum obiisse an. 1272.

5 Scil. vegetavit eius, corporis artus.

6 13 Decembris. — De fratre Bertholdo cfr. auctores hic nota 4. citatos, Ioh. Vitoduranum, l. c. p. 1746, et supra pag. 74, nota 6.

nomento Oderincium, sepultum in Glatio [1], et ibidem praedicavit frater Bertholdus in campo sub tilia, quae usque hodie dicitur *Bertholdi,* quam ego oculis meis vidi prope Glatium. Huius praedicatoris verba utilia et magnifica facta, ut alterius Heliae, peccatores convertentia ad Dominum fuerunt. Nam multos Hungaros convertit, cum infideles Cumani multos seduxissent. Verbum eius quasi facula ardebat, posuit enim Deus os eius quasi gladium acutum. Super caput ipsius in Thuringia a fide dignis Religiosis utriusque sexus, cum sermonem faceret, plures coronae fulgidae videbantur. Hic sepultus iacet in ecclesia Fratrum Minorum Ratisbonae iuxta murum versus ambitum et pluribus miraculis a die transitus sui claruit, sicut latius continetur in maiori chronica.

Frater autem Petrus Oderincius eius interpres, dum in Bohemia praedicaret, sepultus est in Glatio, et ipse suscitavit puerum mortuum duodecim milliaria adductum, videlicet de Potanis (?) [2] Poloniae.

Tempore autem fratris Bonaventurae, Generalis Ministri, dominus Papa Gregorius X. ad partes Graeciae viros providos et discretos ac in officiis Ordinis probatos, scilicet fratrem Hieronymum de Asculo [3], tunc Ministrum Slavoniae, et socios, quos ei dictus Generalis obtulit, ut Graecos et Tartaros reducerent, relictis erroribus, ad Ecclesiae unitatem.

Anno Domini 1272 dominus Papa Gregorius X, priori aestate electus [4], cum solemni comitatu et glorioso apparatu in Quadragesima intravit urbem Romam, et Carolum Gallicum confirmavit in regem Siciliae. Ante hunc Papam per undecim annos nullus Papa intraverat urbem Romam propter discordiam et rebellionem Romanorum. Cum hic Pontifex ambulavit in Urbe, Balduinus [5], Constantinopolitanus imperator, et Carolus, rex Siciliae, quasi famuli pedes ambulantes duxerunt equum, cui Papa insedebat, hinc et inde frenum tenentes coram omni multitudine usque ad locum debitae stationis.

Hoc tempore in Nussia [6] civitate, quae sita est iuxta Coloniam Agrippinam cis Rhenum, quidam devotus frater, videlicet frater Nicolaus Ordinis nostri, feliciter ex hoc saeculo migravit, cuius sanctam vitam Pater misericordiarum, Deus, per magna et multa miracula declaravit. Nam febres sedat, caecos illuminat, mortuum unum resuscitavit.

Anno Domini 1273 consules et iudices Erfordiae cum universitate confregerunt domum fratrum Augustiniensium, non patientes, eos habitare Erfordiae.

Eodem anno convocati principes in Francofurtum ad electionem novi regis, in die sancti Remigii Episcopi elegerunt dominum Rudolphum, comitem de Habsburgo, quondam magistrum Curiae Ottokari, regis Bohemiae, in Romanorum regem, licet absentem. Postea in brevi, id est IX. kalendas Novembris [7], fuit idem electus rex

---

[1] Cod. hic et deinde scribit *Glatz,* civitas Borussiae in Silesia.

[2] Ita cod., sed inveniri non potuit.

[3] Cod. et chron. XXIV Gen. f. 107. v. č. I. legunt hic et deinde mendose *Esculo;* est enim Ascoli in Piceno. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1272, n. III, et Panfilo, l. c. cap. XXI. n. 24.

[4] Vide supra pag. 83.

[5] Cod. *Baldewinus.*

[6] Theutonice Neuss.

[7] 23 Octobris. — Festum S. Remigii est 1 Octobris.

Aquisgrani in throno Caroli Magni per Archiepiscopum Coloniensem unctus et coronatus. Hic rex multum dilexit Ordinem fratrum Minorum, et filiam suam Deo et beato Francisco in Ordine sanctae Clarae Basileae primum obtulit tempore procedente sub fratre Hieronymo [1], Generali Ministro.

Eodem anno secundum chronicam Saxoniae fuit frater Bonaventura, Generalis Minister, a domino Papa Gregorio X. ad cardinalatum assumptus et ab eodem in propria persona Lugduni Episcopus Albanensis ordinatus. Sed secundum chronicam Ordinis fuit anno 1274 de urbe Parisiensi Lugdunum per dictum dominum Papam vocatus et coactus recipere cardinalatum et episcopatum praedictum, et tunc fuit generale concilium mense Maio ibidem inchoatum [2].

Anno Domini 1274 dominus Papa Gregorius X. indictum concilium generale Lugduni coepit celebrare in festo Apostolorum Philippi et Iacobi [3], ubi narravit somnium suum dicens: «Quando navigavi in mari, videbatur mihi, quod omnes submergi haberemus; sed Christus apparens mihi et manu apprehendens me dixit: Gregori, nolo, quod submergaris; volo, quod vivas et Papa fias, et Ecclesia per te recuperet Terram Sanctam atque Graecos». Huc usque visio Papae. Ita nomen Papae et officium papale fuerunt ei revelata, antequam eligeretur in Papam.

Frater Hieronymus de Asculo octavus Minister Generalis post sanctum Franciscum 1274.

Eodem anno celebratum fuit capitulum generale in Lugduno per dominum fratrem Bonaventuram Cardinalem, et ibi electus fuit frater Hieronymus de Asculo de Provincia Marchiae, tunc legatus ad Graeciam, de qua legatione nondum reversus fuerat [4].

In eodem autem concilio beati Bonaventurae praesentia et sapientia a Deo videbatur in defensionem Mendicantium Ordinum praeparata contra multos et magnos adversarios. Erant in ipso concilio tres Praelati de Ordine Minorum, ad dignitatem assumpti, viri scientia et religiositate clarissimi, videlicet dictus dominus et frater Bonaventura Cardinalis, dominus frater Otto Rigaldi, Archiepiscopus Rothomagensis, et Episcopus Tripolitanus, qui ex iussione domini Papae praesidebant et negotia concilii pertractabant. Quod quidam attendens, motus invidia, sequentes versus composuit:

Rothomagensis anus et Praesul Tripolitanus
Et Bonaventura tractant papalia iura,
Ordinis immemores, qui tales spernit honores [5].

---

[1] Qui erat successor fr. Bonaventurae et electus 1274. — Cfr. Salimbene, l. c. pag. 375.

[2] Utrumque chronicon aliquo modo errat. Nam S. Bonaventura, quinto capitulo generali Pisis in mense Iunii 1272 habito, reversus est Lutetiam Parisiorum, ubi a festo Paschatis an. 1273 usque ad Pentecosten coram magistris Universitatis et multitudine Religiosorum praeclaros illos sermones in Hexaemeron vel de septem luminaribus Ecclesiae fecit, quos tamen finire non potuit. Papa enim Gregorius X. tertio Iunii eum Cardinalem et Episcopum Albanensem designavit eique mandavit, ut in Italiam rediret et dignitatem acciperet. Nuntio accepto, Sanctus Parisios reliquit et in Italiam reversus, recepit in conventu fratrum in Mugello prope Florentiam insignia cardinalatus; quo facto, profectus est una cum Papa Lugdunum ad celebrandum concilium, ubi in mense Novembris 1273 pervenerunt. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1273.

[3] 1 Maii.

[4] Cfr. supra pag. 84.

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 107. v. c. 1, et Wadding., l. c. ad an. 1274, n. III.

In capitulo autem generali, Lugduni celebrato, inter cetera fuit inhibitum, ut nullum locum de novo fratres reciperent sine speciali licentia Ministri Generalis, nec de novo inciperent aedificare in aliquo fundo, nisi primo constaret capitulo provinciali, quod nullus posset in dicto fundo ius aliquod vendicare. Praeceptum est etiam Ministris, quorum Provinciae de receptione pecuniae nomine oblationis hactenus exstiterunt, ut quod non fiat, inhiberent firmiter et districte. Item, quod amoverentur cippi et altaria quaestuaria. Insuper, quod et pueri arceantur ab interiori servitio infirmariae et coquinae; et quod constitutionem de clausis cameris non habendis diligenter facerent observari; et quod a studiis fratrum removerentur clausurae tam ostiorum quam velaminum quoruncumque, nec aliquatenus permittant, quod mulieres comederent in domibus fratrum. Iste paragraphus totus ponitur sub praecepto.

In eodem generali capitulo Custodia Cracoviensis ad Provinciam Bohemiae, sed Vratislaviensis et Budensis[1], quae nunc Aurei Montis[2] dicitur, adiunctae sunt Provinciae Saxoniae. Siquidem tempore fratris Bonaventurae, Generalis Ministri, 1262 ad instantiam cuiusdam fratris et unius alterius, Commissariis destinatis ad Bohemiam, Bohemi et Moravi in Praga congregati sunt pro capitulo celebrando, Poloni vero in Vratislavia; et Custodia Moraviae coniuncta est Provinciae Austriae, et Custodia Budensis Saxoniae, et separatae a Bohemia; sed post quatuor annos redditae sunt Provinciae Bohemiae. Post quinque vero annos iterum orta fuit dissensio inter fratres Bohemos et Theutonicos in capitulo Pragensi, ut aliqui eorum appellarent ad Generalem Ministrum; cui appellatione postea in capitulo Gorlitiensi[3] renuntiaverunt in manus fratris Raymundi et fratris Mansueti Commissariorum. Et in dicto capitulo Pragensi fratres Bohemi et Poloni potiores ac plures, si iam non Ministrum, sed Vicarium instituerunt; et ex tunc caruit Provincia aliquot annis electione Ministri, et dabatur ei Minister de capitulo generali. Crescentibus vero malis, anno elapso 1269, in capitulo generali, Assisii celebrato, Custodia Cracoviensis Provinciae Hungariae adiungitur, et Budensis iterum Saxoniae. Sed anno Domini 1274 in capitulo Lugdunensi Cracoviensis Custodia rediit, sicut dictum est.

Igitur nondum finito concilio Lugdunensi, rediit frater Hieronymus de Asculo, legatus ad Graecos, cum solemnibus nuntiis Graecorum ad concilium, et honorifice suscepti sunt, Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis et Praelatorum maxima multitudine ad dimidiam leucam eis obviam euntibus, quos et dominus Papa laetis lacrymis ad osculum suscepit. Deinde ipso domino Papa Gregorio X. Missarum solemnia celebrante, interfuerunt Graeci et symbolum cum confessione articuli de processione Spiritus sancti ter successive cantaverunt, ad hoc informati per eorum interpretem, fratrem Iohannem de Balastri[4] de Constantinopoli de Ordine Fratrum Minorum, sufficienter in utroque lingua, videlicet graeca et latina, eruditum; et tunc pacem et unitatem cum ceteris fidelibus acceperunt, primatum sanctae Romanae Ecclesiae recognoscentes, licet postmodum recidivarunt in pristinos errores. Pro iucundo adventu Graecorum dominus frater Bonaventura sermonem gloriosum habuit

---

[1] Id est theutonice Breslau in Silesia et Bautzen (Budissina) in regno Saxoniae.

[2] Vel Aurimontium, Goldberga, theut. Goldberg in Silesia.

[3] Cod. *Gerlicensi;* Gorlitium, theutonice Goerlitz, est civitas Borussiae in Silesia.

[4] Alias *Palastro;* cfr. Card. Hergenröther, Kirchengeschichte.

ad patres concilii, sumpto pro themate illud quod legitur Baruch quinto [1]: *Surge, Ierusalem, et sta in excelso... et vide iucunditatem a Deo tibi venientem, vide collectos filios tuos ab oriente usque ad occidentem. Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis, adducet autem illos Dominus ad te portatos in honorem, sicut filios regni.* Solemnes quoque nuntii Tartarorum fulgentibus vestibus auro textis cum ipsis venerunt pro confoederatione facienda inter Ecclesiam et ipsos Tartaros. Ex quibus unus princeps, filius regis, ibidem fuit baptizatus, quem dominus Papa levavit de sacro fonte [2]!

Durante adhuc ipso concilio dominus frater Bonaventura Cardinalis aegrotare coepit et, percepta plenaria absolutione de manu Summi Pontificis, immatura morte obiit cum consternatione totius concilii, Gregorio Papa permaxime eum reputante, qui publice ibidem testatus est, Ecclesiam Dei eius obitu magnam incurrisse iacturam. Laetificavit quidem suo consortio triumphantes, sed incredibili affecit moestitia militantes. Graeci enim et Latini, Religiosi, Clerici et laici, praesidentes et supposita [3] concilii omnes amaris prosequebantur lacrymis sacrum funus in Lugdunensi Fratrum Minorum ecclesia recondendum, ubi plurimorum miraculorum coruscavit gloria [4].

In hoc concilio iniunxit dominus Papa Archiepiscopis et Episcopis universis, et praecipue Fratribus Minoribus et Praedicatoribus praedicationem crucis in subsidium Terrae Sanctae, in littera Apostolica, quae incipit: *Si mentes fidelium* etc. Et ut fratres nostros ad hoc plus alliceret, misit Ministris, qui erant in capitulo Lugdunensi, quendam libellum delicatum legendum fratribus, qui sic incipiebat: « Olim Constantinopolitani a Saracenis violentissime oppressi a Carolo Magno imperatore auxilium suppliciter postulantes impetraverunt, quod ipse Carolus cum exercitu Christianorum personaliter in adiutorium venit eis » etc. Igitur lecto a fratribus illo libello, statim nuntio misso, dominus Papa librum repetiit.

Decrevit etiam idem dominus Papa cum eodem concilio, quod in Ecclesia essent dumtaxat duo Ordines Mendicantes, scilicet Ordines Minorum et Praedicatorum Fratrum, quos de novo approbavit propter evidentem utilitatem, quam de ipsis consequitur universalis Ecclesia, aliis omnibus cassatis, donec aliud de ipsis ordinaretur [5]. Ad haec personis Ordinum, ad quos Constitutio se extendebat, transeundi ad alios Ordines approbatos licentiam concessit generalem, ita tamen, quod nullus Ordo ad alium Ordinem, vel conventus ad conventum se ac loca sua totaliter transferret, Sedis Apostolicae super hoc permissione speciali non obtenta, ut in capitulo:

---

[1] Versus 5, 6.

[2] Cfr. Salimbene, l. c. pag. 261, 262.

[3] Id est subditi, subordinati (Cfr. Du Cange, Glossarium).

[4] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 108. v. c. I, et Wadding., l. c. ad an. 1274, n. I-XV.

[5] Cfr. Salimbene, l. c. p. 262, ubi dicit: « Gregorius X. cassavit in concilio Lugdunensi Religiones mendicantes, quae noviter apparuerant, ut Saccatorum et istorum ribaldorum, qui se appellabant Apostolos, volens implere decretalem Innocentii III, quam fecit in concilio generali (Lateranensi 1215), quae sic dicit: Ne nimis Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat ».

Religionum diversitatem de religiosis domibus, libri VI; ibi vide glossam Iohannis Andreae [1] super verbo *Solido*.

Verum procedente tempore Bonifacius Papa VIII. Ordines Eremitarum sancti Augustini et Carmelitarum statuit fore in statu solido, sicut fuerant ante concilium Lugdunense.

Anno Domini 1275 Grisei Monachi in suo capitulo Cisterciensi prohibuerunt, poena taxata districtius statuentes, quod in toto ipsorum Ordine per mundum neque in domibus nec in grangiis ulli de Ordine Fratrum Minorum ad comedendum vel hospitandum ullatenus recipiantur, nec eis aliqua eleemosyna succurratur. His autem non obstantibus Dominus suos pauperes pavit, fovit ac providit in se sperantes. Nam ipso anno illustris princeps dominus Ludovicus, dux Superioris Bavariae et comes Palatinus Rheni, frater domini Henrici, ducis Inferioris Bavariae, donavit de consensu et favore domini Hildebrandi, Episcopi Eistadiensis [2], cancellarii sanctae Moguntinae Sedis, de sua liberali munificentia ad laudem et gloriam omnipotentis Dei propter salutem suam et suorum progenitorum fundum aptum iuxta oppidum et castrum Ingolstadium ad aedificandum ecclesiam et monasterium Ordinis Fratrum Minorum. Et quia Fratres Minores pro ceteris Religiosis diligebat, obtulit in promptum pro initio fundationis dictae domus ex parte sua viginti, et ex parte dominae Annae de Polonia, filiae ducis Poloniae Conradi, coniugis suae, decem marcas argenti. Et quia ipse dicto operi personaliter intendere non potuit, praecepit Winbardo de Rorbach, vicedomino, et iudici castri, ut ipsi eius nomine singula exsequerentur. Super hos autem executores uxorem suam, dictam dominam Annam, quae fuit secunda eius uxor, procuratricem ac executricem constituit specialem, cui negotium cordi erat.

Item, dominus Rigaldus, Archiepiscopus Rothomagensis Ordinis Minorum, fidelissimus Dei servus, migravit ad Christum.

Item, frater Henricus, cantor Fratrum Minorum in Frislaria [3], in die sancti Apollinaris Episcopi in choro in medio fratrum tonitrui fulmine percussus, statim interiit ibidem.

Item, frater Iohannes de Balastri Ordinis nostri, tam graeca quam latina lingua sufficienter peritus, pridem in concilio Lugdunensi interpres Imperatoris Graecorum et Praelatorum Graeciae, remissus ab eodem concilio cum Graecis ad Graeciam, Constantinopoli feliciter migravit ad Dominum; qui die obitus sui amplius quam trecenta miracula Dei virtute fecit. Unde Graeci in eius vigiliis: *Regem Confessorum Dominum* etc., et in Introitu Missae exsequiarum: *Os justi* etc., et officium Confessorum cantaverunt; et pro eius canonizatione Imperator Graecorum et Praelati Graeciae instanter apud dominum Papam laborabant.

Item frater Henricus de Ysingen [4] Ordinis Minorum, factus est Episopus Basiliensis, et deinde iudex et conservator privilegiorum Mendicantium per Sedem

---

[1] De Bononia, doctor iuris, qui scripsit Summam Decretalium.

[2] Cod. legit *Hiltprandi, Ep. Eystettensis* (sic cod. semper pro *Eistadiensis*); Eistadium est theutonice Eichstaedt in Bavaria, et deinde *Ingolstatt* pro *Ingolstadium*, civitas eiusdem regni.

[3] Theutonice Fritzlar in Hassia. — Festum S. Apollinaris est 23 Iulii.

[4] Ita cod., sed Iohannis Vitoduranus, l. c. p. 1753 rectius: de *Ysnina* (Wadding. *Isena*), oppido in Albgowia (theut. Algäu) sito; est enim *Isny* in Würtemberga.

Apostolicam deputatus, et demum Archiepiscopus Moguntinus per dominum Honorium Papam IV.

Eodem anno infra Octavam Apostolorum Petri et Pauli intraverunt Fratres Minores intra oppidum Heilbrunnam [1] iuxta Neckarum ad manendum.

Anno Domini 1276 [2] obiit Aretii dominus Papa Gregorius X. et ibidem est sepultus, ad cuius sepulcrum Deus operatus est miracula. Ipso anno in festo sanctae Agnetis electus fuit ad papatum dominus Petrus de Tarantasia [3] Ordinis Praedicatorum, Episcopus Hostiensis, et Innocentius V. nominatus. Qui cum sedisset mensibus quinque et duobus diebus, obiit Romae vigesima secunda die mensis Iunii.

Dominus Innocentius Papa V. de Ordine Fratrum Praedicatorum.

Et eodem anno in mense Iulio [4] dominus Ottobonus, tituli sancti Adriani diaconus Cardinalis, assumitur ad papatum et Adrianus V. vocatur. Qui de Roma Viterbium veniens, cum tantum viginti diebus fuisset in papatu, ibidem moritur et in ecclesia Fratrum Minorum sepelitur.

Dominus Adrianus Papa V. sedit diebus viginti.

Et eodem anno iterato fratri Hieronymo de Asculo, Ministro Generali Fratrum Minorum, legatio ad Graeciam iniungitur [5], qua praepeditus, capitulo generali interesse non potuit, sed illuc fratrem Bonagratiam vicarium suum destinavit et eidem capitulo, Paduae anno dicto 1276 celebrato, misit litteras efficaces, quibus officium resignabat, allegando insufficientiam et impotentiam ac negotia Ecclesiae; nihilominus mansit in officio confirmatus. Certificavit etiam idem Generalis Minister idem generale capitulum, quod beatus Franciscus apud Assisium cuidam excaecato, effossis totaliter oculis per curiam, oculos novos miraculose reddiderit, quamvis dati oculi in testimonium miraculi parviores essent prioribus.

Mandavit hoc capitulum generale Ministris et capitulis provincialibus, quod sine consensu capituli generalis non consentiant in construendum aliquod monasterium Pauperum Dominarum. Item, ordinavit idem capitulum generale, quod singulis annis pro hospitibus, qui fratres in itinere recipiunt, infra Octavam beati Francisci approprietur [6] etc., ut statuta moderna dicunt. Item, mandavit capitulum generale, quod carceres fortes et multiplices habeantur. Item, iniungebatur omnibus Ministris, ut litteram Generalis Ministri missam capitulo Paduano, quae incipit: *Venerabilibus et in Christo dilectis* etc., cum omni diligentia exsecutioni studeant demandare, cuius

---

[1] Cod. *Heilbrun* (antiquitus Alisum), nunc dicitur Heilbronn et est oppidum Würtembergae.

[2] 10 die Ian. in festo (i. e. die obitus) S. Pauli, primi Eremitae, dicit Salimbene, l. c. p. 265.

[3] Cod. *Tharenthasia,* gallice Tarentaise in Burgundia; Petrus erat antea Archiepiscopus Lugdunensis. — Festum S. Agnetis est 21 Ianuarii.

[4] Id est 11 Iulii; et mortuus est 18 Augusti.

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 108. v. c. II, quorum auctor adiungit: utrum tamen iverit, non inveni. Wadding. autem, l. c. ad an. 1277, n. VII, quem sequitur Dominicus de Gubernatis, l. c. affirmat, capitulum memoratum fuisse celebratum an. 1277, cui fr. Hieronymus interesse non potuerit, quia una cum Iohanne Vercellensi, Magistro Generali Ord. Praedicatorum, ad pacem inter Hispaniae et Galliae reges componendam electus, ob res ad hanc legationem spectantes in Curia ab Iohanne Papa XXI. detentus, et Iohanne mortuo, a Nicolao Papa sub finem anni 1277 amandatus fuerit.

[6] Scilicet una Missa conventualis in honorem ipsius Sancti, et una privata a quolibet sacerdote, et a quolibet clerico 50 Psalmi, a quolibet vero laico centum Pater noster.

tenor est, quod inquirant de operibus beati Francisci et aliorum sanctorum fratrum quaecumque memoria digna, prout in suis Provinciis contigerunt, eidem Generali sub certis verbis et testimoniis rescribenda. Item, ordinavit capitulum generale, ut post commemorationem beati Patris nostri Francisci in Matutinis et Vesperis fiat commemoratio beati Antonii per Ordinem universum. Item, iniunctum fuit Ministris et fratribus Provinciarum, in quibus pecunia cum tabulis et chirotecis vel cippis vel bacinis [1] vel quibuscumque similibus colligebatur vel reponebatur in locis fratrum, vel eorum praedicationibus, quod pestem istam penitus studeant exstirpare. Item, quod in coemeteriis fratrum distinguatur locus, ubi sepeliantur fratres, a loco sepulturae saecularium; et ista distinctio fiat per Ministrum, vel Custodem de consilio Discretorum.

Hunc Ministrum Generalem, fratrem Hieronymum, rogavit dominus Iohannes Gaietanus, protector Ordinis, ut fratres non ex debito, sed ex sui amoris gratia sororibus Ordinis sanctae Clarae in spiritualibus servirent, quod dicto Generali et fratribus Ordinis multum fuit grave; tamen tanto et tam amantissimo patri Ordinis resistere convenienter non valentes, cum conditione huiusmodi consenserunt, videlicet quod venientibus fratribus ad monasterium, Abbatissa et totus conventus darent eis publicum instrumentum, quod non ex debito, sed ex gratia et Dei amore eorum fratres spiritualibus obsequiis insisterent [2].

Mortuo domino Adriano Papa V. anno pradicto, dominus Petrus Iuliani, Cardinalis Episcopus Tusculanensis, Portugalensis, die vigesima sexta mensis Septembris Viterbii ad papatum assumitur et Iohannes XXI. nominatur. Qui cum mensibus octo et octo diebus sedisset, quadam camera, quam Viterbii pro se fieri fecerat, cadente, oppressus est et exspiravit.

Dominus Iohannes Papa XXI. sedit mensibus octo et octo diebus.

Tempore etiam dicti Ministri Generalis Vicedominus Placentinus, Cardinalis Episcopus Praenestinus, cum se videret ad extrema perductum, habitum Ordinis beati Francisci devotissime petiit et accepit, et moriens in illo, Cardinalis Episcopus Frater Minor in ecclesia eorundem fratrum Viterbii sepelitur [3].

Anno Domini 1277 in festo beatae Catharinae virginis assumptus est ad gradum summi pontificatus dominus Iohannes Gaietanus Cardinalis, protector Ordinis Minorum, sicut omnes sui praedecessores huius Ordinis protectores, et Nicolaus III. est nominatus, non sine magna Ordinis laetitia, utpote quia quod sanctus Franciscus in pueritia eius de eo dixerat, videlicet quod futurus esset protector magni Ordinis et dominus huius mundi, clare videretur impletum [4].

Dominus Nicolaus Papa tertius, qui edidit declarationem regulae Minorum.

Claruit eodem tempore frater Iohannes de Peczano [5], vir magnae sufficientiae et virtutis, multum famosus magister sacrae theologiae, qui de mandato fratris Hiero-

---

[1] Id est pelvis aut malluvium (Vide Du Cange, Glossarium).

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 109. r. c. I.

[3] Cfr. Bern. a Bessa in catal. Gen. sub fr. Hieronymo, chron. XXIV Gen., f. 108. v. c. II. et Wadding., l. c. ad an. 1273, n. XIII. et 1276, n. II.

[4] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 109. v. c. I. — Festum S. Catharinae est 25 Novembris.

[5] Vel Pechamo seu Peccamo, Anglico, de quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1278, n. XXIX; et de fr. Iuliano cfr. idem ad an. 1228, n. LXXVIII, 1278, n. XXXI, et supra pag. 46, nota 8.

nymi, Generalis Ministri, vitam beati Antonii Paduani miro stilo conscripsit, quamvis frater Iulianus de Spira Theutonicus, cantor Parisiensis et corrector mensae, historiam, antiphonas ac Legendam compendiosiorem olim tempore fratris Iohannis Parentis, Ministri Generalis, digessisset.

Dictus dominus Nicolaus Papa compulit fratrem Iohannem de Peczano Anglicum suscipere archiepiscopatum Cantuariensem in Anglia. Hic frater Iohannes fuit lector sacri Palatii Romae et scripsit *Perspectivam egregiam* et *Libros de oculo morali*, et plura alia. Post quem factus est lector sacri Palatii frater Matthaeus de Aquasparta.

Idem etiam Pontifex Nicolaus fecit anno primo sui pontificatus fratrem Bentivengam [1] Tudertinum Cardinalem Episcopum Albanensem.

Anno Domini 1278, tertio nonas Iulii, pontificatus sui anno primo, misit dominus Nicolaus Papa III. litteras domino Bertholdo, Episcopo Bambergensi, ut Priorissa et sorores in Norimberga, quae poenitentes dicebantur — secundum instituta sancti Augustini institutae vivere per dominum Gulielmum [2], Episcopum Parisiensem, et confirmatae per Gregorium Papam IX. ac in concilio Lugdunensi cassatae — ad Ordinem sanctae Clarae transire cupientes, sicut supplicatio Priorissae et totius earundem conventus sororum, ac domini Ruperti [3] regis, et dominae Annae, reginae Romanorum, pro ipsis intercedentium, continebat, per eum dicto Ordini sanctae Clarae incorporarentur. Quod idem Episcopus per venerabiles et discretos viros Emirchonem [4], Decanum Ecclesiae Bambergensis, et fratrem Albertum, olim Ministrum et tunc Custodem Fratrum Minorum in Bavaria, et Andream, lectorem in Bamberga, quibus vices suas in hac parte plenarie commisit, exsecutioni demandavit. Et sequenti anno circa festum Epiphaniae aliquas sorores Ordinis sanctae Clarae de Seflingen Norimbergam adduxerunt et ibidem Ordinem sanctae Clarae plantaverunt.

Eodem anno missus fuit frater Hieronymus, Minister Generalis Minorum, et frater Humbertus [5], Magister Generalis Praedicatorum, ad pacificandos reges Franciae et Castellae, inter quos dissensio non modica suborta erat. In qua legatione frater Hieronymus, Minister Generalis Minorum, Parisiis [6] existens, factus est per dominum Papam Nicolaum III. tituli sanctae Pudentianae presbyter Cardinalis, et eodem anno,

---

[1] De Bentivengis ab Aquasparta, antea Episcopus Tudertinus; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1276, n. V, 1178, n. XXXII. et 1289, n. XL, in quo anno mortuus est. — Codex scribit semper *Bentavenga*.

[2] Supra pag. 37, nota 2. et 38, nota 3.

[3] Sed est error auctoris, qui sic scripsit loco *Rudolphi*, ut recte legunt chron. anon., l. c. pag. 299, et Wadding., l. c. ad an. 1278, n. XXXIX, cum Rudolphum de Habsburgo tunc (ab an. 1273-1291) regem Romanorum exstitisse constet, ut auctor ipse supra ad an. 1273 dixit, et Annam († 1281, ut dicit Henricus Stero Altahensis, Annales p. 206, in libro « Thesaurus Monumentorum eccl. et hist. sive Henrici Canisii Lectiones antiquae », 1725) eius fuisse coniugem.

[4] Chron. anon. et Wadding., l. c. legunt probabiliter rectius *Erichtonem*.

[5] Auctor noster cum chron. XXIV Gen., in quibus f. 110. v. c. I. legitur *Iordanus*, errat. Dictus Magister erat (vide supra pag. 89, nota. 5) *Iohannes Vercellensis*, uti ex Regestis Pontificis Nicolai III. manifeste apparet. Cfr. Wadding., l. c. Reg. Pont. ad an. 1278, Bulla I. et Sbaralea, Bullarium Franciscanum. — Rex Galliae erat Philippus, et Castellae Alphonsus.

[6] Ita recte et contextu exigente chron. XXIV Gen., cod. mendose *Pisis* et paulo inferius et postea non bene *Potentiana* pro *Pudentiana*.

qui fuit annus secundus pontificatus domini Nicolai III, factus fuit Episcopus Praenestinus, et mansit etiam Minister Generalis usque ad sequens capitulum generale.

Anno Domini 1279 celebratum fuit capitulum generale Assisii, praesidente domino fratre Hieronymo, Episcopo Praenestino, vices Generalis Ministri gerente, et ibidem electus fuit in Ministrum Generalem frater Bonagratia de Provincia Bononiae, vir multum religiosus et iuxta nomen suum morum gratia praedotatus, absens, qui venit statim Assisium. Quo perveniens, sollicitatus fuit per ipsum dominum Papam Nicolaum III, ut conferret cum Ministris, si vellet aliquid pro utilitate Ordinis, et ipse cum fratribus discretis ad praesentiam suam accederet, qui tunc per eandem aestatem Suriani erat. Soluto igitur eodem capitulo, et fratribus cum Generali Ministro venientibus, ipse sanctissimus dominus Papa omnibus aliis negotiis interim posthabitis, cum eisdem, Ministro Generali et discretis fratribus, collatione habita, praesentibus et coagentibus venerabilibus dominis et patribus, domino fratre Bentivenga Albanensi et domino fratre Hieronymo Praenestino Cardinalibus Episcopis, super regula Fratrum Minorum deliberatissimam edidit Decretalem, quae incipit: *Exiit qui seminat* etc., quam per peritissimos viros, qui et ipsi postmodum facti fuerunt Cardinales, dominum Petrum [1], vicecancellarium, dominum Comitem, causarum auditorem, Mediolanenses, et dominum Angelum, famosissimum Curiae advocatum, et dominum Benedictum protonotarium, qui fuit postea Papa factus et Bonifacius VIII. dictus, exactissima diligentia plurium dierum disceptationibus climatam [2] primo coram Cardinalibus, qui tunc erant Viterbii, deinde coram totius Curiae frequentia per dominum Benedictum, qui eam dictaverat, fecit solemniter promulgari, anno videlicet dicto 1279; quam postmodum ipse dominus Bonifacius VIII. libro suo VI.° [3] titulo *De verborum significationibus* inseruit et authenticam reddidit toti mundo. Dominus etiam Clemens V. in concilio Viennensi [4] in Decretali: *Exivi de paradiso* in Clementinis, eodem titulo, commendavit, et Iohannes XXII. in illa Extravaganti, quae incipit: *Qui quorundam exigit* etc., ipsam extollit tamquam claram et lucidam et magna maturitate digestam.

Frater Bonagratia de Bononia IX. Minister Generalis post beatum Franciscum.

Declaratio regulae Fratrum Minorum, Exiit qui seminat etc.

Tunc etiam supplicavit Papae Minister Generalis cum ceteris Ministris Provincialibus ex parte generalis capituli, ut dignaretur dare Ordini Cardinalem aliquem protectorem, vel ipsemet, ut dominus quondam Alexander Papa IV, immediate esset Ordinis protector. Qui favorabiliter et prudenter respondit, quod, quamvis ipse vellet esse principalis Ordinis protector, nihilominus bonum esset [5], ut iuxta regulam aliquem Cardinalem haberet protectorem. Et idcirco ipse Summus Pontifex, singulorum

---

[1] Petrus Peregrossus, sub Iohanne XXI. et Nicolao III. vicecancellarius, an. 1288 a Nicolao IV. Cardinalis renuntiatus, et Comes Glusianus de Casate, auditor sacri Palatii sub Martino II. an. 1281 ad cardinalatum assumptus est.

[2] Ita recte chron. XXIV Gen., f. 111. v. c. 1; cod. legit mendose *climitam*.

[3] Scilicet Decretalium.

[4] An. 1311-1312.

[5] Cod. vitiose legit *esse*.

vocibus per privatum scrutinium disquisitis, Ordinem domino Matthaeo Rubeo [1], nepoti suo, tamquam Ordinis praecipuo dilectori commisit et commendavit dicens: «Damus tibi cordis nostri desiderium etc. Committimus tibi Ordinem Fratrum Minorum, ut sis gubernator» etc., et adiecit: «Tua gubernatione Ordo non indiget, quia in tot sapientibus viris abundat, qui sufficerent regere totum mundum. Correctioni quoque te non oportet insistere, quia praelaturae taliter dispositae sunt inter fratres, ut non sit verisimile, aliquid manere incorrectum. Habent enim Guardianos; super hos sunt Custodes, qui si deficerent, habentur Ministri Provinciales et Minister Generalis. Super hos omnes est capitulum generale. Unum est, in quo opera tua indigent, quia pauperes sunt et imbecilles, ut eos ab infestantibus protegas et defendas» [2].

Ad hoc capitulum eundo cum Bononiam venisset, frater Conradus de Brunopoli, Minister Saxoniae, infirmatus obiit.

Post editam declarationem anno 1279, XI. kalendas Octobris, misit Minister Generalis de Viterbio litteras, quae incipiunt: In Christo sibi carissimis fratri N., Ministro in Provincia Alamanniae Superioris, ac eiusdem Provinciae fratribus universis etc.

A Domino Iesu Christo normam rectitudinis, nostrae perfectionis evangelicae formam, vitam scilicet et regulam, beatissimo Patri nostro Francisco coelitus inspiratam, sibique confirmatam ac exhibitam cum benedictione Apostolica per Vicarium Christi, nec non et per plures Summos Pontifices dudum processu temporis approbatam, sanctissimus pater noster dominus Nicolaus Summus Pontifex, illustratus divinitus his diebus, sicut lucernam ad perpetuam firmitatem eiusdem, ut observando magis reddat ipsius sollicitos professores, super candelabrum in propatulo statuit toti mundo; propter quod circa observantiam huiusmodi oportet magis solito invigilare sollicite, non solum saluti propriae consulendo, verum etiam, ne aliis iudicandi nos transgressores aliquatenus occasio praebeatur etc.

Datum Viterbii, XI. kalendas Octobris, anno domini MCCLXXIX.

Volo insuper, ad fratrum omnium notitiam pervenire, qualiter magister Benedictus, domini Papae notarius, in scribendo Constitutionem super regulam nostram sollicitissime laboravit et gloriosissime ad famam Ordinis praedicavit eandem. Et ideo, ne tanto beneficio videamus ingrati, mando, quod pro ipso a quolibet sacerdote Ordinis una Missa celebretur. Volo autem, reverendissimum et specialissimum patrem nostrum dominum fratrem Hieronymum Cardinalem, qui nolens thesaurizare in terra, sed in coelis, pro declaratione super regulam nostram et aliis privilegiis, quae sunt impetrata ad praesens pro universis et singulis Provinciis Ordinis, pretium, quod ascendit, ut creditur, fere ad ducentas quinquaginta libras Turonenses [3] facit solvi, ut omnes fratres recommendatum habeant specialiter in Missis et aliis orationibus apud Deum.

Post dictum generale capitulum celebratum fuit capitulum Saxoniae, et electus

---

[1] Cod. mendose Rubei; erat Romanus et sub Urbano IV. nominatus Cardinalis sanctae Mariae in Porticu.

[2] Cf. Wadding., l. c. ad an. 1279, n. IX.

[3] Erant monetae Gallicae, Turonibus (vulgo Tournois) tempore S. Ludovici et Philippi audacis cusae. Vide Du Cange, Glossarium sub nomine *Moneta* et *Turonenses*.

Frater Otto de Regenstein octavus Minister Saxoniae.

in Ministrum frater Otto de Regenstein, filius comitis, nobilis genere, sed nobilior moribus, qui fuerat Guardianus in Hildesia et postea Custos Magdeburgensis in capitulo Halberstadiensi; ivit ad Generalem, ne confirmaretur, sed nihil profecit. Hic confirmatus, summa maturitate et optimo exemplo Provinciam rexit per triennium. Et tenuit capitula: Erfordiae anno 1279 et Hamburgi anno 1281 et Lipsiae anno 1282. Hic ivit in mendicando in pluribus domibus Provinciae ostiatim pro cerevisia et pane; unde tertio anno regiminis sui in capitulo Argentinensi occulte, fratribus ignorantibus, obtinuit cessionem [1]... litteras cessionis.

Anno Domini 1280 illustrissimus princeps et dux, dominus Henricus, dux Bavariae Inferioris, filius domini Ottonis, ducis Bavariae, et frater Ludovici, ducis Bavariae Superioris — de quo supra [2] dictum est — qui aedificavit conventum Ingolstadiensem, cum consorte sua, domina Elisabetha, filia Belae IV, regis Hungariae et fratris sanctae Elisabethae, dedit hoc anno Fratribus Minoribus aream in Lantshuto cum fonte et aliis attinentiis, ubi fratres auxilio eiusdem principis solemne monasterium, quod eidem principi divinitus est praeostensum, aedificaverunt; quod usque hodie exstat.

Eodem anno factus est frater Conradus, dictus Probus [3], Minister Superioris Alamanniae, Episcopus Tullensis in Lotharingia.

Eodem etiam anno 1280 in Octava Assumptionis beatae Virginis Mariae in castro Suriano moritur cum tristitia Ordinis Minorum dominus Nicolaus Papa III, pontificatus sui anno tertio, et vacavit Sedes mensibus sex.

Frater Colinus Minister Superioris Alamanniae.

Et eodem anno fuit capitulum provinciale in Reutlinga [4] in festo Nativitatis Virginis gloriosae, in quo fuit electus in Ministrum Provincialem Superioris Alamanniae frater Colinus, lector Basiliensis, fratre Conrado Probo ad dignitatem assumpto. Hic frater Colinus celebravit eodem anno capitulum in Moguntia et 1281 in Friburgo Burgundiae et praefuit Provinciae novem annis.

Martinus Papa quartus natione de Campania oriundus.

Anno Domini 1281 in festo Cathedrae sancti Petri in Viterbio assumitur ad papatum dominus Simon de Bria Campaniae, natione Gallicus, tituli sanctae Caeciliae, presbyter Cardinalis, qui multis annis legatus in Francia fuerat, et Martinus IV, alterato nomine, vocatur. Hic Ordinem Minorum multum dilexit et, ut fertur, de sero omnes Fratres Minores, ubicumque quiescerent, absolvebat.

Eodem anno dominus Hartmannus, Episcopus Augustensis [5], dedit in favorem Ordinis litteras subsequentis tenoris:

Hartmannus, Dei gratia Ecclesiae Augustensis Episcopus, viris in Christo venerabilibus N. Praeposito, N. Decano ceterisque Ecclesiae Eistadiensis Canonicis et salutem et obsequendi promptam in Domino voluntatem.

---

[1] Ita cod. Probabiliter hoc loco excidit verbum *scilicet* vel *id est.*

[2] Pag. 88. — Paulo inferius et semper cod. *Lantzhut* pro *Landshutum,* theuton. Landshut.

[3] Erat, ut Ioh. Vitoduranus affirmat, ex Ysnina in Algovia. Cfr. supra pag. 88, nota 4.

[4] Cod. *Rutlingen,* id est theutonice Reutlingen, civitas Würtembergae. — Festum Nativitatis B. Virginis est 8 Septembris. — Festum Cathedrae S. Petri est 22 Februarii.

[5] Erat comes de Dilinga (theut. Dillingen in Bavaria) et sedit ab an. 1248-1286.

Fructum animarum, qui per consilia et hortamenta salubria Fratrum Ordinis Minorum in Ecclesia Dei feliciter ac multipliciter exuberat, advertentes, et nihilominus, immo potissime confirmationem eiusdem Ordinis per concilium Lugdunense [1] ratione utilitatis Ecclesiae universali ex eo provenientis, mente vigili pertractantes, ad diligendos, confovendos et promovendos fratres dicti Ordinis divinitus, ut credimus, sumus afflati. Ipsos itaque tamquam operarios in vinea Domini non otiosos in partem nostrae sollicitudinis vocantes, providentiae vestrae tenore praesentium constare volumus, quod nos tum propter illam gratiam approbationis ab auctoritate Sedis Apostolicae in concilio Lugdunensi èmanantis, tum propter specialia dicti Ordinis privilegia, nec non et dilectionem qua ipsum complectimur specialem, sicut et multi alii Alamanni Episcopi in Curia regis Romanorum, celebrata in Norimberga, inclinati, praefati Ordinis fratribus in nostra dioecesi praedicantibus auctoritatem dedimus quadraginta dierum indulgentiam largiendi universis et singulis, confessiones audiendi, ab omnibus peccatis, quorum absolutio sive de iure sive de consuetudine ad nostram auctoritatem pertinet, absolvendi, et breviter omnia, quae iurisdictionis nostrae sunt, faciendi, illis dumtaxat casibus exceptis, qui propter litigiosas controversias, scandalum insolitum vel enorme contentiosum requirunt forum publicum vel examen, ex certa et deliberata intentione, nostra auctoritate plenam praesentibus facultatem concedimus et olim nos concessisse meminimus, nec propter novam concessionem veterem revocamus, sed antiquae concessionis approbationem innovantes, gratiam et confectionem privilegiorum super praemissis, nisi forte per nos aut successores nostros ex causa deliberatione provida fuerint revocata, tenore praesentium confirmamus. Et ut praemissis fides plenior adhibeatur, praesentem schedulam sigillo nostro nec non et sigillis dilecti nobis in Christo N., Decani ecclesiae maioris Augustensis, venerabilis in Christo N., Prioris Praedicatorum in Augusta, nec non et conventus Fratrum Minorum ibidem, duximus consignandam.

Datum Augustae, anno Domini 1281, tertio nonas Martii.

Eodem anno visitando Provinciam Alamanniae pervenit frater Bonagratia, Minister Generalis, in Pragam Provinciae Bohemiae, ubi sexto nonas Martii [2] soror Agnes, Ottokari, primi regis Bohemiae, filia, Ordinis sanctae Clarae, feliciter in Domino obdormierat et quarta decima a transitu eius in sequenti die, videlicet in dominica de Passione, pretiosum illud pignus cum multis qui tunc aderant fratribus devote ac honorifice in capella sacratissimae Virginis Mariae, in qua tempore debilitatis audierat Missarum solemnia, sicut ipsa petiverat, sepelivit, ubi miri odoris fragrantia sorores causa orationis intrantes diebus pluribus respergebat. Haec paulo ante mortem suam inclyta virgo praedixerat, quod nec Episcopus nec [3] aliquis alterius Religionis Praelatus quam Frater Minor, et talis frater, qui prius nunquam visus est in terra Bohemiae, corpus eius sepelire deberet; quod factum est per hunc Ministrum Generalem. Vide Legendam eiusdem virginis [4].

Eodem anno idibus Decembris in Urbeveteri [5], pontificatus sui anno primo,

---

1 Vide supra pag. 87 in fine.

2 2 Martii.

3 In cod. deest hoc verbum *nec*, certo supplendum.

4 Vide supra pag. 57 ad an. 1236, et p. 59.

5 Id est Orvieto in Italia.

dedit dominus Martinus Papa IV. Ordini privilegium [1] de audientia confessionum, in quo privilegio voluit Papa, quod confessi fratribus suis parochialibus presbyteris confiteri, saltem semel in anno, prout generale concilium [2] statuit, nihilominus teneantur. Ratione huius clausulae sequenti anno quidam magistri Parisius determinare conabantur, quod omnes confessi fratribus tenerentur eadem peccata presbyteris parochialibus iterum confiteri etc

Frater Bonagratia, Minister Generalis, misit multos fratres ad partes infidelium Aquilonares et cum magna dilatatione ampliavit vicariam Aquilonis.

In capitulo praedicto, Assisii celebrato, confirmata est fratri Marco [3], olim socio Generalium Ministrorum, gratia ei in capitulo Pisano sub fratre Bonaventura, Generali Ministro, concessa, quod quilibet sacerdos post mortem eius celebraret unam Missam pro eo. Ipse coepit aedificare locum de Sebaste, qui locus demum assignatus fuit fratribus commorantibus inter Tartaros.

Anno Domini 1282 celebravit frater Bonagratia, Minister Generalis, capitulum generale in conventu *Argentinensi* [4] Provinciae Superioris Alamanniae, ubi praecepit fratri Philippo, Ministro Tusciae, ut diligenter inquireret, si posset invenire, qua die et hora impressa fuerunt in corpore beati Francisci stigmata sacra. Qui reperit unum laicum omni virtute perfectum, cui facta fuerat multiplex revelatio, apparente sibi etiam beato Francisco, dicentem, quod in die Exaltationis sanctae Crucis valde mane [5].

In hoc capitulo ordinavit capitulum generale et Minister Generalis, quod nullus confessor uteretur privilegio domini Martini Papae IV. de audientia confessionum in casibus, qui de iure scripto Episcopis reservantur, nisi de ipsorum licentia speciali. In casibus autem inferioribus, in quibus sacerdotes parochiales absolvere possunt, fratres illi auctoritate ipsa fungantur, quibus id a suis Ministris secundum tenorem privilegii est concessum. In gravioribus vero casibus fratres illi soli utantur, quibus Minister committendum duxerit de consilio Discretorum, et de his beneplacitum Praelatorum requiratur. Et istud servaretur, donec per Ministrum aliter ordinaretur. Voluit autem Minister Generalis, ut fratres secreto adhortarentur populos, ut suis sacerdotibus confiteantur semel in anno, iuxta quod in privilegio Martini continetur. Item, quod cantentur Sequentiae de beato Francisco: *Laetabundus* etc., et *Caput*

---

[1] De quo cfr. Salimbene, l. c. p. 279 et 211.

[2] Lateranense IV. sub Innoc. III; Extrav. de poenitentiis et remissionibus: Omnis utriusque. — Documentum memorati privilegii videsis apud Wadding., l. c. (2 edit.) ad an. 1281, n. XII, Eberhardum Altahensem, Annales ad an. 1287, et Sbaraleam, Bullar. Franc. ad an. 1281, qui tamen cum Bullario Ord. Praedicatorum, quibus una cum Fr. Minoribus dictum privilegium concessum est, datum Bullae exhibent IV. idus Ianuarii (10 Ian.) contra Wadding. et auctorem nostrum, qui conveniunt cum « Speculo Ord. Minorum ».

[3] Marcus de Montefeltro, Minister Provincialis Marchiae Anconitanae et socius Generalium fr. Crescentii, Iohannis de Parma et S. Bonaventurae, obiit 1284; de quo cfr. Salimbene, l. c. p. 136, 139 et 317.

[4] Theutonice Strassburg in Alsatia. — Capitulo dicto intererant Rudolphus dux Austriae, tres Episcopi, Henricus Basiliensis, Conradus Probus Tullensis et Albertus de Insula, et circiter 700 fratres.

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 112. r. c. II, Wadding., l. c. ad an. 1282, n. I, De Gubernatis, l. c. p. 138, et supra pag. 31, nota 3.

draconis, quam [1] composuit dominus Gregorius IX; et alia multa ibi sunt ordinata, quae habentur in Speculo Ordinis Minorum.

Tempore etiam eiusdem Generalis Ministri, fratris Bonagratiae, fecit frater Nicolaus, Episcopus Albiganensis [2], procurator Ordinis in Curia Romana, legi privilegia de indulgentiis et comperta veritate, scripsit Summam earundem sequentibus contentam.

In nomine Domini. Amen. Quia valde est utile, curam saluti habere animarum, ego frater Nicolaus, Episcopus Albiganensis, existens procurator Ordinis Fratrum Minorum in Curia Romana, de voluntate et mandato fratris Bonagratiae, Generalis Ministri Ordinis nostri, colligens omnia privilegia generalia Ordinis de indulgentiis peccatorum, feci ea legi in conventu Romano, quae continebant, facta computatione, septem annos et septem quadragenas. Et ista indulgentia istorum septem annorum et septem quadragenarum est in infrascriptis festivitatibus et per octo dies, scilicet beatae Virginis, beati Francisci, beati Antonii, beatae Clarae et in consecrationibus ecclesiarum et altarium. Quae privilegia supradicta sunt istorum Romanorum Pontificum, videlicet Alexandri Papae IV, Innocentii Papae IV, Nicolai Papae III, Clementis Papae IV. et Urbani Papae IV. Item, praeter praedictas indulgentias est alia indulgentia. Quicumque visitat ecclesias Fratrum Minorum, habet indulgentiam centum octoginta dierum omni die et hora. Item, Nicolaus Papa IV, Frater Minor, fecit indulgentiam unius anni et quadraginta dierum omnibus visitantibus loca Fratrum Minorum causa devotionis. Item, Alexander Papa IV. indulgentiam centum dierum omnibus accedentibus ad loca fratrum causa devotionis. Item, idem dedit indulgentiam quadraginta dierum causa devotionis. Item, Clemens IV. dedit indulgentiam centum dierum causa devotionis. Item, Innocentius Papa IV. dedit indulgentiam quadraginta dierum causa devotionis. Item, iterum Alexander Papa IV. fecit Ordini privilegium de centum diebus omnibus accedentibus ad loca fratrum ad audiendum verbum Dei. Item nota, quod quicumque frater praedicat in loco Fratrum Minorum, potest denuntiare indulgentiam ducentarum octoginta dierum, sed extra locum octoginta, et de his infra latius dicetur.

Ex hac littera fratris Nicolai, Episcopi Albiganensis, colligitur, quod falso scribitur in tabulis quorundam Fratrum Conventualium: Gregorius IX. centum annos, Alexander IV. centum annos etc., cum solum dederint centum dies, praeter Sixtum V, qui dedit centum annos.

Eodem anno conclusit Rogerius, Episcopus Parisiensis, cum magistris in theologica facultate, quod nullus teneretur peccata sua, semel confessa, eadem numero iterum confiteri, et de hoc litteras fecit sequentis tenoris:

Universis praesentes litteras inspecturis Rogerius, miseratione divina Parisiensis Episcopus, magister Odo de sancto Dionysio, Canonicus Parisiensis et decanus theologicae facultatis, frater Gregorius, Prior Fratrum Vallis Scholarium, Parisiensis, frater Iohannes de Allodio Ordinis Fratrum Praedicatorum, quondam cancellarius Parisiensis, magister Gulielmus de Monachio, Canonicus Parisiensis, magister Petrus

---

[1] Cod. vitiose *quem.* Prima Sequentia *Laetabundus* composuit Thomas Capuanus Cardinalis. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1228, n. LXXVIII.

[2] Rectius Albinganensis, i. e. Albium Gaunum, antiquitus Albingaunum, nunc Albenga, urbs Liguriae. Secundum Wadding. fr. Nicolaus institutus est Episcopus an. 1292.

de Pigmato, Canonicus Parisiensis, magister Albertus Ordinis Cluniacensis, Prior de Monte Desiderii [1], magister Adenulphus, Praepositus sancti Audomari, magister Nicolaus de Pressorio [2], archidiaconus in Ecclesia Baiocensi [3], frater Vroco Pruvinensis [4], Minister Provincialis Ordinis Fratrum Minorum in Francia, frater Iohannes de Turno, Prior Fratrum Praedicatorum, Parisiensis, frater Iohannes de sancto Benedicto Ordinis Fratrum Praedicatorum, frater Simon de Lansio [5] Ordinis Fratrum Minorum, magister Adamus de Golin, archidiaconus Laudoniae, frater Hugo de Bibonio [6] Ordinis Fratrum Praedicatorum, frater Arlottus de Prato Ordinis Fratrum Minorum, in sacra theologia doctores. Nos notum facimus, quod, cum nobis fuerint casus propositi: Utrum aliquis vere poenitens et confessus et rite absolutus ab eo qui potest, teneatur eadem peccata numero iterum confiteri, et: Utrum aliquis possit aut debeat prohibere aut per modum obligatorium impedire, quominus posset eadem peccata, vel alia alteri confiteri? respondimus et respondemus: Quantum ad primum, quod vere poenitens et confessus et rite absolutus ab eo qui potest, si poenitentiam sibi iniunctam in memoria [7] teneat, non tenetur eadem peccata numero iterum confiteri. Quantum ad secundum dicimus, quod non potest aut debet aliquis auditor confessionum prohibere confitentem, confessum seu confessurum, quominus uni confessori confessus possit alteri confiteri eadem peccata numero, vel alia introducta. Si qui autem dicunt aut dixerint contrarium, quantum in nobis est, erroneum reputamus.

Datum Parisius, anno Domini MCCLXXXII.

Post quadriennium fecit officialis Curiae Parisiensis transsumptum dictarum litterarum sub sigillo Curiae Parisiensis in forma consueta, et demum anno Domini MCCLXXXVII in crastino Epiphaniae dominus Arnoldus, Episcopus Bambergensis, transsumpta vidit et sub suo sigillo vidimiavit [8] etc.

Celebrato autem capitulo generali in Argentina, Minister Generalis rediit ad Italiam, et dominus Papa Martinus IV, praesente fratre Matthaeo de Aquasparta, lectore sacri Palatii, plenariam indulgentiam Portiunculae confirmavit, et ad removenda dubia ipsam die assignata superius [9] ibidem esse voluit, dato quod prius ibi non fuisset. Dictus autem Minister Generalis, frater Bonagratia, prohibuit sub poena excommunicationis per sanctam obedientiam, in die praefatae indulgentiae in dicta ecclesia quamcumque oblationem pecuniariam recipi, aut receptam in fratrum necessitates expendi, propter notam cupiditatis evitandam, qua posset indulgentia ipsa ab aemulis falsa aut minor calumniari et devotio minorari.

---

[1] Gallice Montdidier.

[2] Gallice Pressoir.

[3] Id est Bayeux in Gallia.

[4] Gallice Provins; forsitan pro *Vroco* legendum est *Drudo* (vel Drodo), qui erat tunc temporis Minister Burgundiae; de quo cfr. Salimbene, l. c. p. 149 et 319.

[5] Cod. *Lans,* oppidum Galliae, pro quo legit postea corrupte *Simon Dolensis,* et Wadding. probabiliter recte *de Lensio,* gallice Lens.

[6] Secundum Echard, Script. Praedicatorum, legendum est Biliomo; deinde cod. hic et semper scribit *Atlotus* pro *Arlottus.*

[7] Cod. hic repetit perperam *in memoria.*

[8] Id est: apographum ad exemplar exegit vel recognovit. Vide Du Cange, Glossarium.

[9] Pag. 27. — Cfr. chron. XXIV. Gen., f. 112. r. c. II.

Idem etiam Generalis Minister misit litteras fratri Colino, Ministro Superioris Alamanniae, sub sequente tenore:

In Christo sibi carissimo Ministro Alamanniae Superioris frater Bonagratia etc. salutem etc.

Licet sanctissimus pater dominus Martinus, divina providentia nunc Summus Pontifex, meae dispositioni commiserit de mittendo fratres ad alia monasteria praeterquam Ordinis sanctae Clarae, voluit tamen et oraculo vivae vocis expressit, quod tam licentiam quam accessum huiusmodi stricte facerem observari. Verum quia nonnunquam casus occurrunt, in quibus et expedit et oportet ad huiusmodi monasteria fratres accedere, concedo praesentibus, quod tu et fratres illi, quibus contigerit a suis Superioribus pro sua maturitate concedi, ad ipsa monasteria accedere et intrare possitis in articulis infrascriptis, videlicet, quando communis processio Cleri vel populi causa funeris vel praedicationis intraret, vel alias, quando alias [1] pro aliqua pia causa communiter intratur, aut aliqua notabilis persona, Clericus vel saecularis, accederet cum congrua comitiva et fratrum societatem requireret. Unde quando Praelatus aliquis intraret ad visitandum et vellet a fratribus sociari [2], ita tamen, quod sicut cum intrantibus intrant, ita cum exeuntibus exeant, nec inibi existentes ab aliis, vel ab invicem sequestrentur. Si vero contingeret, aliquam Monialem adeo graviter infirmari, quod confessio non nisi intra monasterium posset audiri, et ipsa vellet fratribus confiteri, posset tunc in loco sic patenti audiri a fratribus, quod tam ipsa quam audiens confessionem eiusdem a tribus vel quatuor, qui praesentes assistant, donec terminetur confessio, videantur et quando fieri poterit bono modo; volo, quod sint securc, quae [3] monasterium debent intrare pro confessionibus huiusmodi audiendis, proviso semper quod pro quibuscumque causis fratres intra monasterium existant, nunquam sic ab invicem sequestrentur. Quod si aliae Moniales non sic infirmae, aut etiam sanae vellent fratribus confiteri, nunquam audiantur ab eis nisi extra claustrum et in loco patenti, congruo et honesto, servantibus [4] in audiendo huiusmodi confessionem tam de licentia quam de mutua visione confessoris et socii statutum capituli generalis. Ad alia vero loca, ad quae possunt fratres secundum declarationem domini Nicolai felicis recordationis Summi Pontificis causa eleemosynae petendae, vel praedicationis accedere, possint etiam fratres mitti pro aliis honestis causis et piis de speciali licentia suorum Praelatorum, proviso quod accessus huiusmodi pro quibuscumque causis, quantum bono modo fieri poterit, taliter arceantur, ut non oporteat subtrahere fratribus gratias superius memoratas.

Datum Assisii, anno Domini MCCLXXXII.

Sub hoc Generali tempore, quo capitulum generale celebratur Argentinae, 1282 obiit Albiae venerandus pater Vitalis de Podio [5], Minister Aquitaniae, et eodem anno

---

[1] Ita cod., sed hoc verbum videtur esse superfluum.

[2] Supple: fratres possunt intrare.

[3] Ita legit cod., sed certo mendose. Aut legendum est *qui* pro *quae*, aut hic habetur locus corruptus.

[4] Scilicet fratribus.

[5] Secundum chron. XXIV Gen. autem, l. modo c., obierat iam an. 1279, post capitulum provinciale Albiae (Albi ad fluvium Tarnim (Tarn) in Gallia celebratum, et eodem anno in capitulo Agenni (Agennum, gallice est Agen, civitas ad Garumnam (Garonne) sita), fuit electus Minister

in capitulo provinciali, in festo sancti Andreae celebrato, electus fuit venerandus pater Rigaldus in eius locum.

Eodem anno dedit illustris princeps dominus Ludovicus, dux Bavariae et comes Palatinus Rheni, Fratribus Minoribus in Monachio [1] alium locum, situm versus Orientem, tunc habitantibus in altera parte oppidi in loco dicto *Anger*, iuxta ecclesiam sancti Iacobi, quem conventum modo inhabitant sorores sanctae Clarae [2].

Praedicto anno [3] concessit dominus Martinus Papa IV. Ordini privilegium de procuratoribus nomine sanctae Romanae Ecclesiae instituendis, qui eleemosynas ipsius Ecclesiae nomine reciperent in fratrum utilitatem, prout ipsis licet, vel declaratione regulae convertendas etc.; et hoc privilegium postea Iohannes Papa XXII. in Constitutione: *Ad conditorem canonum* etc. cassavit, forte propter abusum fratrum, vel aliam causam.

Hoc ipso anno capta est illa nobilissima civitas Accon, quondam Ptolomaida dicta, et Graeci in pristinos suos errores, suadente inimico humani generis, relapsi sunt et ab illo tempore suis demeritis tam in sacerdotio quam in regno decrescentes, temporibus nostris nec unctionem habent nec regnum, Turco omnia Graeciae regna vi detinente.

Scribit frater Hermannus Gigas [4] in sua chronica, hunc Pontificem Romanum, videlicet Martinum IV, induisse habitum Fratum Minorum, pro eo quod cum litteras reliquiis Sanctorum appensas renovaret, invenerit funiculum, quo eiecit Christus vendentes et ementes de templo, et sandalia, cum quibus Christus crucifixus fuit, et dixisse: « Vere, Fratres Minores sunt veri apostolici viri et evangelicae perfectionis professores », et eam ob rem delevisse eum [5] Ordinem quorundam se dicentium apostolos, et se fecisse in habitu Fratrum Minorum in Tuderto sepeliri [6].

Anno Domini 1285 celebravit frater Colinus, Minister Superioris Alamanniae, capitulum in Ulma.

Eodem anno venit saepe dictus Minister Generalis, frater Bonagratia, visitando Parisius, et iuxta definitionem Argentinensis generalis capituli omnia, quae male sonare videbantur in doctrina fratris Petri Iohannis Olivi [7], recolligens, examinanda et deter-

---

Aquitaniae frater Raymundus Rigaldi, loco cuius Wadding., l. c. ad 1284, n. I, fr. Gulielmum de Falgario Tolosanum, Ministrum electum esse nescio qua auctoritate affirmat. — Festum S. Andreae est 30 Novembris.

[1] Cod. semper scribit *Monacum* pro *Monachium,* theut. München, urbs Bavariae.

[2] Sed nunc eum inhabitant Sorores, quae christianae scholae vacant.

[3] Sed Bulla: *Exultantes,* quae videri potest apud Wadding., l. c. Reg. Pont. ad an. 1283, data est XV. kldas (17 Ian.), pontificatus Martini anno secundo, qui est 1283.

[4] De quo cfr. supra pag. 24, nota 6, ubi tamen erronee dictus est auctor saec. XV; erat Minorita saec. XIV. et scripsit circiter usque ad an. 1349 vel 1352.

[5] Scilicet Martinum Papam.

[6] Cfr. Wadding., ad an. 1285, n. I. — Non autem Tuderti, sed Perusii in ecclesia principe S. Laurentii exstat sepultus. In testamento quidem sanciverat, quod corpus suum transferretur ad ecclesiam S. Francisci (cfr. Salimbene, l. c. p. 332, et Wadding., l. c.); sed hoc non factum est. Nam Honorius IV, successor Martini et executor testamenti, obiit, antequam voluntatem ipsius impleverit; postea autem non fuit qui translationem urgeret. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1286, n. II. III.

[7] Cod. hic et postea legit mendose fr. *Iohannis Petri Iohannis,* sed postea auctor ipse primum *Iohannis* delevit. Quam ob rem etiam hic delevimus primum *Iohannis* et adiunximus *Olivi.*

minanda ea exposuit fratribus Dorchen, Ministro Franciae, Iohanni Gaieno, Simoni Dolensi, Arlotto de Prato, sacrae theologiae magistris, nec non fratribus Richardo de Mediavilla, Aegidio de Bensa, Iohanni de Moro, Parisiensibus baccalaureis [1], qui super his matura deliberatione praehabita, quaedam tamquam periculosa et male sonantia concorditer reprobaverunt; quam reprobationem Ministro Generali cum septem sigillis suis miserunt. Et cum idem Generalis Minister venisset Avinionem et ibidem graviter infirmaret, praecepit socio suo, fratri Gerardo, ut contra determinationem magistrorum, in dicta littera septem sigillorum contentam, nullus auderet loqui vel sentire. Et postmodum ibidem ad Dominum migravit.

Anno Domini 1284 capitulum provinciale celebratum fuit in Spira.

Et eodem anno obiit in festo sancti Galli [2] frater Henricus, Guardianus Monacensis de superiori monasterio Anger. Et eadem die et eodem anno venerunt Monachium quatuor sorores Ordinis sanctae Clarae, quarum una dicebatur Dochuntzelsan (?), alia de Sattelberg, et duae Sentlingerin [3], quae inceperunt conventum sororum in Anger, et fratres eis cesserunt loco.

Frater Burckhardus de Hallis IX. Minister Saxoniae.

Anno Domini 1285 electus est in Ministrum Provinciae Saxoniae frater Burckhardus de Hallis, vir utique litteratus et lector in Lubeco, et rexit Provinciam pacifice undecim annis et multa tenuit capitula: Rostochii [4], Vratislaviae, Novae-Brandenburgi, Lubeci, Wismariae, Magdeburgi, Vratislaviae, Hallis, Brunopoli, Lipsiae, Halberstadii, Budissinae, et cum esset in capitulo generali, obtinuit contra multorum fratrum voluntatem cessionem etc.

Dominus Honorius Papa quartus 1285.

Eodem anno obiit dominus Martinus Papa IV, et quarto nonas Aprilis eiusdem anni assumptus est ad papatum dominus Iacobus de Sabellis, diaconus Cardinalis, magnus fautor Ordinis Minorum, et dictus est Honorius IV. Hic Papa dedit Ordini privilegium, quod pacta fratrum inita non valent, si sint in praeiudicium privilegiorum Ordinis et indulgentiarum. Item, quod quicumque Episcopi, communionem sanctae Romanae Ecclesiae habentes, possunt consecrare ecclesias nostras, si Dioecesani noluerint. Hic Papa misit dominum Iohannem Cardinalem et Episcopum Tusculanum legatum ad Theutoniam etc.

Post mortem Wernheri, Archiepiscopi Moguntini, vacavit Sedes eadem duobus annis et tribus mensibus. Nam duo electi per discordiam, ambo Romam pro confirmatione perrexerant, ubi multa pecunia expensa, neuter tamen confirmationem obtinuit. Tandem dominus Rudolphus, rex Romanorum, misit ad dominum Papam Honorium IV. dominum fratrem Henricum, Episcopum Basiliensem Ordinis Minorum, supplicans pro uno illorum electorum [5]. Dominus autem Papa Honorius, utriusque

---

[1] Ita legit cod., Wadding. autem, l. c. ad an. 1283, n. I. rectius: fr. *Draconi* (Drudoni ?) *Ioh. Garau, Simoni de Lensio* (cfr. pag. 98, nota 5.)... *Aegidio de Bessa, Iohanni de Murro.*

[2] 16 Octobris.

[3] Ita cod. ms. Sed Wadding., l. c. ad an. 1284, n. XXXII, testibus chron. anon., quae tamen de nominibus tacent, et Gonzaga, scribit: una de *Chunzelsau,* alia de *Saltperg*... patriciae Monacenses.

[4] Cod. *Rostac,* est theut. Rostock in Mecklenburgo; de Budissina cfr. supra pag. 86, nota 1.

[5] Ita cod., sed manus posterior correxit: supplicans, *ut* pro... electorum *subrogaretur.*

electione cassata, archiepiscopatum Moguntinensem praedicto domino Henrico, Episcopo Basiliensi, favorabiliter cum pallio et confirmatione porrexit illique, pro quo nomine regis supplicaverat, contulit episcopatum Basiliensem.

Anno Domini 1286 datus est frater Henricus Moguntinensis Archiepiscopus per dominum Papam Honorium.

Eodem anno [1] fuit capitulum generale Mediolani celebratum, in quo fuit electus decimus Minister Generalis Arlottus de Prato, magister sacrae theologiae, Minister Tusciae. Hic habuit patrem venerabilem in Ordine et tres fratres germanos.

Frater Arlottus de Prato X. Minister Generalis.

In hoc capitulo, suadente fratre Gulielmo de Falcario, qui eidem capitulo praeerat, statutum est et data forma, quod fieret unus Generalis Vicarius, qui regeret Ordinem, vacante ministerio generali.

Iste igitur Generalis quasi per annum rexit Ordinem et appositus ad sanctos Patres, Parisius requiescit. Post eius obitum institutus est frater Gulielmus praedictus secundum formam in generali capitulo Mediolani traditam Generalis Vicarius Ordinis. Hic est ille frater Gulielmus, qui opus sancti Bonaventurae super Sententias breviavit [2].

Tempore illo claruit beatus Rogerius de Provincia Provinciae, in conventu Usetiae [3] postea sepultus, vir perfectissimus altissimae contemplationis et raptus penna [4] sublimis.

Eodem anno capitulum provinciale in Wormatia.

Claruit frater Hugo de Digna, qui scripsit super regulam et sepultus est Marsiliae. Item, soror eius germana, nomine Dulcelina, quae ad fratris exemplum et conversationem exhortationemque mundum et eius concupiscentias relinquens, sub honesto et religioso habitu satagebat facere dignos poenitentiae fructus. Ad quam multae matronae et adolescentes virgines confluentes, se divino servitio pariter cum ipsa dedicabant, quibus frater Hugo certas regulas et constitutiones tradidit, quibus magis devote et ordinate Domino deservirent. Ex quibus ortum sumpsit status usque nunc Marsiliae perseverans, qui dicitur: *Dominarum de Robando* [5].

---

[1] Est error auctoris. Anno enim praecedenti (1285) celebratum fuit hoc capitulum, ut recte dicunt chron. XXIV Gen., f. 114. v. c. I. et Wadding., et etiam confirmat Salimbene, l. c. p. 337, ubi dicit: « Eodem millesimo (i. e. 1285) apud Mediolanum celebratum est generale capitulum fratrum Ord. Min... et frater *Petrus,* Minister Aquitaniae, qui erat magister cathedratus, Vicarius fuit in illo capitulo, ut esset Generalis Minister... sed praevaluit Arlottus de Prato de Tuscia, qui erat cathedratus magister et legebat Parisius ». Et p. 391: « Vicarius fuit ibi (in cap. gen. Montispessulani 1287) *Petrus de Falengaria,* qui postea fuit missus ad legendum in Curia, cum esset cathedratus magister ».

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., l. modo c., et Wadding., l. c. ad an. 1278, n. XXXI, 1284, n. I, 1286, n. I, qui tamen cum auctore nostro contra Salimbene illum Vicarium *Gulielmum de Falgario* nominant. — In quibusdam Quaestionibus disputatis, quarum autographum exstat Assisii, legitur: Quaest. *Petri Falci.*

[3] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 114. v. c. II. seqq., et Wadding., l. c. ad an. 1287, n. IX-XV, qui vitiose legit *Usentia* pro *Usetia;* est enim gallice Uzès prope Nimes.

[4] Chron. XXIV Gen. *gratia.*

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 122. v. c. I, ubi haec verbotenus, Wadding., l. c. ad an. 1274, n. 15, 1278, n. XXXI, 1282, n. XI, et Salimbene, l. c. p. 124; et de sorore Hugonis, quam vocat *Donolinam* p. 320. — De fr. Bernardo inferius nominato cfr. Wadd. ad an. 1306, n. I, ubi dicitur de Belega.

Illo etiam tempore claruit frater Bernardus de Bolega, lector omni sanctitate praecipuus, in Montepessulano sepultus.

Anno Domini 1287 venit dominus frater Henricus de Ordine Minorum, Archiepiscopus Moguntinus, in Thuringiam et ab omni Clero et populo civitatis Erfordiensis honorifice susceptus est. Vocatis igitur ab eo principibus terrae et liberis et ministerialibus multisque nobilibus, coepit cum eis tractare de pace, quia iam per multos annos incendia et rapinae et vastationes in eadem provincia per malos homines exercebantur. Et cooperante ei gratia Spiritus sancti, adeo omnes principes et nobiles suis dulcibus exhortationibus permovit, ut omnes cum eo per totam Thuringiam foedus inviolabile pacis inirent. Sed heu! suadente pacis inimico, haec pax non diu duravit. Nam eodem anno circa medium Quadragesimae synodus provincialis in Herbipoli fuit celebrata, praesente ac exsequente legato Sedis Apostolicae domino Iohanne, Cardinali Episcopo Tusculano, praesentibus etiam ibidem domino Rudolpho, Romanorum rege, cum multis nobilibus diversarum provinciarum ac Archiepiscopis Moguntinensi praedicto et Coloniensi et multis Episcopis, Abbatibus nigri Ordinis ac grisei, Praemonstratensis, et multis Praepositis et diversorum Ordinum Praelatis, in qua synodo idem dominus Legatus quartam partem omnium proventuum ac reddituum omnium ecclesiarum ac monasteriorum ab omnibus Praelatis per quatuor annos postulavit. Multis ergo Praelatis, Archiepiscopis, Episcopis etc. ad hanc postulationem trementibus et contradicere formidantibus, surrexit e medio omnium Praelatorum dominus et frater Conradus Probus, Episcopus Tullensis Ordinis Minorum, et stans super baptisterium, in medio ecclesiae Herbipolensis noviter aedificatum, clara voce pro omnibus appellavit, dominica in medio Quadragesimae; propter quod indignationem Legati incurrit. Unde postea fuit conscriptum in Memoriali [1] capituli provincialis in fine sic: Pecunia domini Tullensis in quolibet conventu requiratur.

Ipso anno submersi sunt in Fresia [2] per inundationem aquarum pene octoginta millia hominum.

Eodem anno transposuit dominus Henricus, Archiepiscopus Moguntinus, dedicationem ecclesiae Montis sanctorum Apostolorum in dominicam *Quasi modo* [3], quae antea fuerat in festo sanctorum Aurei et Iustinae [4].

Idem dominus Henricus celebravit eodem anno ordines — *Caritas Dei* [5] — Erfordiae apud confratres suos Minores.

Frater Matthaeus de Aquasparta XI. Generalis Minister in Ordine Minorum.

Eodem anno Domini 1287 in festo Pentecostes fuit capitulum generale in Montepessulano celebratum, ubi fuit electus XI. Minister Generalis, vir magnae sufficientiae, frater Matthaeus de Aquasparta, magister theologiae ac lector sacri Palatii, de Provincia sancti Francisci de conventu Tudertino, tunc Sede Romana vacante, domino Martino Papa ante in Coena Domini Romae defuncto. Huic

---

1 Est enim liber, in quo gesta capitulorum notabantur.

2 Rectius Frisia (Friesland).

3 Id est prima dominica post Pascha, in *Albis* dicta, in qua Introitus s. Missae his verbis incipit (14 Aprilis).

4 16 Iunii.

5 Id est sabbato post Pentecosten (31 Maii).

Generali Ministro successit in lectura sacri Palatii frater Gulielmus de Falcario Tolosanus; quo Episcopo Vivariensi [1] facto, legit in Palatio frater Iohannes de Murro. Hic frater Matthaeus factus est postea Cardinalis, cuius meminit Iohannes Andreae in glossa prologi libri sextae [2].

Eodem anno, et die: Vincula [3] sancti Petri, assumptus fuit ad papatum dominus et frater Hieronymus, tunc Cardinalis Episcopus Praenestinus, olim Generalis Minister Ordinis Minorum, et Nicolaus IV. est vocatus. Hic gradatim ad summi pontificatus apicem profectus est. Nam primo lector non parvae lecturae in Ordine factus, fuit Minister Slavoniae, deinde Legatus Ecclesiae Romanae ad Graecos, exinde Minister Generalis, postmodum tituli sanctae Pudentianae presbyter Cardinalis, post haec Episcopus Praenestinus, demum Pontifex Summus Nicolaus IV.

Dominus Nicolaus Papa quartus Ordinis Minorum.

In praedicto autem capitulo Montispessulani reddita est Provinciae Bohemiae facultas eligendi Ministrum Provincialem [4]. Ex tunc varii visitatores diversis temporibus missi sunt ad Provinciam: ex Hungaria frater Mathias et frater Bolandus, ex Dacia frater Thomas et frater Alanus, et continue decrescebat Ordo in Provinciis, Praelatis Ordinis ad dignitates ecclesiasticas volantibus, et visitatoribus rigiditate nimia fratres potius exasperantibus quam emendantibus, donec propter multimodas divisiones et relaxationes totus Ordo collapsus est.

Item, statutum fuit, quod infra Octavam Nativitatis beatae Virginis non fiat de festo aliquo nisi tantum de festo sanctae Crucis, cum ita teneat Curia Romana.

Praedicto anno 1287 fuit capitulum in Herbipoli in festo Nativitatis beatae Virginis.

Et eodem anno obiit Mulhusae frater Hermannus de Gerstagen et ibidem est sepultus. In quo post susceptum Ordinis habitum resplenduit humilitas profundissima, et tantum zelum habuit ad animas, ut ad loca, ad quae nullus ad praedicandum ibat, ipse pane et aqua contentus accedebat et ibi praedicabat, confessiones audiebat assidue et consilia pro animarum salute fideliter impendebat. Hic post mortem magnis miraculis clarebat. Nam septem mortuos suscitavit, caecos novem illuminavit, sexdecim membris contractos erexit, duobus surdis auditum, tribus mutis loquelam restituit, et alia innumera miracula patravit, de quibus frater Bartholomaeus de Pisis, libro Conformitatum parte II. [5] scribit sub Provincia Saxoniae.

Anno Domini 1288 revocavit dominus Papa Nicolaus statutum factum in capitulo Mediolani de instituendo Vicario, qui regeret Ordinem, vacante ministerio generali, prohibendo, ne hoc fieret sine speciali licentia Sedis Apostolicae, vel protectoris Ordinis. Item, idem Papa statuit declarando, quod omnium Custodum voces

---

[1] Id est Viviers, civitas Galliae.

[2] Scilicet partis Decretalium. — Matthaeus factus est Card. 1288. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1287, n. IV, 1288, n. II. — Pentecostes hoc anno erat 25 Maii.

[3] Est error auctoris. Non hoc festo, quod est 1 Augusti, sed secundum chron. XXIV Gen., f. 123. r. c. I. in die *Cathedrae* (22 Febr.) 1287 « ab incarnatione computando » electus est, quod est secundum computum nunc consuetum VIII. kalendas Martii (22 Febr.) 1288.

[4] Cfr. supra pag. 86.

[5] Fructus 8. f. 69b. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1287, qui tamen legit *Herm. de Gerstaden* pro *Herm. de Gerstagen.*

unius Provinciae habeantur pro una, cuius oppositum aliqui voluerunt in capitulo Montispessulani, ubi dictus Generalis fuit electus. Statuit etiam idem Papa eodem anno, quod numerus Provinciarum olim sub domino Papa Gregorio [1] IX. in capitulo generali, eo praesente, taxatus, cum augmento duarum Provinciarum postea facto stet immutabiliter, nec aliquis sine Sedis Apostolicae licentia et Ordinis protectoris possit aliter mutare, vel illum numerum augere vel minuere.

Hic Papa assumpsit hunc Ministrum Generalem, fratrem Matthaeum, in Cardinalem presbyterum tituli sancti Laurentii in Damaso [2]; nihilominus tamen rexit Ordinem de mandato domini Papae usque ad electionem sui successoris. Hic postmodum factus est Episcopus Portuensis.

Sub isto Generali floruit frater Andreas de Anagnia [3], nepos quondam domini Papae Alexandri IV, qui factus Cardinalis per dominum Papam, ex humilitate cessit; cuius resignatio fuit per dominum Papam admissa. Hic tantae perfectionis fuit, ut dominus Papa Bonifacius astruxerit, eum canonizatione fore dignum; qui etiam post mortem suam multis miraculis coruscavit.

Eodem tempore obtinuit frater Iohannes de Parma, quondam sextus Minister Generalis, ab eodem Cardinali et Ministro Generali de voluntate domini Nicolai Papae IV. licentiam eundi ad partes infidelium, ut ibi spargeret semen veritatis. Cumque proficisceretur cum sociis et pervenisset Camerinum, ibidem infirmatus diem clausit extremum, ubi Dominus multa miracula per eum ostendit [4].

Eodem anno Domini 1288 obiit dominus Henricus, Archiepiscopus Moguntinus de Ordine Minorum, et sepultus est in ecclesia cathedrali tumba simplici, eo quod ipsum oderant plurimi Canonici, quia rigide et honeste eos vivere compulerat, et quod ipsum Rudolphus rex ad archiepiscopatum sublimaverat, domini Honorii Papae favore et consensu. Cui tale epitaphium insculpserunt: *Hic iacent in fossa Henrici mirabilis ossa*, et vacavit Sedes per annum et tres menses, quia duo erant in discordiam electi; et tandem Papa contulit domino Gerhardo de Eppenstein archiepiscopatum illum.

Dominus autem et frater Matthaeus praedictus Ordinem duobus annis tantum rexit in officio ministerii et cardinalatu.

Eodem anno capitulum in Heilbrunna [5] fuit celebratum.

Anno Domini 1289, dominica *Cantate*, fuit capitulum in Scaphusio [6] celebratum, et eodem anno obiit frater Colinus, Minister Argentinensis, sepultus in Spira, clarus prodigiis multis.

Eodem anno in capitulo generali, Reate celebrato, praesente domino Nicolao Papa IV. cum duobus Cardinalibus Ordinis, scilicet domino fratre Bentivenga Albanensi et domino fratre Matthaeo de Aquasparta Portuensi Episcopis, personaliter

---

[1] In cod. excidit hoc verbum *Gregorio*. Hic enim Papa intererat capitulo an. 1239, ubi divisio Provinciarum facta est. Cfr. supra pag. 61.

[2] 15 Maii in vigilia Pentecostes eiusdem anni. Episcopus factus est 1291 in mense Decembri.

[3] De quo Wadding., l. c. ad an. 1290, n. XXVIII. et 1295, n. X; designatus est Cardinalis 17 Decembris 1295.

[4] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 123. r. c. II, Wadding., 1289, n. 26, et supra pag. 69.

[5] Cod. hic *Hailprunna;* est Heilbronn in Würtemberga; vide supra pag. 89, nota 1.

[6] Theut. Schaffhausen (cod. semper *Schaffhusen*) in Helvetia. — Dominica *Cantate* est quarta post Pascha (25 Aprilis).

Frater Raymundus Gaufredi XII. Minister Generalis.

recipiente et audiente eligentium vota, electus fuit XII. Generalis Minister post beatum Franciscum frater Raymundus Gaufredi [1] de Provincia Provinciae et de conventu Marsiliae.

In ipso capitulo dominus Carolus, heres regni Siciliae, pater sancti Ludovici, postea Episcopi Tolosani, et filius Caroli, fratris sancti Ludovici, regis Franciae, cum sua consorte domina Maria, filia Stephani V, regis Hungariae, ab ipso domino Papa in loco fratrum coronati fuerunt [2].

Frater Bertholdus Minister Superioris Alamanniae.

Eodem anno fuit capitulum provinciale in Esslinga [3] in festo Assumptionis virginis Mariae, in quo capitulo electus fuit frater Bertholdus, letor Constantiensis, in Ministrum Provinciae Argentinae et praefuit Provinciae annis octo cum dimidio et haec capitula celebravit: Columbariae [4] anno 1290; Hagenawiae 1291; Villingae 1292; Francofurti 1293; Friburgi Brisgaviae 1294; Moguntiae 1295; Esslingae 1296, et postea obiit.

Praedicto anno 1289 confirmavit dominus Papa Nicolaus IV, pontificatus sui anno secundo, regulam fratrum et sororum de poenitentia per beatum Franciscum, dum viveret, eis datam, et eam in formam, quam nunc habet, redegit [5].

Anno Domini 1290 obiit reverendus pater dominus Bentivenga, Cardinalis Episcopus Albanensis de Ordine Minorum.

Anno Domini 1291, XVIII. kalendas Iunii [6] capta fuit civitas Accon per Saracenos, occisis multis Christianis utriusque sexus. Qui Saraceni solemne monasterium sororum sanctae Clarae, quod inibi fuit, invadentes, sorores omnes cruento gladio cum palma martyrii ad Dominum transmiserunt, quas domina Abbatissa singulari et admirando exemplo animavit et confortavit [7].

Anno Domini 1292 in Parasceve [8] clausit diem extremum dominus Nicolaus Papa IV, post cuius decessum vacavit Sedes Romana duobus annis et tribus mensibus.

Eodem anno in festo Pentecostes fuit Parisius capitulum generale, in quo est frater Raymundus, Minister Generalis, ad preces Philippi, regis Franciae, qui cognominabatur *pulcher*, cathedram magistralem in theologica facultate consecutus.

Eodem anno in die sancti Iohannis ante Portam Latinam, convocatis et coadunatis principibus multis in regio oppido Francofurto ad electionem regis Roma-

---

1 Cod. semper *Ganfredi.* Electus est in festo Pentecostes (29 Maii).

2 Secundum Ciaconium. l. c. coronatio erat III. kalendas (29 Maii) 1289. Errant ergo qui ut cl. Ehrle, S. I. (Zur Quellenkunde der ältern Franciscanergeschichte I. p. 350, Innsbrucker Theologische Quartalschrift 1882, teste cl. Reumont, Geschichte der Stadt Rom Bd. 2. S. 613) eam factam esse 29 Maii 1288 affirmant. Carolus enim erat an. 1288 adhuc incarceratus, et demum 1289, intercedente Papa, liberatus est.

3 Cod. *Esslingen*, est oppidum Würtembergae.

4 Theutonice Colmar in Alsatia; Hagenawia (Hagenoia) est theut. Hagenau, ibidem; Villinga theut. Villingen (cod. FFillingen) in Bada.

5 Sed per Leonem XIII. an. 1883 est mutata, i. e. temporibus nostris adaptata.

6 14 Maii; immediate post cod. *Anchon* pro *Ancon.*

7 Cfr. chron. XXIV Gen., f. 126. v. c. II. seq., Wadding., l. c. ad an. 1291, n. I, et Ioh. Vitodur., l. c. p. 1761.

8 4 Aprilis; Pentecostes erat 25 Maii. — Festum S. Ioh. infra citatum est 6 Maii.

norum, electus fuit comes Adolphus de Nassowia[1] in regem Romanorum et in festo S. Iohannis Baptistae fuit cum debitis honore et solemnitate coronatus. Iste rex cum sua consorte, domina Ymagina de Hympurk, fuit magnus fautor Ordinis Minorum, et in conventu Norimbergensi parari iussit fenestram vitream cum armis suis retro summum altare.

Anno Domini 1293 celebratum fuit capitulum provinciale in Provincia Superioris Alamanniae sive Argentinae in conventu Francofordensi per reverendum patrem fratrem Bertholdum, Ministrum eiusdem Provinciae.

Anno Domini 1294, septima die mensis Iulii, in civitate Perusii assumptus fuit ad papatum frater Petrus de Murone[2] Provinciae Terrae Laboris, conversatione eremitica, et Coelestinus V. est vocatus. Qui eodem anno in vigilia S. Caeciliae *elegit esse abiectus in domo Dei*[3], edita prius Constitutione, quod Papa possit resignare papatum, apud Neapolim coram omnibus Cardinalibus, depositis papatus insigniis et pontificalibus ornamentis, resignavit papatus oneri et honori. Et mox post, XXII. die[4], in vigilia Nativitatis Domini electus fuit dominus Benedictus Gaetanus, tituli sancti Martini in Montibus presbyter Cardinalis, in Papam et Bonifacius VIII. nominatus, qui fuit magnus amicus Ordinis a principio, sicut data per eum privilegia protestantur.

Dominus Coelestinus Papa V.

Dominus Bonifacius Papa VIII.

Anno Domini 1295 fuit capitulum in Provincia Saxoniae in conventu Friburgo, quod tenuit frater Arnoldus, Custos Bremensis, Vicarius Provinciae, et in vigilia sancti Francisci electus fuit in Ministrum frater Iohannes de Nova Civitate[5], lector Magdeburgensis, et uno anno rexit Provinciam.

Frater Iohannes de Nova Civitate X. Minister Saxoniae.

Eodem anno contulit dominus Bonifacius Papa VIII. fratri Raymundo, Generali Ministro, episcopatum Paduanum et eum ab officio ministerii generalis absolvit. Qui episcopatui non consentiens, remansit ab officio absolutus.

Anno Domini 1296 celebravit frater Iohannes, Minister Saxoniae, capitulum provinciale in Berlino, de quo profectus est ad capitulum generale, Anagniae celebratum, ubi etiam absolutus est et in via redeundo mortuus. Et in absentia eius praefuit Provinciae frater Henricus, Vicarius Provinciae.

Eodem anno in festo Pentecostes[6] fuit capitulum generale in Anagnia, in quo, praesente domino Bonifacio Papa VIII, electus fuit in XIII. Ministrum Generalem frater Iohannes de Murro de Provincia Marchiae, olim lector sacri Palatii in Curia. Qui eodem anno, annuente et volente domino Bonifacio Papa VIII, recepit ad Ordinem dominum Ludovicum Caroli II, regis Siciliae, filium, cui iam erat de Ecclesia Tolosana provisum, qui eidem provisioni de se factae consentire nolebat, donec votum suum

Frater Iohannes de Murro XIII. Minister Generalis Minorum.

---

1 Cod. *Adulphus de Nassaw* (Nassau). — Festum S. Ioh. Bapt. est 24 Iunii.

2 Cod. mendose *Murore*.

3 Psalm. 83, 11. — Vigilia S. Caeciliae est 21 Novembris. Sed secundum Ciaconium et omnes viros historicos renuntiatus est in festo S. Luciae (13 Dec.).

4 Est error calculi, cum a vigilia S. Caeciliae usque ad vigiliam Nat. D. sint XXXII dies.

5 Theutonice Neustadt in Silesia, ubi etiam situm est Friburgum hic nominatum (theut. Freiburg prope Schweidnitz).

6 13 Maii.

de intrando Ordinem implesset. Et cum fuit receptus ad Ordinem, ex causa [1] sub clericalibus vestimentis de mandato domini Papae habitum nostrum induit et velatum portavit, non quidem novum, sed habitum unius de fratribus, sociis suis etc. Postmodum in festo Agathae Romae in conventu Araecoeli coram duobus Cardinalibus, videlicet domino Iacobo de Anagnia Hostiensi et domino Matthaeo de Aquasparta Portuensi Episcopis, habitum publice, devote et humiliter recepit et illo die detulit usque ad sanctum Petrum peditando, et ex tunc usque ad mortem patenter portavit.

Eodem anno in festo sancti Antonii venit idem sanctus Ludovicus Paduam ad faciendum divinum officium in conventu Fratrum Minorum, et inceperunt fratres, praesente eo, in occasu solis dicere Matutinum et ferme per totam noctem ad satisfaciendum eius infatigabili devotioni Matutinum cantando solemniter pertraxerunt [2].

Eodem anno capitulum in Esslinga celebratum.

Frater Henricus de Oderndorff seu de Halla Minister Argentinensis.

Anno Domini 1297 fuit capitulum provinciale in Argentina celebratum, ubi electus fuit in Ministrum Argentinensem, alio mortuo, frater Henricus de Oderndorff sive de Halla [3], Custos Sweviae, et praefuit Provinciae quinque annis et postea absolutus est. Tenuit ista capitula: Ratisbonae anno 1298, et eodem (anno erat) capitulum generale Lugduni [4]; in Thurego fuit capitulum in festo Nativitatis Mariae 1299, Spirae 1300 in Pentecoste, Basileae 1301, Herbipoli 1302, et ibi fuit absolutus.

Frater Iohannes de Soltwedel XI. Minister Provinciae Saxoniae.

Praedicto anno 1297 fuit capitulum in Erfordia in Provincia Saxoniae, quod tenuit frater Henricus, Vicarius Provinciae et Guardianus Magdeburgensis; in quo electus fuit in Ministrum frater Iohannes de Soltwedele [5], lector Lubecensis, et praefuit in officio per annum cum dimidio. Qui celebravit unum capitulum in Luneburgo [6] et aliud in Angermunda, ubi accepit successorem.

Eodem anno tertio idus Augusti [7] canonizavit dominus Bonifacius Papa VIII. in Urbeveteri sanctum Ludovicum, quondam regem Franciae, fratrem avi sancti Ludovici Episcopi Ordinis nostri, pontificatus sui anno tertio.

Eodem anno, XIV. kalendas Septembris, in Brunonia [8], castro provinciae Provinciae obiit sanctus Ludovicus, Episcopus Tolosanus, expletis annis vitae suae viginti tribus cum dimidio. Corpus vero eius ad conventum Marsiliae, ubi vivens sepeliri elegerat, per montium cacumina portatum est et iuxta viam, per quam incedebant san-

---

[1] Ne scil. pater eius offenderetur, qui consensum nondum dederat. — Festum S. Agathae est 5 Feb.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen. f. 130. v. c. II, ubi haec verbotenus, Wadding., l. c. ad an. 1288 et 1295. — Festum S. Antonii est 13 Iunii.

[3] Cod. *Halle,* theut. Hall in Würtemberga; pro *Oderndorff* probabilius est legendum *Oberndorf,* oppidum eiusdem regni, situm ad Neckarum.

[4] Ita etiam Rodulphius Tossignanus, Catalogus universalis, contra chron. XXIV Gen. f. 138. r. c. I. et Wadding., qui illud 1299 celebratum esse affirmant. — Thuregum est theut. Zürich, oppidum Helvetiae.

[5] Id est theut. Salzwedel (lat. Hieropolis vel Vallis Solis) in Borussia.

[6] Cod. *Lunenburg,* theut. Lüneburg, et deinde mendose *Argemunde* pro *Angermunda,* quae est civitas Borussiae in provincia Brandenburgensi.

[7] 11 Augusti.

[8] Sic cod. mendose pro *Brinonia* (gallice Brignoles, Provençe); obiit 18 Augusti.

ctas reliquias deferentes, visa sunt plurima lumina quasi pro sacro funere micantium cereorum coelitus transmissorum [1].

Anno Domini 1298 [2], celebratum fuit Lugduni capitulum generale, in quo de voluntate totius capituli ordinatum fuit, quod nullus Frater Minor haberet plus quam unum habitum, qui, sicut dicit regula, repetiaretur.

Sub praedicto Generali claruit Parisius frater Iohannes Duns Scotus [3], doctor subtilis et ingenii fecunditate famosus.

Anno Domini 1299 in capitulo Angermundae [4], quod tenuit frater Henricus, Vicarius Provinciae Saxoniae, reelectus fuit in Ministrum Saxoniae frater Burckhardus de Hallis, qui etiam fuit IX. Minister Saxoniae supradictus [5]. Qui celebravit capitulum in Brema, Magdeburgi, Sundis [6], Vratislaviae, Budissinae, Stendalii, Halberstadii.

Frater Burckhardus de Hallis XII. Minister Saxoniae.

Anno Domini 1300 primus Iubilaeus celebratur institutus per dominum Bonifacium Papam VIII.

Eodem anno factus est frater Gentilis, tunc lector sacri Palatii, per dominum Bonifacium Papam VIII. tituli sancti Martini in Montibus presbyter Cardinalis.

Anno Domini 1301 [7] celebratum fuit capitulum generale Ianuae per fratrem Iohannem de Murro, Ministrum Generalem, in quo ordinatum fuit, quod de cetero de sancta Maria de Nive et de consecrationibus ecclesiarum S. Salvatoris et Apostolorum principis fieret festum duplex per Ordinem universum. Hic Generalis Minister perpendens, multa impura fieri per conventus in diversis Provinciis, volens fratres ad statum pristinum sanctae paupertatis reducere, misit litteras de praefato capitulo ad omnes et singulas Provincias Ordinis, prohibens sub poena excommunicationis, ne quis de cetero induceret aliquem saecularem, ut alicui conventui, loco seu fratri redditus annui assignarentur, talis tenoris:

In Christo sibi carissimis universis Provincialibus Ministris, Custodibus, Guardianis et fratribus omnibus aliis praesentibus et futuris frater Iohannes, Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Inter coelestium insignia gratiarum, quibus almus Christi confessor, Pater noster Franciscus, nostri Ordinis institutor, se Christo conformem, hosti terribilem ac nobis se praebuit exemplarem, paupertas sanctissima [8] vendicat principatum. Hac nempe

---

[1] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 136. r. c. I, et Wadding., l. c. ad an. 1298, n. VI. seqq.

[2] Contra chron. XXIV Gen., f. 138. r. c. I, et Wadding., qui ad an. 1299, n. VI. dicit, hoc anno dictum capitulum celebratum esse, et non esse qui recenseat, quid ibi sit statutum. Cfr. supra pag. 108, nota 4.

[3] De quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1309, n. XVI. seqq., et Certamen Seraphicum, p. 245 (Quaracchi 1885).

[4] Cod. hic *Agermunde*. Cfr. supra pag. 108, nota 6.

[5] Pag. 101.

[6] Id est theut. Stralsund, oppidum Borussiae in Pomerania; deinde cod. legit *Budesin*, *Standell*.

[7] Ita etiam Petrus Rodulphius, sed contra chron. XXIV Gen. et Wadding., qui, ut ex dato sequentium litterarum (p. 110) apparet, recte dicunt an. 1302. Apud Wadding. etiam habentur sequentes litterae de paupertate, cuius lectiones variantes porrigemus in notis.

[8] Wadding.: paupertatis sanctissimae.

omnes supergredi, hac singulariter gloriari, hac nos a Religiosis ceteris discernere, a [1] mundo secedere (alias secernere), a vitiis elongare et Christo totaliter inserere conabatur. Hanc filiis tamquam spiritualis structurae primordium fundamentum et [2] pretiosam Evangelii margaritam olim absconditam, arrham regni coelestis et sortem hereditariae portionis tam vivens quam moriens exemplis et monitis [3] praecipue commendavit. Quam suis sanctis inhaerentes vestigiis venerabiles patres, in Ordinis regimine succedentes [4], mira sollicitudine tam in se quam in subditis coluerunt, nihil paupertatis laesione molestius, nihil eius [5] observantia gratius arbitrantes. Generali proinde ministerio divino, quamvis occulto, iudicio deputatus, ab ipso [6] zelo et studio discrepare non valens absque Religionis periculo et salutis propriae detrimento, anxia cura sollicitor fratres et filios iuxta dies antiquos inter paupertatis altissimae limites continere [7], totisque praecordiis inardesco [8] paupertatis offendicula cassare [9], tollere et correctionis falce praescindere, quae in ipsius praeiudicium conspicio pullulasse.

Cum itaque loca nonnulla nostri Ordinis, quasi sit abbreviata manus Domini iumenta pascentis *et volucres, quae non seminant neque metunt neque congregant in horrea* [10], nec suis pauperibus possit providere, agros, vineas et domus seu pensiones perpetuas annuatim de proventibus habere reperiam eorundem, nec non et fratres, qui mundo deberent penitus crucifigi, in sui perniciem [11] et in scandalum aliorum non solum annuos redditus personales habere, verum etiam perpetuarum commissariarum onera suscepisse, ex quibus inevitabili necessitate consequitur, ut circa procurandas terrarum culturas et proventus fructuum colligendos curis extraneis distrahantur, persecutiones [12] intentent et actiones, civilibus litigiis implicentur et nonnulla sequantur huiusmodi, quae non possunt [13] absque proprietatis specie exerceri: dissimulare etiam non valeo, quin haec paupertatis venena, avaritiae fomites, materias iurgiorum, spiritualium viscos pennarum, maculas gloriae nostrae, ex quibus Deus offenditur, Ordo vilescit, minoratur devotio, et animarum perditio procuratur, acrioris [14] districtionis sarculo studeam exstirpare. Paterno igitur affectu et zelo iuxta mei officii debitum vos Ministros, Custodes et Guardianos et fratres omnes moneo [15], excito et induco, omnes et singulos adiurando per impretiabile pretium effusi pro nobis sanguinis Salvatoris, ac per ipsa [16] sacra stigmata, quae in corpore beati Patris nostri Francisci mirabiliter claruerunt, iubendo districtius nec non et [17] statuendo inhibens per obedientiam salutarem sub poena excommunicationis, quam in his scriptis fero in contrarium facientes, ne quem [18] inducatis de cetero seu induci per alios procuretis, ut ulli fratri, conventui seu loco nostri Ordinis possessiones seu redditus annui, aut eleemosyna [19] de proventibus corundem perpetua [20] assignentur. Nec ullus ex nunc commissariae perpetuae fungatur officio, et maxime ubi testator

---

[1] Cod. praemittit perperam *ceteris,* quod delevimus. Wadding. legit: Relig. discernere ceteris, a mundo secernere, a vitiis elongari et Chr. tot. deservire conabatur.

[2] Wadding. omittit fundamentum et; [3] omittit exemplis et monitis; [4] incedentes; [5] eius in obs.; [6] ipsorum; [7] contineri; [8] inardesco sanctae paup.; [9] omittit cassare.

[10] Alluditur ad Matth. 6, 26, Luc. 12, 24. Wadding. *ne* pro *nec.*

[11] Wadding.: in suae professionis perniciem; [12] prosecutiones; [13] possent. — [14] Cod. legit *arcioris.*

[15] Wadding.: omnes vos moneo; [16] ipsius; [17] claruerunt, inhibendo nihilominus statuens et; [18] quemquam; [19] seu eleemosynae; [20] perpetuae.

perpetuam [1], seu ad vitam fratri vel fratribus deputat pensionem [2]. Nec ulli, qui iam commissarias huiusmodi subiisse noscuntur, se [3] de ipsis amodo intromittant, nec imposterum cultores inducere [4] aut fructus possessionum praesumant colligere taliter relictarum [5]; quin potius sub praemissae distinctionis censura praecipio tam vobis Ministris quam vobis Custodibus et Guardianis et fratribus aliis, tam illis quibus talia sunt relicta, quam illis quorum mediatio [6] videbitur opportuna, quatenus dissimulatione et dilatione veritatis [7] posthabitis, bona fide curetis insistere, ut possessiones huiusmodi, sive consistant in domibus sive in agris vel vineis, non solum locando seu ad spatium vitae vendendo, sed si potest fieri, absolute distrahantur [8] et simpliciter. Nec aliquis coram persona saeculari vel ecclesiastica pro huiusmodi relictis praeteritis vel futuris in iudicio valeat vel audeat [9] experiri, ne (vos) secus agentes, ut *canes reversi ad vomitum* [10], dimissa vel relicta [11] repetere, et *manu missa ad aratrum, post terga respicere*, de Dei domesticis mundi [12] cives effecti, exules patriae et praevaricatores regulae, ipsius possitis qui nec irridetur nec fallitur iudicio reputari [13]. Haec autem statutoria littera cum Constitutionibus legatur in publico et etiam locis singulis reservetur, ne aliqui fratres imposterum, qui [14] altissimae paupertatis propositum Deo voverunt, irritum quid [15] facientes, tanto severiorem damnationem incurrant, quanto, divino timore postposito, amplius [16] inventi fuerint contemptores. Valete in Domino Iesu [17] et orate pro me.

Datum Ianuae, anno Domini MCCCII tempore generalis capituli, XVII. kalendas Iulii.

Eodem (anno) factus est idem Generalis Cardinalis Episcopus Portuensis, remansit tamen Vicarius Ordinis, ut alii sui praedecessores, usque ad electionem futuri Generalis Ministri, et sic rexit Ordinem septem annis.

Frater Henricus de Ravensburgo Minister Argentinensis.

Eodem anno 1302 in capitulo, Herbipoli celebrato, electus est in Ministrum Provinciae Superioris Alamanniae sive Argentinae frater Henricus de Ravensburgo [18], lector Constantiensis, absoluto ibidem praedecessore suo; qui et ipse post septem annos a Ministro Generali fuit absolutus. Hic tenuit capitula anno Domini 1303 Columbariae et ibi fecit ordinationes provinciales secundum ordinem et modum titulorum Constitutionum generalium; anno 1304 in Esslinga in Nativitate beatae Virginis; anno 1305 Augustae in Pentecoste [19]; anno 1306 Constantiae in Pentecoste; anno 1307 in Wormatia in Nativitate Mariae; et eodem anno capitulum generale Tolosae; anno 1308 in Berno Burgundiae in Pentecoste; anno 1309 in Sarburgo, in quo fuit absolutus per litteras Generalis Ministri.

---

[1] Wadding.: perpetuo; [2] fratribus deputatas possessiones relinquit. Nec; [3] sed; [4] conducere.

[5] Cod. vitiose *relictorum.*

[6] Wadding.: mediatio in hoc videbitur; [7] vitatis; [8] abstrahantur; [9] futuris, si forsitan insciis fratribus legarentur, in iudicio audeat experiri. Ne secus. Cod. autem incongrue legit: ne *se* secus.

[10] Cfr. Prov. 24. 26, et pro sequente loco Luc. 9, 62.

[11] Wadding. omittit relicta; [12] mundo; [13] praevaricatores mandatorum ipsius (cuius iudicium nec irrideri potest, nec falli) reputari possitis; [14] impost., quod per alt.; [15] omittit quid; [16] omittit amplius; [17] Iesu Christo et.

[18] Cod. hic *Ravensperg,* sed est Ravensburg in Würtemberga, uti cod. ipse postea scribit.

[19] 6 Iunii; an. sequente erat 22 Maii, et 1308 die 2 Iunii.

Anno Domini 1303, quinto idus Octobris, die vigesima quinta a sua captione decessit Romae Bonifacius Papa VIII, pontificatus sui anno nono.

Eodem anno, XI. kalendas Novembris [1], fuit Romae ad papatum assumptus dominus Nicolaus de Tarvisio, tunc Cardinalis Episcopus Hostiensis, de Ordine Praedicatorum, et Benedictus XI. nominatus. In eius electione fuerunt tres Fratres Minores Cardinales, videlicet frater Matthaeus de Aquasparta [2], dominus frater Gentilis, olim legatus ad Hungariam a Bonifacio Papa missus, et dominus frater Iohannes de Murro, Episcopus Portuensis.

Dominus Benedictus Papa XI. de Ordine Praedicatorum.

Anno Domini 1304 in capitulo generali, Assisii celebrato, electus est in XIV. Ministrum Generalem post sanctum Franciscum frater Gundisalvus, magister sacrae theologiae de Provincia sancti Iacobi, tunc Minister Castellae.

Frater Gundisalvus XIV. Minister Generalis Minorum.

Dominus Benedictus edidit Extravagantem: *Inter cunctas*, et eodem anno, IX. die Iulii, obiit Viterbii, cum sedisset tantum octo mensibus et septemdecim diebus. Et post eius obitum vacavit Sedes mensibus undecim.

Anno Domini 1305, in vigilia Pentecostes [3] apud Perusium electus fuit per promotionem regis Franciae dominus Bertrandus de Gotho, natione Vasco [4], tunc Archiepiscopus Burdigalensis, absens, in Papam et Clemens V. est vocatus. Hic actu tunc visitabat dioecesim Pictaviensem [5], in qua tunc erat Episcopus dominus frater Gualterus de Brugis [6] de Ordine Minorum, vir scientia et virtutibus et omni laude dignus. Statim post suam electionem vocavit dominus Clemens Papa V. Cardinales ad Galliam in Avinionem, et mansit ibi Curia Romana usque ad tempora Gregorii XI [7], in praeiudicium urbis Romae.

Dominus Clemens Papa V, qui declaravit regulam Fratrum Minorum: Exivi.

Anno Domini 1306, anno primo pontificatus sui, confirmavit dominus Papa Clemens V. Aragonensium regem in regem Sardiniae.

Et mortuo domino Matthaeo Rubeo, Ordinis protectore, petivit et obtinuit hic Minister Generalis a domino Clemente Papa dominum fratrem Iohannem de Murro, Episcopum Portuensem, in Ordinis protectorem.

Anno Domini 1307 tenuit frater Gundisalvus, Generalis Minister, Tolosae capitulum generale, in quo fuerunt nongenti nonaginta fratres, et fuerunt octo magistri

---

[1] 21 Octobris.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 138. r. c. I. Sed auctor cum praedictis chron. errat dicens, Matthaeum de Aquasparta electioni Papae interfuisse. Matthaeus enim iam an. 1302 obiit. Wadding., l. c. ad an. 1303, n. XXVI, eius loco exhibet fr. Iacobum Thomasium, de quo Ciaconius, l. c. dicit: « Fr. Iacobus mortuus est an. 1300; alii tamen scribunt, hunc obiisse an. 1304 (quod videtur esse rectius), et alii, post mortem Benedicti X, dicti XI ».

[3] 5 Iunii.

[4] Secundum Ciaconium, l. c. erat natione Gallus, provincia Aquitania in oppido agri Burdigalensis (Burdigala, gallice Bordeaux) Michandrau et familia Gotha ortus.

[5] Gallice Poitiers.

[6] Cod. vitiose *Burgis*. Brugae est theut. Brügge (Bruges) in Flandria.

[7] Id est ab an. 1305-1376, in quo anno Gregorius Avinionem relinquens Italiam petivit, et Romam intravit 1377.

theologiae, inter quos fuit frater Raymundus Gaufredi, quondam Generalis Minister. In eodem capitulo factus est frater Bernardus Hortolani[1] poenitentiarius domini Papae et frater Petrus, qui praefuerunt monasteriis Aquitaniae. Ipsis successit frater Vitalis de Furno[2], magister theologiae, qui fuit Minister Aquitaniae institutus.

Hoc anno ivit dominus Papa cum tota Curia Pictavium et manens ibidem per annum unum et amplius, audito quod frater Gualterus, Episcopus illius civitatis de Ordine Minorum, quem ipse gravaverat, se cum libello provocationis seu appellationis ad iudicium divinum fecerat sepeliri, fecit eum exhumari, ut legeret dictae appellationis eius tenorem. Sed ipse illam schedulam manu sua clausam tam fortiter constrictam tenuit, ut nulla vi sibi auferri potuerit[3], donec ex parte domini Papae promissum est ei, quod ei lecta restitueretur. Tunc enim manus eius facile patiebatur aperiri. Lecta igitur dominus Papa schedula appellationis, iussit, eam iuxta promissum iterum in manu eius claudi, et ipsum iterum sepeliri.

Eodem anno, XIII. kalendas Octobris[4], pontificatus domini Papae Clementis V. anno secundo, ex Pictavio misit reverendissimus pater dominus Iohannes de Murro, Portuensis Episcopus, protector Ordinis nostri et Ordinis sanctae Clarae, litteras ad fratrem Gundisalvum, Ministrum Generalem, cum Constitutionibus Ordinis sanctae Clarae, quas misit idem Generalis de Narbona Provinciae fratri Henrico de Ravensburgo[5], Ministro Superioris Alamanniae, sororibus suae Provinciae publicandas, et incipiunt:

Frater Iohannes, miseratione divina Portuensis et sanctae Rufinae Episcopus, venerabilibus et religiosis viris, dilectis in Christo fratribus Generali et universis Provincialibus Ministris etc.

Frater Thomas XIII. Minister Saxoniae.

Anno praedicto tenuit frater Iohannes, Guardianus Erfodiensis, Vicarius Provinciae Saxoniae, Erfordiae provinciale capitulum, ubi fuit electus in Ministrum dictae Provinciae frater Thomas, lector Erfordiensis; qui praefuit Provinciae novem annis et haec capitula celebravit: in Prinzlavia[6], in Rostochio, Brunopoli, Swidnitziae, Luneburgi, Lipsiae, Gorlitii.

Anno Domini 1308, VI. idus Novembris, obiit clarissimum Ecclesiae et Ordinis sidus, inter omnes theologiae doctores praestantissimus, frater Iohannes Duns, cognomento Scotus, ob ingenii sui perspicacitatem merito *doctor subtilis* nominatus, et Coloniae Agrippinae est sepultus, cuius tale epitaphium ibidem cernitur:

Hic lector Scotus subtilis, sic bene notus,
Doctor humi stratus, hac subque mola[7] tumulatus.

---

1 Cod. *Ortolani.* — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 138. v. c. I, et Wadding., l. c. ad an. 1307, n. I.

2 Est Furnes (gallice Veurne) in Flandria.

3 Cod. incongrue *potuit.* — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 138. v. c. II.

4 18 Septembris.

5 Cod. hic *Ravenspurg.* Cfr. supra pag. 111, nota 18.

6 Theut. Prenzlau, oppidum Borussiae in provincia Brandenburgensi; deinde cod. legit: Rostock, Brunswick, Swidnitz (theut. Schweidnitz in Silesia), Luneburg, Leyptz, Gorlitz.

7 Wadding., l. c. ad an. 1308, n. IX. seqq., legit *nola* et paulo superius *sit* pro *sic*, et post *tumulatus* continuat:

Pro quo orate, Christi veniam flagitate,
Dicentesque pie: Tu, summe Deus, miserere.

Aliud eiusdem epitaphium:

Clauditur hic rivus, fons Ecclesiae, via, vivus.
Doctor iustitiae, studii flos, arca sophiae.
Ingenio scandens, Scripturae condita[1] pandens
In teneris annis fuit, ergo memento Iohannis.
Hunc, Deus, ornatum fac coelitus esse beatum.
Pro patre translato modulemur pectore grato.
Dux fuit hic cleri, claustri lux et tuba veri.

Anno Domini 1309 fuit capitulum provinciale Argentinense in Sarburgo celebratum, et ibi fuit frater Henricus de Ravensburgo ab officio ministerii per litteras Ministri Generalis, fratris Gundisalvi, absolutus, et Minister Provinciae datus frater Petrus Anglicus, qui praefuit in officio usque ad VII. annum. Hic tenuit subscripta capitula: anno 1310 Ulmae; 1311 in Monachio, Guardiano tunc ibidem existente fratre Friderico Koburg; 1312 Lindawiae; 1313 Francofordiae; 1314 Friburgi Brisgaviae[2], et eodem anno generale Barcinonae; 1315 Argentinae; 1316 Herpiboli, ubi fuit absolutus.

Frater Petrus Anglicus Minister Superioris Alamanniae.

Anno Domini 1310 facta est in Curia domini Papae longa et scandalosa disceptatio de observantia regulae, fratre Ubertino de Casali et fratre Raymundo Gaufredi, quondam Generali Ministro, cum aliis fratribus, zelum regularis observantiae habentibus, communitatem Ordinis accusantibus et dicentibus, regulam in communitate fratrum non servari; econtra vero fratre Alexandro de Alexandria[3] communitatem Ordinis defendente. Et sequentem propositionem dedit frater Ubertinus:

Usus pauper, arctus seu moderatus includitur infra substantiam regulae Fratrum Minorum et intra votum seu promissionem ipsorum. Quod explicatum[4] ostenditur. Usum arctum, pauperem seu moderatum sic intelligimus includi in voto regulae nostrae et evangelicae paupertatis, quod quendam usum rerum simpliciter reiicit et interdicit, quendam simpliciter exigit, quendam vero sub rationabili circumstantiarum moderamine restringit. Reiicit namque simpliciter usum pecuniae, possessionum ac censuum sive reddituum. — Exigit vero simpliciter in quocumque utili extra necessitatem apparentem et affectum, ut scilicet re, qua utitur Frater Minor, utatur simpliciter ut non sua. Sicut enim omne ius sive iurisdictio omnis temporalium est nobis ex regula interdicta, sic usurpatio sive de facto vendicatio omnis iuris. — In his vero, quae ad victum et vestitum, divinum cultum et sapientiale studium spectant, sub rationabili circumstantiarum moderamine usum arctum et restringit in hoc[5] tam praesentis temporis quam futuri, quia personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, officiorum nostri status exsecutio et nonnullae aliae circumstantiae plus minusve ac aliter provideri requirunt. Hanc au-

Propositio.

---

[1] Wadding., *abdita* et paulo inferius *Hunc Duns* pro *Hunc, Deus.*
[2] Cod. *Frib. Briscaviae* et deinde *Barschinonae* pro *Barcinonae*, theut. Barcelona in Hispania.
[3] Id est Alessandria, oppidum Italiae in Lombardia.
[4] Cod. vitiose *explicicatum.*
[5] Textus huius loci videtur esse corruptus.

tem moderantiam, quae nihil aliud est quam medium virtutis paupertatis non secundum rem, sed secundum rationem adaequationis sumptum, non intelligimus praecise sic includi in voto regulae nostrae et evangelicae paupertatis, quod omnis excessus vel immoderantia sit mortale peccatum ac voti substantiam interimens, sed solum quando est talis et tanta, quod merito censeri debet enormiter laedere statum evangelicae paupertatis. Aliae autem immoderantiae tamquam peccata venialia censebuntur et ad transgressionem non aliter reducuntur, quam peccata venialia ad transgressionem praeceptorum.

Praemissa autem omnia credimus esse sententiam expressam beati Francisci in regula sua, et domini Nicolai Papae in declaratione sua, fratris etiam Bonaventurae in Apologia sua, fratris quoque Alexandri et fratris Rigaldi in quadam Expositione regulae, et fratris Iohannis de Peczano [1] in libro de Perfectione evangelica, et fratris Gulielmi de Mara, qui fuerunt omnes solemnes magistri nostri Ordinis, et fratris Hugonis de Digna, praeclari viri, in libro de Finibus paupertatis. Et sic credimus sensisse beatum Franciscum et omnes antiquos patres Ordinis nostri et capitula generalia usque ad tempora nostra. Sic etiam sensisse Christum et eius Apostolos, prout ex verbis Evangelii et diversorum doctorum apparet.

Et quia desideramus esse veri libertini filii beati Francisci et nosmetipsos et omnes de Ordine reformari ad perfectionis evangelicae plenam observantiam, quam in regula promisimus, idcirco humiliter et instanter petimus a Sanctitate Apostolica perfectam observantiae regulae nostrae declarationem et Evangelii, prout in regula continetur, et secundum intentionem beati Patris nostri Francisci, quam verbis et factis expressit, et plenam exclusionem defectuum praedictorum, qui contra textum regulae et papalis declarationis in Ordine committuntur.

Impuritates inficientes observantiam regularem quoad praesens occurrunt nobis quinque circa abusum pecuniae, quae videnter directe regulae obviare:

Primum est, quod fratres videntur per se et per interpositam personam pecuniam contra regulam recipere, quia aliqua accipiuntur ab eis, ut vendantur, ut sunt funeralia, bladum, et similia, quae nomine pecuniae censentur secundum sententiam magistrorum regulam exponentium et secundum interpretationem capituli generalis.

Secundum est, quod per procuratores, immo realiter per fratres pecunia legata petitur [2] violenter, cum tamen statutum sit, quod si aliquid legatum fuerit pro necessitatibus fratrum, quod vendi oporteat, ut eorum usui applicetur, illud fratres non vendant vel aliquem ad vendendum instituant, sed totum auctoritate fiat non cuiuscumque, sed dantis vel legantis, sicut in declaratione domini Nicolai continetur. Et unde hoc? Certe quia tale legatum nomine pecuniae censetur, quam procurator repetere non debet.

Tertium est in hoc, quod pro fratribus pecunia recipitur et colligitur, et pecuniae datae non apparet dominus, cuius auctoritate fratrum usibus applicetur.

Quartum est, quod pecunia data ad osculum altaris vel crucis fratrum usibus applicatur, sed cuius auctoritate fit, non apparet, cum offerens dominio se exspoliet offerendo.

Quintum est circa deposita. Depositum enim contra statutum et veritatem est

---

[1] Cfr. supra pag. 90, nota 5.

[2] Cod. corrupte legit: quod procuratores, immo realiter pecunia legata per fratres petitur.

regulae pro omnino contingentibus, et inde fiunt partiales consolationes et singulares invitationes et xenia iunioribus, quae unitatem scindunt et carnales affectiones ac insolentias nutriunt et communem vitam ac bonam ordinationem confundunt. Nec deposita tenentes aliquos faciunt dominos pecuniarum praeterquam fratres, ad quorum verbum vel signum ipsam mutuant in aliis, seu expendunt vel commutant. Et unde pro Deo! competit Ministris vel Custodibus praecipere Guardianis per obedientiam, quod eis tantum vel tantum mittant de pecunia numerata, undecumque veniat? Et finaliter circa praedicta tantus apparet abusus, quod parum ad perfectionem attinet non tangere et sic uti.

Haec Ubertinus et ei adhaerentes proposuerunt in Curia domini Papae contra communitatem Ordinis supplicantes, conscientiis bonorum fratrum provideri.

Hos defectus et plures eorum negabat communitas Ordinis et maxime rectores ipsius, fieri in Ordine, asserentes, quod si qui rei in talibus invenirentur, rigide punirentur, et contra talia ne fiant, statuta ab antiquo in Ordine facta multum stricta. Data etiam fuit dictis fratribus Raymundo et ceteris immunitas et licentia, ut non possent gravari a communitate Ordinis, quin possent, quoties vellent, ad Sedem Apostolicam recurrere et omnia domino Papae referre, qui excessus in Ordine fiebant. Unde fuerunt scandala multa secuta [1].

Tunc etiam fuit processus factus contra dicta fratris Petri Iohannis [2], aliquibus eundem defendentibus et dicentibus, supposita tamen determinatione domini Papae, quod sustineri possent etiam in quibus erat per Ordinem condemnatus. Et dato quod errasset in octo punctis per Ordinem allegatis, ob hoc non erat tota doctrina condemnanda, cum Magister Sententiarum [3] in totidem punctis erraverit, et doctrina eius in quadruplo maior sit illa, et idem frater Petrus frequenter verbo et scripto doctrinam suam iudicio sanctae Ecclesiae catholicae submiserit per ipsam corrigendam, et protestatus sit determinationi domini Papae toto corde velle adhaerere, quam [4] in fine coram toto conventu Narbonensi replicavit; aliis vero, qui communitatem Ordinis defendebant, contrarium asserentibus [5].

Eodem anno, videlicet 1310, fuit generale capitulum Paduae celebratum per fratrem Gundisalvum, Generalem Ministrum, in quo fratres adhortatus est ad regulae puritatem servandam.

Et eodem anno misit idem Generalis Minister fratri Thomae, Ministro Provinciae Saxoniae, contra abusum introducentium redditus in nostrum Ordinem litteras talis tenoris [6]:

---

1 Cfr. chron. XXIV Gen., f. 139. r. c. I.

2 Scil. Olivi, de quo cfr. supra pag. 100, nota 7.

3 Scilicet Petrus Lombardus (✝ 1164); cfr. S. Bonav. Opera omnia, T. II. Praelocutio p. 2. (Quaracchi 1885).

4 Scilicet protestationem.

5 Ita etiam chron. XXIV Gen., f. 139. r. c. II. verbotenus. Sed in cod. nostro sequuntur quatuor lineae, iudicium privatum auctoris, ut videtur, de fratribus contrarium asserentibus comprehendentes, quae a manu posteriore nescio qua ratione sic sunt deletae, ut, quamvis nonnulla verba legi possint, tamen sensus minime percipi valeat.

6 Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1310, n. IX, ubi etiam sequentes litterae habentur, sed directae ad fr. Pacem, Ministrum Provinciae Tusciae, et De Gubernatis, l. c. p. 145. Lectiones variantes annotavimus in notis.

In Christo etc. fratri Thomae, Ministro Fratrum Minorum pro nunc Saxoniae, frater Gundisalvus, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Licet contra monstruosam reddituum abusionem, quam ad fundamentalem status nostri subversionem filii saeculi huius in Ordinem nostrum, proh dolor! a nonnullis introduxerunt diebus, remedium, districtis et gravibus vallatum sententiis, venerabilis antecessor meus cum capitulo generali providerit; quia tamen plures Provinciae — quod absque verecundia ipsarum dici non potest — illud salubre remedium contempsisse hucusque, vel saltem neglexisse inveniuntur, redditus ac alias provisiones seu possessiones, domus quoque censuales vel separatas a loco fratrum, et interdum etiam possessiones agrorum, vinearum et rerum aliarum, donationes insuper inter vivos et successiones [1] hereditarias accipiendo et retinendo seu vendicando illicite, quamvis sub fallaci colore liciti, quandoque nitantur haec agere, conniventibus [2] oculis transire non valeo, quin ratione incumbentis mihi officii cum effectu laborem, ne generalium capitulorum edita super his statuta, cum continuo animarum periculo ulterius contemnantur.

Tenore igitur praesentium tuae dilectioni in virtute Spiritus sancti districte praecipio per obedientiam salutarem, quatenus Deum [3], regulae puritatem, quam vovimus, ac declarationis verbum [4], ubi nobis rerum etiam competentium [5] usui receptio sub colore providentiae in futurum interdicitur, habendo prae oculis, considerando etiam, quod talia, si permittantur, crescere sic poterunt, quod omnino exterminabitur illa sancta mendicitas, quam nobis regula memorata imponit, omnes redditus annuos vel perpetuos, seu provisiones, eleemosynas ac pensiones certa obligatione solvendas [6] annuatim aut in perpetuum conventibus vel personis, nec non et possessiones quascumque cum donationibus inter vivos et successionibus [7] hereditariis ac domibus separatis a fratrum habitationibus [8], si quae sunt, per totam Provinciam tuam facias sine morosa dilatione plenarie alienari a fratribus, ita quod, quae licite distrahi possunt, sic quod ipsorum pretia praedictorum fratrum necessitatibus applicentur, distrahantur simpliciter; quae vero licite distrahi nequeunt, publice coram illis, ad quos pertinere noscuntur, absque fraude [9] vel dolo sub instrumento publico vel authenticis litteris in praesentia vocatorum ad hoc testium, qui non sint de Ordine, resignentur, nec de commissariis perpetuis aliquem se intromittere patiaris.

Et haec, carissime, cum tanta et tam diligenti efficacia exsequaris, quod non oporteat, me pro ipsorum exstirpatione pleniori visitatorem mittere specialem; quaecumque [10] circa praefata egeris vel agenda dimiseris, quantitates quoque et qualitates et summas resignatorum seu distractorum cum nominibus personarum et locorum habentium talia modisque resignationum scripturus [11] mihi plenarie, quam citius pote-

---

[1] Ita recte Wadding., cod. vero legit erronee *successores*.

[2] Ita legebat cod. bene et recte primitus; sed nunc exhibet correctionem a manu posteriore male factam: *coniicentibus* et paulo inferius *incumbetis* pro *incumbentis*.

[3] Ita auctor cod., sed manus posterior adiunxit particulam *et*, quod etiam legit Waddingus.

[4] Loquitur de Decretali: *Exiit qui seminat* § Insuper nec utensilia.

[5] Wadding.: etiam nostro competentium.

[6] Ita recte Wadding. et De Gubernatis, cod. legit corrupte: provisiones circa obligationem solvendos.

[7] Ita recte De Gubernatis, Wadding.: *successione*, cod. *successores*.

[8] Wadding.: habitatione; [9] absque omni fraude; [10] spiritualem; quacumque; [11] rescripturus.

ris, ante primum capitulum generale. Porro, fratres omnes supradictae Provinciae tuae praesentes pariter et futuros in his scriptis, quae haberi volo et legi frequenter in omni loco ipsius Provinciae, moneo primo, secundo et tertio, praecipiens nihilominus eis et eorum singulis districte per obedientiam salutarem, ne contra praefatas distractiones seu resignationes per se, vel per alium facto vel verbo, signo vel scripto, vel quovis alio modo aliquod impedimentum procurent, sed potius ad earum impletionem, quantum ab eis dependet, diligenter insistant, nunquam de cetero talia recepturi. Si quis vero scienter contrarium fecerit, excommunicationis sententiae se subiacere noverit, quam ex nunc [1] pro tunc in eisdem scriptis fero in eum, nolens, quod per aliquem inferiorem Generali Ministro praeter articulum mortis ab ea possit absolvi, nisi per eum, cui ex certa scientia et in speciali absolutionis huiusmodi potestatem Generalis ipse duxerit committendam. Vale in Domino et ora pro me.

Datum Pisis, anno Domini 1310, die 12 Februarii.

Eodem tempore regnavit in regno Romanorum dominus Henricus de Lutzenburgo [2], VII. huius nominis imperator, princeps iustus, qui hoc anno sequentes litteras contra civium Norimbergensium avaritiam edidit:

Henricus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus, prudentibus viris sculteto, consulibus et civibus Norimbergensibus, fidelibus suis dilectis, gratiam suam et omne bonum.

Noverit vestra fidelitas, quod nostra Serenitas relatu veridico intellexit, quod vos, de quo non modicum miramur, contra iussionis nostrae tenorem in animarum vestrarum grave dispendium, in sacrae religionis et populi christiani scandalum ac in opprobrium ecclesiasticae libertatis quaedam statuta, Deo et iuri contraria, contra religiosos viros Fratres Minores in Norimberga, devotos nostros dilectos, quos ob caelibis vitae suae fragrantiam divina aemulatione complectimur, in vestris ecclesiis parochialibus ac in civitate et extra illicite promulgastis, quod nullus videlicet pro eleemosyna, seu pro salute animae suae ultra unum aureum denarium, immo citra aureum in civitate, et extra civitatem unum summerinum [3] bladi dare debeat, districtius inhibendo. Ea propter nos volentes statutis huiusmodi, vel potius erroribus nostra sollicitudine obviare, ipsa auctoritate regia revocamus et tamquam irrita cassamus omnino, fidelitati vestrae iniungentes firmiter, quatenus statim, visis praesentibus, eadem statuta vestra in locis, in quibus publicata et pronuntiata fuerunt, revocetis et per nos cassata publice proclametis, sollicite praecaventes, ne quis contra praedictos fratres aliquid talium de cetero attentare praesumat; alioquin poenam viginti marcarum argenti puri ipso facto se noverit incurrisse, quas ratione poenae huiusmodi sculteto in Norimberga, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, tenebitur absque diminutione qualibet assignare, et idem scultetus ad solutionem pecuniae praedictae, sibi rebelles, dandae et persolvendae arctare debet, prout noverit expedire, harum testimonio litterarum nostrae maiestatis sigilli munimine signatarum.

---

[1] Manus posterior adiunxit non male voculam *ut* post *nunc*.

[2] Ita antiquitus pro Luxemburgo; cod. *Lutzenburg*. Henricus regnavit ab an. 1308-1313.

[3] Vel sumberinus, est species mensurae: germanice *Simmer*, gallice *Sombrin*. Simmera est inferioribus Rhenanis mensura, quartam modii partem continens (Du Cange, Glossarium).

Datum in Francofurto, VI. kalendas Augusti, anno Domini 1310, regni vero nostri anno secundo.

Hic imperator fuit pater Iohannis, regis Bohemiae.

Anno Domini 1311 fuit in regno Franciae tanta mortalitas post famem et caristiam maximam alterius anni secuta, ut vix esset domus, in qua non plangeretur defunctus.

Eodem anno capitulum provinciale in Monachio.

Eodem etiam anno in kalendis Octobris fuit concilium generale Viennae convocatum per dominum Papam Clementem V. et fuit continuatum usque ad sequentem mensem Maii; in quo concilio fuit Ordo Militum Templi [1] penitus deletus.

Anno Domini 1312 conquestus est frater Ubertinus in concilio Viennensi, regulam in communitate Ordinis plurimum transgredi (sic!), productis iudicialiter compositis a se libellis coram tribus magistris, auditoribus deputatis a domino Clemente Papa, quorum libellorum primus incipit: *Super tribus sceleribus* etc.; secundus: *Rotulus iste* etc.; tertius vero: *Ostendebam vobis fabricatores mendaciorum* etc.

Contra hos Generalis Minister et alii magistri et Ministri pro se et tota communitate Ordinis Minorum responderunt in suis libellis Responsionum [2], quos contra praedictos libellos Ubertini compositos auditoribus, deputatis per dominum Clementem Papam V, super regula in concilio praedicto tradiderunt et etiam iudicialiter produxerunt. Quorum primus, qui continebat responsiones ad libellum primum fratris Ubertini, videlicet: Super tribus sceleribus, incipiebat: *Vidi de ore draconis tres spiritus immundos* etc.; secundus contra libellum Ubertini, qui incipit: Rotulus iste, incipit: *Religiosi viri* etc.; tertius incipit: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, et continet responsiones ad libellum Ubertini, qui incipit: Ostendebam vobis fabricatores mendaciorum, asserentes, praedictas transgressiones in Ordine non fieri impune et communiter etc.

Igitur eodem anno in crastino Ascensionis Domini conclusum est in causa praedicta, quae versabatur inter fratrem Ubertinum et ei adhaerentes et Ordinis communitatem, in concistorio secreto primo, et sequenti die solemniter et sententialiter promulgatum in ultima sessione concilii Viennensis, quod modus vivendi fratrum communitatis erat licitus, adiecta nova declaratione regulae, in qua iudicium super congregatione vini et bladi et vestimentorum vilitate relinquitur Praelatis Ordinis, et non passim quibuscumque. Quae declaratio incipit: *Exivi de paradiso* etc., et ponitur in Decretali: *De verborum significatione* [3].

Fratres vero, quibus praedicta immunitas data fuit, pro magna parte, iubente domino Papa, ad communitatem ac unitatem Ordinis redierunt. Frater autem Ubertinus de licentia domini Papae Ordinem Carthusiensem intravit; quo autem spiritu instigante, novit spirituum Pater Deus. Nonnulli autem fratrum, qui in parte Ubertini fuerant in concilio, communitatem Ordinis deserentes, secundum propositum suum vivere coeperunt in locis aliquibus Ordinis, quos a Ministris accusatos iussit dominus Papa sub poena excommunicationis ad unitatem Ordinis redire, sed non curabant [4].

---

[1] Vel Ordo Templariorum; de quo cfr. Dr. Heinrich Brück, Kirchengeschichte p. 452 ff.

[2] Cod. vitiose legit *responsium.*

[3] In Clementinis.

[4] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 139. r. c. II.

Anno Domini 1313, expedito concilio generali, dum praefatus Minister Generalis, frater Gundisalvus, perrexisset Parisius et Ordinem novem annis rexisset, ibidem infirmatus migravit ad Dominum.

Sub huius Ministri regimine claruerunt in Ordine egregii viri et magistri et sancti fratres: Guido Florentinus, Iacobus Benedicti de Tuderto; in Hispania frater Iohannes de Ambigio [1], magnae scientiae et refulgentiae sanctitatis; frater Ademarius de Felcinio in conventu Figiaci [2] Provinciae Aquitaniae, frater Astexanus, frater Petrus Aureoli [3] et frater Iacobus de Padua.

Eodem anno mortuus est dominus Iohannes, Episcopus Portuensis, Ordinis protector, olim Minister Generalis.

Idem, frater Iohannes de Basoliis [4] explevit Rhemis suam lecturam super quartum Sententiarum, in qua praemisit collationem, quae incipit: *Melior est finis orationis quam principium.* Eccle. 7 [5].

Eodem anno fuit generale capitulum Barcinonae celebratum, in quo fuit electus XV. Minister Generalis post beatum Franciscum frater Alexander de Alexandria [6], magister sacrae theologiae de Provincia Ianuae, qui pridem in concilio Viennensi communitatem Ordinis contra fratrem Ubertinum defendebat.

Frater Alexander de Alexandria XV. Minister Generalis post S. Franciscum.

Expedito capitulo, contulit se Minister Generalis cum nonnullis aliis Ministris ad hoc electis ad praesentiam domini Papae Clementis V. et petivit ab eo et obtinuit dominum Arnaldum de Pelagrua [7], sanctae Mariae in Cosmedin diaconum Cardinalem, in protectorem Ordinis.

Eodem anno capitulum Provinciae Argentinensis fuit Francofordiae.

Eodem anno in festo sancti Bartholomaei Apostoli [8] obiit Henricus, imperator huius nominis VII, intoxicatus, ut nonnulli scribunt, per fratrem Bernardum de Ordine Praedicatorum, dum eum in festo Assumptionis Mariae communicaret, venena cum Eucharistia ei porrigentem [9].

---

1 Chron. XXIV Gen., f. 139. v. c. II, ubi etiam de fr. Guidone et Iacobo diffusius sermo est, et Wadding., l. c. ad an. 1309, n. V. legunt *Ioh. de Cambia.*

2 Id est gallice Figeac prope Cahors; cfr. chron. XXIV Gen., f. 140. v. c. I, et Wadding., l. c. ad an. 1309, n. VII.

3 Vel Aureolus, Provinciae Aquitaniae alumnus et *doctor facundus* appellatus. De quo cfr. Sbaralea, Supplementum ad Scriptores trium Ord. S. Francisci, p. 584, et Wadding., l. c. ad an. 1316, n. VI, ubi tamen falso de Verberia, olim Vermeria, oriundus esse dicitur; 1318, n. XXIX. et 1321, n. XL. — De fr. Astexano (vel Astesano de Aste, Galliae cisalpinae civitate) Provinciae Ianuensis alumno, cfr. Wadding., l. c. ad an. 1316, n. VII.

4 Aliis: de Basolis vel Basolius, *ordinatissimus doctor* cognominatus; de quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1308, n. LXI. et 1313, n. XX, et Sbaralea, l. c.

5 Vers. 9.

6 Id est Alessandria, civitas Lombardiae. — Capitulum erat in festo Pentecostes (3 Iunii). — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 141. v. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1313, n. I.

7 Ita recte chron. XXIV Gen., l. modo c., et Wadding., l. c. ad an. 1313, n. IV, et Ciaconius, l. c. Cod. autem scribit *Arnoldus de Polaguia.*

8 24 Augusti; repentina morte obiit in coenobio vulgo dicto Buonconvento in Italia.

9 Sed haec erat fabula, a quibusdam in odium Ordinis Praedicatorum inventa. Constat enim, etiam secundum viros historicos acatholicos, Henricum temeritate sua mortem sibi contraxisse. Cfr. Dr. Ioh. Bumüller, Weltgeschichte, 2. Theil, 5. Auflage, p. 228.

Anno Domini 1314, XII. kalendas Maii, obiit in Rupe Maura[1] super Rhodanum dominus Clemens Papa V, pontificatus sui anno nono, et vacavit Sedes, Cardinalibus hinc inde dispersis, annis amplius quam duobus.

Et eodem anno, cum dictus Generalis Minister Ordinem tantum uno anno et dimidio rexisset, appositus est ad patres suos et Romae in conventu Araccoeli requiescit. Et post eius decessum fuit Ordo fere per septemdecim menses sine Generali Ministro. Hic fecit utile scriptum super libros Metaphysicae Aristotelis, et scripsit super quatuor libros Sententiarum, et vocatus est Alexander iunior seu Lombardus ad differentiam Alexandri de Hales, qui prior et diffusius super Sententias scripsit.

Eodem anno capitulum provinciale in Friburgo Brisgaviae.

Eodem tempore Sede Romana pastore, et Ordine Generali Ministro carente, quidam fratres, qui olim in concilio Viennensi in parte Ubertini fuerant, praesertim de Custodia Narbonensi, iterato ab unitate Ordinis discedentes, promissam obedientiam Praelatis Ordinis non curabant; loca etiam Narbonae et Biterris[2] auxilio saecularium hominum invadentes, fratres ibidem existentes eiecerunt et sibi Praelatos ad sua vota instituerunt, sumpseruntque sibi habitus curtos, deformes et diversi coloris, magis singularitatem quam sanctitatem praetendentes. Et

Anno Domini 1315 et sequenti multi fratres de eadem et aliis Provinciis contra suorum Superiorum voluntatem ad eos accesserunt et in tali proposito pertinaciter persliterunt et excommunicationes et alias sententias, contra ipsos a Ministris vel a iure latas, contemnentes, eis in nullo deferebant[3].

Eodem anno capitulum in Argentina.

Frater Henricus de Bichelingen XIV. Minister Saxoniae.

Anno Domini 1316, in crastino beatae Agathae virginis[4], in capitulo Magdeburgensi electus est in Ministrum Saxoniae frater Henricus de Bichelingen, lector Lubecensis, et satis cito per Ministrum Coloniae est confirmatus, statimque Neapolim ad generale capitulum est profectus, et rexit Provinciam septem annis tenuitque haec capitula: 1317 in Berlino; 1318 Hallis; 1319 Erfordiae; 1320 Lubeci; 1321 Hildesiae.

Frater Michael de Caesena XVI. Minister Generalis post S. Franciscum.

Eodem anno in capitulo generali, Neapoli celebrato, electus fuit XVI. Minister Generalis Michael de Caesena, sacrae theologiae magister de Provincia Bononiae, et in eodem capitulo fuerunt omnes Provinciae in numero novo taxatae.

Item, ibidem electus est ad legendum Sententias Parisius vir magnae sufficientiae, frater Petrus Aureoli, dicto Generali Ministro volente, quamvis quidam adulatores vel invidi, dicentes Ministro Generali, quod ei in electione adversatus fuisset, pro viribus niterentur eum impedire. Quibus idem Generalis notabile verbum respondit: « Absit, inquit, a me, ut pro quavis offensa a me tantum lumen Ordinis exstinguatur ».

Eodem anno, VII. idus Augusti, Lugduni assumptus est ad papatum dominus Ia-

---

[1] Id est Rochemaure vel Roquemaure, oppidulum Galliae (Languedoc).

[2] Id est gallice Béziers.

[3] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 141. v. c. II., et Wadding., l. c. ad an. 1314, n. VIII.

[4] Id est 6 Februarii.

cobus de Osa, de Caturco[1] civitate natus, Cardinalis Episcopus Portuensis, et Iohannes XXII. est nominatus. Hic gradatim ascendit ad apicem supremum. Nam cum primo esset doctor legum in Comitatu beati Ludovici, Episcopi Tolosani, Ordinis Minorum, factus est Episcopus Foroiuliensis[2], deinde Avenionensis Archiepiscopus, postea Cardinalis Episcopus Portuensis, demum Pontifex Summus.

Dominus Iohannes Papa XXII. electus anno Domini 1316 Lugduni.

Eodem anno Domini 1316 scripsit praedictus Minister Generalis fratri Petro, Ministro Tusciae, sequentes litteras statutorias:

In Christo sibi carissimo fratri Petro, Ministro Tusciae, frater Michael, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Gravi qua premor sarcina mei officii, ac conscientiae simul stimulo perurgente, cogor anxia meditatione et diligenti studio pariter invigilare attentius, ut ad honorem divini nominis et profectum Ordinis per commissam mihi, quamvis immerito, curam regiminis in fratribus mihi subditis exstirpentur vitia, et inserantur virtutes, et regularis disciplinae observantiae eluscescant. Sane cum tam ex altitudine nostrae professionis ac status quam ex paterna monitione Summorum Pontificum in declarationibus, editis super regulam, teneamur de bono aequo non solum ad observantiam eorum, quae infra ipsius regulae substantiam includuntur, verum etiam ad illa, quae faciunt vel facere possunt de directo ad eiusdem regulae votique nostri decentiam et decorem, curavi ad tuam et omnium Provinciae tuae fratrum per te notitiam deducere sub sigilli mei officii munimine per praesentes, reformatas noviter et correptas[3] generales Constitutiones nostri Ordinis cum matura deliberatione apud Assisium iuxta decretum proximo praecedentis capituli generalis, Neapoli celebrati, volens et mandans ac iniungens nihilominus tibi per obedientiam salutarem, quatenus illas, quam cito commode fieri poterit, in singulis locis tuae Provinciae in scriptis haberi procures et inviolabiliter facias ab omnibus fratribus observari. Et quia in plerisque earum frangendis vel non servandis communiter fratres pronos fuisse hactenus, experientia certa cognovi, bona et diligenti deliberatione praemissa cum pluribus discretis fratribus et Ministris, aliqua observanda firmiter ab omnibus noviter addidi circa illas, quae statim inferius adnectuntur.

In primis mando et praecipio firmiter, quod vilitas servetur in tunicis superioribus et inferioribus, et indecens longitudo, latitudo et multitudo ac curiositas in sutura evitetur penitus in eisdem. Qui autem contrarium fecerit, per Ministrum, vel Custodem privetur tunicis et si expedire videbitur, arctius puniatur.

Mando etiam, quod studiose invigiles, ne fratres pecuniam recipi faciant vel deponi nisi pro necessitate praesenti, vel de proximo imminenti. Et quae sic deposita fuerit, in rem deputatam et licitam infra terminum, a te, vel Custode assignandum, convertatur; et si conversa non fuerit, frater, qui fecit eam deponi, privetur eadem, sicut praecipit nova Constitutio generalis.

Mando nihilominus et impono, quod hortalitia nullo modo vendantur, sicut in

---

[1] Id est Cahors in Gallia. — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 142. r. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1316, n. III. seq.

[2] Cod. *Foroiuligensis*, i. e. in Forli, civitate Italiae (Forum Iulii vel Livii). — Cod. scribit semper *Avinio* pro *Avenio*.

[3] Idem est ac *correctas*.

declaratione domini Clementis explicite inhibetur. Qui autem vendiderit seu vendi permiserit, si Guardianus fuerit, in sequenti anno officio praelationis sit privatus; si subditus, tunica careat illo anno.

Ad haec impono tibi et iniungo penitus, quod stricte servari facias Constitutionem noviter editam contra excessivam curiositatem, sumptuositatem, longitudinem, latitudinem et altitudinem aedificiorum ubilibet secundum exigentiam locorum et numerum fratrum residentium in eisdem.

Et quia fratribus equitare non licet, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur, volo et ordino, quod nullus de cetero equitet vel equitare praesumat, vel calceatus incedat, nisi pro manifesta necessitate, vel evidenti infirmitate, iudicata per Praelatum suum de consilio Discretorum, requisito et dato ab ipsis consiliariis in secreto, ad quod consilium dandum fideliter iudicio suae conscientiae per obedientiam teneantur. Qui vero praeter dictam formam et petitam ac obtentam licentiam equitaverit, pro qualibet die in uno prandio panem tantum et aquam coram fratribus in terra sedens, comedere per obedientiam teneatur. Si autem calceatus quisque incesserit, pro qualibet vice in uno prandio aquam tantum bibat per obedientiam salutarem. Nec reputo causam cogentem vel sufficientem, quod aliquis frater vadat ad studium aliquod equitando, vel inde equitando ad suam Provinciam revertatur. Et ideo interdico, quod nullus de cetero frater vadat ad studium aliquod equitando. Qui autem contrarium fecerit, videlicet in eundo, ipso facto dicto studio sit privatus, nec recipiatur a Guardiano, vel Vicario loci et studii, ad quod ibit. Qui vero in redeundo ad suam Provinciam venerit equitando, privatus sit lectoriae officio ipso facto. Nolo enim, quod aliquis ad studium transmittatur nec de debito nec de gratia, qui debilem sic se dicit, quod sine equitaturae adminiculo ad studium ire non potest. Et generaliter nullus in officiis Ordinis, maxime praelationis, ponatur, qui non potest[1] vel non ducit ut plurimum vitam communem.

Ad haec quia in Constitutionibus generalibus ponitur, quod fratres de sero carnes non comedant ullo modo, ne ex hoc eis de mane carnes comedere indistincte videatur esse concessum, tibi districte praecipio, ut esum carnium de mane restringas prohibeasque multiplicationem ferculorum in quibuscumque pietantiis, et procurationem xeniorum de carnibus fieri tam Praelatis quam subditis, quocumque mendicato titulo vel colore. Et contrarium facientes pro qualibet vice, qua excesserint in praemissis vel aliquo praemissorum, in uno prandio ad comedendum panem tantum et aquam in hebdomada obligentur.

Hanc statutoriam litteram volo quod ad singulas Custodias et loca Provinciae tuae facias mitti, legi saltem semel in mense et inviolabiliter observari, sciturus pro certo, quod si quos invenero contra praedicta seu aliquod praedictorum contrarium facientes, graviter puniam, daturus opem et operam, qualiter praesens littera observetur. Vale in Domino et ora pro me.

Data apud Confortinum Provinciae Bononiensis, XII. kalendas Septembris[2], anno Domini 1316.

Eodem anno fuit capitulum Argentinense in Herpiboli celebratum, in quo fuit

---

[1] Supple: ducere.

[2] 20 Augusti.

in Ministrum Superioris Alamanniae electus frater Henricus de Tailheim de Bavaria, baccalaureus Parisiensis et infra tres annos magistratus Parisius, fratre Petro Anglico absoluto. Sub isto Ministro celebrata sunt haec capitula: anno 1317 Ratisbonae; 1318 in Scaffhusio, et generale Marsiliae; 1319 Spirae; 1320 Norimbergae; 1321 Basileae; 1322 Columbariae; 1323 Ulmae; 1324 non fuit capitulum propter Ministrum Generalem et socios eius; 1325 Argentinae; 1326 Constantiae, et ibi fuit absolutus.

Frater Henricus de Tailheim [1], magister theologiae, Minister Argentinensis Provinciae.

Anno Domini 1317, VII. idus Aprilis, canonizavit dominus Papa Iohannes XXII. beatum Ludovicum, Episcopum Tolosanum, filium Caroli II, regis Siciliae, de Ordine Minorum, multis miraculis coruscantem, cuius corpus eodem anno, die IX. Novembris, per quatuor Cardinales ad hoc specialiter destinatos, praesente domino Roberto, rege Siciliae, fratre uterino Sancti, de medio chori, ubi humatum iacuerat, supra maius altare in arca argentea cum solemnitate maxima est translatum [2].

Eodem anno misit frater Astexanus [3] Ordinis Minorum Summam, quam composuit, domino Iohanni Caietano, tituli sancti Theodori diacono Cardinali, qui commendavit eam et authenticam denuntiavit.

Eodem anno obtulerunt dominus Philippus, rex Franciae, et domina Iohanna, coniux eius, filiam suam, nomine Franciscam, beato Francisco et beatae Clarae virgini et eam in monasterio Longo Campo [4] prope Parisius sub habitu et regula Minorissarum usque ad vitae terminum divino cultui dedicarunt.

Invalescente fama ac crescente congregatione fratrum illorum, qui in Provincia Provinciae se a communitate Ordinis segregaverant, maxime in conventibus Biterris ac Narbonae, Minister Generalis de voluntate domini Papae Iohannis XXII. ad eorum dispersionem colligendam et temeritatem compescendam misit illuc Ministrum Provincialem [5]. Pars autem illorum fratrum ad Sedem Apostolicam appellabat. Dominus vero Papa hoc negotium commisit domino fratri Michaeli Monacho [6], inquisitori haereticae pravitatis, qui attendens dictam appellationem multa inconvenientia continentem, appellationi non detulit, sed appellantes punivit secundum canonicas sanctiones. Dominus autem Papa liti finem ponere volens, duo puncta principalia totius disceptationis, scilicet de forma et qualitate habitus et de granariis et cellariis in Constitutione: *Quorundam exigit* etc., liquido declaravit, praedictis fratribus in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis praecipiens, quod strictos, curtos et deformes habitus, quos sibi ipsis fecerant, ad mandatum

---

[1] Manus posterior correxit: Talheim (sic etiam legit Ioh. Vitoduranus, Wadding. de Halem), et inferius cod. scribit modo Telheim, modo Teylheym; sed est Henricus de *Kelheim*, quae est civitas Bavariae, sita ad Danubium. Cfr. Card. Hergenröther, Kirchengeschichte, Bd. II. p. 17.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 142. r. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1317, n. XLVII et XLVIII, ubi etiam habetur Bulla canonizationis.

[3] Cfr. supra pag. 120, nota 3. — Deinde pro *Ioh. Caietano* cod. scribit *Ioh. Gayetano*. Erat nobilis Romanus et sub Iohanne Papa XXII. Cardinalis creatus.

[4] Id est gallice Longchamp.

[5] Scil. Provinciae Aquitaniae, fr. Bertrandum de Turre.

[6] Chron. XXIV Gen., f. 142. v. c. I, et Litterae papales dicunt *Monachi*, Wadding., l. c. ad an. 1317, n. XIII. modo *de Monacho*, modo *de Monaco*. Erat Frater Minor.

Generalis Ministri deponerent, et in isto et omnibus aliis ipsi Generali Ministro et suis Praelatis per omnia secundum beati Francisci regulam et declarationes praedecessorum suorum et concessiones et commissiones, in ipsis declarationibus comprehensas et contentas, humiliter obedirent, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, litteris, libertatibus vel immunitatibus eis vel ipsorum alicui a Papa Clemente concessis, vel appellationibus ab eis vel ipsorum aliquo ad Sedem Apostolicam interiectis, quae, in quantum derogabant praedictis, iuribus vacuavit [1].

Eodem anno capitulum Provinciae Ratisbonae fuit.

Anno Domini 1318, X. kalendas Februarii, edidit dominus Iohannes Papa XXII. Extravagantem, quae incipit: *Gloriosam Ecclesiam* [2] etc., contra praedictos pertinaciter inobedientes fratres, qui se in Provincia Provinciae et Tusciae ab Ordinis unitate segregaverant et in errores Fraticellorum et Sarraboitarum incidisse dicebantur; in qua Extravaganti dicit idem Papa, Ordinem nostrum ab ipso suae fundationis exordio, almi Confessoris sancti Francisci regulari traditione et Apostolicae Sedis auctoritate et confirmatione quadam textura indissolubili catholicae Ecclesiae connexum, fide clarum, spe validum, caritate profusum, humilitate placidum, obedientia devotum, velut singulare iubar sanctitatis exemplo ac doctrinae verbo per universum orbem claruisse, et ecclesiastico decori plurimum utilitatis ac inclytae alacritatis innexuisse etc., et dictos fratres, communitatem Ordinis damnantes, velut haereticos condemnavit.

Item, aliam edidit: *Super omnia desiderabilia* [3] etc.; item illam: *Sancta Romana Ecclesia* etc., in favorem Ordinis contra saepedictos fratres.

Eodem anno fuit capitulum provinciale Provinciae Bohemiae in Zaretz [4].

Ipso quoque anno citatus fuit dominus Iohannes, Episcopus Pragensis, tamquam fautor haereticorum ad Curiam Papae Avenionem a domino Henrico de Schenberg, Theutonico, de Moravia, Praeposito Lutomericensi. De hac familia fuit etiam dominus Bernardus de Schenberg, qui cum Prussia bellum gessit contra Polonos pro dominis Ordinis Theutonicorum, et dominus Huneck, frater eius, ac dominus Benedictus, Praepositus Olomucensis et demum Episcopus Kymensis [5] in Pomerania, qui tempore Innocentii VIII. ad Curiam Romanam pergens, obiit Argentinae et sepultus est apud Iohannitas.

Eodem quoque anno fuit capitulum in Scaffhusio celebratum.

Anno Domini 1319 fuit generale capitulum Marsiliae celebratum, in quo fuit institutum, ut de cetero festum sanctae Marthae virginis, et de Corpore Christi cum Octava, et de sancto Ludovico per Ordinem universum fieret.

Eodem anno assumptus fuit frater Bertrandus de Turre, Minister Aquitaniae, per dominum Iohannem XXII. ad archiepiscopatum Salernitanum.

Et eodem anno electus et confirmatus fuit in Ministrum Aquitaniae frater Petrus Aureoli, magister in theologia. Sed interim factus Archiepiscopus Aquensis, officio non est usus.

---

[1] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 142. v. c. I, et Wadding., l. c. ad an. 1317, n. XIX.

[2] Vide Bullarium Rom. (Augustae Taurinorum editum) t. IV. p. 261.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1317, n. XV, et seq. habetur in Extrav. communib. tit. de relig. domibus.

[4] Alias legitur *Zathese;* probabiliter nunc est Saaz ad Egram fluvium.

[5] Verisimile est, quod sit Kammin, quod oppidum tunc temporis erat episcopatus.

Eodem anno fuit capitulum provinciale in Spira in Assumptione virginis Mariae, cuius acta sunt haec: Pro fratribus extra Provinciam studentibus et Ministro ac fratribus in Curia viginti florenos. C[1]. XL marcae dentur. De istis quilibet Custos dabit viginti marcas. Primo studens Paduanus, Lugdunensis, Curiae Romanae, Barcinonensis, Coloniensis, socius Ministri, Aurelianensis, fr. C. de Nordling: cuilibet istorum tres marcas; studens Oxoniensis quatuor, baccalaureus sex marcas, et Custos Sugislaci[2] superaddet sibi duas, ita quod habeat octo marcas. C. studens Parisiensis quatuor, pro Ministro quadraginta marcas.

Item quaelibet Custodia de cetero ducat ad capitulum et reducat in suis expensis unum praedicatorem et duos cantores. Si requiritur, super hoc Minister remittit prohibitiones, quas fecit de panno non emendo extra Custodiam.

Fratres in communione tertiae regulae committuntur sibi ipsis, ita ut videant, quid cum pace possit fieri vel non, et secundum hoc dent communionem vel negent, sicut videbitur expedire. Nulla persona recipiatur ad tertium Ordinem nisi de consensu Custodis, si praesens fuerit, Guardiani, Viceguardiani, lectoris, visitatoris regulae, duorum vel trium fratrum conventus discretorum, nec non de consilio et assensu magistrae regulae et aliquarum sororum discretarum eiusdem Ordinis, attendendo ad substantiam eius et alias conditiones quantum ad vitam et famam laudabiles, et caveant a recipiendarum multitudine; et secundum formam praescriptam visitatores omni mense legant regulam, et semel in anno visitent[3].

Provideatur etiam, quod quaelibet persona recepta et in posterum recipienda ad professionem habeat litteram suae receptionis et professionis sub sigillo Guardiani conventus vicinioris, ubi moratur.

Habeat etiam quilibet minister, vel ministra illius Ordinis sigillum proprium sui officii, et quaelibet communitas sigillum similiter habeat communem. Sorores tertii Ordinis in terminis, ubi non sunt ministrae propriae, intendant et obediant ministrae loci vicinioris, et ab eadem fiat receptio talium ad professionem et ad Ordinem, nisi in casu aliquando ipsa ministra duceret, receptionem huiusmodi ad Ordinem et professionem alteri committendam. Item, omnes sorores inducantur ad dandam eleemosynam vel pecuniam regulae, et quicumque frater detraxerit vel induxerit aliquam personam ad non dandum, suspensus sit ipso facto a confessionibus talium personarum audiendis, quousque dederint quod tenentur. Item, eiectae personae de tertio Ordine a fratribus non foveantur, sed vitentur, quantum poterit fieri bono modo. Item, nolentes obedire visitatori et ministrae et nolentes portare habitum regulae, ubi aliae communiter portant, eiiciantur secundum formam in regula contentam. Item, personae habentes suspectum consortium in scandalum aliarum, si, trina admonitione congrue praemissa, se non correxerint, eiiciantur. Item, petentibus secundum annum probationis de termino omnino negetur, nisi ex causa rationabili de consensu Custodis et aliorum fratrum discretorum fuerit aliter faciendum. Item, eleemosyna et sigillum communitatis servetur et custodiatur sub clausura trium perso-

---

[1] Ita legitur in cod., sed sensus valde obscurus est.

[2] Ita cod., forsitan pro *Zugis-laci* (Zug, oppidum in Helvetia ad lacum situm). Notandum, quod Provincia Argentinensis seu Superioris Alamanniae tunc temporis complectebatur sex Custodias, scil. Alsatiae, Basiliensem, Rhenensem, Sweviae, Laci, Bavariae.

[3] Ita legit cod. ms. primitus, sed manus posterior correxit: *visitentur*.

narum ad hoc electarum. Item, fratres et sorores, ubi simul morantur, simul eligant ministrum, vel ministram.

Omnes Custodiae potentes citare ad quemcumque conservatorem, debent simul portare expensas pro Bullis praesentatis vel praesentandis, et pro curatoribus ac advocatis institutis vel instituendis. Et instituantur procuratores et advocati generales per Custodes de consilio Discretorum.

Item, fratres non ponant se in briga pro quarta, cum speretur in brevi declaratio in Curia. Nec in isto nec in aliis casibus ponant se in briga sine consensu et consilio Custodis et fratrum seniorum.

Procurent fratres habere transcripta privilegiorum Ordinis et statutorum synodalium et statutorum conciliorum provincialium in quolibet loco. Studeant Discreti, ut Ministrum possint informare de nominibus absolventium Praelatos vel retinentium.

Nullus hospes, de intra Custodiam veniens, exponatur in coena, nec associetur nisi in prima coena, si post prandium venerit, et tunc per duos vel tres honestos fratres associari poterit.

Quia silentium servandum est de cetero secundum Constitutionem generalem a dicto Completorio usque ad primum signum Primae, campanella semper pulsetur post Completorium ab officiatore eiusdem Completorii, et roget Minister Custodes et Guardianos seriose, ut ordinent, quod fratres, debentes ire ad collationes, sic cito conveniant, ut possint recedere in dicto signo dando.

Haec de Spirensi capitulo annotata sunt pro memoria in futurum.

Anno Domini 1320 concessit dominus Arnaldus, tituli sanctae Mariae in Porticu diaconus Cardinalis, protector Ordinis, ad instantiam Ministri Provincialis fratris Henrici de Telheim[1] licentiam intrandi monasteria sororum Ordinis sanctae Clarae pro renovatione Sacramenti Eucharistiae his scriptis:

Arnaldus, miseratione divina sanctae Mariae in Porticu diaconus Cardinalis, ac Fratrum Minorum et sororum sanctae Clarae Ordinum protector a Sede Apostolica deputatus, religioso viro fratri Henrico, Ministro Fratrum Minorum in Superiori Alamannia, salutem in Domino.

Quia illicitum est, ut per manus mulierum sanctissimum Domini corpus contrectetur, auctoritate praesentium duximus concedendum, ut in quolibet monasterio eiusdem Ordinis vestraeque Provinciae confessor sororum praedictarum indutus alba, manipulo et stola, cum uno fratre induto superpelliceo, possit ingredi infra monasterii clausuram intrinsecam pro hostia sacratissima renovanda et in loco congruo collocanda; statim sic induti, ut intraverunt, egrediantur, nulli loquentes, quamdiu intus erunt, nisi de necessariis ad praedicta, nec ad locum alium divertentes. In cuius rei testimonium praesentes litteras exinde vobis fieri fecimus et sigilli nostri appensione muniri.

Datum Avenione, XIII. die mensis Februarii, pontificatus sanctissimi patris et domini Iohannis XXII. anno V.

Eodem anno, XIV. kalendas Iannuarii[2], assumpsit dominus Papa Iohannes XXII. dominum fratrem Bertrandum, Episcopum Salernitanum, ad cardinalatum tituli sanctae Crucis et postea fecit Episcopum Tusculanum.

---

[1] Id est Kelheim. Cfr. supra pag. 124, nota 1.

[1] 19 Decembris.

Eodem anno 1320, in vigilia Nativitatis Domini, in capitulo Magdeburgensi, quod tenuit frater Vromaldus, Guardianus Magdeburgensis, fuit electus in Ministrum Saxoniae frater Wernherus de Rebnitz, lector Erfordiensis, et triennio rexit Provinciam; et eodem anno tenuit capitulum in Vratislavia ad sanctum Iacobum; anno 1322 in Mulhusa; 1323 Erfordiae etc.

Frater Wernherus de Rebnitz XV. Minister Saxoniae.

Anno Domini 1321, feria quinta post dominicam de Passione Domini, passi sunt in Thana, civitate Saracenorum, quatuor fratres Ordinis nostri, videlicet frater Thomas de Tolentino, frater Iacobus de Padua, frater Petrus de Senis et frater Demetrius sciens varias linguas. Horum reliquias transtulit frater Odoricus de Foro-Iulii ad Indiam in civitatem, nomine Carram [1], et in loco fratrum recondidit, claras miraculis multis.

Eodem etiam anno misit frater Iacobus Bernhardi Ordinis Minorum, inquisitor haereticae pravitatis, fratrem Catalanum et fratrem Petrum Pascalis [2] ad dioecesim Valentinensem [3], institutos vicarios ad procedendum contra haereticos et eorum fautores. Qui iniunctum officium viriliter et constanter exsequentes, in Castro Montislisii [4] ab haereticis, multis plagis impositis, interfecti et ad civitatem Valentinensem portati et ibidem honorifice tumulati, multis signis claruerunt.

Capitulum in Columbaria fuit ipso anno.

Hoc etiam anno sub Ministro Generali, fratre Michaele de Caesena, sacrae theologiae magistro, ministerii eius anno sexto, quidam Beginus seu Bisotus fuit captus in civitate Narbonae pro facto haeresis per Archiepiscopum Narbonensem et fratrem Iohannem de Belua Ordinis Praedicatorum, inquisitorem haereticae pravitatis; qui Beginus inter alia asserebat, quod « Christus et Apostoli, viam perfectionis sequentes, nihil habuerunt iure proprietatis et dominii in speciali nec in communi ». Qui inquisitor volens adiudicare dictum Beginum, convocavit ad consilium omnes Priores, Guardianos et lectores Religiosorum et quamplures alios sapientes, inter quos fuit frater Berengarius [5] Tuloni, lector in conventu Fratrum Minorum Narbonae. Et inter cetera fecit praefatus inquisitor legi praedictum articulum, pro quo volebat iudicare ipsum Beginum, videlicet de paupertate Christi et Apostolorum eius, tamquam haereticum. Et super ipso articulo interrogatus frater Berengarius, praefatus lector, respondit, quod hoc dicere non foret haereticum, sed dogma sanum, catholicum et fidele, maxime cum hoc esset in Decretali: *Exiit qui seminat*, per Ecclesiam definitum. Quo dicto, ac si asseruisset haeresim praefatus lector, praecepit ei idem inquisitor, ut dictum suum statim in praesentia omnium retractaret; quod ipse lector facere noluit quoquomodo. Sed quia vis ei inferebatur et revocare cogebatur, quod « est sanum et catholicum, sane et catholice intellectum, et tamquam tale per Ecclesiam

---

[1] Chron. XXIV Gen., f. 142. v. c. II, ubi referuntur diffusius martyria dictorum fratrum, dicunt cum Wadding., l. c. ad an. 1321, n. I. seqq., *Zaiton*.

[2] Wadding., l. c. ad an. 1321, n. XXI. dicit Cathalanum Fabri et Petr. Paschalem de Saliente.

[3] Id est Valence ad Rhodanum in Gallia.

[4] Wadding. legit l. modo c. Montifilii.

[5] Cod. *Berngarius;* Wadding., l. c. ad an. 1321, n. XVI. dicit: Berengarius *Taloni,* Perpinianensis.

definitum, timens ex hoc contra iustitiam aggravari, ad Sedem Apostolicam solemniter appellavit et cum sua appellatione venit Avenionem, ubi dominus Papa Iohannes cum sua Curia residebat, et ei iam aliter per Praedicatores informato causam suae appellationis in consistorio proposuit.

Cumque dominus Iohannes Papa saepe dictum lectorem, nolentem obtemperare, ut dictum suum praescriptum revocaret, in sua Curia arrestasset, publice hanc quaestionem proposuit: «Utrum pertinaciter affirmare: Dominum Iesum Christum eiusque Apostolos non habuisse aliqua in speciali nec in communi», foret haereticum censendum, et formam quaestionis inspiciendam omnibus Praelatis et magistris theologiae in sua Curia tunc existentibus tradi fecit.

Et quia oppositum videbatur in Decretali: *Exiit qui seminat*, definitum, et argumentis frequenter et collationibus latens veritas aperitur, et quia sub eadem littera saepe latet multiplex intellectus, cum difficile fore diceret volentibus Constitutionem praedictam perfecte legere ac intelligere, poenas adiectas in ipsa Constitutione evitare, ideo poenas tam latas quam comminatas contra Constitutionem glossantes suspendit in littera Apostolica, quae incipit: *Quia nonnunquam quod coniectura profuturum credidit, subsequens experientia nocivum ostendit* etc., quam litteram edidit anno praedicto, videlicet 1322 [1].

Fuerunt qui dixerunt, dominum Iohannem hanc suspensionem ideo fecisse, ut magistri et Praelati definitioni Decretalis: *Exiit* etc., quantum ad hunc passum liberius contradicerent et eam impugnarent. — Quidquid sit de veritate, certum est, dominum Iohannem in praedicta Constitutione omnibus interdixisse, ne contra regulam Fratrum Minorum occasione dictae suspensionis dogmatizare, scribere seu determinare, praedicare seu prave loqui liceret publice, vel occulte.

Anno Domini 1322 in festo Pentecostes [2] fuit Perusii celebratum capitulum generale, in quo capitulo fuit praedicta quaestio de paupertate Christi, quae in Curia domini Papae ventilabatur, per patres capituli determinata, et de hoc litterae talis tenoris factae:

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis, fratres Michael, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, Gulielmus Angliae, Henricus Superioris Alamanniae, Arnaldus Aquitaniae, Provinciales Ministri et in sacra theologia magistri; nec non Hugo de Novo Castro et Gulielmus de Almuchia, sacrae theologiae doctores; Nicolaus, Minister Franciae, et Gulielmus Block, baccalaurei in sacra Pagina, et omnes Ministri et Custodes, Discreti et Lectores generalium studiorum, apud Perusium congregati in capitulo generali, ipsumque totum generale capitulum Ordinis supradicti salutem et pacem in Domino sempiternam.

Noveritis, quod nos anno Domini 1322, indictione V, pridie nonas Iunii, audita et intellecta quaestione quadam, quae in Curia Romana principaliter [3] agitatur, qua

[1] Cod. dicit erronee anno *praedicto* (qui est 1321) pro *sequenti*. Nam litterae papales editae sunt: Avenione, VII. kalendas (7) Aprilis, an. pontificatus 6. (i. e. 1322). Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1322, n. L, ubi habentur dictae litterae.

[2] 30 Maii. — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 144. v. c. II, Wadding., l. c. ad an. 1322, n. LII, et Ioan. Dominicus Mansi, Stephani Baluzii Miscellanea, (Lucae 1762) tom. III. p. 208, ubi habentur litterae sequentes, quarum lectiones variantes praestamus in notis.

[3] Wadding.: praesentialiter.

quaeritur, utrum asserere, Christum et Apostolos non habuisse aliquid in speciali nec in communi, sit haereticum; et requisiti, quid de ipsa quaestione sentiremus [1], et in scriptis sub nostris sigillis et subscriptionibus propriis redigere curaremus [2]: visis et examinatis dicta quaestione cum allegationibus, quae pro et contra fiunt, diligentique et matura deliberatione digestis, determinationi sanctae Romanae Ecclesiae firmiter et totaliter inhaerentes, concorditer et unanimiter dicimus et fatemur, quod dicere et asserere, quod Christus viam perfectionis ostendens, et Apostoli eandem viam perfectionis sequentes atque per exemplum in alios, volentes perfecte vivere, derivantes, nihil iuris [3] proprietatis et dominii seu iuris proprii [4] in speciali et in communi habuerunt, non est haereticum, sed sanum, catholicum et fidele, maxime cum sancta Romana Ecclesia catholica, quae a tramite Apostolicae traditionis nunquam deviasse, aut errasse probatur, (Causa) XXIV. q. 1 [5]: *A recta*, et cap. [6]: *Pudenda*, in fine, hoc expresse dicat, affirmet et determinet manifeste, Extravag. *de verborum significatione*, in capitulo: *Exiit*, libro VI. § *Porro*, sic inquiens: « Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus, viam perfectionis ostendens, verbo docuit et exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiae, id est Apostoli, prout ab ipso fonte, id est Christo, hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivaverunt ». Quae Ecclesiae determinatio libro VI. per ipsam catholicam Ecclesiam est inserta, et per aliam Decretalem in Viennensi concilio promulgatam [7], et est in VII. libro sub titulo: *de verborum significatione* inserta [8], et per ipsam universalem et catholicam Ecclesiam est approbata, ac novissime per sanctissimum patrem et dominum, dominum Iohannem, divina providentia Papam XXII, in quadam sua declaratione, edita super regulam et statum Fratrum Minorum, quae incipit: *Quorundam exigit* etc., est eadem declaratio plurimum commendata tamquam salubriter edita, solida, lucida multaque maturitate digesta. Et testante Canone, XIX. distinctione, cap.: *Si Romanorum*, illud quod pro sano dogmate Sedes Apostolica approbavit, semper teneri debet acceptum, nec ab eo [9] licet alicui quomodolibet resilire, (Causa) XXIV. q. 1 [10]: *Haec est fides*. In huius [11] autem nostrae opinionis et communis ac concordis sententiae testimonium et munimen [12] praesentem seriem de communi consensu omnium nostrum sub sigillis et subscriptionibus propriis Generalis Ministri et nominatorum superius magistrorum ac baccalaureorum in sacra Pagina, nec non et quatuor Provincialium Ministrorum, videlicet Thomae Provinciae Bononiensis, Petri Provinciae sancti Francisci, Ferdinandi Provinciae Castellae et Simonis Provinciae Thuroniae, duximus muniendam [13].

Datum Perusii, anno et mense et die superius memoratis [14].

---

[1] Wadding.: sentiremus: Haec in; [2] propriis tradere curavimus. Visis; [3] iure proprietatis (ita et Mansi); [4] proprii in communi.

[5] Cap. IX. — [6] Cap. XXIII.

[7] Wadding.: promulgata.

[8] Mansi: et in... insertam et.

[9] Wadding.: ea.

[10] Cap. XIV.

[11] Wadding.: huiusmodi; [12] munitionem; [13] muniendum; [14] annotatis.

Item, ultra praedictam litteram definitivam fecerunt dicti Generalis et Provinciales Ministri ac baccalaurei, in dicto capitulo existentes, de dicta quaestione aliam determinationem et definitionem magis diffusam, iuribus et rationibus confirmatam, quam ponit Alvarus[1], *de Planctu Ecclesiae* in II. parte, articulo LXII, vide ibidem. Super qua determinatione fuit dominus Papa non modicum indignatus.

Praeterea, dictus Minister Generalis ad praesentiam domini Papae se conferens et dictam sui capituli determinationem defendens, non habuit se ita reverenter et prudenter, sicut debuit. Quare motum Pontificem Summum magis irritavit; in quo magnam Ordini tribulationem suscitavit, qualis antea non legitur.

Et fallacibus aliquibus susurronibus et detractoribus indignationem domini Papae contra Religionem succendentibus, irreparabile malum Ordini suscitatur.

Eodem anno fuit capitulum provinciale in Basilea, cuius ista sunt acta: Expedire videtur capitulo, quod causae Provinciae continuentur in Curia Romana, et quod residuum contributionis antiquae colligatur et mittatur fratribus in Curia, quorum tamen unus revocari debet et duo remanere.

Item, incarcerati si bene poenitentes apparuerint et probati in hoc fuerint per tres menses, de consilio et assensu Guardiani, eis petentibus Eucharistia non negetur.

Item, multa alia fuerunt ibidem ordinata et inter cetera, quod in quolibet conventu cantaretur solemniter una Missa vel de Spiritu sancto, aut de beata Virgine pro tribulatione nostra. Et quod quilibet frater sacerdos dicat unam Missam offerendo principaliter pro causa eadem, et alias in singulis Missis Collectam unam diceret, videlicet: *Deus, qui contritorum,* vel *Praetende*[2]. Item, quilibet frater non sacerdos in qualibet septimana ad minus semel flexis genibus dicat septem Psalmos cum Litania, et in quolibet die: *Miserere mei, Deus,* Pater noster et Ave Maria cum versiculo: *Domine, non secundum peccata nostra* etc., et Collecta: *Praetende, Domine.* Item, quilibet frater laicus dicat in qualibet septimana flexis genibus centum Pater noster et Ave Maria, et alias singulis diebus quinque Pater noster et Ave Maria. Et omnes fratres in omnibus orationibus tam publicis quam privatis convertant se ad Dominum pro tribulatione praedicta et divina misericordia celerius impetranda. Haec ibi.

Praedictam determinationem capituli generalis omnes magistri et baccalaurei in sacra Pagina de Ordine Parisius et in Anglia commorantes, numero quadraginta unus, approbaverunt, et de hoc fecerunt patentes litteras, eorum sigillis et subscriptionibus roboratas.

Papa autem hoc audiens, iratus, suggestione quorundam de Ordine Praedicatorum, edidit Constitutionem: *Ad conditorem canonum*[3] etc., in qua dicit, quod reservatio, facta per dominum Papam Nicolaum III. de bonis mobilibus et immobilibus Fratrum Minorum, praesentibus et futuris, quantum ad proprietatem et dominium sibi et Romanae Ecclesiae, simplici usu facti dumtaxat fratribus in eis relicto, prae-

---

[1] Pelagius, Hispanus, Ord. Minorum; de quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1304, n. XI. et XIII, 1308, n. LXI, 1329, n. VIII. et IX. et 1302, n. VII. — De determinatione praedicta vide etiam Wadding., ad an. 1322, n. LIV, et Mansi, l. c. tom. III. p. 208.

[2] Cfr. Missale Romano-Seraphicum, Orationes ad diversa, n. 34.

[3] Habetur in corpore Iuris, inter Extravag. communes, titulo: de verb. significatione; vide etiam Wadding., l. c. ad an. 1322, n. LVI. seq., et Mansi, l. c. tom. III. p. 221.

dictis fratribus et multis aliis non profuit, sed defuit, prout magistra rerum, experientia, declaravit.)

Secundo, quod in rebus usu consumptibilibus non potest usus a proprietate et dominio rei separari, et quod fratres ideo non possunt dici simplices usuarii, et quod dominus Nicolaus Papa non videtur sibi et Romanae Ecclesiae reservasse dominium tale; quod nititur probare.

Tertio, quod usus alicuius rei, denudatus iure utendi, in creatura rationali non est iustus, nec per consequens convenit perfectionis statui, nec perfectioni adiicit.

Quarto, quod tam dicti Nicolai Constitutio, quam etiam privilegium domini Martini Papae IV. de procuratoribus, nomine Romanae Ecclesiae instituendis, Ordini concessum, plurimum honori Ecclesiae detraxerint, cum sic plerumque contingeret, Ecclesiam Romanam occasione talium coram pedaneis iudicibus litigare, ita quod Praelatis et Ecclesiarum Rectoribus fuerit molestum et grave.

Quinto, definit, quod in bonis, quae offeruntur vel conferuntur vel alias quomodolibet obvenire possunt fratribus vel Ordini praedictis, exceptis ecclesiis vel oratoriis, officinis, habitationibus, ac vasis, libris et vestimentis divino cultui dedicatis vel dedicandis, nullum ius seu dominium occasione dictae Constitutionis domini Nicolai, vel cuiuscumque alterius Papae Romanae Ecclesiae acquiratur; sed quod quoad hoc habeantur dictae Constitutiones pro non factis.

Sexto, prohibet, ne deinceps pro recipiendis, petendis, exigendis, defendendis seu administrandis bonis, quae in posterum dictis fratribus vel Ordini conferri vel offerri vel alias quomodolibet obvenire possunt, quisquam a quoquam nominetur seu constituatur amodo nomine sanctae Romanae Ecclesiae procurator, nec occasione cuiuslibet privilegii Apostolici quicumque talium bonorum administrationem in iudicio vel extra agendo, defendendo, supplicando, vel alias quomodolibet assumere dictae Ecclesiae nomine audeat, nisi de Sedis Apostolicae licentia speciali etc.

Hac igitur Constitutione a domino Iohanne Papa edita et solemniter promulgata, et elapso spatio triginta octo dierum ab ipsa publicatione,

Anno Domini 1323 frater Bonagratia de Bergamo[1], doctor utriusque iuris, procurator Ordinis Minorum in Curia Romana, ad hoc specialiter institutus, ab ipsa Constitutione et in ea contentis provocavit et appellavit, et publice protestatus est, porrecto libello, qui incipit:)

In nomine Domini. Amen. Anno a nativitate Domini MCCCXXIII, indictione VI, die XIV. mensis Ianuarii, in civitate Avenionensi in palatio sanctissimi patris et domini, domini Iohannis, divina providentia Papae XXII, in consistorio Cardinalium, more solito congregato et convocato, ibi frater Bonagratia de Bergamo, procurator, et procuratorio nomine Ordinis Fratrum Minorum in praesentia praefati domini Papae et Collegii dominorum Cardinalium ibidem ad consistorium congregatorum personaliter constitutus, publice dedit ac porrexit et praesentavit praefato domino Papae, sive domino Bertrando de Monte Faventis[2] Cardinali, ibi praesenti et de mandato

---

[1] Cod. hic et deinde *Pergamo.* — Formam integram appellationis videsis apud Mansi, l. c. tom. III. p. 213.

[2] Wadding. *Favesio;* Ciaconius dicit: Bertr. de Montefaventio (ita et Mansi), Gallus e Castronovo (Castelnau, gallice) Rutherii, dioecesis Cathurcensis.

ipsius domini Papae recipienti infrascriptum libellum provocationis et appellationis sive supplicationis, cuius tenor talis est:

Vestrae significat Sanctitati frater Bonagratia, procurator Ordinis Fratrum Minorum, ad hoc specialiter constitutus, quod orta olim circa initium institutionis et approbationis Ordinis beati Francisci materia quaestionis super verbis et intellectu regulae ipsius Sancti, quibus dicitur: *Regula et vita Fratrum Minorum haec est* [1] etc., et infra: *Fratres nihil sibi approprient* etc., et ipsa quaestione ad examen primo sanctae memoriae domini Gregorii IX, iuris divini et canonici et civilis multum periti, deducta, ipse sanctissimus Pater post multam et longam deliberationem et examinationem, ipsam quaestionem definivit sententialiter in haec verba: *Cum ex longa familiaritate* [2] etc. Haec verba definitionis Apostolicae Sedis non regulam ampliantis seu circa eam novum aliquid statuentis, sed intentionem conditoris et verba ipsius regulae exponentis et declarantis etc., usque in finem.

In qua appellatione, ad sanctam Romanam Ecclesiam et Sedem Apostolicam facta, frater Bonagratia ostendere nisus est, dictam Constitutionem sacrae Scripturae et fidei catholicae obviare. Quamobrem fecit eum dominus Papa Iohannes statim de facto, omni audientia ei denegata, atro carceri mancipari, in quo detinuit eum per annum minus viginti diebus, et pro tunc nihil ad appellationem respondit.

Eodem anno, XV. kalendas Augusti, canonizavit dominus Iohannes XXII. beatum Thomam de Aquino in favorem Fratrum Praedicatorum sibi adhaerentium, ab eius transitu ex hoc mundo anno quinquagesimo [3].

Eodem quoque anno, II. idus Novembris, edidit dominus Iohannes Papa Constitutionem, quae incipit: *Cum inter nonnullos* [4] etc., in qua dicit, haereticum esse censendum asserere, Christum ac Apostolos nihil habuisse proprii neque in communi neque in speciali. Similiter haereticum dicit affirmare, quod Christo eiusque Apostolis in his, quae eos habuisse sacra Scriptura testatur, nequaquam ius ipsis utendi competierit, nec illa donandi aut ex ipsis alia acquirendi; et, ut dicit Platina in Historia Summorum Pontificum, litteras Constitutionum ad gymnasia publica transmisit, ne amplius Scholastici ea de re disputare auderent. Et dicit Platina, quod certe non multum cum sacra Scriptura convenit, quae multis in locis testatur, Christum eiusque discipulos nihil proprii habuisse, ut illud Evangelii: *Qui non vendiderit omnia, quae habet, et pauperibus dederit, non potest meus esse discipulus* [5] etc.

Anno eodem 1323, in mense Octobri [6], protulit idem Iohannes Papa in consistorio

---

[1] Cap. I. et VI.

[2] Cfr. Bulla: *Quo elongati,* in principio (apud Wadding. l. c. ad 1230, n. XIV, et Sbaraleam, Bull. Franc.).

[3] Mortuus erat an. 1274, proficiscens ad concilium generale. Bulla canonizationis habetur in Bullario Rom. (ed. Taurinensi) t. IV.

[4] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1323, n. IV, ubi habetur integra Constitutio, et Mansi, l. c. tom. III. p. 224.

[5] Cfr. Luc. 14, 33.

[6] Cfr. Martene, Thesaurus novus etc. (Lutetiae Parisiorum 1717) tom. II. p. 644, 647, 652. — Auctor noster rem non satis distincte refert. An. 1323, VIII. idus (8) Octobris procedebat Papa contra Ludovicum, eum admonens, ut resiliat a protegendis haereticis et rebellibus Ecclesiae et deserat administrare ac vocare se regem, donec per Ecclesiam approbetur, sub poena excommunicationis; quam tamen excommunicationem ad supplicationem nuntiorum Ludovici 7 Ianuarii

publico sententiam excommunicationis contra dominum Ludovicum, ducem Bavariae, electum in Romanorum regem, pro eo quod miserat copias suas in adiutorium domino Galeacio [1] et fratribus eius — qui dominabantur Mediolani et aliis civitatibus pluribus Lombardiae, qui adversabantur domino Papae Iohanni, et ob hoc ab ipso excommunicatus erat [2] — et eum in feudis ab ipso petitis confirmaverat, opponendo ei, quod non foret ei licitum uti officio imperatoris, quousque foret confirmatus ab Ecclesia. Dedit etiam terminum trium mensium, infra quem teneretur renuntiasse electioni de se factae, et deberet personaliter ad ipsum accedere ad faciendas suas excusationes, quod favorem praestiterat adversariis et rebellibus Ecclesiae. Insuper privavit omnes Clericos, qui ei praestarent consilium, auxilium vel favorem, ubi non pareret dictis mandatis sibi factis. Ludovicus autem ipse, postquam recepit litteras processum huiusmodi continentes, habito consilio suorum, appellavit ad ipsum Papam male informatum bene informandum et ad concilium generale, quando esset Romae in Sede beati Petri, misitque plures et solemnes oratores, Praelatos et barones ad se in publico excusandum, promittens, se in posterum Ecclesiae non existere contrarium. Propter quod fuit ei prorogatus terminus aliorum trium [3] mensium, et secundum quod se gereret, sic ei fieret.

Illis etiam temporibus contra Ordinem communitatis, Domino permittente, totius religionis adversarius insurrexit. Nam aliqui fratres, pondere temeritatis propriae et diabolico impulsu ab altitudine Religionis perfectae in baratrum peccatorum cadentes, totum quodammodo istius Ordinis aedificium conquassarunt. Nam et Christi Vicarium in indignationem maximam commoventes, inde flamma tribulationis tanta per Ordinem diffunditur, ut clare beati Francisci vaticinium impleri videretur. Misit enim Deus clientes suos daemones, qui tantam brigam inter fratres et mundum posuerunt, quod fratres ad unitatem Ordinis redire humiliati compulsi sunt, etiam inviti. Sed tunc ad cardinalatus praecellentiam assumpti erant duo fratres Aquitanici, viri utique litterati et suae Religionis ferventissimi zelatores, frater videlicet Vitalis de Furno et frater Bertrandus de Turre, qui canum latrantium contra Ordinem clamoribus in facie Ecclesiae responderunt. Vivebant tunc dominus Infans Aragoniae, Patriarcha Alexandrinus, qui ex magna devotione nostrae Religionis, quamvis velatum, habitum continue deferebat; sed et in Hungaria dominus Carolus rex, filius fratris sancti Ludovici, Episcopi Tolosani, et dominus Henricus, rex Cypri, et dominus Robertus, rex Ierusalem et Siciliae, frater sancti Ludovici, et domina Sancia, regina de Maioricis, coniux domini Roberti, qui omnes Ordinem intime diligebant et contra adversarios eius resistebant [4].

Hoc anno 1323 [5] non fuit capitulum in provincia Argentinae celebratum propter tribulationem Ordinis concitatam.

1324 distulit, sed eum, quia non obedivit, X. kldas Aprilis (21 Martii) excommunicatum denuntiavit. Vide etiam Card. Hergenröther, l. c. p. 15. seq.

[1] Id est Galeazzo Visconti, de cuius criminibus cfr. Raynaldus, Annales ad an. 1324, n. 9. seqq.

[2] Scilicet Galeacius.

[3] Vel potius duorum.

[4] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 145. r. c. I. seq.

[5] Sed videtur esse error calculi. Uti enim auctor ipse, supra pag. 124 (ad an. 1316), animadver-

Anno Domini 1324 in capitulo Erfordiensi electus est in XVI. Ministrum Saxoniae frater Iohannes de Appinberg et rexit quatuor annis et celebravit capitulum in Lipsia, Bremis et Saalfeldiae [1] et anno Domini 1328 in Dresda, et ibi recepit successorem.

Frater Iohannes de Appinberg XVI. Minister Saxoniae.

Praedicto anno capitulum in Ulma.

Eodem anno, IV. idus Novembris, edidit dominus Iohannes Papa XXII. quartam Constitutionem, quae incipit: *Quia quorundam mentes sic pater mendacii* [2], contra appellationem fratris Bonagratiae, pro tunc adhuc in carcere detenti, in qua omnia ipsius dicta improbat et confutat et prohibet, ne quis contra ordinata, definita seu facta in dicta Constitutione: *Ad conditorem canonum* etc., verbo vel scripto scienter aliquid approbet vel defendat, et quod, si quis contrarium praesumeret, tamquam contumax et rebellis Ecclesiae haberetur. Quo facto incussit timorem Ordini, qui cadere potuit in constantes, ne resisterent Constitutionibus eius.

Anno Domini 1325 fuit Lugduni generale capitulum celebratum, ubi fecit ipsum capitulum cum fratre Michaele, Generali Ministro, Constitutionem dicentem, quod fratres de sancta Romana Ecclesia et persona domini nostri Papae ac de Constitutionibus eius cum debitis reverentia et sobrietate loquantur; et qui transgressor fuerit inventus, poena carceris puniatur, ad quod exsequendum Ministri per obedientiam teneantur denuntiando eidem dicto Generali Ministro delinquentes. Et idem dominus Papa plures commissiones fecit dicto Generali Ministro de absolvendis Ministris plurium Provinciarum dicti Ordinis et de instituendis aliis in locum eorum; quas commissiones saepe dictus Minister exsecutus est.

Eodem anno fuit capitulum provinciale in Constantia, et ibi fuit absolutus ab officio ministerii frater Henricus de Teylheym [3], magister sacrae theologiae, qui postea procedente tempore factus est cancellarius Ludovici imperatoris IV, et loco eius electus est in Ministrum frater Conradus de Rottwiler [4] et praefuit Provinciae quatuor annis. Celebravit haec capitula: anno Domini 1326 Moguntiae; 1327 in Friburgo superiori [5]; 1328 Argentinae.

Frater Conradus de Rottwiler Minister Superioris Alamanniae.

Eodem anno 1325 condidit dominus Waltherus, Episcopus Suronensis, testamentum sequens:

Nos frater Waltherus, Dei gratia Episcopus Suronensis, ad perpetuam rei memoriam: omnibus et singulis has litteras inspecturis notum facimus ac declaramus, quod nos res ac redditus, quos anno Domini 1325, prima die mensis Augusti, a domina Abbatissa monasterii sanctae Clarae in Norimberga extra muros civitatis pro nostra eleemosyna emimus et vere secundum formam et modum emptionis comparavimus, sicut littera tunc data eiusdem conventus appenso sigillo testatur, Fratribus

---

tit, hoc anno erat capitulum Ulmae. Sed an. 1324 non celebratum fuit capitulum « ob Ministrum Generalem et socios eius ».

[1] Cod. *Salvelt*, theut. Saalfeld ad fluvium Saalam (Saale) in ducatu Saxoniae-Meiningae (Sachsen-Meiningen) et pro *Lipsia* legit hic *Liptz* et deinde *Dresen* pro *Dresda* (Dresden).

[2] Habetur inter Extrav. Ioh. XXII. tit. *de verborum significatione*.

[3] Recte de Kelheim. Cfr. supra pag. 125, nota 1.

[4] Id est theut. Rottweil in Würtemberga. Infra cod. scribit *Rottweyler*.

[5] Id est in Friburgo (theut. Freiburg), oppido Helvetiae.

Minoribus in Norimberga damus pro remedio animae nostrae post nostram mortem, et legamus voluntarie et deliberate tali modo et iure, ut dominio talium rerum ac reddituum remaneat apud dominam seu monasterium saepedictum, volentes omnino, ut redditus praedicti suo tempore dictis fratribus sine dolo et fraude praesententur. In cuius rei robur et testimonium praesentem tenorem nostro sigillo duximus consignandum.

Datum anno Domini 1325, prima die mensis Septembris.

Illo tempore fuit Abbatissa domina Guta Schultheyssen.

Eodem anno 1325 inchoavit dominus Carolus, rex Hungariae, Fratribus Minoribus aedificare ecclesiam in Lippa ad honorem beati Ludovici, Episcopi Tolosani, qui fuit frater uterinus patris eius [1] etc.

Anno Domini 1326, tertio nonas Martii, natus est eidem regi filius, quem nomine huius sancti Confessoris, patrui sui, Ludovicum appellavit. Hic Ludovicus [2] regnavit post patrem suum quadraginta annis, uno mense et viginti diebus, et genuit Mariam filiam, quam duxit Sigismundus, marchio Brandenburgensis, filius Caroli IV. imperatoris, regis Bohemiae; qui Sigismundus factus est rex Hungariae [3], postea rex Romanorum, demum imperator.

Eodem anno, IV. die Martii, misit frater Michael de Caesena, Minister Generalis, de Parisius litteras Constitutionum fratri Conrado de Rottwiler, Ministro Argentinensi, quae sequuntur:

In Christo sibi carissimo etc. Ordinat Generalis Minister et mandat per obedientiam salutarem, ut nullus frater, cuiuscumque conditionis existat, librum vel scriptum aliquod, postillam vel lecturam seu aliud opus novum, sive novum tractatum quemcumque a se vel alio fratre confectum, vel etiam ordinatum alicui intra vel extra Ordinem communicare audeat seu etiam publicare, donec illud diligenter examinatum fuerit per capitulum generale, vel per illos, quibus Generalis in speciali duxerit committendum [4]. Et si quis reus in huiusmodi legitime fuerit deprehensus, nuntietur statim Generali Ministro per suum Provincialem Ministrum, ut taliter puniatur, ut sit ceteris in exemplum, et ad hoc faciendum Minister quilibet per obedientiam teneatur. Mandat quoque idem Generalis Minister per eandem obedientiam, ut nullus frater audeat opinionem aliquam calumniabilem, vel suspectam circa fidem aut mores quoquomodo asserere legendo, disputando aut etiam praedicando, et qui contra fecerit, per Ministrum Provincialem graviter puniatur, nuntiandus nihilominus sine dilationis obstaculo Generali Ministro, sicut in alio articulo superius est expressum.

Mandat insuper Generalis Minister omnibus et singulis Ministris Ordinis per obedientiam salutarem, ut sint solliciti per se ipsos et per Custodes investigare sollicite, qualiter huiusmodi ordinatio observetur, iniungens nihilominus eisdem Ministris per eandem obedientiam, ut Constitutionem, quae ponitur in VI. capitulo Constitutionum generalium § *Nullus audeat aliquam opinionem* [5] etc. usque ibi. Item districte, exclu-

---

[1] Cfr. supra pag. 106.

[2] *Magnus* cognominatus, regnavit ab 1342-1382.

[3] An. 1378; deinde rex Rom. 1410 (1411) et imperator post mortem Wenceslai, fratris sui, 1419-1437.

[4] Cfr. Salimbene, l. c. p. 236, ubi similis ordinatio ex an. 1254 refertur.

[5] Textus integer est: Nullus etiam frater audeat aliquam opinionem corruptam, non sanam

sive, observent firmiter ac faciant ab omnibus fratribus suae Provinciae inviolabiliter observari. Vale in Domino et ora prò me.

Datum Parisius, IV. die Martii, anno Domini 1326.

Eodem anno in festo Pentecostes[1] fuit provinciale capitulum Moguntiae celebratum, in quo publicavit frater Conradus Minister praedictas Constitutiones Generalis Ministri, sub sigillo suo mandans, eas per Custodes fratribus denuntiari.

In eodem capitulo fuerunt sequentia ordinata: Item, quod nullus recipiatur ad Ordinem, vel promoveatur ad ordines, vel mittatur pro examinatione ad capitulum, vel relevetur a poenitentia sibi iniuncta, pro qua relevatione consuetum est scribere ad capitulum et Praelatos, nisi in quem maior pars conventus consenserit, per Custodem requisitus in scrutinio proxima vice, quando ad conventum venerit ante capitulum, vel per Guardianum, si Custos non est venturus ad locum, vel Viceguardianum, si Guardianus praesens non fuerit et esse non poterit, quando de praemissis fuerit requirendum. Praecipiat autem Custos, vel is qui de praemissis secundum modum praedictum pro tunc habet scrutinium hoc tenere, omnibus et singulis fratribus per obedientiam salutarem, ut quilibet ipsorum nominet vel praesentet illos, et non alios, quos ipse ratione vitae, morum et aliarum conditionum idoneos iudicaverit pro praemissis, et quod nullus revelet scripto, nutu vel verbo, signo vel facto, quem nominaverit vel non nominaverit in scrutinio memorato. Nihilominus tamen omnes Guardiani et Discreti de Custodia in capitulo congregati requirantur eodem modo per scrutinium a Custode de promovendis[2] ad officium, vel relevandis a poenitentiis sibi iniunctis, pro quibus petitum fuerit, ut est dictum.

Item, omnes fratres, qui fuerunt hoc anno mittendi ad capitulum Moguntinum pro examinatione, vel pro quibus fuerat scribendum pro officiis, et nolebant simul exire vel cum aliis, sicut fuerit eis dictum, secundum consuetudinem in Provincia hactenus observatam, dicant culpam suam per quinque menses proxime succedentes a die, in qua eis praesens decretum constiterit, in singulis capitulis provincialibus de temeritate in eo per ipsos attentata, et dicta culpa sua, in principio capituli egrediantur de capitulo statim sicut novitii, per obedientiam salutarem.

Custos provideat suis studentibus de sua Custodia, tam Argentinae quam in aliis studiis intra Provinciam existentibus, de debito ante festum Omnium Sanctorum, per obedientiam salutarem, et conventus per eandem obedientiam teneantur ante praedictum festum Custodi dare quidquid eis impositum fuerit de consilio et taxatione Custodis et Discretorum.

Sentiunt Discreti, quod iudicio conscientiae Custodum debet committi, quod ipsi

---

vel ab Episcopo et magistris Parisiensibus contra reprobatam, scienter asserere vel etiam approbare publice vel occulte; nec opinionem singularem cuiuscumque calumniabilem vel suspectam, maxime contra fidem vel mores, audeat defensare. Si autem Ministri aliquos tales in suis Provinciis invenerint, moneant eos et corrigant diligenter, et nisi revocverint et destituerint requisiti, omnibus officiis et legitimis actibus eos privent; et tandem, si in sua pertinacia permanserint, fratrum societate priventur, et deinde incarcerentur, si in suis erroribus finaliter perseverent, et nihilominus generali capitulo vel Generali Ministro per Provincialem Ministrum cum suis opinionibus nuntientur. — Notandum, quod memoratae Constitutiones tantum in manuscriptis existant.

[1] 11 Maii.

[2] Cod. vitiose *provendis*.

possint mittere duos honestos fratres solum, vel plures simul ad balnea, ita tamen, quod nulli ibidem habeant servitrices in quocumque servitio vel assistentes mulieres, vel in via secum ducant.

Fratres praesententur Episcopis praesentes et alii ad officium tale electi et eligendi, manentes et transeuntes, vel praesentetur determinatus numerus pro quolibet conventu.

Caveant Custodes, ne pannus curiosus portetur, specialiter in colore; similiter, quod non sit pretiosus.

Item Custodes reprimant iuvenes, maxime studentes, ne expendant in propinationibus eleemosynam pro suis usibus assignatam.

Hospites conventuales intra Custodiam, qui non sunt nec fuerunt Guardiani, vel lectores, post duas vices extra communitatem non ponantur, nisi sicut ceteri de conventu. Si vero sunt vel fuerunt Guardiani, vel lectores, possunt poni ter. Si autem venerint de aliis Custodiis, et non fuerunt neque sunt Guardiani, vel lectores, possunt poni ter. Si vero sunt vel fuerunt Guardiani, vel lectores, possunt poni quater. De aliis vero notabilibus personis Provinciae, qui veniunt de aliis Provinciis, committitur dispositioni Guardiani vel Viceguardiani.

Terminarii et alii fratres, missi extra loca pro communi utilitate conventus, quando revertuntur de petitionibus ordinariis, et etiam post exitum in Adventu et in Quadragesima, possunt consolari [1] ter; de aliis vero nullus consoletur nisi secundum exigentiam itineris vel laboris.

De fratribus illis, qui volunt frequenter esse in infirmaria, committimus Custodibus, quod de eis iudicent de consilio Discretorum.

Terminarii non ducant pueros nisi tempore petitionis, nec expendant aliquid in terminis vel hospitiis suis, quando possunt sibi per invitationes et aliis modis providere licitis et honestis, quia, cum non liceat aliis [2] ducere famulos, ubi mendicando possunt [3], multo minus licet eis [4], cum possunt sibi propter notitiam, quam habent in terminis, et invitationes licite providere. Et istud servetur firmiter, et solliciti sint Custodes.

Custodes etiam sint solliciti, quod ipsi non mittant extra Custodiam, et Guardiani extra terminos guardianiae suae fratres, nisi pro manifestis et urgentibus necessitatibus.

Minuti [5] non habeant plus quam tria prandia de carnibus, in coena nullo modo comedant carnes, etiam si conceditur eis extra refectorium refici.

---

[1] *Consolatio* in usu antiquorum monasteriorum significat extraordinariam coenam, vel ciborum appositionem, interdum ob extraordinarios labores concessam, sumpto nomine a fine *consolationis,* ob quem talis collatio praebebatur. Porro significat etiam distributionem quamlibet extraordinariam, seu denariorum seu vini vel cibi (ut erat in praedicto casu) et similium. Cfr. Du Cange, Glossarium.

[2] Supple: fratribus.

[3] Supple: eos ducere.

[4] Scilicet terminariis.

[5] Id est illi, quibus per chirurgicum vel minutorem venae incisione sanguis detractus erat. Illa enim aetate vigebat tam in monasteriis quam apud canonicos saeculares quam etiam laicos usus certis anni temporibus sanguinem minuendi, ut videri potest apud Du Cange, Glossarium. Ordinatio supra memoratae similis habetur in Statutis Ord. Cisterciensis ex an. 1231: « In minutionibus vero habeant minuti in infirmariis a Priore pitanciam singulis diebus per tres dies ».

Praecipiant Custodes et caveant strictissime fratribus conventuum singulorum, ne unquam saeculares admittantur ad comedendum carnes cum fratribus quibuscumque in domo fratrum undecumque procuratis (!).

Quia dicit Constitutio generalis, quod acta Provinciarum non solum debent poni in schedulis, sed in libris, videtur Ministro et Discretis, quod hoc intelligitur de criminosis, ita tamen, quod primo examinentur testes, et obiiciatur fratri, et tunc accusatio cum nominibus accusantium et excusatio accusati recitentur Ministro, et si illi videbitur, ponantur in libro.

Anno Domini 1327 capitulum provinciale in Friburgo superiori est celebratum, cuius acta sunt haec:

Sentiunt Discreti, quod gratia reverendissimi patris Generalis Ministri, de exponendo extra communitatem praedicantes ante prandium prima vice post sermonem factum, solum extendi possit et debeat ad fratres praedicantes in solemnibus stationibus, ad quas populus diebus dominicis et festivis solemniter convocatur, et ad illos, qui ter et amplius praedicant in una septimana in locis fratrum, et ad illos, qui ratione sermonis facti luto, longo itinere, frigore vel pluvia sunt gravati.

Ordinatio de promovendis, in capitulo Moguntino [1] facta, in hoc capitulo Friburgi superioris emendatur et corrigitur in hunc modum: Nullus recipiatur ad Ordinem, vel promoveatur ad ordines seu ad officia Ordinis, vel mittatur pro examinatione ad capitulum, aut relevetur a poenitentia sibi iniuncta, pro qua relevatione consuetum est scribere ad capitulum et Praelatos, nisi in quem maior pars conventus consenserit, per Custodem requisitus in scrutinio, quando infra ultimos duos menses ad locum venerit ante capitulum celebrandum, vel per Guardianum, si Custos infra dictos duos menses ad locum minime est venturus, vel etiam per Viceguardianum, si Guardianus praesens non fuerit et esse non poterit, quando de praemissis fuerit inquirendum. Praecipiat autem Custos, vel is qui secundum modum praemissum de praedictis habet hoc tenere scrutinium, omnibus et singulis fratribus per obedientiam salutarem, quod quilibet ipsorum nominet et praesentet illos, et non alios, quos ipse ratione vitae, morum et aliarum conditionum laudabilium idoneos iudicaverit pro praemissis, et quod nullus ipsorum revelet scripto, nutu vel verbo, signo vel facto, quem nominaverit vel non nominaverit [2] in scrutinio memorato. Et ille qui tenet hoc scrutinium, bona fide teneatur hoc scrutinium celare. Unde non oportet, quod alia fiat conventui propositio vel petitio ab eodem aliqua pro fratribus huiusmodi ad capitulum specialis. Nihilominus tamen omnes Guardiani et Discreti de Custodia in capitulo congregati requirantur eodem modo de praedictis per scrutinium a Custode.

Custodes teneantur inquirere, quando ad conventum venerint, quoties et qui et pro quibus causis novitii sint missi ad terminos vel ad villam, et quid portent ad capitulum, et recitetur coram capitulo Guardianis, quod ipsi novitios emiserint.

Guardiani, qui negligentes fuerint in provisione conventuum et restauratione aedificiorum sine causa rationabili, iudicio Ministri et Definitorum cum nota confusionis absolvantur.

Item, si conversatio alicuius novitii fuerit dubia, et propter hoc receptio Mini-

---

[1] Cfr. supra pag. 137.

[2] Cod. incongrue *nominavit.*

stro fuerit reservanda, illo die quo ad professionem recipi debebat, vestiatur caparone, donec de receptione eius fuerit per Ministrum iudicatum.

Item, nullus Guardianus visitetur ad capitulum provinciale, et alias de provisione infirmorum, nisi contra iudicium iudicantium fecerit de infirmis, qui primo debent inquiri de provisione cuiuslibet infirmi, quomodo et qualiter infirmans provideatur, et hoc in visitatione Guardiani specialiter exprimatur.

Quicumque frater audit confessiones in porta et non vult praedicare, si iudicio Custodis de iudicio aliquorum Discretorum, ad quod consilium tribuendum ipsorum conscientias oneramus, habilis iudicetur, et praedicare noluerit, a confessionibus audiendis penitus sit suspensus.

Item, quando novitii vestiuntur, oblationes cedant conventibus totaliter sine dispensatione cuiuscumque, et non permittantur amici novitiorum de carnibus pietanciam procurare, sed omnes fratres secundum modum hactenus consuetum una cum procurantibus pietanciam vadant ad refectorium.

Eodem anno 1327 [1] Ludovicus, dux Bavariae, Romanorum rex electus [2], Romae praeter Iohannis Pontificis voluntatem a Sciarra Columnensi [3], nulla solita solemnitate servata, coronatus, sua sententia Iohannem Pontificem privat et Petrum Corbariensem [4] Ordinis Minorum pontificem facit, a quo iterum sibi imponi coronam iubet [5], et sibi invicem falsi suae dignitatis auctores fiunt. Quibus auditis, Michael de Caesena Avenione existens rogat Ludovicum, galeam [6] sibi mitti; quo facto, 13 die Aprilis in conventu Fratrum Minorum appellavit contra dominum Iohannem Papam ad sanctam catholicam Ecclesiam et protestatus est coram multis et coram magistro Gulielmo Ockam [7] de Anglia et magistro Francisco Rubei de Pignano [8] et magistro Bonagratia de Bergamo, utriusque iuris perito, et multis aliis, et relicta ibi appellatione, nocturno tempore de civitate Avenionensi latenter recessit cum praedictis magistris et ivit ad imperatorem Ludovicum.

Ludovicus autem, ipso Romae coronato, dum propter splendidas et magnificas expensas fiscus [9] imperialis deficeret et, suis magnatibus ratione sumptuum in obsides datis, anxiaretur, quomodo ad propria rediret, astitit ei quidam monachus [10] canus in somnis dicens: «Si cum honore reverti vis, fac votum Deo et Mariae, matri

---

[1] Id est computando ab incarnatione Domini; sed secundum computum nunc consuetum erat coronatio 17 Ian. 1328, cfr. Dr. Brück, l. c. p. 409, et Wadding., l. c. ad an. 1328, n. l. seqq.

[2] Sed, cum an. 1314 essent electi duo simul reges, a Papa non erat approbatus.

[3] Cod. *Scarra Columpnensi* (Sciarra Colonna vel de Columna).

[4] Petrum Rainalducci de vico Corbario in dioecesi Reatina, qui sub nomine Nicolao V. papatui se intrusit, sed 25 Augusti 1330 Iohanni XXII, Papae legitimo sincero corde se subiecit. — Cfr. Mansi, l. c. tom. III. p. 224, 240 seq.

[5] 24 Maii. — Cfr. Card. Hergenröther, l. c. p. 19 seq.

[6] Galea est genus navigii velocissimi. Du Cange, Glossarium.

[7] Vel *Occamus;* de quo cfr. Wadding., l. c. tom. III. in diversis locis.

[8] Id est Pignan in Gallia.

[9] Cod. incongrue *viscus.*

[10] Vestitus habitu Benedictino, dicit Iohannes Henricus de Falkenstein in suo opere intitulato: « Vollständige Geschichten der alten, mittleren und neueren Zeit des grossen Herzogthums und ehemaligen Koenigreichs Bayern, tom. III. class. II. cap. VIII. fol. 263, 264 (München, Ingolstadt, Augsburg 1763).

eius, quod in Amphoram [1] eis monasterium aedifices; tunc veniet quidam dominus Italus petens libertatem terrae suae, a quo quantum postulaveris, pecuniarum habebis. Hoc facto cum honore reversus, abbatiam et monasterium, Ordinis sancti Benedicti [2], *Etal* fundavit, quod hodie in silva Etal exstat. Hic Ludovicus cum Rudolpho, fratre suo, antequam regnaret, fundavit claustrum Augustinensium in Monachio [3], et claustrum in Windespach Ordinis sancti Gulielmi prope castrum Furstenberg.

Eodem anno, audita Iohannes Papa fuga et appellatione fratris Michaelis Generalis et praedictorum magistrorum, ipsos reputat contumaces et excommunicationis sententia innodat Bulla sequenti [4]:

Iohannes, Episcopus etc. ad perpetuam rei memoriam.

Dudum ad nostri apostolatus auditum fide digna [5] relatione perducto, quod Michael de Caesena, tunc Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, anno videlicet praeterito per totam Quadragesimam et amplius in Urbe moram trahens, nonnulla nefanda cunctis Catholicis contra nos et Ecclesiam sanctam Dei subdole in favorem haereticorum et rebellium eiusdem Ecclesiae procurabat, nos volentes obviare praemissis [6] salubrius, eundem Michaelem, quod infra certum sibi praefixum terminum coram nobis compareret personaliter, per nostras certi tenoris litteras duximus evocandum. Ipse autem, receptis litteris huiusmodi, se confingens infirmum, et impetratis tam a carissimo in Christo filio nostro Roberto, rege Siciliae illustri, quam a dilectis filiis, Communi Perusii [7], et quibusdam aliis excusatoriis super hoc ad nos litteris, suppressa, sicut postmodum evidenter claruit, veritate, comparere, tamquam sibi de praemissis male conscius, in praefixo termino non curavit, sed eodem elapso termino, per terras rebellium Ecclesiae transeundo, ad nostram veniens praesentiam et in nostra Curia residens, cum diabolico exagitatus spiritu, nesciret a suis pravis et damnandis conceptibus desistere, nedum praemissa continuare nefanda, sed peiora et horribiliora prioribus, eisdem adhaerendo nihilominus haereticis et rebellibus ac praestando [8] contra nos et ipsam Ecclesiam auxilia, consilia et favores, fratresque praedicti Ordinis, sui pravi [9] propositi et operum damnabilium sectatores, fovendo [10], exaltando et ad status eiusdem Ordinis promovendo, et alios zelatores honoris Dei et Ecclesiae multipliciter deprimendo, committere continue, sicut fama seu verius infa-

---

[1] Ita legit cod. ms., sed secundum auctorem modo citatum legendum est *Ampherang*. Ludovicus enim, dicit Falkenstein, cum in patriam reversus esset, votum impleturus, diligenter quaesivit illud *Ampherang*, quod ipsi prorsus ignotum erat et demum a venatore quodam ostendebatur. Locus ille erat regio deserta in densissima silva prope fontes fluvioli Ambrae (Amponis, theut. Amper) et vicum Oberammergau (in Bavaria superiore, in confinibus Tyrolis), ludis passionalibus celebrem. Ibi posuit an. 1330 lapidem fundamentalem pro abbatia S. Benedicti Ettal, quae floruit usque ad tempora suppressionis.

[2] Cod. legit *sancti Etal;* sed videtur excidisse *Benedicti,* aliter esset error, cum neque Ordo sancti Ettal exstiterit, neque sanctus Ettal. Ettal enim erat, ut dictum est, monasterium S. Benedicti. Quam ob rem adiunximus voculam *Benedicti.*

[3] Etiam illud nunc abolitum est.

[4] Cfr. Martene, l. c. tom. II. pag. 749, ubi etiam habetur sequens Bulla, cuius lectiones variantes in notis damus.

[5] Mart.: dignorum; [6] procurabat. Nos ut valeret obviari praemissis; [7] Perusino; [8] parando; [9] primi; [10] operum damnabiliter fovendo.

mia publica pluriumque bonorum virorum supradicti Ordinis et aliorum dignorum [1] insinuatione et assertione percepimus, non expavit. Cumque huiusmodi detestanda in [2] divinae Maiestatis offensam et Ecclesiae offensionem [3] enormem et fidei praeterire silentio salva conscientia nequiremus [4], eidem Michaeli ad nostram propter hoc praesentiam tunc specialiter evocato, praesentibusque venerabili fratre nostro Bertrando, Episcopo Tusculanensi [5], et dilectis filiis Raymundo de Lades [6], procuratore generali, et Petro de Prato [7], Ministro Provinciae sancti Francisci, ac Laurentio de Chalao [8], baccalaureo conventus fratrum Avenionensium praelibati Ordinis, praemissa curavimus explicare, praedicentes eidem, quod super illis intendebamus plenius inquirere veritatem.

Et quia brevis mora temporis nequaquam ad hoc [9] sufficere videbatur, nos eidem Michaeli, quem, licet propter praemissa posset rationabiliter carceris [10] mancipari custodiae, tractare propter honorem [11] Ordinis mitius voluimus, sub excommunicationis ac depositionis ab officio et inhabilitationis ad quoscumque ordines, honores [12] et dignitates, gradus et status ecclesiasticos poenis et sententiis, quas omnes et singulas ipsum incurrere voluimus ipso facto, si nostrae inhibitioni [13] non pareret effectualiter, districtius duximus inhibendum, ne de civitate Avenionensi, ubi cum nostra Curia residemus, recedere absque nostra speciali licentia quomodolibet attentaret. Postmodum vero praefatus Michael, audita intrusione, quae de quodam [14] praedicti sui Ordinis per illum iniquitatis filium, Ludovicum de Bavaria, Dei et Ecclesiae eiusdem manifestum persecutorem et hostem ac de haeresi sententialiter condemnatum, patrata in Urbe praedicta dicitur, ad quem ipse Michael pro persona sua nequiter aspirasse dicitur ac etiam aspirare, intellectoque, quod quaedam galea [15], quam ipse sibi per dictum Ludovicum mitti procuraverat — sicut patronus eiusdem galeae affirmavit — postmodum ad portum de Aquis mortuis [16] applicarat: praedictis inhibitione ac poenis et sententiis in contemptum deductis, nocturno tempore latenter et furtive de civitate praedicta recessit, et, associatis sibi quibusdam iniquitatis suae complicibus, inter quos erant duo nequam viri, videlicet Bonagratia de Ordine praedicto, qui, suis excessibus et delictis exigentibus, in eadem Curia arrestatus, ad sancta Dei Evangelia iuraverat, de [17] ipsa Curia minime sine nostra speciali licentia recessurum; et quidam Anglicus Gulielmus [18] Ockam Ordinis praelibati, contra quem ratione multarum opinionum erronearum et haereticarum [19], quas ipse scripserat et dogmatizaverat, pendebat in eadem Curia inquisitio, auctoritate nostra diu iam [20] incepta — et propter hoc erat, ut [21] absque nostra licentia de Curia memorata non recederet [22],

---

[1] Mart.: aliorum fide dignorum; [2] detestanda facinora in; [3] laesionem.

[4] Cod. *nequirerεmus.*

[5] Mart.: Tusculano; [6] Lados (ita etiam Wadding. et Mansi); [7] Prado;

[8] Probabiliter est Chalaux in Gallia; Martene legit *Coalho,* Wadding. *Coelho,* Mansi, l. c. tom. III. p. 237 *Coalheno,* p. 238 *Malchono* et p. 315 *Coalbrano.*

[9] Mart.: haec; [10] carcerali; [11] propter sui honorem; [12] quoscumque honores; [13] inhabilitationi.

[14] Scil. Petro de Corbario.

[15] Mart.: quaedam armata galea.

[16] Id est Aiques-mortes in Gallia.

[17] Mart.: iuraverat, se de; [18] Anglicus vocatus Gul.; [19] haereticalium; [20] diu est iam; [21] ne; [22] memorata recederet.

arrestatus — ad portum supradictum deveniens seque reddens cum dictis complicibus fugitivum, primo quandam navim seu concham [1], ac deinde galeam supradictam conscendit.

Nos autem eorundem Michaelis et complicum fuga non absque magnae admirationis et tractationis [2] materia intellecta, venerabilem fratrem nostrum Petrum, Episcopum Portuensem, pro ipsis revocandis a deviis huiusmodi ad dictum portum [3] una cum nonnullis aliis duximus destinandum. Qui quamvis eos moneri, prout melius potuit fecerit, requiri [4] ac citari, nihilominus, ut ad Curiam memoratam redirent seque coram nobis praesentarent personaliter, facturi super praedictis quod iustitia suaderet, praefatus Michael tamquam obstinatus, in malum et reprobum sensum datus, pro se suisque complicibus pertinaciter ac irreverenter respondit, se ad nostram nullatenus praesentiam [5], sed ad dictos intrusum [6] et Ludovicum potius accessurum.

Nos etiam eundem Michaelem in audientia nostra publice [7] citari super praedictis fecimus et evocari. Cumque praedictus [8] Michael et complices de civitate Avenionensi praedicta, ubi cum nostra Curia residemus, absque nostra licentia recesserint, nec requisiti et citati, sicut praemittitur, redire voluerint, contumaces et fugitivos ac hostes Dei et Ecclesiae fideique catholicae, praesertim cum ad haereticos, rebelles et schismaticos ire, sicut praefertur, disposuerint, se manifeste reddentes: nos cum fratribus nostris [9] deliberatione super his diligenti praehabita, de ipsorum consilio praefatos Michaelem, Bonagratiam et Gulielmum reputamus merito contumaces, ipsosque ratione contumaciae huiusmodi excommunicationis sententia innodamus. Et insuper, dictum Michaelem praedictas excommunicationis, depositionis et inhabilitationis poenas et sententias, per nos contra eum promulgatas, incurrisse, ac ipsum excommunicatum et depositum ab officio ac inhabilem ad quoscumque honores, dignitates, gradus et status ecclesiasticos ac [10] quaevis beneficia ecclesiastica obtinenda existere, de dictorum fratrum consilio declaramus, tam contra ipsum quam dictos complices et eorum fautores eisque adhaerentes super praedictis et ea contingentibus, si, quando et quoties nobis videbitur nos processuros, procedemus.

Ut [11] autem processus noster ad communem omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas, processum continentes eundem, in maioris ecclesiae Avenionensis affigi vel appendi ostiis faciemus, quae processum ipsum suo quasi sonoro praeconio et patulo iudicio publicabunt, ita quod praenominati Michael et complices sui et alii, quorum interest, nullam possint excusationem praetendere vel ignorantiam allegare, quod ad eos processus huiusmodi non pervenerit, vel ignoraverint eundem, cum non sit verisimile remanere [12] incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus fuit [13] publicatum.

---

[1] Mart.: navem seu cotam; [2] turbationis.

[3] Cod. vitiose legit *Petrum*, quod nos auctoritate Martene et textu id exigente, correximus.

[4] Mart.: fecerit et requiri; [5] nullatenus reversurum praesentiam.

[6] Ita legit cod. primitus recte cum Martene; manus vero posterior valde incongrue correxit *intrusos*. — Intrusus enim erat Petrus de Corbario.

[7] Mart.: publica; [8] praefati; [9] fratrum nostrorum; [10] ad; [11] processuros ulterius praedicentes. Ut; [12] verisimile quoad ipsos remanere; [13] fuerit.

Datum Avenione, VIII. idus [1] Iunii, pontificatus nostri anno XII.

Eodem mense factus est processus contra conventum Saonensem [2] et fratres consentientes obedire mandatis Michaelis, quod non servarunt interdictum per Sedem Apostolicam positum, sed ad mandata ipsius Michaelis interruperunt, et ibidem privati sunt privilegiis Ordinis.

Eodem anno, videlicet 1327, in maiori dictae tribulationis furore [3] moritur Parisius in manibus fratris Francisci de Mayronis dominus Elzearius, comes Arimini, vir sanctissimus, qui cum domina Delphina, coniuge sua, viginti quinque annis sine lecti separatione virginitatem illaesam custodivit. Qui positus in extremis, dixit: « Gratias Deo ago, quia sponsam meam Delphinam mente et carne virginem relinquo ». Et eadem die fuit mors eius dictae uxori suae in provincia Provinciae divinitus rèvelata, quae eam suae familiae manifestavit. Ipse etiam sanctus comes apparens dictae consorti suae gloriosus, dixit: *Laqueus contritus est* [4] etc. Tumulatus autem fuit in habitu Ordinis in conventu Parisiensi et eodem anno translatus est ad conventum Aptae [5] in Provincia Provinciae, ubi miraculis plurimis clarens, postea canonizatur.

Eodem anno 1327 in Monachio, urbe Bavariae, obiit frater Marquardus de Weysmaler Ordinis Minorum, vir mirae patientiae et devotionis. Hic cum multis annis esset infirmus et contractus, pervenit ad tantam perfectionem, ut post mortem multis miraculis coruscaret. Nam puellam caecam illuminavit, tres contractos sanavit et filium cuiusdam aurifabri de Monachio ad sepulcrum eius orantem tempore beatae memoriae patris Iohannis de Capistrano, ac alium quendam a dolore calculi totaliter sanavit, et devotas personas, ad eius sepulcrum pro suis angustiis orantes et patrocinium eius invocantes, consolatus est. Sepultus fuit iuxta altare sancti Georgii [6] in dicto conventu; cuius ossa de tumulo levata sunt anno Domini 1505, post eius obitum 178 [7], in profesto S. Felicis Papae et martyris.

---

1 5 Iunii (1328).

2 Ita etiam legitur apud Martene, l. c. tom. II. p. 760, ubi Bulla processus exhibet datum XVI. idus (10) Iulii, sed rectius legitur *Savonensem*. Est enim Savona (Savo) civitas Liguriae in Italia, in archidioecesi Ianuensi (Genua) sita.

3 Chron. XXIV Gen., f. 145. v. c. II, *fervore,* et immediate ante, certo per errorem amanuensis, *1317* pro *1327*. — De S. Elzeario cfr. Wadding., l. c. ad an. 1316, n. X-XXXVIII, 1319, n. IV-IX, 1323, n. XXVI-XLI, ubi n. XXVIII. probat, Sanctum, ut dicunt Cardinalis Baronius et alii an. 1325 obiisse, contra Surium et Bollandistas, qui dicunt, eum an. 1323, aetatis suae 28. mortuum esse, et Petrum Rudolphium, qui sequens Memoriale Ordinis, cum auctore nostro 1327 annum obitus tenet. Quoad aetatem autem demonstrat n. XXIX, Elzearium habuisse saltem duos annos ultra triginta. P. Léon, L'Auréole Séraphique, Paris 1883, affirmat, eum esse natum an. 1275 (P. Hueber, Menologium 1284, Le grand Dictionnaire historique etc., 1277) et mortuum 1325, quod est valde probabile.

4 Et nos liberati sumus. Psalm. 123, 7.

5 Id est gallice Apt. — Canonizatus est a Papa Urbano V, XVII. kldas Maii (14 Aprilis) 1369; de qua canonizatione dedit Gregorius XI, nonis Ianuariis 1370 publicum instrumentum, quod videsis apud Wadding., l. c.

6 Ita recte, contra cod., qui legit *Georii,* Wadding., l. c. ad an. 1327, n. XIV. (citans chron. ms. Saxon. Gonz. in prov. Argentinensi).

7 Ita recte et textu exigente, Wadding., cod. vero *173*. — Festum S. Felicis est 30 Maii.

Dominus Bertrandus Cardinalis, Vicarius Ordinis Minorum Generalis.

Anno Domini 1328 fuit Bononiae capitulum generale celebratum, et fuit frater Michael per dominum Papam ab officio depositus, et dominus frater Bertrandus Cardinalis Vicarius Ordinis substitutus, qui iussit, sequenti anno Parisius capitulum generale pro electione Ministri Generalis celebranda congregari, et hoc litteris suis omnibus Ministris et Custodibus denuntiavit. Tunc frater Michael misit etiam litteras per Ordinem universum Ministris et Custodibus, prohibens sub poena excommunicationis, ne quis ad dictum indictum capitulum accederet, vel Iohanni Papae, quem dicebat haereticum, obediret. Sed nihil profecit[1].

In hoc Bononiensi capitulo fuit frater Helias Nabilini[2], Minister Aquitaniae, qui fuerat electus ad legendum Sententias Parisius, ab officio absolutus, et fuit in locum eius Minister Aquitaniae institutus frater Berengarius de Malobosco[3], vir valde devotus.

Et in capitulo provinciali Montis Albani[4] de mandato dicti domini Bertrandi, Vicarii Ordinis, ex certis causis fuerunt Constitutiones, quas fecerat saepe dictus Michael, in Provincia Aquitaniae totaliter abolitae. Dictus etiam frater Michael de Caesena, dicta depositione Papae et Ordinis non obstante, se Ministrum Generalem scripsit et esse contendit etc.

Frater Wernherus XVII. Minister Saxoniae.

Eodem anno, videlicet 1328, in capitulo, celebrato in Dresda Provinciae Saxoniae, fuit electus in Ministrum XVII. frater Wernherus[5] secunda vice et permansit in officio viginti annis; quo tempore coepi Ordo declinare ab observantia regulari. Hic procedente tempore tenuit ista capitula: anno Domini 1329 Preslaviae[6]; 1330 Budissinae; 1331 Stendalii; 1332 Hallis; 1333 Lubeci; 1334 in Sweidnitzia, 1335 Zitiae; postea per biennium non tenuit capitulum; 1338 in Luneburgo; 1339 in Berlino; 1340 in Dresda; 1341 Aurei Montis; 1342 Budissinae; 1343 Rostochii; 1344 Sweidnitziae; 1345 in Wida; 1346 Bremis; 1347 Kyritziae; 1348 Magdeburgi; 1349 Brunopoli; 1350 Erfordiae; 1351 Dresdae; 1352 Budissinae; 1353 in Wida etc.

Supradicto anno, videlicet 1328, Pisis publice et solemniter appellavit frater Mi-

---

[1] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1328, n. XIV. seq.

[2] Wadding., l. c. ad an. 1342, n. V, et Sbaralea, Supplementum ad Scriptores, dicunt: Helias *de Nabinallis,* Ciaconius autem, cui consentit auctor libri « Le grand Dictionnaire » etc., dicit *de Nabunal* (sic dictus ex vico Nabunal, ubi erat natus). Erat natione Gallus, dioecesis Petrogoricensis (gallice Périgueux), s. theol. magister, Archiepiscopus Nicosiensis, Patriarcha Ierosolymitanus, et ab Clemente VI. an. 1342 (aliis 1353) titulo S. Vitalis Cardinalis creatus, mortuus est Avenione 4 Octobris 1367.

[3] Ita recte chron. XXIV Gen. et Wadding., l. c. ad an. 1329, n. VIII, pro quo cod. *Berngarius de Malobusto* scribit. Est enim Malbosc (Ardéche) in Gallia.

[4] Id est Montauban ad fluvium Tarn in Gallia.

[5] Cfr. supra pag. 128.

[6] Rectius Prenslaviae (Prenzlau); deinde cod. scribit: Budissin; Stendill... Lubecke; Sweydnitz (ita etiam infra; est theut. Schweidnitz); Czeytz (theut. Zeitz, civitas Borussiae in provincia Saxoniae); et deinde Luneburg, Berlin, Derssden (supra Dresin, infra Dressden), Aurei montis (Goldberg), Budissin, Rostack, Wida (probabiliter est Weida, oppidum in magno ducatu Sachsen-Weimar-Eisenach), Kyritz, civitas Borussiae in provincia Brandenburgi, Madeburg, Brunschwick.

chael, frater Bonagratia et frater Gulielmus Ockam a sententiis Iohannis Papae XXII. tamquam ab haeretico, ad Ecclesiam universalem in loco tuto congregandam. Et quia Pisani obediebant Ludovico imperatori, affixit ipse Michael appellationem suam cum multis articulis, in quibus Iohannem Papam criminabatur haereticum, ostiis maioris ecclesiae eiusdem civitatis, die XII. Decembris, et ad principes mundi transmisit [1]. Et profectus cum Ludovico iam coronato, venit Monachium, oppidum Bavariae, et ibi mansit cum sociis suis usque ad mortem suam.

Iohannes autem Papa declaravit eundem Michaelem fautorem haereticorum et manifestum haereticum, haeresiarcham et schismaticum, et ab omni gradu [2] depositum privilegio denudavit ecclesiastico.

Magna vero pars regum et principum Ordini faventium scripsit pro excusatione et conservatione Ordinis cordialissime domino Papae praefato. — Illis etiam temporibus multi fratres pro fidei confessione sacrum sanguinem in terris Saracenorum effundebant, et multi fratres tantis florebant virtutibus et miraculis, quod eorum fama per mundum undique diffundebatur. Inter quos fuerunt frater Berardus de Panormio, frater Iacobus de Porta Basileae et frater Marquardus in Monachio defunctus. Magni etiam Clerici claruerunt illis diebus: frater Petrus Aureoli, frater Franciscus Mayronis, frater Franciscus de Marchia, frater Nicolaus de Lyra, et ceteri excellentes magistri [3].

Ex quo patet, quod, quamvis haec Religio ex aliquorum rebellium protervia horribilis appareret, tamen ex tantorum Praelatorum et principum favorabili dilectione et tot fratrum pro fide sanguinis effusione aliorumque prodigiorum attestatione confirmata, magnorum Clericorum et nobilium illustrata professione, quibus post divinam protectionem haec Religio quasi quatuor columnarum fundamento in sua rectitudine et altitudine servabatur, tam admirabilis erat, ut non solum Praelatos, sed et alios mitteret in stuporem; et ob hoc divino instinctu dominus Papa malitiam invidorum sussurantium et innocentiam Religionis perpendens, flexus ad eam nunc compassione, nunc affectione, litteras multum consolatorias et favorabiles misit Parisius capitulo generali [4].

Frater Gerardus Odonis XVIII. Minister Generalis Ordinis Minorum post S. Franciscum.

Anno Domini 1329 in mense Iunio, in die Pentecostes [5], fuit Parisius generale capitulum celebratum, et fuit frater Gerardus Odonis de Provincia Aquitaniae in Generalem Ministrum electus. In quo capitulo fuerunt valentissimi viri, qui de voluntate domini Bertrandi Cardinalis fratrem Michaelem ad tollendas eius cavillationes de novo ab officio absolverunt, definientes cum peritis in omni facultate, dominum Iohannem Papam fore catholicum et bene de paupertate Christri definivisse, et praefatum Michaelem tamquam haereticum iuste fuisse depositum.

Igitur frater Michael et sui socii fecerunt nonnullos tractatus, quibus probare con-

---

[1] Cfr. Mansi, l. c. tom. III. p. 242, 246 seq.

[2] Supple: dignitatis.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1308, n. LXI, 1323, n. XXII. XXIV. XXVII.

[4] Cfr. de hoc et antecedenti chron. XXIV Gen., f. 146. r. c. I.

[5] Scil. 4 Iunii.

tendebant, quod Christus et Apostoli nihil habuerunt nec in communi nec in speciali, inter quos unus incipit: *Ad intelligentiam Constitutionis: Quia quorundam* etc. Videntur mihi, antequam descendam ad textum, octo per ordinem declaranda:

Primo, in quibus pertinet ad dominum Papam canones condere.

Secundo, quot sunt claves in Ecclesia, et quae.

Tertio, utrum usus, denudatus omni iure, necessario sit non iustus.

Quarto, utrum in rebus usu consumptibilibus usus possit a proprietate et dominio separari.

Quinto, utrum paupertas essentialiter, vel instrumentaliter pertineat ad perfectionem.

Sexto, utrum habere aliqua in communi diminuat aliquid de perfectione, et hoc inquirere tam de perfectione personali quam de perfectione status.

Septimo, utrum Christus et Apostoli habuerunt aliquid in proprio vel in communi.

Octavo, quae faciunt haereticum, et quae ad hoc requiruntur, quod aliquis sit haereticus censendus.

In quo tractatu deducuntur rationes, propositiones et dubia probative et etiam negative, pro et contra. Super quibus Iohannes Papa indignatus, edidit unam longam Decretalem [1] contra dictum Michaelem, quae sic incipit: « Quia vir reprobus Michael de Caesena, dudum Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui, suis excessibus exigentibus, dicti ministeriatus officio per nos de Fratrum Minorum consilio privatus et inhabilis redditus ad quascumque dignitates et officia obtinenda fuerat, iustitia exigente, conversus in vaniloquium, non intelligens quae loquitur, neque de quibus affirmat, in illam prorupit insaniam, quod tres Constitutiones nostras, videlicet *Ad conditorem canonum*, *Cum inter nonnullos*, et *Quia quorundam*, visus est multipliciter impugnare asserendo inter alia haereticum quod dicta Constitutio: *Cum inter nonnullos*, catholicum asserit, et catholicum quod Constitutio eadem haereticum declaravit. Et ut sua insania pluribus esset nota, libellos suos, continentes impugnationes praedictas, ad diversas mundi partes et studia destinare ac ipsos affigi in portis ecclesiarum, vel locis aliis publicis temeritate plectibili attentavit; propter quae et plures ipsius alios excessus fuit de eorundem fratrum consilio fautor haereticorum et haereticus, exigente iustitia, declaratus, prout haec in nostris sententiis latius continentur. Licet autem impugnationes praedictae adeo sint invalidae notorie, quod sint responsione indignae; quia tamen in ipsis impugnationibus arma sumit ex lege contra legem, ac Evangelium impugnat ex Evangelio, et de veris fingens mendacia provocat ad mendacium veritatem, ne simplicium corda possint inficere erronea ac haeretica sua dicta, succincte duximus suis oppositionibus, ut sequitur, respondendum » etc. Et est diffusa Bulla, magnum scilicet quaternum implens, in qua ipsi Michaeli ad singula respondet.

Hoc anno positum est capitulum celebrandum in Wissenburgo [2], sed non fuit celebratum.

Anno Domini 1330 capitulum provinciale in Wissenburgo, in quo fuit electus

---

[1] Vel potius, ut dicit Wadding., l. c. ad an. 1328, n. XIX, diffusissimum libellum, qui videri potest apud Mansi, l. c. p. 323-341.

[2] Cod. *Wissenburg*, theut. Weissenburg in Alsatia.

in Ministrum Superioris Alamanniae frater Rudolphus de Ersthem [1], cognomento Stoltzlin, mortuo fratre Conrado de Rotweyler, suo praedecessore. Hic praefuit Provinciae septem annis et haec capitula tenuit: anno Domini 1331 in Herbipoli; 1332 Campo regis [2]; 1333 Basileae; 1334 Oppenheimii [3]; 1335 Argentinae; 1336 Scaffhusii; 1337 in Berno, et ibi fuit absolutus.

Frater Rudolphus de Ersthem Minister Superioris Alamanniae.

Hoc tempore composita fuit quaedam scriptura — de qua habebantur suspecti Fratres Minores — quam attribuebant duci Bavariae Ludovico, quae incipiebat: «In Dominum Iesum Christum et eius sacratissimam Matrem, quae eiusdem voti et status cum Filio eius in observantia paupertatis vixit, et sanctum Apostolorum collegium insurgit et doctrinam evangelicam de paupertate altissima, in qua exemplaris perfectio exterioris vitae ipsorum de pleno et perfecto mundi contemptu tamquam in fundamento immobili est firmata; quod fundamentum conatur subvertere affirmando, Christum et Apostolos habuisse bona temporalia in communi; quod est haereticum et contra evangelicum textum et dicta sanctorum Prophetarum praedicentium Christi paupertatem altissimam, cuius renovator principalis fuit seraphicus vir Franciscus. Tota enim substantia sacri Evangelii quoad Christi ortum, incolatum et exitum, et dicta sanctorum doctorum discipulorum ipsorumque Apostolorum usque ad haec tempora omnia clamant, Christum et Apostolos vixisse in arctissima paupertate, quae consistit in nihil habendo in hoc mundo in proprio vel in communi, vel in speciali. Et haec fuit Apostolorum Christi. In hoc immobili fundamento almus Christi confessor, Pater eiusdem Ordinis, Ordinem fundavit, et Romani Pontifices concordi voce dixerunt, quod haec est regula evangelica Christi et Apostolorum eius imitativa, quae nihil habet in hoc mundo proprium, vel commune. Et ut appareret evidenter praesentibus et futuris, dictam regulam esse veram illam, quam Christus Apostolos docuit et in se ipso exemplo firmavit, eandem regulam in suo auctore bullavit stigmatibus suae sacratissimae passionis, ut non praesumeret homo mortalis evertere Bulla plumbea [4] quod immortalis Deus passionis suae crucis signaculo stabilivit, non attendens, quod lex humana Christi consiliis sit subiecta», et cetera plura continebat dicta scriptura.

Super qua scriptura reddiderunt rationes pro parte communitatis, quod ea quae continentur in eadem scriptura, et haec eadem in effectu quoad omnia et per eadem verba quoad magnam quantitatem tracta sunt de doctrina et libris fratris Petri Iohannis [5], et quod in ipsis libris et doctrina dogmatizata sunt et maxime in opusculis, quae composuit de altissima paupertate, in quibus eadem verba cum praedictis quoad magnam partem et eadem sententia ponitur, et in Expositione, quam fecit su-

---

[1] Est theutonice Erstein, oppidum Alsatiae infra Argentinas (Strassburg) situm.

[2] Conventus Campus regis (theut. Koenigsfeld vel Kuningsfeld in Helvetia) erat pergrande coenobium, fundatum ab Elisabetha, coniuge Albrechti imperatoris, et eius filia Agnete, regina Bohemiae, in eo loco, ubi Albrechtus a nepote suo occisus est, cum transiturus esset fluvium Reuss.

[3] Cod. *Oppenheym*, theut. Oppenheim, civitas Hassiae-Darmstadii (Hessen-Darmstadt); deinde legit Schaffhusen.

[4] Cod. *blumbea*.

[5] Olivi, de quo supra pag. 100, nota 7. — Paulo inferius cod. *opusculis, quos* pro *opusc., quae*.

per regulam, et in declarationibus, quas misit magistris Parisiensibus, et in Postilla, quam composuit super Apocalypsim. Unde post publicationem Constitutionis domini Iohannis XXII, quae incipit: *Cum inter nonnullos* [1], idem dominus Iohannes de consilio dominorum Cardinalium in condemnatione, quam fecit de Postilla fratris Petri Iohannis, iuxta supplicationem sibi factam, pro parte fratrum Ordinis Minorum, habuit consilium magistrorum in sacra Pagina, inter quos fuerunt frater N. de Lauduno [2], Archiepiscopus Viennensis, et frater Petrus de Palude, et ceteri multi; qui magistri dixerunt et sententiaverunt articulum, qui in praedicta Postilla Petri Iohannis in haec verba ponitur, videlicet:

« Ex quo per Romanae Ecclesiae authenticam testificationem constat, regulam Fratrum Minorum, per beatum Franciscum editam, esse vere et proprie illam evangelicam, quam Christus in se ipso firmavit et Apostolis imposuit et in Evangeliis conscribi fecit, et nihilominus constat hoc per irrefragabilia testimonia librorum evangelicorum et ceterarum scripturarum sanctarum et per sanctos expositores earum, prout alibi est abunde monstratum, dicentes, quod, si dictus Petrus Iohannes dicta verba accipit secundum intellectum Decretalis: *Exiit* etc., verum dicit. Si autem intelligit, sicut ipse alibi declarat et sui sequaces asserunt, quod regula beati Francisci sit vere et proprie idem et ipsum Evangelium quod Christi, et e converso, et quod dominus Papa non habet potestatem super eam, sicut nec super Evangelium, vel quidquid est in regula beati Francisci, totum Christus ad litteram servaverit et Apostolis imposuerit observandum, hoc totum simpliciter reputamus haereticum, ridiculum et insanum ».

Et fuit dicta Postilla ad fratrum instantiam reprobata. Et ad excusationem sui coeperunt quidam fratrum de communitate articulos extractos de libris Petri Iohannis et in praedicta scriptura contentos, quorum articulorum quinque erant, imponere fratri Ubertino de Casali, qui dudum tempore domini Clementis V. Ordinem Carthusiensem intraverat, adducentes ad hoc scripta ipsius Ubertini ex libris et tractatibus, quos ipse in concilio Viennensi contra communitatem Ordinis ediderat, et asserentes, quod dictorum articulorum sectator, defensor et fautor fore diceretur. Unde anno praedicto, videlicet 1330, in Quadragesima, dominica de Passione requisitus ipse frater Ubertinus de mandato Summi Pontificis per reverendum patrem N. Cardinalem [3], quod de paupertate Christi breviter scriberet, quid sibi visum esset tenendum:

---

[1] Anno 1323; cfr. supra pag. 133, nota 4. Auctor noster refert in sequentibus facta, quae non hoc anno, sed iam prius evenerunt. — Damnatio Postillae facta est post publicationem memoratae Decretalis, ut testatur Alvarus Pelagius (l. 2. De Planctu Ecclesiae), qui tunc praesens erat in Curia, et quidem 1325, sabbato primo Quadragesimae, i. e. VI. idus (8) Februarii, secundum Bernardum Guidonem, in Hist. Rom. Pontificum p. 27 ad an. 1325. — Cfr. D'Argentré, l. c. tom. I. p. 299 seq., et Wadding., l. c. ad an. 1325, n. XXIV.

[2] Cfr. D. Mansi, Baluzii Miscellanea, tom. II. p. 258, (cum etiam citat D'Argentré, l. c. tom. I. p. 233), ubi habentur integrae litterae dictorum magistrorum. Ibi recte legitur frater *Gulielmus de Lauduno* (gallice Laudun in Languedoc, dioecesis Usetiae (Uzès), qui cum Petro de Palude erat Ordinis Praedicatorum. Errat Wadding., qui l. modo c. eum *Gregorium de Landinio* (Landinum, theut. Landen in Brabantia?) nominat.

[3] Secundum Wadding., iste Cardinalis fuit Napoleo Ursinus. Idem l. c. ad an. 1321, n. XVI-XVIII. affirmat, Ubertinum eodem anno, quo inquisitor fr. Iohannes de Belua O. Praed. contra fr. Berengarium

Respondit frater Ubertinus, ad quaestionem praedictam, quod non est respondendum simpliciter affirmative, vel negative, sed per duplicem distinctionem eligenda est veritas fidei, et haeresis respuenda. Primo [1] distinguendum est de Christo et Apostolis, quia fuerunt in [2] duplici statu: fuerunt enim universalis Ecclesiae Praelati [3] novi Testamenti; et hoc modo habuerunt quantum ad dispensationis [4] et distributionis auctoritatem pro dando pauperibus et ministris Ecclesiae, sicut de Apostolis scribitur, Actuum quarto. Et [5] negare, quod non habuerunt isto modo, esset haereticum; et de hoc non quaerit [6] quaestio, quia nullus in isto proprium [7] negavit. Ex ista praelationis auctoritate dicitur Christus loculos habuisse.

Secundo [8] possunt Christus et Apostoli considerari ut personae singulares [9] fundamenta perfectionis religiosae, et perfecti mundi contemptores et gloriam mundi calcantes et Christi consilia de supererogatione perfectionis in se ipsis observantes, et omnibus volentibus de perfectis [10] exempla lucida tribuentes. Et si quaeritur [11], utrum isto modo habuerunt [12] discipuli; distinguendum est de duplici modo habendi, quorum primus est civilis et mundanus, quem modum habendi leges imperiales definiunt, duas eius partes ostendentes in haec verba: « Ea in bonis illis dicuntur, in [13] quibus habitis defensionem [14] et non [15] habitis repetitionem habemus ». Et ita patet, quod qui habet aliquid civiliter et mundane, potest defendere rem suam ab invasore et repetere a detentore in iudicio a [16] iudice imperiali. Et dicere, quod isto modo habuerunt [17] Christus et Apostoli [18] res mundanas, est haereticum, quia est contra sanctum Evangelium. Nam Christus, rex pacificus, qui Apostolos suos fecit filios pacis, separavit eos ab omni mundano et litigioso dicens [19], Matthaei quinto [20]: *Et qui vult in iudicio tecum contendere et tunicam tuam tollere, praebe ei et pallium.* Item, Lucae sexto [21]: *Ab eo qui aufert tibi vestimentum et tunicam, noli prohibere, et qui aufert quae tua sunt, ne repetas!* In quibus verbis Christus removet a se, quia ipse fecit quod docuit, et ab Apostolis [22], quibus hoc ipsum imposuit, duplicem partem [23] iuris civilis et mundani, scilicet defensionem habiti et repetitionem deperditi. Et iste modus habendi proprie dicitur in re habere proprietatem et dominium. Et quia Christus et Apostoli [24] isto modo nihil habuerunt, idcirco beatus Petrus pro se et omnibus aliis Apostolis dixit, sicut verus pauper, Matthaei decimo nono [25]: *Ecce*

O. Minorum (cfr. supra p. 128) agebat, de iudicio requisitum, responsum dedisse, quod sequitur. — Secundum Mansi, Baluzii Misc. tom. II. p. 279 erat Card. Nicolaus (de Albertis, O. Praed.). Ibi dicitur: « Et hoc (scil. requisitio Ubertini) factum est anno Dom. 1322, in Quadragesima, dominica de Passione, antequam Sum. Pont. circa praedictam materiam aliquid definisset ».

[1] Wadding. et Mansi: Et primo; [2] Wadd.: sub; [3] Wadd. et Mansi: universales Praelati Ecclesiae; [4] Wadd.: modo quantum ad dispositionis; [5] Wadd.: quarto: bona habuerunt communia. Et; [6] Wadd.: non currit proprie quaestio; Mansi: est quaestio. Et ista praelationis; [7] Wadd.: isto sensum proprium; [8] Mansi: habuisse. Una de causis. Secundo. (Cfr. Ioan. 12, 6). [9] Mansi: ut speciales pers. et sing.; [10] Wadd.: volent. esse perfectos, ex; Mansi: vol. perfectis; [11] Wadd. et Mansi: quaeratur; [12] Wadd.: habuerint; [13] Wadd.: ostend., et haec verba in bonis nostris dicimus esse in; [14] Wadd. et Mansi: habitis exceptionem et def.; [15] Wadd.: et in non; [16] Wadd. et Mansi: sub; [17] Wadd.: Et isto modo dicere (ita et Mansi), quod habuerit Christus; [18] Mansi: et eius Ap.; [19] Wadd. et Mansi: mundano litigio dicens.

[20] Vers. 40. — [21] Vers. 29.

[22] Mansi: a suis Apost.; [23] Mansi: imp. duas partes iuris; [24] Mansi: Et Christ. et eius Apostoli.

[25] Vers. 27.

nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Dicere ergo, quod Christus et Apostoli isto modo habuerunt proprietatem et dominium in communi, vel in speciali, est haereticum et blasphemum; et isto modo, credo, volunt dicere Fratres [1] Minores, licet non bene distinxerunt [2] diversos modos habendi.

Secundo [3] modo possunt haberi res temporales quantum [4] ad ius naturae, vel iure caritatis fraternae. Et [5] isto modo habuerunt Christus et Apostoli bona temporalia iure naturali, quod ab aliquibus dicitur ius poli, ad sustentationem naturae, repellentes [6] omnia, quae divitias saperent, vel delicias redolerent, vel [7] mundi pompam nutrirent. Et isto modo habuerunt panes vel pisces et vestimenta, sicut dicit [8] Apostolus, primae ad Timotheum sexto [9]: *Habentes alimenta et quibus tegamur; his contenti simus.* Nec est aliqua professio, vel [10] aliquod consilium Christi, quod prohibeat talem modum habendi, scilicet quantum ad necessarium usum naturae et vitae [11]. Et ideo dicere, quod isto [12] modo non habuerunt, est [13] haereticum, et sic credo [14], quod volunt [15] dicere Fratres Praedicatores.

Haec est responsio fratris Ubertini de Casali lecta in consistorio, ad quam utraque pars praesens respondit: « Non resistimus isti schedulae » ; et fuit hoc [16] pro tunc commendatum et approbatum. Hoc dixit Ubertinus anno Domini 1330, die XXVII. mensis Septembris [17], paratus ostendere omni volenti rationem videre, quod quidquid in contrarium est statutum, definitum vel scriptum, vel in disputatis quaestionibus determinatum, esset [18] haereticum et insanum et sacrae Scripturae et determinationi universalis Ecclesiae inimicum.

His Papa auditis reconciliatus fuit Ordini et omnibus Praelatis Ordinis, excepto Michaele de Caesena et ei adhaerentibus.

Ex praescriptis habetur, quod Praedicatores hanc tribulationem Ordini Minorum excitaverint, sicut etiam testatur frater Andreas, Canonicus Regularis sancti Magni Ratisbonae, in sua Chronica dicens: « Originalis autem causa controversiae inter Praedicatores et Minores sic se habet. Quidam vir religiosus Iohannes de Belua Ordinis Praedicatorum, inquisitor haereticae pravitatis, quendam ob haeresim conveniebat [19],

---

[1] Wadd. et Mansi: credo (Wadd. concedo), quod intelligunt (Mansi: intelligant) Fratres; [2] Mansi: non distinxerunt (Wadd. non distinxerint); [3] Wadd. et Mansi: Alio; [4] Mansi: temp. scilicet quantum; [5] Wadd.: ius necessarium et commune fraternae caritatis (Mansi: ius naturale et communis caritatis) Et; [6] Wadd.: sustent. necessariam repellentes.

[7] Ita correximus textum auctoritate documenti apud Wadd. et Mansi citati; cod. corrupte legit: repellentesque divitias, ne aliquid male saperent vel recolerent, vel.

[8] Wadd.: panes et pisces. Et sic (Mansi: habuerunt vestes, panes pisces, sicut) dicit.

[9] Vers. 8.

[10] Wadd. et Mansi: nec; [11] usum vitae; [12] Mansi: quod Christus et Apostoli eius isto; [13] Wadd. et Mansi: esset; [14] Mansi: et isto modo credo; [15] Wadd.: vellent.

[16] Scilicet id quod Ubertinus dixerat.

[17] Ita etiam habetur apud Mansi, et D'Argentré, l. c. t. I. p. 297, qui hoc sumpsit ex Mansi et responsioni praefigit hunc titulum: « Responsio fr. Ubertini de Casali Ord. Min. circa quaestionem de paupertate Christi et Apostolorum, facta coram Iohanne XXII. apud Avenionem, in consistorio, an. 1330 ». Quamvis quidem in se non impossibile esse videatur, quod fr. Ubertinus hoc anno coram Papa illud responsum repetierit, tamen non est verisimile, saltem historice non exploratum.

[18] Cod. vitiose legit *esse*.

[19] Id est citavit, vel in ius vocavit.

quem quidam Fratrum Minorum tamquam catholicum defendere nitebantur et principaliter in materia de paupertate Christi ». Haec ille. Totus etiam Ordo rediit ad obedientiam domini Papae praeter Michaelem de Caesena, Gulielmum Ockam, Bonagratiam et Franciscum Rubei, qui docti viri utinam! ingenia sua melioribus studiis comprobassent! Dicit tamen frater Bonaventura, rector studii Parisiensis, quod praedictus frater Franciscus Rubei, Minister Marchiae, doctor solemnissimus in omni facultate, publice in consistorio publico recognovit culpam suam, et confessus suum errorem, condemnavit praedictum Michaelem tamquam haereticum, sicut ipsemet magister Franciscus Rubei testatur in tractatu, quem post reconciliationem cum Ecclesia contra Michaelistas confecit dicens, quod capitulum Perusinum non habuerit intelligentiam vocabuli habendi et non habendi civiliter. Dicit etiam praefatus magister, frater Bonaventura, se habere unam scripturam revocatoriam de manu dicti magistri erroris sui. Et[1] quod frater Ubertinus solemnissimus Frater Minor, interrogatus a domino Iohanne Papa et cuncto consistorio, quid de praedicta quaestione sentiret, respondit, eundem Iohannem Papam sane et catholice definisse; et dicit, quod ipse tunc stabat in Montepessulano et ipse fuit usque ad tempora Urbani VI.

Supradictus etiam frater Petrus de Corbario Romae intrusus, conscientia ductus, sponte ivit Avenionem ad Iohannem Papam XXII. et recognovit errorem suum in consistorio dicens[2]: *Pater, peccavi in coelum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Et dominus Papa recepit eum; « tamen, sicut dicit Platina in chronica Pontificum, usque ad mortem est hostis habitus, quamquam foret vir apprime doctus et ad res gerendas aptissimus ».

Super eius reconciliatione cum Ecclesia edidit dominus Papa Iohannes Bullam, pontificatus sui anno XV, quae incipit: « Sicut de his, quos ab unitate sanctae Dei Ecclesiae abscidit pravitas haeretica, indubie fideles eiusdem Ecclesiae affligi supponimus et dolere, sic eos de conversione ipsorum ad eiusdem unitatem Ecclesiae firmiter credimus in Domino congaudere. Sane aversionem a fide catholica et separationem ab Ecclesiae catholicae unitate Petri de Corbario Ordinis Minorum » etc., et infra dicit, quod « praefatum Petrum ad conversionem non induxerit violentia aliqua, sed timor Dei spontaneaque voluntas, et quod contritio eius probabiliter videretur vera esse ». Et ideo male dicunt qui scribunt, eum fuisse captum et Avenionem perductum[3].

Eodem anno, inclinatus dominus Iohannes Papa XXII. precibus fratrum, confirmavit indulgentias ecclesiis fratrum a suis praedecessoribus concessas talibus litteris:

Iohannes Episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Generali et Provincialibus Ministris ac universis Custodibus et Guardianis et singulis fratribus de Ordine Fratrum Minorum salutem et Apostolicam benedictionem.

Filiationi vestrae indulgentias, Ordini vestro concessas per nostros praedecessores, nos manifestum facimus confirmatas, sicut inferius annotantur, videlicet in

---

[1] Supple: dicit.

[2] Luc. 15, 18. 19.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad. an. 1330, n. I-IX; Bullam memoratam videsis apud Martene, l. c. tom. II. p. 806 seq.

festivitatibus beatae Mariae Virginis, beati Francisci, beati Antonii, beati Ludovici, beatae Clarae, et in consecrationibus ecclesiarum et altarium, et vocabulis seu patronis ecclesiarum et per Octavas earum est indulgentia data a Romanis Summis Pontificibus annorum decem et VI[1] Karenae ab Alexandro Papa IV, Innocentio Papa IV, Clemente Papa IV, Urbano Papa IV, Nicolao Papa III, Gregorio Papa X, et Nicolao Papa IV. Item, Alexander Papa IV. omnibus accedentibus ad loca vestri Ordinis ad audiendum verbum Dei, sive ad audiendam Missam beatae Virginis sive beati Francisci, dum cantatur, dedit indulgentiam centum dierum. Item, idem Papa omnibus loca Fratrum Minorum visitantibus dedit indulgentiam quadraginta dierum. Item, Innocentius IV. Papa pro eadem causa quadraginta dierum.

Idem Innocentius omnibus porrigentibus manum adiutricem Fratibus Minoribus, sive in domibus eorundem, sive in via euntibus, dedit indulgentiam dierum quadraginta. Item, Clemens Papa IV. pro eadem causa dedit indulgentiam centum dierum. Item, idem Papa Clemens concessit ecclesias Fratrum Minorum visitantibus causa devotionis toties quoties octoginta dierum. Item, Nicolaus Papa IV. pro eadem causa dedit indulgentiam quadraginta dierum. Idem Nicolaus Papa IV. in Missarum solemniis de beata Virgine, de beato Francisco et consecrationis ecclesiarum dedit indulgentiam centum dierum. Idem Papa in dominica consecrationis dedit indulgentiam unius anni et quadraginta dierum. Item, fratres in omnibus praedicationibus suis possunt dare indulgentias octoginta extra domum vestri Ordinis, in domibus vero vestris indulgentiam centum dierum propter praedictas causas. Item, Benedictus Papa XI. accedentibus ad loca Fratrum Minorum in eorum solemnitatibus dedit indulgentiam centum dierum. Item, Nicolaus Papa IV. dedit indulgentiam unius anni et dierum quadraginta accedentibus ad loca Fratrum Minorum causa devotionis. Item[2], omnibus accedentibus ad loca vestri Ordinis causa devotionis quocumque tempore diei[3] vel hora, quamvis non sit aliqua festivitas, immo absque omni solemnitate vel festivitate concessa est indulgentia a pluribus Romanis Pontificibus duorum annorum et ducentarum quadraginta dierum.

Nos igitur vestris piis precibus inclinati, salutem et profectum animarum benignius intuentes, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, quorum vices, licet immeriti, gerimus, auctoritate confisi, has omnes indulgentias, Ordini vestro per praedictos praedecessores nostros concessas, omnibus vere poenitentibus et confessis concedimus et confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionum et confirmationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc.

Datum Avenione, in kalendis Octobris, pontificatus nostri anno XV.

Anno Domini 1331 porrexit frater Gerardus, Minister Generalis, sicut dicit frater Alvarus Pelagius, Hyspanus, doctor et poenitentiarius domini Iohannis Papae XXII, in Summa de Planctu Ecclesiae, articulo 67, domino Iohanni Papae unam supplica-

---

[1] Ita legit cod. primitus, sed manus posterior correxit *LVI.* — Karena est quadragesimale ieiunium, seu publica poenitentia, qua quis ieiunare spatio 40 dierum tenetur; est etiam remissio seu indulgentia eiusmodi poenitentiae (quod est hic). Vide Du Cange, Glossarium.

[2] Cod. legit *Item, concedimus;* sed quia hoc verbum superabundat, immo contra tenorem textus est, ideo delevimus.

[3] Cod. corrupte *dei.*

tionem sigillatam quatuordecim sigillis Ministrorum, inter quae erat etiam sigillum Ministri Generalis, in qua omnes, quorum erant praedicta sigilla, supplicabant domino Papae Iohanni, quod omnes declarationes super regulam revocarentur totaliter, cum essent contra voluntatem beati Francisci, ut patet in testamento suo, dicentes, quod declarationes forent ligamina fratrum, et quod sine illis melius posset regula servari, et sint impossibiles ad servandum. Dicebant etiam, quod illud capitulum regulae[1]: «Fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant et possint recurrere» etc., concedit Ministris, quod in tali casu possunt super aliquibus punctis regulae dispensare. Et[2] quod «fratres non possint recipere pecuniam», saltem per interpositam personam, pro infirmis et fratribus induendis, non sit de mente regulae; intelligebant autem infirmitatem quamcumque etiam corporalem necessitatem. Quibus respondet Papa: «Iste sensus, quem super duobus punctis regulae datis, scilicet de dispensatione et receptione pecuniae, est extortus et contra regulam, et non credimus, quod de mille fratribus Ordinis unus vobiscum in hoc concordet». Et fuit illa supplicatio in nullo admissa.

Postea procurabant, quod modificando declarationem domini Papae Clementis V. aliquos articulos ex ea auferret; in quo fuerunt exauditi[3]. Vide Alvarum.

Eodem anno fuit generale capitulum Perpiniani. In quo capitulo edidit frater Gerardus, Minister Generalis, cum capitulo generali novam compilationem statutorum generalium, in quibus novas caerimonias et ritus insuetos fratribus imposuit, videlicet, ut vestes primo[4] ingredientium Ordinem benedicerentur, et recipiendus ad professionem staret in Missa conventuali ante altare prostratus, et post communionem sacerdotis devote et ipse reciperet corpus Christi, et postea legendo schedulam manu propria scriptam, vel manu alterius, si nesciret scribere, dum tamen ibi manu propria crucem vel aliud signum poneret, profiteretur tam coram fratrum quam saecularium multitudine in manu Praelati Missam tunc celebrantis; et multa alia ordinavit.

Mortuo vero domino Arnaldo de Pelagrua[5], Ordinis protectore, petivit hic Generalis de voluntate dicti capituli a domino Papa et obtinuit in protectorem Ordinis dominum Iacobum Caietanum[6] sancti Georgii ad Velum aureum diaconum Cardinalem.

---

[1] Cap. X. — Cfr. de his et sequentibus Wadding., l. c. ad an. 1331, n. VII-XII, et De Gubernatis, tom. I. p. 151 seqq. et tom. III. p. 25 seq.

[2] Supple: dicebant. — Cfr. capitulum IV. regulae.

[3] Cfr. praeter locos cit. chron. XXIV Gen., f. 152. r. c. I, quae contra auctorem nostrum recte dicunt: *sed nec in hoc fuerunt exauditi.* Alvarus enim dicit l. c.: «Secunda vice Generalis Geraldus et 14 Ministri malitiam adiungentes, quod de D. Clementis declaratione certos articulos procurarent auferri: in hoc *succubuerunt etiam* coram Christi Vicario (Ioh. XXII.) et eius reverendissimis dominis Cardinalibus, manu Altissimi eos beati Francisci meritis repellente». Quam ob rem cod. hoc loco corrigendus est.

[4] Chron. XXIV Gen., f. 151. v. c. II. rectius *primae.*

[5] Cod. hic *Arnoldo de Pelogrua,* qui, ut dicit Ciaconius, «mortuus est 1331, in mense Augusti, ex aliis vero 1335». Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1334, n. XXXIII. — Chron. XXIV. Gen., l. c. conveniunt cum auctore nostro, tamen recte scribunt illud nomen.

[6] De Stephaneschis, Romanus, a Bonifacio VIII. Cardinalis S. Georgii in Velabro renuntiatus est. — Auctor cod. tamen, qui legit *Iac. Gaietani S. Georii,* errat cum Mariano, chron. l. 4,

Eodem anno fuit capitulum in Herbipoli.

Praedictus dominus Ioannes Papa XXII. praedicavit [1] quaedam publice asserendo inter alia, animas purgatas, a corporibus separatas, divinam essentiam non videre, nec ante diem iudicii generalis esse visuras. Loquens enim de ista materia in sermone, qui incipit: *Gaudete in Domino semper*, quem fecit anno Domini 1331, dixit in haec verba: « Dicimus, quod anima separata a corpore non habet istam visionem divinitatis, quae est tota merces, secundum Augustinum [2], nec habebit ante resurrectionem; quando autem resurget cum corpore, tunc habebit, quia merces ista dabitur, supposito quando totus homo beatificabitur in illa visione ». Item, in sermone, qui incipit: *Tolle puerum*, dicit sic: « De ista visione satis dictum fuit his diebus in aliis sermonibus, ubi etiam dixi, quod Deus non est magis pronus ad damnandum quam ad retribuendum seu praemiandum, quia non pronius damnabit malos, quam praemiabit bonos, sed dictum est, quod boni ante diem iudicii non ibunt in vitam aeternam, nec mali ante illud tempus ibunt in poenam aeternam ». Item, in sermone, qui incipit: *Statim veniet ad templum sanctum suum* etc., loquens de assertione, qua asseritur, quod animae reproborum non sunt in inferno, et de assertione, qua asseritur, quod animae Sanctorum separatae non videbunt divinam essentiam ante diem iudicii, dicit concludendo: « Bene scio, quod ab aliquibus murmuratur de hoc, quod istam opinionem tenemus, et ego dico, quod non possum aliter facere ».

Haec publice praedicavit et asseruit; unde aemuli eius habuerunt occasionem lacerandi eum, haereticum eum asserendo , illi praesertim, qui ex parte Ludovici imperatoris erant. Inter quos erat Marsilius de Padua, doctor legum, et magister Iohannes de Ianduno, et alii, quos excommunicaverat idem Iohannes cum ipso imperatore Ludovico, pontificatus sui anno XI [3]. Scribunt quidam, Gerardum, Ministrum Generalem Fratrum Minorum, opinioni Iohannis XXII. de visione beatifica nimis favisse, et compulsum fuisse per regem Franciae revocare determinationem suam, qua ipsam Parisius determinavit; quam ipsius revocationem dicunt sub sigillo Generalis Ministri in bibliotheca eiusdem regis reservari [4].

Ad praefatum capitulum generale, Perpiniani celebratum, misit Michael de Caesena, olim Generalis Minister, de Monachio litteras, quaerens de iniuria sibi facta in eo,

---

c. 9. et aliis, dicens, an. 1331 dictum Cardinalem factum esse protectorem. Uti enim ex diplomate Papae Iohannis (de quo videsis Wadding., l. c. ad an. 1334, n. XXXIV.), dato Avenione, X. kalendas Augusti, pontificatus eius an. 18, patet, non hoc anno, sed 1334 concessus est protector.

[1] Notandum tamen est, quod illud fecerit, priusquam ad papatum assumptus esset. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1333, n. XIV, ubi solemnis protestatio a Iohanne quoad visionem beatificam sub extremo vitae facta exhibetur.

[2] Enarratio in Ps. 90. serm. 2. n. 13. Cfr. S. Bonaventura, Opera omnia (Quaracchi 1885) tom. II. p. 543, nota 6. — Primus loc. s. Scripturae est Philip. 4, 4; secundus Matth. 13, 20; tertius Luc. 2, 27.

[3] Cfr. Martene, l. c. tom. II. p. 692.

[4] Cfr. Card. Hergenröther, l. c. p. 21. n. 27. — Quoad dictum Wadding., l. c. ad an. 1328, n. XIX: « Nescio, an fuerint Minoritae (scil. Marsilius et Iohannes), neque enim apud nostros aut exteros huius fuisse Instituti comperio », constat, eos non fuisse Ordinis Minorum, sed doctores Parisienses.

quod post appellationem suam in causa fidei interiectam Ministrum alium elegerant, asserens, se adhuc fore verum Generalem Ministrum. Cui Gerardus rescripsit cum universis Ministris secum congregatis, cum iam dudum propter eius demerita tam a Papa quam ab Ordine depositum, omnibus dignitatibus privatum, excommunicatum et degradatum, schismaticum et haeresiarcham fore.

Et sequenti anno rescripsit idem Michael ipsi Gerardo, Generali Ministro, epistolam, quae incipit: *Teste Salomone* etc., in qua respondet ad singula ipsius Gerardi scripta, inter cetera dicens: « Quod autem dicis, quia appellare non potui ut persona privata, quia Ordo me sententiavit haereticum; dico, quod Ordo non sententiavit me haereticum, nec de iure nec de facto. De iure quidem apparet, quoniam pro causa, quam Ordo sicut sanam et catholicam approbavit, neminem potest damnare sicut haereticum. Sed causam, quam ego ago, Ordo approbavit sicut sanam et catholicam in generali capitulo Perusino, et placuit ei, quod facerem quod facio. Quare pro illa causa Ordo non potest me velut haereticum sententiare de iure, nec pro aliqua alia causa, quia nullam aliam causam ago veraciter praeter illam. — Nec etiam de facto, quia illi qui recipiunt proprietatem et dominium rerum usu consumptibilium, si qui sunt tales, nullo modo de Ordine veraciter possunt dici, sed ab Ordine et ab Ecclesia veri apostatae sunt censendi. Quare ipsorum non est me damnare, nec ad ipsos pertinet me salvare. Illi etiam, qui non receperunt proprietatem rerum usu consumptibilium, illi nullo modo me damnaverunt de facto, nisi se ipsos damnassent, cum ego ipsorum propriam causam agam.

Ex quibus patet, quod verus Ordo non me damnavit aliquo modo de iure, vel de facto. Et ita quocumque modo appellaverim sive ut persona publica, sive ut persona privata, de iure appellatio mea tenet tam ratione personae appellantis, quam ratione, a qua appellavi, quam ratione eius, ad quam appellavi.

Sed videris ulterius velut herinaceus tibi magnum refugium invenisse. Quaeris enim a me, ubi sit catholica Ecclesia, ad quam ego appello: ultra mare vel citra, Romae vel in Avenione, vel in aliqua orbis parte? cum omnes habeant, sicut dicis, dominum Iohannem pro vero et catholico Papa. Sed melius quaereres de Ecclesia tua, quam sequeris, ubi fuit ante tempora ista et ubi erit post haec! Quod enim usque modo pro catholico immobiliter tenuisti, nunc nulla nova ratione superveniente, immutatis planetis retrogradis, pro haeretico habes et tenes, et postea, redeuntibus novis sideribus, habebis pro catholico illud idem. Et ita sicut cancer retrogradus et luna instabilis nunc *est* nunc *non*, nunc *est* teneberis, nunc *non* [1]. Dicis, quod determinatio et definitio domini Nicolai III. a legitima et fidelissima causa fuit, quia, ut dicis, non fuit ultimata, et tamen cum [2] dicis, quod nunc est haeretica. Et sic haeresis per te est a legitima et fidelissima causa. Vides aperte, quam sint inter se contraria quae indisciplinate pronuntias. Recte de vobis illud verificatur quod scribit Augustinus ad Bonifacium comitem de Donatistis: « Usque adeo calumniandi cupiditate caecantur, ut non attendant, quam sint inter se contraria quae loquuntur ».

Dicis: Omnes fideles habent dominum Iohannem pro Papa catholico. Non attendis quod Heliae prophetae, solum inter servos Dei se remansisse putanti, Dominus responderit, cum ait: *Reliqui mihi plus quam septem millia virorum, quorum*

---

[1] Respicit II. Corinth. 1, 17-19.

[2] Ita cod., sed hoc verbum videtur abundare.

genua non sunt curvata ante Baal[1]? An forsitan putas, quod nos simus soli, qui Constitutiones domini Iohannis impugnamus? Non solum septem millia, sed plus quam septies septem millia sunt in mundo, qui easdem penitus detestantur, et cum tempus advenerit, apparebunt. Dices: Non videmus eos. Nec Helias videbat illos. Qui ergo sunt illi? *Cognovit Dominus qui sunt eius*, secundum Apostolum[2]. Quando Christo omnes discipuli eius ipso relicto fugerunt, ubi tunc Ecclesia erat catholica? Certe erat quodammodo et remanserat in ipsismet discipulis, quoniam, etsi fugerunt ad horam et vacillaverunt in fide, tamen sunt cito reversi et in fide solidati et facti Ecclesiae fundamenta.

Et infra: Ulterius te excusas, quod non aliqua mutatio facta in statu Ordinis. Oppositum est per se notum, quia non solum mutatio, sed facta est penitus destructio: quoniam cum in Constitutionibus domini Iohannis, quas tu patenter defendis et praedicas, definiatur expresse, usum rerum usu consumptibilium non posse a proprietate et dominio separari, et ipse proprietatem et dominium talium rerum fratribus oblatarum in Constitutionibus ipsis a se abiiciat et fratribus derelinquat, tu recepisti ad minus in communi proprietatem et dominium earundem, et per consequens professionem Ordinis destruxisti, cum Romana Ecclesia a tempore beati Francisci usque nunc declaraverit et Ordo tenuerit hucusque, fratres ex voto regulae suae non esse capaces alicuius proprietatis de mundo in speciali nec etiam in communi. Et sic per te non solum mutatio, sed a fundamentis eradicatio quoad statum Ordinis dignoscitur penitus esse facta. — Et praeterea, in eo, in quo non est facta mutatio, per te quin fieret, non remansit: quia in convocatione, facta Perpiniani et in Avenione, totis viribus et conatibus laborasti, quod punctum regulae de non recipiendo pecuniam per se nec per interpositam personam mutares et pecuniam recipere pro libito voluntatis posses, sicut haec non tantum Ordini, sed etiam orbi notorie esse constant.

Nunc et mendaciter te excusas, nec erubescis in hoc et in aliis sic aperte mentiri, quod in statu Ordinis sit mutatio nulla facta. Ut autem sub pallio meo tuam iniquitatem coloratius possis tegere, imponis mihi mendaciter, quod pecuniam in camera mea teneam et ipsam aliis manibus propriis tradam, quod cunctis existentibus hic scientibus est et semper fuit notiorie falsum et a patre mendacii confictum. Similiter imponis mendaciter magistro Francisco de Asculo, quod in veniendo Monachium de Cunis magnam summam florenorum super se ipsum portaverit, quos dicis sibi in via accepisse latrones. Hoc enim falsum est omnino, cum nullum florenum omnino, nec aliquem denarium super se portaverit. Numquid tu socius, aut particeps fuisti illorum latronum, aut ipse magister Franciscus, vel eius socius talia dixerunt? Unde hoc nisi a patre mendacii fingis! An forsitan credis illi homini scelerato et totaliter criminoso Hugutioni, qui fugit a me propter scelera sua, eo quod ipsum propter foedissima scelera sua volebam carceri mancipare, sicut hic non solum fratribus, sed etiam saecularibus sunt sua crimina notoria manifeste?

Et infra: Ulterius dicis mendaciter, quod ego communicavi magistro Iohanni de Ianduno, cum ille manifeste mortuus fuerit in Tuderto, antequam Pisas venirem. Ego autem in Tuderto pedem non posui nec etiam ponere cogitavi; et sic aperte mendacia iactas ac si ipsa fores voto solemni professus. Similiter de fratre Petro de

---

1 Libr. III. Reg. 19, 18.

2 Epist. II. ad Timoth. 2, 19.

Corbario multa croaris[1] et mihi falsa imponis. Vocas enim ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, sed suo tempore veritas apparebit *et os suum* tua *iniquitas oppilabit*[2]. Multa alia quoque mendacia tuo solito more perverso imponis mihi, nequissime, quae nullam penitus continent veritatem nec ulla sunt responsione digna; propter quod de ipsis et aliis supersedeo ad praesens.

Dicis ulterius, quod ego non teneo capitula generalia nec provincialia, et per consequens nihil exerceo de his quae pertinent ad officium Generalis. Dicas tu: sancti patres tempore generalis persecutionis martyrum, ubi concilia generalia vel provincialia tenuerunt, cum vix possent in cryptis et cavernis montium latitare? Beatus etiam Clemens, beati Petri successor mediatus vel immediatus, ubi consistoria sua tenebat cum Cardinalibus, postquam fuit ad fodiendam arenam damnatus? Et nihilominus Pontifex erat Romanus. Similiter beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, quando fuit extra Angliam in exilio regulatus, ubi tunc suam provincialem synodum tenuit? Non invenies. Et nihilominus Cantuariensis Archiepiscopus erat. Talia exercere officia tempus pacis requirit conveniens, quod utique mihi non suppetit, nihilominus officium Generalis manet.

Dicis ulterius, me fore convictum, quia contra responsionem domini Iohannis ad appellationem meam non valeam nec etiam audeam replicare. Immo fortissime replicavi, et ipsam responsionem haereticam per totum ostendi et ad diversas partes mundi ipsam replicationem transmisi, nec ipse nec aliquis pro eo valet amplius respondere. Respondeas tu, si potes, qui cum eo in suis haeresibus habes caudam colligatam. Et licet sis satis patenter haereticus, tunc tamen ostendam te manifestius aperte haereticum toti mundo.

Dicis ulterius, quod Ministros, tui electores, contra formam regulae et contra formam declarationum Romanorum Pontificum institutos, dominus Bertrandus, tunc gerens officium et vicem Generalis de facto, et totus Ordo approbaverit et confirmaverit, et per consequens legitima est electio tua. Responsio ista dupliciter se ipsam tollit et destruit. Primo, quoniam post appellationem in causa fidei legitime interpositam a domino Iohanne ad universalem Ecclesiam, dominus Bertrandus non potuit in praeiudicium catholicae veritatis et mei Generalis ministerii officio fungi, et per consequens approbatio et confirmatio sua de iure nulla fuit. Secundo, quoniam nec Generalis Minister nec Ordo habet auctoritatem aliquem approbandi vel etiam improbandi contra formam regulae et contra ordinationem Sedis Apostolicae, et maxime post appellationem in causa fidei et favorem regulae interpositam legitime secundum canonicas sanctiones, cum auctoritas Generalis et etiam Ordinis a regula et a Sede Apostolica dependeat immediate.

Ultimo subiungis finaliter pro tua defensione singulari et ultima, quod si tuorum Ministrorum approbatio et confirmatio praefata mihi non sufficit ad librum Perihermenias[3] debeam habere recursum, ubi dicitur, quod « quidquid contingit affirmare contingit negare ». Mira supra modum et occulta responsio! Omni iure penitus divino pariter et humano vacuum te ostendis, quando divinae Legis et humanae au-

---

[1] Ita legit cod., sed potius legendum est aut *crocas* aut *crocitas*, id est clamas ut corvus.

[2] Psalm. 106, 42.

[3] Libr. I. c. IV.

ctoritate contempta, ad vana et frivola philosophorum sophismata te convertis et alios pro tui iuris defensione remittis. Plane de numero illorum te fore demonstras, de quibus in Psalmo [1] scribitur: *Defecerunt scrutantes scrutinio;* et de numero illorum, de quibus in alio Psalmo dicitur: *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Vere et plane tuo proprio iudicio atque testimonio in scrutando tuae electionis scrutinio defecisti et in iaculando tuae rationis spiculo conversus, retrorsum fugisti. Christus, Magister veritatis et Doctor, ait [2] discipulis suis: *Sit sermo vester, est, est, non, non.* Et non dixit: est *et* non, sicut liber Aristotelis, ad quem refugis, « esse idem asserit et non esse ». Ad infidelem auctorem recursum, spretis fidelibus, habes, quia utique a fide catholica recedis et alios recedere satagis, prout potes. A qua pernicie te revocare dignetur qui devios ad viam quotidie revocare non cessat et etiam ingratis quam multa sua beneficia praestat, Christus Deus noster omnipotens mentem tibi quietam atque pacatam inspiret et lucem suae miserationis tribuat et aspiret. Fiat inter nos quod scribit beatus Augustinus in fine Epistolae ad Pascentium Arianum [3] dicens: « Abstineamus nos a conviliis, ne tempus inaniter expendamus et ad illud quod agitur inter nos, potius advertamus ». Haec Augustinus. Quae si curabimus servare, curabit Deus nos perseverare.

Data Monachii ducatus Bavariae, anno Domini MCCCXXXII, de mense Decembris.

Anno Domini 1333 concluserunt magistri Parisienses in theologia, numero 44, vel circiter, et dixerunt concorditer ac sigillaverunt, quod animae Sanctorum omnino purgatae a tempore mortis Christi vident Deum clare facie ad faciem et beatifice, et contrarium sentientes reprobati sunt postea per Papam Benedictum XII. in Extravagante, quae incipit: *Benedictus Deus in donis suis* etc.

Eodem anno fuit capitulum provinciale in Basilea.

Anno Domini 1334 fuit capitulum Provinciae Bohemiae in Plzna [4] nova primum.

Eodem anno excommunicantur Fratres Minores et Praedicatores cum Eremitis propter quartam [5] per totam dioecesim Pragensem in festo Mariae Magdalenae a Thoma, Archidiacono Pragensi, iudice a Sede delegato, qui cum Iohanne, Episcopo Pragensi, et multis aliis Clericis diabolica fraude deceptis Religiosos praedictos ex certa malitia et invidia de Bohemia expellere nitebantur. Sed dextera Domini eos protegente, et domino Henrico de Schenckberg [6] Moraviae, Theutonico, Praeposito Lutomericensi, iudice et conservatore privilegiorum dictorum Religiosorum, eis fideliter astante, causa eorum ad iustum et laudabilem finem perducta est. Nam idem dominus Henricus suis maximis laboribus iure mediante ad talem finem perduxit, quod Episcopus Pragensis et Thomas Archidiaconus sub suis sigillis litteras revocatorias scribere habuerunt, quod iidem Religiosi nullam excommunicationem incidissent ratione praedicta.

---

[1] Psalm. 63, 7. et deinde 77, 9.

[2] Matth. 5, 37.

[3] Epist. CCXLI (alias CLXXVII).

[4] Sic secundum linguam bohemicam (Plzen) pro Pilsna (theut. Pilsen), et *nova* dicitur ad differentiam Pilsnae antiquae (Alt-Pilsen), quod est vicus ad fluviolum Uslawam situs.

[5] Id est: quartam partem oblationum, occasione funeralium in ecclesiis Religiosorum factarum, quae danda erat parocho. Cfr. etiam supra pag. 127. — Festum S. M. Magdalenae est 22 Iulii.

[6] De quo cfr. supra pag. 125, ubi dicitur *de Schenberg*.

Propter quod Clerus tunc sustinuit grandem confusionem, et fratres praedicti iuste de infamia sunt purgati.

Eodem anno misit frater Gerardus, Generalis Minister, ad requisitionem domini Zachariae, Episcopi [1] sancti Thaddaei in Armenia, fratres plures de Provincia Aquitaniae et de aliis Provinciis Ordinis ad Armeniam pro convertendis Armenis Maioris Armeniae et aliis infidelibus. Tenebat enim idem Episcopus sanctae Romanae Ecclesiae communionem et unitatem. De quibus fratribus unus frater Rogerius Garini de dicta Provincia ivit ad Terram Sanctam et obtinuit a Soldano Aegypti locum sacrum montis Sion, ubi fuit olim illud coenaculum magnum stratum, in quo coena cum discipulis Dominus manducavit, et Spiritus sanctus super Apostolos in die Pentecostes in linguis igneis descendit, et arx David regis. In quo loco aedificavit conventum Fratrum Minorum, qui ex tunc ibidem et ad sanctum sepulcrum Domini habitant usque in praesentem diem [2]. Sic igitur, sicut Romae Aracoeli, ubi fuit olim palatium Octaviani caesaris, fratres inhabitant, sic Ierosolymis montem Sion, ubi rex David olim habitavit. Unde versus:

Francisce, Ierusalem, Roma, soliorum dant tibi summa.
Monte Sion resides et Caesaris aede refulges.
David et Augustus nec non cedit tibi Christus.
Cedit ut apte magis per te sit praeses honoris.
Nec dubium coelis sublimi sede locaris,
Qui tam coelesti regis, triplicis praetoria iuris etc.

Alii vero fratres pergentes in Armeniam multos conversos baptizaverunt et ad unitatem sanctae Ecclesiae Romanae adduxerunt. Inter quos fratres fuit vir devotus et multum litteratus frater Quintinus Laurati [3], qui perfecte in eorum lingua instructus, praedicando, baptizando et libros de latino in armenicum transferendo magnos ibi spirituales fructus fecit.

Eodem anno 1334 complevit frater Stephanus de Hungaria [4] in Sarai, civitate Tartarorum, gloriosum martyrium.

Similiter fuit hoc anno occisus pro confessione verae fidei in Salamastro [5], villa Saracenorum, frater Gulielmus de Anglia.

Et anno praefato obiit in conventu Tolosae sanctae memoriae frater Michael Magoti, qui spiritu devotionis et prophetiae claruit.

Iohannes quoque Papa coepit infirmari et infirmitate depressus, cum se moriturum videret, cum antea dubitasset de gaudiis et requie animarum cum Deo gaudentium, in fine resipiscens, hanc paginam suo ore prolatam describi fecit [6]:

Iohannes Episcopus etc. ad perpetuam rei memoriam.

---

[1] Rectius *Archiepiscopi.* — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 152. c. II.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 152. r. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1333, n. XIX, ubi legitur *Guarini* pro *Garini* (est enim *Roger Guérin).* Vide etiam cl. P. Marcellino da Civezza M. O. Storia universale delle Missioni Francescane, tom. III.

[3] Chron. XXIV Gen., l. c. legit G. (Gonsalvus!) Saurati.

[4] De quo et aliis immediate post memoratis fratribus cfr. chron. XXIV Gen., f. 154. v. c. II, f. 158. r. c. II. seq., et Wadding., l. c. ad an. 1334, n. IV-XXIV.

[5] Id est Salamastre in Persia.

[6] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1333, n. XIV; cfr. supra pag. 155, nota 1.

Ne super his quae de animabus beatis separatis a corporibus et purgatis, an [1] citra resumptionem corporum divinam essentiam illa visione videlicet, quam vocat Apostolus *facialem*, videant, tam per nos quam nonnullos [2] alios in praesentia nostra recitando et allegando sacram Scripturam ac originalia et dicta [3] Sanctorum, vel alias ruminando [4], saepius dicta sunt, aliter per nonnullos, quam [5] per nos dicta et intellecta fuerunt, et intelligantur et dicantur, auribus valeant fidelium inculcari: ecce nostram [6] intentionem, quam cum sancta catholica Ecclesia circa huiusmodi habemus et habuimus, serie praesentium, ut sequitur, declaramus. Fatemur siquidem et credimus, quod animae purgatae et separatae [7] a corporibus sint in coelo, coelorum regno et paradiso [8] et cum Christo in consortio [9] Angelorum congregatae, et videant Deum ac [10] divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum conditio et status compatitur [11] animae separatae. Si vero alia vel alias circa [12] materiam huiusmodi per nos dicta, praedicata vel scripta fuerunt, quae, quoquomodo [13] illa diximus, praedicavimus vel scripsimus [14] circa praemissa vel alia, quae fidem concernunt catholicam, sacram Scripturam aut bonos mores, ea in quantum sunt consona fidei catholicae, determinationi Ecclesiae, sacrae Scripturae, aut [15] bonis moribus, approbamus; alias autem illa habemus et haberi volumus pro non dictis et scriptis et praedicatis, eaque revocamus expresse. Ac praedicta omnia et alia quaecumque dicta et praedicata et scripta per nos de quacumque materia, ubicumque et in quocumque loco et quocumque statu, quem habuimus vel habemus hactenus, submittimus determinationi Ecclesiae ac successorum nostrorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae determinationis, intentionis, declarationis, confessionis, voluntatum [16], approbationis, revocationis et submissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc.

Datum Avenione, III. nonas Decembris, pontificatus nostri anno XIX.

Anno ipso 1334 fuit Assisii capitulum generale celebratum, in quo, certis causis allegatis, supradictae [17] novitates et caerimoniae renovatae fuerunt, et fuit receptio fratrum ad Ordinem ad antiquam formam redacta.

Et eodem anno, IV. die mensis Decembris, obiit dominus Papa Iohannes XXII. in Avenione, aetatis vitae suae 90, pontificatus vero XIX, et sepultus est ibidem. Reliquit autem in thesauris ingentem vim auri et argenti, cuius computatio fuit millies viginti quinque millia aureorum. Nec legitur Ecclesia Romana aliquando ditior fuisse.

Et eodem anno, die XX. dicti mensis, electus est ad papatum dominus Iacobus

---

1 Wadding.: animabus purgatis sep. a corporibus, an.; 2 quam per nonnullos; 3 orig. dicta; 4 ratiocinando; 5 aliter quam; 6 ecce quoad nostram; 7 purgatae, separatae; 8 coelorum et in paradiso; 9 Christo, consortio; 10 et vident Dominum et; 11 patitur.

12 Cod. incongrue *contra*.

13 Wadding.: fuerunt, quoquomodo.

14 Auctor cod. omisit hic sequentia, quae habentur apud Wadding.: scripsimus recitando et conferendo dicta sacrae Scripturae et Sanctorum, et nolumus esse dicta, praedicata et scripta de omni alio erronee dicto. Insuper, si qua alia sermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo, seu alias quovis modo diximus, praedicavimus vel scripsimus circa.

15 Wadding.: ac; 16 voluntatis.

17 Pag. 154. — Cfr. chron. XXIV Gen., f. 159. v. c. I.

Dominus Benedictus Papa XII.

de Furnerio [1], tituli sanctae Priscae presbyter Cardinalis, magister in theologia, de Ordine Cisterciensium monasterii Bollensis, et Benedictus XII. est vocatus. Et statim consistorio in die sancti Thomae [2] celebrato, sequentia puncta statuit:

Primo, quod non volebat toto tempore suo Romanam, vel aliquam aliam Ecclesiam contra aliquem hominem materialem gladium exerere vel facere guerras, sed bene curare de pace; 2.° noluit, marischallum [3] Curiae ultra sex menses in officio suo remanere, ne duratione multa propter divitias in superbiam extolleretur; 3.° non voluit, quod aliquis, et praecipue Religiosus, ad Curiam pro aliquo beneficio impetrando venire praesumeret, sed dispositionem et ordinationem suorum Praelatorum in omnibus sustinere et exspectare; 4.° noluit, Religiosorum fugas et appellationes ad Curiam venire, sed dimitti correctionibus suorum Praelatorum; 5.° restituit eleemosynam mensae papalis pauperibus, quae ante per familiares diripiebatur, de qua possunt refici centum personae multum laute; 6.° quemlibet hominem in Curia arrestatum solvit; 7.° omnibus Praelatis, tunc in Curia pro quibuscumque negotiis existentibus, dedit generalem licentiam recedendi, et quemlibet voluit in suo beneficio residere; 8.° dedit omnibus Clericis in Curia infirmatis vel de cetero infirmandis liberam facultatem condendi testamentum, ne bona ab eis relicta indebite per aliquem occuparentur; 9.° dedit Collegio Cardinalium centum millia florenorum, et ultra pro suo tempore dimidietatem reddituum et proventuum patrimonii Ecclesiae Romanae, ad hunc creditur finem, ut dimitterent pluralitatem beneficiorum, quae habebant forte per orbem; 10.° voluit, quod nomina Guelphini et Ghibellini sint anathema nec aliquo nominentur, cum sint discordiae incitamentum; 11.° voluit, quod omnes cappellani sui horas canonicas dicerent cum nota, et omnes dormirent in uno dormitorio, quod iam erat in fieri pro eis, ac etiam comederent coram eo, nec haberent alios redditus quam vestitum et victum mensae papalis; et si qui cappellanorum suorum aliquibus aliis indigerent, possent ei hoc dicere et aliunde recipere. Haec in primo consistorio.

In crastino sancti Thomae [4] tenens iterum consistorium, permisit ad se venire Praelatos Religionum et quatuor Ordinum Mendicantium cum fratribus eorum, quorum Praelatorum quilibet xeniavit [5] dominum Papam cum septem Missis a quolibet sacerdote dictorum Ordinum dicendis. Gerardus vero, Generalis Minister Minorum, propositurus verbum aliorum sumpsit thema: *Quatuor sunt minima terrae* [6] etc.; quo gratiose deducto, formavit publice supplicationem pro Religiosis, ut Decretalis

---

1 Cod. falso *Fernerio*, rectius sic: Iacobus Furnerius, oriundus ex oppido Saverduno (Saverdun), dioecesis Appamiarum (Pamiers in Gallia). Ex Abbate abbatiae Fontis frigidi (Font-froide in Gallia), non autem Montis frigidi, ut dicit Ciaconius, a Iohanne XXII. Episcopus Appamiarum primum, deinde Mirapicensis (Mirapoix in Gallia) et demum Cardinalis creatus, Cardinalis *albus* dicebatur.

2 21 Decembris.

3 Cod. *marscalcum*.

4 Scilicet 22 Decembris.

5 Xeniare est idem ac alicui vice muneris aliquid praestare.

6 Prov. 30, 24.

Super cathedram[1] amoveretur, et in hoc fecit finem dictis. Respondit Papa immediate, quod circa ipsam Decretalem nihil penitus immutare vellet. Et sumpto themate: *Vidi, et ecce quatuor fabri*[2] etc., applicavit sine deductione ad Religiosos dicens, eos esse fabros et deponere debere scoriam haereticae pravitatis et pulcritudinem honestatis inserere; et quia[3] fecisset hoc principalius beatus Dominicus, ut sibi constaret, inter capita omnium Ordinum est caput tam Praedicatorum quam aliorum. Et incepit legere horribilem lectionem dicens, se aliquos nosse coram se stantes in praesentia, de quibus certus esset, quod in brevi contra Deum, contra suum statum, contra bonos mores, contra statuta Sanctorum, contra sacram Scripturam et, quod plus reputaret, contra suam conscientiam tenuissent, praedicassent et scripsissent haereticas conclusiones, turpis lucri gratia, scilicet propter affectum vel potentiam talia praedicantis. Et addidit: « Caveant tales, ne manus nostras incidant cum talibus suis scriptis, et scire debent, non fore nos patientes ». Et intellexerunt astantes, quod de nullo ita principaliter intenderet sicut de Gerardo, Generali Minorum, quem summe ante papatum odivit propter determinationem supradictam[4], quam fecit de visione beatifica animarum, sicut et omnes de eadem materia pro opinione Papae Iohannis loquentes.

Idem Papa Benedictus XII. restituit ecclesiis cathedralibus electionem Archiepiscoporum et Episcoporum, et misit centum millia florenorum Romam pro refectione ecclesiae sancti Iohannis in Laterano et palatio sancti Petri.

Anno Domini 1335, pontificatus sui anno primo, dedit dominus Benedictus Papa omnibus fratribus plenariam indulgentiam omnium peccatorum. Quia vero frater Gerardus se disponebat ad eundum in Graeciam, quo factus fuerat per dominum Papam Iohannem legatus, iamque paratum erat navigium, dominus Papa Benedictus legationem illam causis dignis totaliter revocavit[5].

Eodem anno, videlicet 1335, fecit dominus Przibislaus Bohemus, Episcopus Sathoronensis, suffraganeus domini Pragensis, Ordinis Minorum, multa Missalia scribi per Provinciam Bohemiae pro conventibus Minorum Fratrum; et[6] sequenti anno migravit ex hac vita, vir maturus et erga fratres pius.

« Ludovicus imperator habuit cancellarium magistrum Ulricum Hanngenor[7] de Augusta, cui sigillum suum et omnia scribenda et expedienda commendavit. Hic de quodam crimine enormi et infami apud regem est accusatus ab aliquibus praepotentibus, quibus ipse rex iustitiae complementum non potuit commode denegare. Quapropter partibus se rex interposuit et per quaedam placita ad hoc perduxit, quod praedictus magister Ulricus deberet se coram quinquaginta Praelatis de obiectis expurgare. Quod cum factum in Norimberga fuisset, ipse magister Ulricus officio cancellariae et dignitati pristinae est restitutus.

---

[1] Habetur in corpore Iuris inter Extravag. communes, l. III. tit. IV. de sepulturis, c. II, in quo providet Bonifacius VIII. (an. 1300, Romae) de praedicationibus, confessionibus et sepulturis, ut tollat contentiones inter curatos ex una parte et Iacobitas et Chordigeros ex altera ortas.

[2] Respicitur Zach. 1, 20. — [3] Cod. addit superflue *cum*, quod delevimus. — [4] Pag. 155.

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 159. v. c. II. — [6] Cod. legit male *ex* pro *et*.

[7] Forsitan rectius legitur *Hangenohr*, ut habet Henricus Rebdorffiensis, (Monachus Augustiniensis, in dioecesi Eichstadiensi) ad an. 1346. Chronica Andreae Ratisbon. (edita in « Corpus historicum medii aevi » a Io. Eccardo, Francofurti 1743, t. I.), quae exhibent etiam sequentia nec non illa quae supra p. 140 seq. quoad Etal et Ampheringe (sic edit.) etc. dicta sunt, legunt Haugenor.

Festinabat dominus Ludovicus eodem tempore pro gratia Sedis Apostolicae impetranda solemnes ad Curiam mittere nuntios una cum litteris, voluntariam et omnem subiectionem continentibus. Tunc praedictus cancellarius, occasione malignandi inventa, ut supra scriptam suam infamiam, falsa pro veris. scribendo, vindicaret, dominum Papam bestiam a mari ascendentem in litteris vocitavit et plura similia scripsit ad similitudinem eorum, quae quondam Petrus de Vineis posuit. Quapropter dominus Apostolicus permotus vel potius deceptus, contra ipsum regem sententias excommunicationis fulminavit et contra eum reges et principes excitavit. Tantarum autem discordiarum seminator tam occulte et dolose egit et tamdiu semen suarum malitiarum inter mundi capita seminavit, quousque regi de Roma, ubi nomen imperatoriae dignitatis obtinuerat, reverso malitiam suam, Dei gratia ordinante, in mortis articulo personaliter est confessus, et quod hoc fecerit et procuraverit in vindictam, pro eo quod criminatores suos, de quibus supra dictum est, non statim occidit, sed eos ad iudicium venire permisit in suae confusionis augmentum. Quantum autem Imperator gemuerit et fleverit ac doluerit super his, scribere nemo potest. Verumtamen cognito a medicis, quod in tribus vel quinque diebus esset sine dubio moriturus, dixit Imperator: « Quamvis ille nequam omnium esset genere tormentorum puniendus, eius tamen qui eum percussit iudicio vel misericordiae eum volumus committere iudicandum.

Et eodem anno, videlicet 1335, restituit dominus Ludovicus imperator Henricum de Landishuto procuratorem regni per Alamanniam et super hoc suas ei patentes litteras dedit. Mox igitur idem Henricus, dux Inferioris Bavariae, tamquam vir potens et dives ad partes Rheni se transtulit cum exercitu, ubi pro ostentatione gloriae suae multa pecunia expensa, civitatem Aquensem [1] et quasdam alias coepit attentare, non quidem per se, sed per regem Bohemiae Iohannem, socerum suum, ut eum litteras Imperatoris habentem susciperent et ei tamquam domino fidelitatis homagium vel iuramentum facerent. Mox igitur civitates in termino, quem ad respondendum acceperant, ad Imperatorem miserunt, suum super tali responso consilium requirentes. Qui expavescens, non solum hoc prohibuit, sed etiam litteras ad omnes civitates regni festine direxit, quibus litteras de procuratione regni Henrico datas seriosius revocavit. Et sic princeps, qui pro magna gloria acquirenda exierat, minus gloriose ad propria est reversus. Et ut in terram suam rediit, coepit Imperatorem quotidianis rapinis et incendiis infestare.

Et anno sequenti, videlicet 1336, venit Iohannes, rex Bohemiae, Avenionem et conquestus est domino Papae Benedicto XII, quod imperator Ludovicus duci Henrico, genero suo, quem semper filium suum nominavit, magnam iniuriam irrogaverit, in eo quod litteras de procuratione regni sibi datas tam subito et sine debita causa in eorum confusionem revocaverit. Super quo diversis consiliis hinc inde habitis, multisque a Papa promotionibus promissis, promisit, se velle Imperatorem in anni spatio ipsi Apostolico aut vivum aut mortuum assignare. Quo Imperator comperto, intravit Inferiorem Bavariam cum gloriosa militia. Et in campestribus civitatis Landoviae [2], sitae quasi in medio eiusdem terrae, castrametatus est iuxta fluvium Isaram, cuius profunditatem si transire potuisset, versus Bohemiam libenter processisset. Cum autem ibidem per aliquot dies graviter prae victualium penuria adversarios exspe-

---

[1] Vel Aquisgranensem, id est Aquisgranum in Borussia, theut. Aachen; supra cod. *Lantzhut.*

[2] Cod. *Landow*, theut. Landau ad Isaram (Isar), pro quo cod. semper *Ysara* scribit.

ctaret, venerunt rex Bohemiae et dux Henricus cum exercitu iuxta Isaram fluvium ex opposito exercitui Imperatoris. Imperator autem, cum contra suos hostes transire non posset, et ipsi per octo dies ab eo ad pugnandum exspectati non transirent vel transire formidarent, penuria victualium coactus, a loco recessit et secundum ripas fluviorum Isarae et Danubii Pataviam [1] civitatem descendit, ubi hominibus et iumentis refocillatis curribusque eorum onustatis, omnia inter flumina Aeni [2] et Isarae praeter civitates devastantes ad propria redierunt, nemine eos molestante. Rex autem Bohemiae et dux Henricus in eodem loco, ubi Imperator, et ipsi castrametati sunt et ad triduum ibi permanserunt quasi, Imperatore fugato, triumphassent gloriose. Unde ipse rex Bohemiae volens se de promissis Papae excusare, scripsit Apostolico sub sigillis quorundam baronum Sclavorum [3] et aliquorum nobilium in Bavaria et Praelatorum, quod sibi Imperatorem, si quantocius non fugisset, aut vivum aut mortuum obtulisset». Haec Andreas, Canonicus sancti Magni Ratisbonae, in sua Chronica ponit, et huc posui propter ostendendas insidias, quas ipse Imperator passus est etiam ab illis, in quibus confidebat.

Anno Domini 1336 facta est magna discordia inter imperatorem Ludovicum et Iohannem, regem Bohemiae, pro provincia Carinthiae. Nam Henricus, dux Carinthiae, sine filiis obierat, cuius filia desponsata fuit Iohanni, filio regis Bohemiae. Quapropter rex Bohemiae partem nurus suae defendens, quia terram praedictam ad eam pertinere successione hereditaria asseruit, se Imperatori opposuit, qui dictam terram ad se imperiali iure, cum herede careret, devolutam duci Austriae, filiam regis Bohemiae habenti pro coniuge, imperiali munificentia infeudavit. Rex itaque magno exercitu collecto, terram saepe dictam, ut vi eam subiugaret, iniit. Sed Imperator non cum paucis ei in oppositum veniens, eum exire de finibus supervenientium timore perculsum ocius compulit et coegit. Imperator itaque regem cum suis persequens, obvictus penuria, prosecutione [4] postposita, cum suis ad propria est reversus. Haec itaque discordia induciata est per principes a festo Michaelis usque ad festum sancti Iacobi Apostoli [5] venturi. Iohannes dispensationem filio suo et nepti Avenione a Papa obtinuit et filiam Henrici, ducis Carinthiae, nomine Margaritam [6] Iohanni filio tradidit, et post divortiata est, et duxit eam Ludovicus, filius Ludovici imperatoris, in uxorem.

Eodem anno edidit dominus Benedictus Papa XII. statuta pro Ordine Minorum, continentia rubricas viginti novem [7], examinata per plures solemnes viros, videlicet venerabiles Petrum Praenestinum, Gancellinum [8] Albanensem Episcopos, et Petrum

---

[1] Theut. Passau in Bavaria. — [2] Vel *Oeni*, theut. Inn; cod. *Eny*. — [3] Ita semper cod. et chron. XXIV Gen., sed rectius scribitur *Slavorum* (i. e. Bohemorum).

[4] Ita cod.; forsitan rectius legendum est: persecutione. — [5] Scil. ab 29 Sept. usque ad 25 Iulii.

[6] Cognominatam Maultasch, quae 1342 nupsit Ludovico de Brandeburgo, quem marchiatum ipse 1324 a suo patre acceperat. Formulam divortii et dispensationis a Ludovico contra omne ius divinum et humanum « ex plenitudine potestatis » factam, exhibent Henricus Rebdorffius in suis Annalibus ad an. 1341, Bzovius ad an. 1340, et Leibnitius, Cod. Iur. Gent. diplom. LXXXII. Quomobrem etiam Clemens Papa VI. poenas ab Iohanne XXII. contra eum latas 1346 renovavit, et maxima pars principum eum dereliquit.

[7] Et unam pro Clarissis; quae statuta simul cum Bulla Benedicti Papae habentur in libro « Chronologia historico-legalis seraphici Ordinis Fratrum Minorum », Neapoli 1650, tom. I. p. 46, de quo ea sumpsit De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 27 seqq.

[8] In libris modo citatis legitur in Bulla Papae: *Gualselmum*.

tituli sanctae Praxedis presbyterum, et Gulielmum [1] sanctae Luciae in Silice et Bertrandum sanctae Mariae in Aquiro, diacones Cardinales; et venerabiles viros Soczium [2], Patriarcham Constantinopolitanum, et Iacobum Episcopum Brixiensem, ac Gilbertum sancti Victoris Marsiliensis, et Gulielmum Montis Olivi [3] Cartasinensis [4] monasteriorum Abbates; nec non per Gerardum, Generalem, Henricum Franciae, Iohannem Burgundiae, Pastorem Provinciae, Fetrum Tusciae, Fontium Carbonelli Aragoniae, Petrum quoque de Saxoferrato Marchiae Anconitanae, Philippum quondam Mediolanensis, Laurentium quondam Terrae Laboris Provinciarum Ministros; Nicolaum de Hoyo, Walterum Schaton [5], Gulielmum Bernherdi [6] de Podio, Antonium de Valencia, Fortanerium Vassali [7], sacrae theologiae magistros, ac Petrum de Strata, procuratorem in Curia, dicti Ordinis professores; et voluit, quod perpetuis futuris temporibus in Ordine servarentur.

Et quia ipse Papa prius monachus fuit, multa in ipsis statutis servandi tradidit, quae divitum monachorum potius quam pauperum Fratrum Minorum statui convenire videntur. Unde hanc statutorum inconvenientiam frater Gilbertus attendens, in sermonibus ad status contra eam invehitur dicens: « Fiant Constitutiones iuxta regulam Fratrum Minorum, non secundum statum monachorum ». Siquidem cum monachis sui Ordinis esus carnium ex regula foret interdictus, tulit hic Papa onus illud ab eis, dispensando cum eis, ut possint in privata domo carnes comedere, et Fratribus Minoribus imposuit, quibus secundum Evangelii traditionem de omnibus, quae eis apponuntur, ex regula eorum manducare licet.

Unde rubrica quarta ita ait: « Circa abstinentiam vero provide duximus ordinandum, quod in generali et provincialibus capitulis et etiam ubique in refectoriis dicti Ordinis abstineatur ab esu carnium; quodque, ubi commode fieri poterit [8], in conventu quolibet Ordinis una magna pars ipsius conventus iuxta dispositionem Guardiani ac consiliariorum conventus omni die in refectorio comedat, et in domo, ubi alia pars conventus iuxta dispositionem dicti Guardiani [9] comederit, sicut in refectorio ab omnibus silentium observetur et in mensa lectio habeatur. — In festivitatibus autem Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis dominicae, Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Virginis gloriosae et beati Francisci, sancti Antonii et beati Ludovici Episcopi totus conventus in refectorio comedat. — Rursus ordinamus, quod Ministri, Custodes, Guardiani ac eorum Vicarii sint cum fratribus

---

1 In Bulla Papae: *Gerardum;* sed tunc temporis ecclesiae S. Luciae in Silice (Selci) vel Septisolio Cardinalis erat *Gailardus de la Mota;* nunc non amplius gaudet titulo Cardinalis, quia Sixtus V. diaconiam transtulit in ecclesiam Ss. Viti et Modesti; 2 *Socium* (forte Socinum !).

3 Id est gallice Montolieu vel Montoulieu, dioecesis Carcassonensis (gallice Carcassonne), ubi erat abbatia Ordinis S. Benedicti, eiusque Abbas tunc temporis Gulielmus de Aura, qui 1338 a Benedicto Papa presbyter Cardinalis creatus est. Secundum tamen libros modo cit. Bulla legit *Montis Solloni* — quod nobis videtur esse error illius qui transcripsit, pro Montis S. Olivi, ut legit Bosquetus, apud Ciaconium — et deinde continuat sic: dilectos filios Carcassonensis dioecesis Abbatibus monasteriorum Chartausiensium diacones.

4 Probabilius legendum est: Carcassonensis.

5 In Chronologia etc. legitur: Gualterum Canton.

6 Chronologia: Bernardi. — 7 Ita recte, cod. *Wasalli.*

8 Cod. *potuerit.*

9 Ita recte Chronologia etc., cod. incongrue *conventus.*

in conventu, in ecclesia et in mensa, et in cibis, vestibus et lectis, quamdiu sani et fortes fuerint, eisdem fratribus se conforment; ubi tamen debilitas vel infirmitas, aut labor itineris seu administrationis aliud suaserit faciendum, possint se a communi vita conventus, infirmi quidem et debiles, quamdiu infirmitas vel debilitas duraverit, alii vero itineris seu administrationis laboribus fatigati, diebus aliquibus separare et in aliquo congruo et honesto loco [1] refici moderate, a superfluis [2] et excessivis expensis penitus praecavendo » etc.

Ex hoc constituto mos apud fratres sub Ministris viventes inolevit, quod una pars ad partem in privata domo sedens, sine lectione, immo cum multa distractione carnes comedat etc.

Anno Domini 1337 circa Pentecosten fuit Caturci [3] capitulum generale habitum, in quo fuerunt Constitutiones dictae domini Benedicti Papae XII. publicatae, et ultra facta fuit nova compilatio generalium statutorum.

Et in eodem capitulo multi Ministri, variis accusationibus propositis, contra Gerardum, Generalem Ministrum, insurgunt, ipsum amoveri ab officio postulantes. Sed tamen fuit in officio confirmatus, quia venerat in gratiam Papae propter susceptas ab eo factas Constitutiones; quare patres ei contradicere non audebant.

Eodem anno fuit capitulum provinciale in Berno, ad quod frater Gerardus, Generalis Minister, quendam Rabanum Vicarium et Commissarium misit, ut praedictas Constitutiones papales fratribus publicaret; qui insinuavit in forma litteralis positionis sororibus sanctae Clarae statuta saepe dicta, in quantum eas concernunt et contingunt, taliter:

Honorandis in Christo Deo devotis Abbatissae et conventui Ordinis sanctae Clarae in Norimberga, fratres Rabanus Vicarius et N. Definitores capituli provincialis Ordinis Fratrum Minorum Alamanniae Superioris, in Berno celebrati sub anno Domini MCCCXXXVII in festo Nativitatis beatae Virginis Mariae, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Ordinationes et statuta per sanctum in Christo patrem et dominum, dominum Benedictum XII. pro vobis et singulis monasteriis vestri Ordinis nuper editas et promulgatas in quadam Bulla sua, in qua et nostri Ordinis quaedam continentur statuta, quae incipit: *Redemptor noster, factor coelorum et universae Conditor creaturae* etc., devotioni vestrae, prout nobis iniunctum est, tenore praesentium sub sigillis nostris transmittimus, in haec verba: *Insuper quia decet Christi famulas* etc., prout in eisdem Constitutionibus, rubrica XXVIII, continetur usque ad illa verba: *inviolabiliter observare.* Datum Avenione, IV. kalendas Decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Quare vos omnes et singulas rogamus et hortamur in Domino Iesu Christo, nihilominus mandantes et firmiter iniungentes, quatenus dictas ordinationes et statuta reverenter suscipere et devotis mentibus observare velitis ac etiam debeatis omnino,

---

[1] Auctoritate documenti adiunximus *loco,* quae vocula in cod. excidit.

[2] In Chronologia etc. additur *conviviis.*

[3] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 159. v. c. II, quae perperam legunt *Carceri* pro *Caturci* (i. e. Cahors in Aquitania). Wadding., l. c. ad an. 1337, n. III, dicit: mense Iunii. Pentecostes hoc anno erat 8 Iunii. — Vide etiam De Gubernatis, qui, l. c. tom. I. p. 156, falso dicens, capitulum Caturcense fuisse 1336, tamen tom. II. p. 27 seq., tempus rectum exhibet.

cum ex eis et earum observantia iugi non nisi profectus vestri status et monasteriorum vestrorum tam in temporalibus quam in spiritualibus valeat adaugeri. Bene valete semper in Domino et orate pro nobis

Datum loco, anno, capitulo et festo superius annotatis.

In hoc capitulo electus fuit in Ministrum venerabilis pater frater Iohannes de Ravensburgo [1], fratre Rudolpho Erscheim [2] absoluto, et praefuit Provinciae octo annis et haec capitula tenuit: anno Domini 1338 in Dieburgo; 1339 in Rubeaco [3]; 1340 Basileae; 1341 Argentinae; 1342 Moguntiae; 1343 Scaffhusii; 1344 in Wormatia; 1345 in Friburgo inferiori.

Frater Iohannes de Ravensburgo Minister Superioris Alamanniae.

Supradicto anno, scilicet 1337, fecit frater Hermannus de Pelsteyn [4] ad iussum Ministri Saxoniae, fratris Wernheri [5], et rogatum fratrum *Confessorium Casuum*, ubi continentur Concordantiae Clementis, Innocentii, Hostiensis [6], Durandi [7], Vincentii [8], Berii, Alani [9], Damasceni, Scoti, Petri de Sampsona, Iohannis Monachi [10] et Iohannis Andreae super excommunicatis a canone, ac casus Superioribus reservati, et in quibus subditi possunt dispensare, ac informationes in absolutionibus simplicium sacerdotum; et incipit sic: *Terminum posuisti, quem non transgredientur*, in Psalmo [11]; una illa immaculata columba, alma mater Ecclesia etc.

Anno Domini 1338 tenuit dominus Ludovicus imperator Curiam [12] imperialem in Francofurto, ubi, quia Papa Benedictus XII. sententias, contra eum latas a Iohanne Papa, confirmaverat et ei haeresim impingebat, in praesentia Archiepiscoporum, Episcoporum ac Praelatorum, nec non principum, comitum, baronum, nobilium ac vulgi professus est, se esse verum Christicolam per verae fidei confessionem, dicens orationem dominicam et salutationem angelicam et symbolum voce publica, sponte et non coactus. « Et, ut scribit frater Andreas, sancti Magni Ratisbonae Canonicus, et supra dictum est, venerant ad ipsum Imperatorem in Monachium quidam fratrum de Ordine Minorum, ex quibus fuit Franciscus de Asculo et Gulielmus Ockam, a quo quidam dialectici vocantur *Ockamistae,* viri litterati, gratiam Apostolici non habentes, qui formaverunt ei appellationem, qua ipse Imperator in Francofurto appellavit contra sententias Papae in se latas. Verum quia multi huiusmodi appellationi derogabant, ipse Ockam quendam tractatum fecit, qui dicitur *Opus nonaginta dierum*, in quo probare nititur, quod potestates, scilicet pontificalis et im-

---

1 Cod. hic et deinde semper *Ravenspurg;* cfr. supra pag. 111, nota 18.

2 Id est de civitate Erstein; cfr. supra pag. 148, nota 1, ubi cod. scribit *Ersthem.*

3 Vel Rufacum, theut. Rufach in Alsatia. Pro *Dieburgo*, quod est theut. Dieburg in Hassia-Darmstadia, ubi nunc adhuc morantur Patres Capuccini, cod. *Dyeppurg* et deinde *Schaffhusen* pro *Scaffhusii.*

4 Dictum scriptorem nec Waddingus, nec Sbaralea inter Scriptores Ordinis enumeravit.

5 De quo cfr. supra pag. 128 et 143.

6 Id est Henricus (Cardinalis Episcopus Hostiensis 1262-1271), dictus ob scientiam suam *fons legis,* qui scripsit *Summam Ostiensem* nominatam; 7 Gulielmus Episcopus Minatensis (Mende); 8 Bellovacensis (Beauvais); 9 Anglicus; 10 Cisterciensis, qui scripsit Defensorium iuris, quod videsis in « Tractatus illustrium in utraque tum pontificia tum caesarea iuris facultate iuris consultorum » tom. III. p. II. pag. 122 (Venetiis 1584), et de Iohanne Andrea, Bononiensi, ibidem tom. IX. p. 136.

11 Psalm. 103, 9, et deinde respiciuntur Cantica Cant. 6, 8.

12 Cod. legit *curialem*, sed manifeste falso.

perialis, sunt immediate a Deo ac distinctae, quia una, scilicet pontificalis, est in spiritualibus, alia, scilicet imperialis, est in temporalibus; et quod imperium non habetur a Papa; et quod electus in Imperatorem ex sola electione est verus rex Romanorum; et quod Papa non habet universalem iurisdictionem et plenitudinem potestatis in temporalibus, et plura similia. In quibus sicut Minores defendere, sic Praedicatores offendere Imperatorem nitebantur. Ipsi enim Praedicatores sententias interdicti et excommunicationis, in Imperatorem et contra Imperatorem a Iohanne Papa XXII. dudum et ante plures annos latas, tunc primum in Ratisbona et in Landishuto, cum Henricus dux cum Imperatore discordabat, in se receperunt »[1]. Haec ille.

Et decretum sequens Imperator in dicta sua Curia edidit[2].

Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, universis et singulis regibus Christianorum ac Patriarchis et Archiepiscopis, Episcopis, presbyteris, diaconibus, quocumque honoris culmine fulgeant[3], et ceteris Ecclesiarum Praelatis: nec non saecularibus principibus, marchionibus, ducibus, comitibus, baronibus, capitaneis, dominis, potestatibus, rectoribus, iudicibus et officialibus provinciarum et terrarum Romano imperio subiectarum, et ipsarum civibus, incolis et habitatoribus ac omnibus et singulis Christifidelibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, gratiam suam et omne bonum.

Fidem catholicam, quam sancta mater Ecclesia catholica, extra quam nullus salvatur[4], in symbolis, conciliis et traditionibus ipsius Ecclesiae sacrosanctae docet et tenet, firmiter credentes ac fideliter et simpliciter confitentes, et ipsam Ecclesiae sanctae doctrinam in sacris canonibus traditam sequi volentes; quibusdam allegationibus, impugnationibus et[5] oppositionibus, quae contra nos et electionem ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis imperialis, ac contra imperialem auctoritatem, potestatem et dignitatem opponuntur, ne simplicium corda possint inficere, secundum formam sacrorum canonum et legum in[6] his scriptis duximus respondendum[7], et contra ipsos impugnantes et opponentes et eorum dicta procedemus[8], prout inferius continetur.

In primis enim contra nos et imperialem auctoritatem, potestatem et ius imperii allegatur et obiicitur, quod potestas et auctoritas imperialis est a Papa; et quod electus in regem Romanorum ex sola electione non est nec potest dici verus Imperator, nec habet potestatem, iurisdictionem et auctoritatem, antequam inungatur, consecretur et coronetur a Papa, qui, ut dicunt, tam in temporalibus quam in spiritualibus habet plenitudinem potestatis. Ad quae respondemus, hanc oppositionem[9]

---

[1] Ita revera legit cod. ms. Errat itaque cl. D. Sigismundus Riezler, in suo libro « Die literarischen Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwigs des Baiers » (Leipzig, Dunker 1874) p. 309 dicens, verba *in se receperunt* in cod. excidisse et supplenda esse.

[2] Idem decretum habetur in libro « Rerum Germanicarum Scriptores » curante Burcardo Gotthelffio Struve, consiliario et historico Saxonico (Argentorati, an. 1717) tom. I. p. 651 sub titulo: Ludovici Bavari imperatoris scripta publica, n. I, qui inscriptus est: Ludovici IV. imp. Bavariae ducis contra Iohannis XXII. Papae Bullam responsio, concernens iura regni et imperii; cuius lectiones variantes annotamus in notis.

[3] Struve: praefulgeant; [4] nullus omnino salv.; [5] allegat. et; [6] secundum sacrorum can. et leg. tenorem in; [7] dux. respondere; [8] procedimus; [9] opinionem.

sacris canonibus ac iuri et rationi pariter obviare, sicut expresse in Decretis legitur et habetur XCVI.[1] distinctione, capitulo: *Cum ad verum;* et capitulo: *Duo sunt;* et capitulo: *Si Imperator,* ubi expresse dicitur et definitur in haec verba: « Duo sunt quippe, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificis[2], et regalis potestas. Habet quippe Imperator privilegia potestatis suae, quam[3] administrandis legibus publicis divinitus consecutus est. Nec Imperator iura pontificatus, nec Pontifex iura Imperatorum sibi usurpet »[4]. Haec ibi. Ubi Glossa ordinaria dicit[5], quod « istae potestates sunt distinctae, et quod neutra dependet ab altera, et quod Imperator non habet potestatem sive imperium a Papa, sed a[6] solo Deo », XCIII. distinctione, capitulo: *Legimus,* ubi in textu dicitur, quod « exercitus facit Imperatorem »; et Glossa super verbo *Imperatorem* dicit sic: « Ex sola enim electione principum dico eum verum Imperatorem, antequam a Papa confirmetur, ut dixi, LXIII. distinctione, capitulo: *Quanto* »[7]. Haec Glossa. Et hoc etiam probatur in canone, X. distinctione, ubi de potestate pontificali et imperiali loquens, definit in haec verba: « Quoniam mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, sic actibus[8] propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discernit[9], ut christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro succursu[10] temporalium rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio a carnalibus incursibus distaret, et ideo Deo militans (scilicet Papa) minime se negotiis saecularibus implicaret, ac vicissim ille (scilicet Imperator) non videretur divinis rebus praesidere, qui esset saecularibus rebus implicatus ». Haec ibi. Ubi Glossa ordinaria de utraque potestate loquens dicit: « Cum ergo potestates istae distinctae sint, hic est argumentum, quod imperium non habetur a Papa, et quod Papa non habet utrumque gladium. Nam exercitus facit imperatorem, XCIII. distinctione, capitulo: *Legimus;* et imperium a solo Deo habetur, XXIII. q. 4. cap. *Quaesitum;* alioquin[11], si imperium a Papa haberetur, posset in temporalibus ad Papam appellari, quod prohibet Alexander Papa dicens, quod illa (scilicet temporalia) suam iurisdictionem non attingunt, Extrav. *de Appellationibus,* cap. *Si duobus,* et *Qui filii sint legitimi,* cap. *Causam quae inter;* Glossa: Ego[12] credo, istas potestates esse distinctas ». Haec Glossa. Et VIII. dist. cap. *Quo iure* dicitur, quod « iura humana per Imperatores et reges saeculi Deus distribuit generi humano »; et lex dicit, quod « imperium et sacerdotium ab

---

[1] Cod. falso scribit XCIII pro XCVI.

[2] Struve: Pontificum (ita etiam Ius can.); [3] quae; [4] iuria imperatoria usurpat; [5] Glossae ordinariae dicunt; [6] imperium nisi a.

[7] Ita recte invenitur in « Decretum Gratiani, Gregorii XIII. Pont. Max. una cum Glossis iussu editum (In aedibus populi Romani 1582) », ubi dicitur: « Ex sola... confirmetur. Arg. hic, licet non ita appelletur, ut dixi 63. dist. cap. *Quanto,* contrarium est verum. Extrav. *de Electione,* venerabilem, 23. dist. c. *In nomine* ». Cod. autem falso exhibet LIII. dist. cap. *Merito,* et Struve 73. dist. cap. *Quamvis,* quae capitula non sunt in praefatis distinctionibus.

[8] Auctoritate Decreti Grat. et Struve, et contextu exigente, hunc locum correximus, pro quo cod. legit: hominum, Glossa: Christus. Si actibus.

[9] Decretum Grat.: discrevit; [10] cursu (ita et Struve).

[11] Cod. erronee *XXII... quae sicut alioquin,* et Struve falso c. *Quamvis* pro *Quaesitum.*

[12] Struve: inter. Et ita ego.

eodem principio processerunt », in Authenticis: *Quomodo*[1] *oportet, Episcopos et ceteros Clericos ad ordines produci*[2], in principio collationis I. Nec Imperator iurisdictionem Papae, nec Papa iurisdictionem Imperatorum perturbare debet, Extrav. *de Iudiciis*, cap. *Novit.*

Ex quibus omnibus et aliis pluribus, quae brevitatis causa dimittuntur, clare patet, quod potestas et auctoritas Imperatorum a[3] solo Deo, et non a Papa; et quod electus in Imperatorem ex sola electione est rex Romanorum et habet auctoritatem, iurisdictionem et potestatem imperialem, etiam antequam inungatur, consecretur vel coronetur a Papa; et quod Papa non habet in temporalibus dictam plenitudinem.

Secundo[4] obiicitur, quod ille qui se Iohannem Papam XXII. appellabat, per suos processus de facto cassavit, sive nullam, cassam et irritam pronuntiavit electionem de nobis in regem Romanorum factam, asserens in suis processibus, nos administrare non posse iura imperii, et quod administratio imperii ad ipsum Iohannem pertinebat de iure, et alia plura in ipsis processibus asserens, et de facto attentans contra nos et iura imperii et contra ius et libertates illorum, ad quos, vacante imperio, pertinet electio regis Romanorum, et contra iura et[5] libertates principum Alamanniae et subditorum imperii, et contra consuetudines antiquas[6], rationabiliter introductas et observatas, prout in ipsis processibus, immo verius excessibus, continetur. Insuper, post dictos processus quasdam litteras sub Bulla sua dicitur fecisse et per mundum publice transmisisse, in quibus asserit, se totam Italiam ab imperio et regno Alamanniae separasse, insinuans per sua scripta et dicta, quod Papa tamquam dominus universalis non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus potest tam de imperio quam de omnibus regnis et dominiis temporalibus[7] totius mundi ad suum libitum disponere et ordinare.

Ad quae omnia duximus respondendum, quod dicti omnes processus, assertiones et litterae, et omnia et singula, quae per dictum Iohannem in praedictis et circa[8] praedicta gesta seu attentata fuisse dicuntur, fuerunt et sunt nulli et nulla[9] et nullius valoris et momenti, rationibus infrascriptis:

Prima ratio est, quoniam Papa, quantumcumque legitimus sit, non habet talem potestatem nec auctoritatem nec iurisdictionem in temporalibus, et maxime supra iura imperii, quod est immediate a solo Deo, ut evidentius probatum est per auctoritates et[10] iura superius allegata. Unde quidquid dictus Iohannes fecit in praedictis, tamquam a non suo iudice factum nullius fuit momenti, ut probant aperte canones, XI.[11] q. 1. cap. penult., et II. q. 1. cap. *In primis*, iuxta finem; et XVI.[12] q. 1. cap. *Frater noster;* et Extrav. *de Iudiciis*, cap. *At si clericus*, et Extrav. *de Consuetudine*, cap. *Ad*[13] *nostram*, et cap. *Si non a competenti iudice* l. II. et III. et ult., cum similibus.

Secunda ratio est ex eo quod dicti processus, immo verius excessus, fuerunt facti per dictum Iohannem contra nos et in praeiudicium enorme nostrum et illorum,

---

1 Struve: processerunt in actum, authen. quomodo; 2 perduci; 3 auct. imperialis est immediate a; 4 Sed; 5 omittit multa legens: nos et iura... et; 6 antiquitus; 7 sed etiam in temporalibus; 8 contra; 9 dicuntur et sunt nulla; 10 ut evidenter probant canones et.

11 Cod. falso X (scil. Causa).

12 Struve falso *VI.* pro *XVI.*

13 Cod. corrupte legit: *Iudiciis c. Ad.*

qui nos elegerunt in regem Romanorum et aliorum principum Alamanniae et totius imperii: quia[1] notorie falsis causis et nullo iuris ordine servato, nobisque et[2] quorum intererat, absentibus et nullo modo legitime monitis nec citatis. Unde cum sacri canones et iura divina et humana decernant, sententias et processus quoscumque promulgatos absentibus his, quorum causa agitur sive ventilatur, et eis legitime non monitis nec citatis, nullius existere firmitatis, III. q. 9. per totum, ubi etiam legitur[3], sanctos Pontifices definisse in haec verba: Omnia quae adversus absentes in omni negotio aut loco aguntur aut iudicantur, irrita erunt et evacuantur omnino, nec aliquam obtinent firmitatem, quia divinae et humanae leges haec fieri prohibent, ut Extrav. *de Testibus*, cap. *In nomine Domini*, et in Authenticis *de Testibus*, § *Haec vero*, collat. 7, et ff. *Quae sententiae sine appellatione rescindendae*, lex 1, § *Ex hoc edicto*, et cap. *Quomodo et quando iudex*, l. *Ea quae*[4]. Et maxime in causis, quae Summi Pontificis iudicio deciduntur, ordo iuris et vigor aequitatis est subtiliter observandus, Extrav. *de Sententia et re iudicata*, cap. *In causis*. Sequitur, quod dicti processus, immo verius excessus, fuerunt[5] nulli et nullius valoris penitus et momenti.

Nec obviat, si dicatur, quod dictus Iohannes in civitate Avenionensi[6] Provinciae existens cum sua Curia per suas litteras, quas dicitur ad fores ecclesiae maioris Avenionensis appendi fecisse, nos nobis absentibus[7], citavit; quoniam talis citatio, esto quod appareret, nulla fuit nec est dicenda legitima, rationibus infrascriptis:

Prima ratio est, quia secundum canones et iura, ad hoc ut censeatur et dici possit citatio legitima[8], necesse est, quod is qui citandus est, citetur aut personaliter, si inveniri potest, aut si non potest inveniri, publice citetur ad domum suam; alias nisi sic citetur, non potest contra ipsum procedi, ut aperte probatur, IV. q. 5. cap. *Quisquis*, et Extrav. *de Dolo et contumacia*, cap. *Causam*[9], in textu et Glossa, et in cap. *Venerabilis*, in fine, et *de Clericis non residentibus*, cap. *Ex tuae*, et Extrav.[10] *Qui matrimonium accusare possunt*, cap. 1, et[11] *De eo qui mittitur in possessionem causa rei servandae*, cap. ultimo, et ff. *Ex quibus causis maiores*, l. Item ait, § *Hoc autem*, cum similibus[12]. Et si proceditur processus, nullus est et nullius momenti, ut dicitur in superius allegatis iuribus, III. q. 9. cap. *Caveant*, et ff. *Quae sententiae sine appellatione rescindendae*, lex 1, et cap. *Quomodo et quando iudex*, lex *Ea*[13] *quae*. Ex quibus omnibus clare patet — dico sine[14] praeiudicio —

---

[1] Struve *ex* pro *quia* et deinde *fori origine* loco *iuris ordine*.

[2] Supple *aliis*, quod legit Struve.

[3] Cap. IV: Omnia... iudicantur, omnino evacuentur: quoniam absentem nullus addicit, nec ulla lex damnat. — Struve falso legit *q. 4.* pro *q. 9.*

[4] Ita citatio recta, quam etiam exhibet Struve, p. 657 et 662. Cod. vero legit corrupte: prohibent, et Extrav... Domini § et haec vero, collat. 7, § quae finem sine appell. re facta l. 1, et § ex hoc edicto, et C. omnino et quando iudex, et ea quae.

[5] Cod. vitiose legit *ferunt*.

[6] Struve hic et deinde Avenionis; [7] nos absentem.

[8] Struve: citatio firma.

[9] Cod. corrupte: et l. contra cap. Causamque.

[10] A nobis, tit. 18. lib. 4; [11] Constitutus, tit. 15. lib. 2.

[12] Cod. legit vitiose: maiores § Item ait § Haec autem et similibus.

[13] Cod. corrupte ita: sententiae facti appell... quando vide ea.

[14] Struve: quibus iuribus... patet, dato sine.

quod si talis citatio per litteras in civitate Avenionensi appensas reperiretur facta fuisse, quod nihilominus processus, per ipsum Iohannem factus, fuisset irritus et inanis.

Secunda ratio est, quia ad hoc, quod citatio de iure legitima censeatur et arctet citatum [1] ad veniendum, necessarium est, quod assignetur illi qui citandus est, terminus et locus ad comparendum securus, prout manifeste probant iura, Extrav. *de Appellationibus*, cap. *Ex parte tua*, et XXXIII. q. 2. cap. *Sive de coniugii foedere.* Ibi providendus est locus, in quo nulla vis multitudinis formidetur, nec sit difficile testem producere et ceteras [2] personas, quae tam a sanctis canonibus quam a venerandis Romanis legibus in huiusmodi controversiis requiruntur. Haec ibi. Et III. q. 9. cap. *Hortamur*, et Extrav. *Ut lite non contestata*, cap. *Accedens*, et ff. *de Iudiciis*, l. *Si locus.* Sed notorium et indubitatum existit, quod dictus Iohannes tam nos quam imperii nostri fideles ac amicos odio capitali et etiam hostili exercitu prosequebatur de facto, et civitates et iura imperii sibi usurpare et subiugare, quantum poterat, conabatur. Civitas quoque Avenionis, in qua idem Iohannes cum suo consistorio morabatur, et ad quam nos, ut dicitur, per suas litteras evocabat, et ille, qui illius civitatis dominium detinebat, nos et Romanum imperium habebat odio notorio et antiquo. Unde patet, quod desiperet [3] qui diceret vel sentiret, talem citationem nos ad comparendum modo aliquo coarctasse. Quis enim auderet dicere, quod nos talis consistorii in tali loco periculoso teneremur subire iudicium, et in hostium nostrorum ponere sinum et ad mortis periculum ultronee nos offerre? Patet igitur, quod talis citatio, si facta reperiretur de nobis, foret penitus irrita et inanis.

Tertia ratio sumitur ex eo, quod in sacris canonibus et legibus statuitur, ut nullus in propria causa possit iudicare, vel ius sibi dicere, ut probatur XXIV. q. 4. cap. *Inter querelas*, et q. 5. cap. *De occidendis*, et IV. q. 4. cap. 1. et cap. *Ne quis in causa propria iudicet, vel ius sibi dicat.* Sed manifestum et notorium est adeo, ut nulla possit tergiversatione negari, quod praedictus Iohannes de facto contendebat, quod ipse non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus et in nos et in totum imperium et iura imperii habebat plenitudinem potestatis; et quod super hoc contra nos controversiam et litigium de facto movebat, et iura imperii etiam hostiliter sibi usurpare pro viribus conabatur, et nos et imperii nostri fideles, quantum poterat, tamquam adversarius, hostis et inimicus noster et imperii persequi nitebatur. Unde et contra eum tamquam adversarium, inimicum et hostem nostrum et imperii pro defensione nostra et fidelium nostrorum et iuris imperialis et fidei catholicae appellamus ad futurum generale concilium, in loco tuto et securo, modo debito et secundum formam sacrorum canonum congregandum. Ex quibus sequitur manifeste [4], quod dicti processus, immo verius excessus, per dictum Iohannem contra nos et fideles nostros et iura imperii facti fuerunt in propria causa et temere et perperam attentati, et quod ipse in ipsis processibus se iudicem simul et partem effecit [5].

---

[1] Cod. legit falso: ac arceatur citatus.

[2] In Iure can.: testes producere vel personas.

[3] Struve falso: deciperet.

[4] Cod. vitiose legit *maxime*.

[5] Struve continuat: ac per consequens, quod fuerunt irriti et nullius penitus firmitatis.

Tertio obiicitur contra nos, quod dictus Iohannes tam in nos quam in omnes sequaces et fideles nostros, habentes et tenentes nos pro Imperatore vero et legitimo, et [1] nobis tamquam Imperatori obedientes et reverentiam exhibentes, et in omnes [2] admittentes nos ad divina seu nobiscum participantes in divinis, aut divina officia celebrantes coram nobis et praebentes nobis auxilium, consilium et favorem, de facto excommunicationis sententiam fulminavit, et Ecclesias et Universitates, quae contra facerent, ecclesiastico supposuit interdicto. Verum dicitur [3], quod sententia pastoris sive iusta sive iniusta servanda est et tenenda.

Ad quae respondemus et dicimus, quod secundum sacros canones huiusmodi [4] sententiae et processus fuerunt et sunt nullae et nulli, ac nullius valoris [5] penitus et momenti; nec sunt aliquo modo timendae nec servandae, nec timendi nec servandi. Quod evidenter ostenditur et probatur rationibus infrascriptis:

Prima ratio sic sumitur. Certum est, quod [6] cum Praelatus Ecclesiae in suo mandato excedit formam et potestatem a sacris canonibus sibi traditam, et in contra mandatum huiusmodi facientes excommunicationis in singulares personas et in Ecclesias et Universitates sententias interdicti promulgat, tales sententias [7] non tenere, sed ipso iure nullas [8] fore et nullatenus observandas [9], ut probatur per illud quod legitur et notatur, Extrav. *de Excessibus Praelatorum*, cap. *Cum ad quorundam*. Temerarium enim et indignum est aliquid [10] sibi sua auctoritate usurpare, et praesumere debemus, quod [11] Romana Ecclesia, catholica et apostolica non excedat [12], Extrav. *de Privilegiis*, cap. *Sane*. Sed, ut superius probatum est evidenter, dicta Romana Ecclesia catholica et apostolica non excedit [13], sed prohibet Papae ius imperii et potestatem in temporalibus usurpare, quia, ut dictum est, ista Papae iurisdictionem, quae solum in spiritualibus est, non attingunt vel non contingunt, ut in superius allegato textu Extrav. *de Appellationibus*, cap. *Si duobus*. Et manifestum est, quod dictus Iohannes per suas antedictas sententias excessit formam et potestatem Papae traditam, quia ius imperii et potestatem in temporalibus sibi usurpare conatus est, contra sacrorum canonum constituta: ergo huiusmodi sententiae fuerunt et sunt nullae et nullatenus observandae. Et hic est unus de casibus expressis, in quibus excommunicationis sententia non est aliqualiter timenda nec servanda [14].

Secunda ratio sic sumitur. Certum est de iure, quod [15], ubi error expressus est in sententia vel mandato praesidentis, puta quia praecipit, quod non obediatur suo Superiori, vel praecipit aliquid contra Deum vel contra sacram Scripturam, talis sententia nulla, immo est nullius momenti, nec timenda nec aliqualiter observanda, ut probatur per id quod legitur, Extrav. *de Sententia excommunicationis*, cap. *Venerabilibus*, iuxta finem, libro VI, et II. q. 4. cap. *Si quis presbyter*, cum duobus cap. seqq.

---

[1] Struve: Imp., nomine et honore, et; [2] omnibus; [3] supp. iudicio. Unde dicitur; [4] canones et iura huiusmodi; [5] nullae ac nullius firmitatis nulliusque valoris.

[6] Ita legunt cod. et Struve, sed valde incongrue, quia postea, constructione recta postposita, ponunt accusativum cum infinitivo. Notandum tamen est, quod talis constructio etiam in aliis huiusmodi diplomatibus saepe saepius occurrit.

[7] Struve: talem sententiam; [8] nullam; [9] observandam; [10] aliquem; [11] usurpare quod; [12] non concedit; [13] concedit.

[14] Struve: quibus sententia de excommunicatione nullatenus observanda.

[15] In cod. desideratur hoc verbum *quod*.

Et idem est, ubicumque sententia est ipso iure nulla, ut probatur aperte per id quod legitur et notatur, Extrav. *de Sententia excommunicationis*, cap. *Per tuas*, et Extrav. *de Procuratoribus*, cap. *In nostra praesentia*, in fine; et Extrav. *de Crimine falsi*, cap. *Super eo*, Extrav. *de Sententia et re iudicata*, cap. 1. Sed manifestum est, quod dictus Iohannes in dictis suis processibus et sententiis expressit, quod non obediatur nobis, cui omnes imperio subiecti obedire et reverentiam exhibere secundum divina et humana iura sunt astricti, et haec fecit, volendo sibi ius imperii et potestatem omnimodam in temporalibus contra Deum et iustitiam usurpare, ad quae non extenditur, ut dictum est, eius auctoritas et potestas Ergo ipsae suae sententiae fuerunt et sunt nullae et nullius penitus firmitatis, nec fuerunt nec sunt quomodolibet observandae nec timendae.

Tertia ratio sic sumitur. Manifestum est, quod, quando sententia excommunicationis, vel interdicti prolata [1] est post appellationem legitimam, nulla est nec est aliqualiter [2] timenda nec servanda, ut probatur aperte, Extrav. *de Officio et potestate iudicis*, cap. *Cum olim Abbas*, in fine, et Extrav. *de Sententia excommunicationis*, cap. *Venerabilibus*, in fine, et Extrav. *de Appellationibus*, cap. *Ad haec quoniam.* Et per id quod legitur et notatur, Extrav. *de Sententia excommunicationis*, cap. *Per tuas*, in Glossa ordinaria, et tam per dominum Hostiensem [3] quam per alios doctores. Sed notorium et manifestum est, quod nos dudum contra dictum Iohannem et processus, quos ipse de facto fecit contra nos ac potestatem et auctoritatem imperialem, et in praeiudicium et derogationem fidei catholicae, quam sancta Romana Ecclesia hactenus [4] docuit, credidit et tenuit, et docet, credit et tenet, appellavimus ad futurum generale concilium in loco securo et congruo congregandum, et ad sanctam matrem Ecclesiam catholicam; quae appellatio fuit ad ipsius Iohannis notitiam deducta, prout notorium et manifestum est. Et constat etiam per legitima documenta, quod ipse [5] Iohannes post et contra dictam appellationem promulgavit et protulit de facto contra nos et fideles nostros ac nos sequentes et nobis praebentes auxilium, consilium et favorem dictas excommunicationis et interdicti sententias — si sic dici possunt — ergo fuerunt et sunt nullae et nullius valoris et momenti, nec sunt aliquo modo timendae nec servandae.

Nec obstat quod dicitur, quod Papa non habet superiorem, unde, ut aliqui garriunt, non potest modo quolibet [6] appellari. Et vere non obstat: quoniam manifestum est secundum doctrinam catholicam sacrorum canonum [7], ubi de fide sive de iure divino agitur, subest conciliis, ut patet per id quod legitur et notatur, XX. dist. cap. *Sicut sancti*, in textu et Glossa; et XXV. q. 1. cap. *Sicut quidam*, cum capitibus sequentibus, et XIX. dist. cap. *Anastasius*, ubi Glossa ordinaria super verbo *concilio* dicit sic: « Videtur ergo, quod Papa tenetur requirere consilium Episcoporum; quod verum est, ubi de fide agitur, et revera [8] Synodus maior

---

[1] Struve: Interdicti, quae prol.; [2] aliquatenus.

[3] Scil. in Apparatu super cap. *solet*, et in Summa, ut legit Struve.

[4] Struve: Ecclesia firmiter hactenus; [5] documenta. Et quia ipse.

[6] Struve legit rectius: potest ab ipso quomodolibet.

[7] Supple cum Struve: quod Papa.

[8] Textus Glossae in Decreto Gratiani et apud Struve exhibet *tunc* pro *revera* et paulo ante *concilium* loco *consilium*.

est Papa, XV. dist. cap. *Sicut sancti*, in fine». Haec Glossa ordinaria. Et quod Papa, ubi de fide agitur, habeat superiorem in terris, a quo possit iudicari, et per consequens ad ipsum eius superiorem valeat appellari, probatur etiam per illud quod legitur et notatur XL. dist. cap. *Si Papa*, ubi expresse definitur, quod «Papa a nemine iudicari potest, nisi deviet a fide catholica». Ergo si Papa deviat a fide, habet superiorem in terris, a quo potest iudicari, et per consequens ad ipsum[1] appellari. Hoc etiam patet per illud quod dicit Augustinus in Epistola ad Glorium et Eleusium et reliquos Donatistas, ubi de concilio Papae et collegii Cardinalium scribit dicens sic: «Quasi non eis dici possit et adhuc iustissime dici[2]: Ecce putemus, illos qui Romae iudicaverunt Episcopos non bonos iudices fuisse. Restabat adhuc plenarium Ecclesiae universalis concilium, ubi et cum ipsis iudicibus causa possit agitari, ut si male iudicasse convicti essent, eorum sententiae salvarentur». Haec Augustinus.

Ex quibus et aliis pluribus auctoritatibus, quae causa brevitatis dimittuntur, evidenter patet, quod concilium universalis Ecclesiae catholicae, ubi de iure divino agitur sive de fide, maius et superius est concilio Papae et Cardinalium, et ipsum solvit et tollit, si ipsi repugnant. Cum ergo pro defensione iuris imperii, quod est a iure divino, et fidei catholicae appellaverimus ad generale concilium, in loco tuto et securo congregandum, sequitur, quod appellatio nostra fuit interposita ad superiorem, ad quem legitime potuit appellari. Plures quoque aliae rationes et causae sunt, ex quibus ostenditur evidenter, quod praedictae sententiae sunt et fuerunt nullae ac nullius valoris et momenti, nec fuerunt nec sunt timendae nec aliqualiter observandae; quae rationes et causae in appellationibus et provocationibus[3], contra adversantes nobis et nostrum hoc imperium et fidem catholicam, quam sancta Romana tenet Ecclesia, impugnantes, solemniter interiectis, seriosius explicantur, quas omnes seriatim praesentibus litteris explicare prolixitatem nimiam generaret[4]. Quam ob rem denuntiamus et dicimus, processus et sententias, de quibus superius dictum est, fuisse et esse nullius valoris, roboris et momenti et nullatenus observandas; ac universis et singulis sub nostro imperio degentibus, cuiuscumque status, dignitatis aut conditionis existant, districte praecipimus et mandamus, quatenus nulla singularis persona, aut communitas vel universitas dictas sententias excommunicationis et interdicti praesumant observare aut sustinere quomodolibet observari. Quicumque autem contra hoc nostrum mandatum praesumpserit facere vel venire, eos[5] omnibus feudis[6], quae ab imperio tenent, ac omnibus gratiis, privilegiis, libertatibus et immunitatibus, a nobis vel praedecessoribus nostris eis concessis, ex nunc privamus. In quorum omnium testimonium et fidem praesentes litteras fieri fecimus et nostrae imperialis maiestatis sigillo iussimus communiri. Et ut ipsae litterae ad communem omnium notitiam deducantur, eas in maioris ecclesiae Francofurti ostiis appendi fecimus, quae hunc processum nostrum suo quasi sonoro praeconio publicabunt, ita quod nullus possit praetendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eum praedicta

---

[1] Supple: potest.

[2] Verba: Quasi... dici, omisit cod., vel potius exhibet loco eorum spatium vacuum.

[3] Ita recte Struve, cod. *pronotationibus*.

[4] Struve: explicare prolixum minium videretur. Quam.

[5] Struve legit rectius *eum* pro *eos*, *tenet* loco *tenent* et *ei* pro *eis*.

[6] Cod. *feodis* et deinde *emunitatibus* pro *immunitatibus*.

non pervenerint, cum [1] non sit verisimile occultum manere et incognitum remanere quod tam patenter fuerit omnibus publicatum.

Datum in oppido nostro Francofurto, VI. die mensis Augusti, anno Domini MCCCXXXVIII, regni nostri XXIII, imperii vero XI.

Has litteras, in sui excusationem editas, iussit Imperator per orbem transmitti.

Eodem anno misit rex Tartarorum, nomine Ganzi [2], honorabiles nuntios ad Papam Benedictum, petens, sibi viros mitti Religiosos in Lege divina ad plenum eruditos pro salutifera gentis suae conversione, et ipse Imperator baptizatus est per Fratres Minores.

Anno Domini 1339 frater Iacobus de Porta in conventu Basileensi, coarctante eum conscientia, in festo sancti Petri ad Vincula [3] supplicavit et rogavit magistrum Iohannem Schilling, publicum notarium, super signis et miraculis factis, quod Virgo Maria impetravit indulgentiam plenariam peccatorum dicentibus orationem: « Dulcis Virgo Maria, admoneo te, quod tu stes ante Filium et ostendas pectus et ubera » etc.

Frater quoque Adam, magister in sacra theologia de Anglia, in Basileam venerat, ut consuleret eundem fratrem Iacobum de Porta.

Et sequenti anno examinaverunt frater Iohannes de sancto Amarino, sacerdos, praedicator et confessor, iurisperitus, Prior dominorum Iohannitarum domus Basileensis, et frater Iohannes ad Equum, sacerdos, praedicator et confessor, quondam commendator eiusdem domus, miracula supradicta et suis sigillis communita domino Richardo, Episcopo Bisaciensi, ostenderunt. Qui veniens Basileam, examinavit fratrem Iohannem ad Vitem, magistrum novitiorum, qui fuerat praesens in examinatione multorum miraculorum, et sic facta similiter sigillis suis consignaverunt.

Anno Domini 1340, « mortuo domino Henrico, duce Inferioris Bavariae, cum principatus et ducatus in manus et potestatem Ludovici imperatoris venisset, Praedicatores in Landishuto, qui divina non nisi clausis ianuis celebrabant, cum quodam satrapa, dicto Conradus de Deck [4], clam composuerunt, ut violentiam ostendendo, occasionem vel excusationem eis pararet divina publice celebrandi; quod et factum est. Cum enim Imperator in Landishuto esset, tunc quadam die venit dictus Conradus de Deck cum accensis faculis in monasterium ipsorum Praedicatorum, clamitans sic iratus et furibundus, ut sine mora divina publice celebrarent, aut suae ecclesiae et omnium rerum suarum in instanti incendium paterentur. Qui mox occasione excusatoria inventa et ficte composita, absolutione [5] et dispensatione non exspectata, divina publice celebrare coeperunt ».

« Praedicatores in Ratisbona, cum circa viginti annos divina clausis ianuis celebrassent, et dominus Papa nullam eis gratiam faceret, dixerunt, quendam Episcopum cum eis dispensasse, et sic divina publice celebrare coeperunt ». Haec frater Andreas, Canonicus sancti Magni Ratisbonensis, in sua chronica.

Eodem anno fuit generale capitulum Assisii celebratum. Et frater Gerardus, Generalis Minister, in locum Carceris sancti Francisci sub Assisio, in quo idem sanctus

---

[1] Apud Struve: pervenerint, sive quod ea ignoraverit, cum.

[2] Rectius Chansi, de quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1338, n. VIII.

[3] Id est die 1 Augusti.

[4] Chronica Andreae Ratisbonensis, in quibus haec et sequentia inveniuntur, scribunt *Degk*.

[5] Chronica modo cit. bene adiungunt *papali*.

Pater cum sociis austeram et solitariam vitam ducens, frequenter morabatur, eiectis inde vagis fratribus, fratres poenitentia rigidos et vita austeros ad morandum locavit. Et dum idem Generalis Minister per Sclavoniam ad Hungariam ad Carolum, regem Hungariae, patrem Ludovici, regis Hungariae, pergens transiret per Bosniam, patriam quasi totam haereticis populatam, zelo succensus ad bonum eiusdem patriae principem accessit et ipsum ad fidem orthodoxam convertit et reduxit ad Ecclesiae unitatem. Deinde multos fratres de diversis partibus illuc ad praedicandum haereticis destinavit. Qui multos ibidem ad fidem veram reducentes, multas ecclesias erexerunt et diversis locis receptis, facta est ibi Vicaria, quae hodie Bosnensis vocatur. Et in eadem Vicaria est sepultus frater Iohannes de Aragonia, vir magnae perfectionis [1].

Item fuit capitulum Basileae.

Anno Domini 1341 misit dominus Papa Benedictus ad supplicationem superius dicti magni Imperatoris Tartarorum Ganzi ad praedicandam ei et populo eius fidem catholicam duos legatos de Ordine Fratrum Minorum, videlicet fratrem Nicolaum Boneti, sacrae theologiae magistrum, et fratrem Iohannem, oriundum de Florentia. Dictus autem frater Nicolaus Boneti certis ex causis ad Curiam est reversus, frater vero Iohannes cum suis fratribus legationem complevit [2]. Alibi legitur, quod miserit centum Fratres Minores, inter quos multos Episcopos ordinavit, quia idem Imperator alios Religiosos habere noluit. Qui cum essent prope Amalech, idem Imperator decessit, qui fratres in tantum diligebat, quod fratrem Franciscum de Alexandria, qui eum a cancro et fistula miraculose liberaverat, patrem suum vocaret et ei proprium filium traderet ad nutriendum et postea ad baptizandum. Post cuius obitum factus est alius Imperator Saracenus, qui cepit omnes Fratres Minores in conventu Amalech existentes, videlicet praedictum fratrem Franciscum, fratrem Richardum de Burgundia, Episcopum, et fratrem Raymundum Ruffi, Provincialem de Alexandria, et alios cum eis, qui aedificabant ecclesiam, quam eis defunctus Imperator concesserat, quos diversis poenis afflictos demum gladio decapitari iussit. Martyrizatus tunc

---

[1] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 159. v. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1340, n. VI. seqq., qui tamen n. XII. de capitulo dicto, Assisii celebrato, multum dubitat, quia « praeter Marianum et Marcum Ulyssiponensem nullus alius eius meminerit, neque in monumentis Vaticanis ullum occurrat vestigium, in quibus communiter exarantur epistolae Pontificiae ad singula capitula directae ». Et revera, si diplomata papalia ab ipso Waddingo, n. VII. (ad Carolum regem) et n. VIII. (ad Gerardum Ministrum) citata, quae sunt responsiva illarum epistolarum, quas Papa ab eisdem acceperat, recte exhibent datum (2. kldas Martii (ultimo Februarii) an. pontificatus VI.), tunc sane dicendum est, quod aut capitulum generale hoc anno non coactum fuerit, aut post reditum Gerardi ex Bosnia celebratum. Ex quo tunc sequeretur, quod Gerardus iam anno 1339 in Hungariam et Bosniam profectus esset et post capitulum an. 1340 factum fratres ad Bosniam destinasset; quod multum probabile est. Certum enim est ex documentis, quod ante 1340 nullus conventus in Bosnia exstiterit. Primus Episcopus Bosniae erat fr. Peregrinus de Saxonia, quem Gerardus vocavit, ut Germanis, qui ibi laborabant in fodiendis metallis, in sacris assisteret. — Cod. semper legit *Bosna* pro *Bosnia*.

[2] Ita etiam chron. XXIV Gen., f. 160. r. c. II, Marianus et Marcus Ulyssip., sed errant cum auctore nostro, ut iam Wadding., l. c. ad an. 1338, n. X. recte animadvertit, circa tempus et numerum legatorum, cum haec missio, sicut ex litteris papalibus clare apparet, a Papa sub dato: Avenione 2 kldas Nov. an. pontif. IV. (id est 1338) delata sit fr. Nicolao Boneti, Nicolao de Molano, Iohanni de Florentia et Gregorio de Hungaria.

etiam fuit interpres Episcopi Cambaliensis [1], Gulielmus de Mutina, et quidam mercator [2] Ianuensis, similiter frater Paschalis, socius praedictorum fratrum, qui ante triennium de Amalech imperii Medorum litteras in Hispaniam fratribus Victoriensis conventus miserat [3].

Eodem anno celebravit frater Iohannes de Ravensburgo Minister capitulum in Argentina; in quo capitulo edidit statuta, decem titulos sive rubricas continentia, quorum prologus est talis:

In Christo sibi carissimis fratribus universis Provinciae Alamanniae Superioris frater Iohannes de Ravensburgo, Minister et servus fratrum praedictae Provinciae, pacem et salutem ac continuum gratiae salutaris a Domino incrementum.

Cum ex piis caritatis visceribus vos omnes et singulos una mecum irreprehensibiles cupiam et sine crimine reperiri, ac pacis vinculum custodire satagens ad observantiam regularis disciplinae, statuta quaedam provincialia inferius annotata, aliis provincialibus [4] suspensis omnibus, de consensu Definitorum et totius capituli Argentinensis assensu, sub anno Domini MCCCXLI in festo Pentecostes celebrati, vobis transmitto distincta per titulos ad modum generalium statutorum, fideliter observanda. Et ne ignorantia statutorum salubrium, tam papalium quam novorum generalium ac provincialium, sit occasio delinquendi, praecipio singulis Guardianis et eorum Vicariis per obedientiam salutarem, ad quod Custodes invigilent attentius, negligentes puniendo, ut infra sex septimanas semel ad minus legi faciant ordinate et integre nova statuta generalia Assisii nuper edita, nec non ista provincialia vobis, ut praemittitur, transmissa ac cum discussione multa diligentius ordinata.

Primus titulus: de Religionis ingressu. In primis itaque statuimus, ut nullus puer de cetero recipiatur ad Ordinem nostrum, nisi tertium decimum annum compleverit in aetate. Si vero receptionem aliquorum infra praedictos annos Minister ex causa rationabili duxerit admittendam, huiusmodi recepti, nisi aetatis suae anno decimo et tertio completo, minime vestiantur.

In vestitione novitiorum oblationes cedant conventibus totaliter sine dispensatione cuiuscumque.

Conceditur Custodibus, quod ipsi possint notabiles et solemnes personas hoc desiderantes in mortis articulo recipere et pro tunc vel post mortem easdem vestire.

Ordinat Minister de consilio Discretorum, quod omnes novitii, tam recepti quam recipiendi, in posterum toto novitiatus sui tempore, usque dum professionem

---

[1] Scilicet magister Iohannes de India, tertii Ordinis S. Francisci, fratrum opera ad fidem conversus. — Cambalic vocatur nunc Peking.

[2] Ita legit cod. contra chron. XXIV Gen., f. 160. v. c. I, et Wadding., l. c. ad an. 1342, n. VIII, qui legunt: Gulielmus de Mutina, mercator Ianuensis. — Notandum, quod quoad tempus, quo dicti fratres passi sunt, non conveniunt scriptores. Dum enim Barth. Pisanus conf. 8. et Rodulphus, Hist. Seraph. f. 118, passionem reiiciunt in an. 1340, vult Wadding., l. c. (cui consentit P. Marcellinus, l. c. tom. III. p. 671), eam evenisse an. 1342 circa festum S. Iohannis Baptistae, nisus auctoritate Mariani et Marci Ulyssip., et etiam chronicorum antiquorum (i. e. XXIV Gen.), quae tamen conveniunt cum nostro auctore.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1342, n. IX. X, ubi habentur memoratae litterae.

[4] Supple: statutis.

fecerint in manus Praelati recipientis eosdem, portent caparonem ad obviandum periculis et in signum distinctivum. Et ut novitii huiusmodi in cantu, divino officio, vita et moribus minime negligantur, Custodes sint valde solliciti, magistros et novitios, si oppositum factum fuerit, acriter puniendo.

De qualitate habitus; secundus titulus. Custodes per obedientiam salutarem solliciti sint de fratribus pauperibus induendis, ita quod totum conventum, a quo ille frater vestiendus est, suspendat ab omni pietantia carnium et piscium tamdiu, quamdiu huiusmodi pauperibus de vestibus minime est provisum. Caveant autem fratres huiusmodi vestitum petentes, ne expendant eleemosynas in propinationibus, iocalibus et alias inutiliter quoquomodo. Et fratres pauperes vestiti taliter non distrahant vendendo vel dando cuiquam huiusmodi vestitum, sine expressa licentia Guardiani donantis. Qui vero et in quibus sint indigentes, iudicent Custodes de consilio Discretorum. Caveant omnes fratres totius Provinciae, ne nimis nigris seu curiosis habitibus vestiantur, alias per Custodes eis auferantur.

Et his statutis satis intelligi datur, quod fundamenta Ordinis per negligentiam Praelatorum, ad honores et dignitates ecclesiasticas aspirantium, in Conventualium multitudine concussa, si non penitus eversa tunc erant. Nam ipsi Curias Pontificum sequentes, mittebant suos Vicarios, immo suos fautores, qui fratres plus exasperabant quam emendabant. Misit namque frater Gerardus, Generalis Minister, anno Domini 1340 ad capitulum Glatzense Provinciae Bohemiae tres socios suos, qui plenam auctoritatem habentes, plures novitates in eadem Provincia fecerunt. Similiter fiebat in Provinciis Bohemiae, Alamanniae et Saxoniae, ad quas circa tempora Bonifacii VIII. et suorum antecessorum visitatores mittebantur: ex Hungaria frater Mathias et frater Bolandus, ex Dacia frater Thomas et frater Alanus, donec Ordo penitus a sua primaeva puritate collapsus est; quod circa tempora Iohannis XXII. propter contentiones et divisiones ac relaxationes multimodas factum esse, qui superiora diligenter perlegerit, noscet[1].

Anno Domini 1342 tempore vernali, die XXV. Aprilis, moritur Benedictus Papa XII, et VII. die Maii assumitur ad papatum dominus Petrus Rogerii, doctor in theologia Ordinis sancti Benedicti, tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter Cardinalis, et Clemens VI. vocatur. Qui fecit eodem anno dominum fratrem Heliam de Nabinali de Provincia Aquitaniae, tunc Patriarcham Ierosolymitanum et Archiepiscopum Nicosiensem, sancti Vitalis presbyterum Cardinalem[2].

Dominus Clemens Papa VI.

Michael quoque de Caesena, olim Generalis Minister, non obstante depositione de eo facta, scribens se adhuc Generalem Ministrum, instituit hoc anno duos procuratores nomine Ecclesiae Romanae auctoritate Martini IV, per dominum Iohannem XXII. dudum evacuata.

Honorabilibus et discretis iudicibus ordinariis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, delegatis et subdelegatis a Sede Apostolica, seu alio vel aliis quocumque vel quibuscumque arbitris vel arbitratoribus, ac aliis universis et singulis iudicibus quibuscumque frater Michael, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, salutem et orationes in Christo devotas.

---

[1] Cfr. supra pag. 104. — [2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 162. r. c. I; de fr. Helia cfr. supra pag. 145, nota 2, et Wadding., Scriptores Ordinis nec non Sbaralea, Supplementum ad Scriptores Ordinis.

Cum omnium rerum mobilium et immobilium, quibus fratres nostri uti possunt, ius, proprietas et dominium ad Romanam Ecclesiam pertinere, nullo medio dignoscatur, discretioni vestrae Iohannem Schitonem et Grimoldum Treslonem, cives Monacenses, auctoritate Apostolica mihi in hac parte commissa, veros et legitimos procuratores, administratores, oeconomos [1], syndicos et actores Sedis Apostolicae nomino ad recipiendum res Ordini et fratribus Provinciae Alamanniae Superioris legatas, donatas vel concessas ac in ultima eis voluntate relictas, et alias eleemosynas quascumque ac earundem rerum et eleemosynarum pretium nomine Ecclesiae Romanae in fratrum praedictorum utilitates iuxta regulam nostram, seu declarationes ipsius regulae convertendas. Qui etiam procuratores, administratores, oeconomi, syndici et actores petendi et erigendi, recipiendi, alienandi praedicta transigendi et paciscendi, conveniendi, impetrandi litteras Apostolicas vel alias iustitiam, seu gratiam continentes, in iudices et in loca conveniendi, recusandi, compromittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas ipsorum fratrum de calumnia vitanda et veritate dicenda iurandi, et etiam cuiuslibet alterius generis iuramentum praestandi, sententiam seu sententias definitivas vel interlocutorias audiendi, nec non appellandi, appellationis seu appellationum causas prosequendi cum illis et contra illos, qui huiusmodi res mobiles seu immobiles ac ipsarum pretium, vel relictas eleemosynas fratribus in testamentis occuparent vel violenter auferrent, seu contra voluntatem fratrum quomodolibet detinerent, seu ipsis in personis seu in rebus aliquas iniurias irrogarent. Et generaliter in omnibus causis pro rebus et locis huiusmodi ad Romanam Ecclesiam spectantibus, fratrum praedictorum usibus concessis, nec non praedictis iniuriis et violentiis, immunitatibus, libertatibus, iuribus ac privilegiis fratrum eorum sine cuiuslibet satisfactionis, satisdationis et cautionis onere in iudicio vel extra, auctoritate Apostolica in praemissis plenam, generalem et liberam habeant facultatem et potestatem iuxta continentiam litterarum Sedis Apostolicae concessarum Generali et Provincialibus Ministris et Custodibus nostri Ordinis universis, donec ipsam duxero revocandam. In cuius nominationis praedictorum procuratorum, administratorum, oeconomorum, syndicorum et actorum testimonium praesentes litteras sigilli mei officii munimine roboravi.

Datum Monachii, anno Domini MCCCXLII, nono kalendas Maii.

Hoc anno fecit dominus Clemens Papa VI. fratrem Gerardum Ministrum Patriarcham Antiochenum et Episcopum Catanensem in Sicilia, et instituit Vicarium Ordinis Generalem fratrem Fortanerium Vassalli, sacrae theologiae magistrum de Aquitania, tunc degentem in conventu Avenionis, qui dicto Gerardo in officio successit [2].

Eodem anno, mense Septembri, dilectus pater frater Dominicus de Bartha [3], Minister Aquitaniae, rediens de Curia, in Montepessulano ex hac vita migravit; qui triginta annos ibidem in Ordine legerat theologiam, et fecit gratam Postillam super Apocalypsim.

---

[1] Cod. hic et deinde *yconomos.*

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 162. r. c. I, et Wadding., l. c. ad an. 1342, n. IV.

[3] Chron. XXIV Gen., f. 162. r. c. II. legunt *Barta,* cod. vero male *Barca;* est enim Barthe, civitas Galliae. Wadding., l. c. 1343, n. XXXV. mortem eius contra chron. cit. et auctorem nostrum in annum 1343 reiicit.

Dictus autem Fortanerius, Ordinis Vicarius, auctoritate Apostolica instituit Ministrum Aquitaniae fratrem Gulielmum Farinerii, qui ei in generalatu successit et praecessit in cardinalatu [1].

Hoc quoque anno in vigilia [2] sancti Andreae Apostoli obiit frater Michael de Caesena, qui se usque ad mortem Generalem Ministrum scripsit et esse putavit, et in Monachio est sepultus.

Frater Fortanerius Vassalli XVIII. Minister Generalis Ordinis Minorum.

Anno Domini 1343 in capitulo generali, Marsiliae celebrato, electus est in Generalem Ministrum frater Fortanerius Vassalli de Provincia Aquitaniae, magister theologiae, praesente ibidem domino fratre Helia, Cardinali praedicto.

In eodem capitulo fuit ordinatum, quod de cetero servarentur Constitutiones sancti Bonaventurae cum aliquibus addendis tamquam Ordinis fundamenta, aliis statutorum compilationibus revocatis.

Item, quod in festo sanctissimae Trinitatis diceretur officium compositum per dominum Iohannem de Peczano, Archiepiscopum Cantuariensem, scilicet *Sedenti super solium* etc., et in festo sancti Ludovici Episcopi officium compositum per dominum regem Robertum, eius germanum.

Petivit hic Generalis de voluntate capituli generalis, mortuo domino Iacobo Caietano, Cardinali protectore, et obtinuit a domino Clemente Papa dominum Talleyrandum [3], Cardinalem et Episcopum Albanensem, in Ordinis protectorem.

Eodem anno capitulum in Scaffhusio [4].

Hoc etiam anno recepit hic Generalis ad Ordinem sanctae Clarae illustrissimam dominam Sanciam de Maioricis, Siciliae et Ierusalem reginam ac inclyti regis Roberti, fratris sancti Ludovici Episcopi, coniugem relictam. Quae ob amorem paupertatis omnia mundana contemnens, in monasterio sanctae Crucis de Neapoli sub prima et arctiori regula sororum sancti Damiani Domino, sibi nihil temporale reservans, perpetuo famulari elegit [5].

Eodem anno in capitulo Pragensi, Provinciae Bohemiae, opposuerunt se suo Ministro Custodes Pragensis et Lutomericensis; Grecensis et Moraviae concordarunt. Idcirco suspendit dominus Papa Clemens VI. ad supplicationem huius Generalis statutum domini Papae Benedicti XII. de electione Custodum et Guardianorum, et ipsum postea ad vitandas brigas et lites, quae frequenter ex electionibus oriebantur, revocavit concedendo, quod Custodes et Guardiani in capitulo et extra fierent, ut fuit antiquitus consuetum.

---

[1] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 162. r. c. II.

[2] 29 Novembris. — Wadding., l. c. 1343, n. XIII, citans chron. Sax. Ms. (quae sunt, ut alias dictum est, illa anonyma in « Analecta Franciscana » impressa, p. 294), dicit contra auctorem nostrum, Michaelem esse mortuum 1343 et quidem « poenitentem et pertaesum, quod Sum. Pontificum non se submiserit clementiae et usque ad mortem nomen sibi Ministri Generalis arrogaverit »; sed auctor noster et ms. cit. de hoc nihil dicunt. De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 48, nisus sola auctoritate Waddingi, etiam idem dicit.

[3] Cod. *Tailarandum;* cfr. de his et antecedentibus chron. XXIV Gen., f. 162. v. c. II, Wadding., l. c. ad an. 1343, n. IV. seqq., et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 158 seqq. ac tom. III. p. 47 seq.

[4] Cod. *Schaffhusen.*

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 162. v. c. I, et Wadding., l. c. ad an. 1343, n. XVI. et 1344, n. X.

Anno Domini 1344 tenuit frater Iohannes de Ravensburgo, Minister Argentinensis, capitulum in Wormatia.

Et eodem anno fuit dominus Arnestus, Episcopus Pragensis, fautor et benefactor Ordinis et fratrum, primus Archiepiscopus Pragensis factus, die XXI. mensis Novembris, per dominum Przidslaum, Episcopum Vratislaviensem, pallio et insigniis archiepiscopalibus vestitus, praesentibus ibidem multis Episcopis et Praelatis et rege Romanorum, domino Carolo IV. etc.

Anno Domini 1345, XV. die mensis Aprilis, fuit quaedam puella, filia filiae Cunsonis de Wilmovitz in Bohemia, submersa in fossato hora prima, et hora sexta extracta mortua, quae, facto voto a matre sanctae Mariae in Benesowia [1] in conventu fratrum, statim revixit.

Eodem anno circa medium mensis Aprilis martyrizatus est in Cairo [2] frater Iohannes de Montepolitiano, eo quod quendam Christianum Ianuensem, qui fidem negaverat, revocavit, qui etiam cum eo martyrizatus est.

Ipso anno fuit capitulum Friburgi in Brisgavia [3].

Frater Rudolphus de Norlinga Minister Superioris Alamanniae.

Anno Domini 1346 fuit capitulum generale Venetiis celebratum, in quo datus est Minister Alamanniae Superioris frater Rudolphus de Norlinga [4] per Generalem fratrem Fortanerium, et praefuit Provinciae annis tredecim et multa capitula celebravit:

Hoc anno in Argentina, et ibi ostendit litteras suae institutionis, defuncto ante capitulum fratre Iohanne de Ravensburgo; fuit etiam factus Vicarius Saxoniae Ministri Generalis. Anno Domini 1347 tenuit capitulum Argentinae; 1348 Spirae, dominica *Laetare* [5]; 1349 Ulmae; 1350 Augustae, et tunc fuit tempus valde pluviosum; 1351 Argentinae, praesente Ministro Generali; 1352 Basileae; 1353 Columbariae; 1354 generale capitulum Assisii, et ibi fuit confirmatus in Vicarium Saxoniae, et provinciale in Francofurto [6]; 1355 in Esslinga; 1356 Ratisbonae; 1357 convocatio in Ulma Custodum cum Discretis et Guardianis; 1358 in Turego, et ibi fuit intimatum futurum capitulum in Basilea anno 1359, sed fuit habitum Argentinae propter infirmitatem Ministri, qui obiit dominica Paschae [7].

Sub istius Ministri regimine duo fratres, in obedientia ambulantes in quadam solitudine, divinitus fuerunt refecti, sicut ipse Minister refert in hunc modum: « Fratribus ipsis, mature et devote horis canonicis dictis in silva, cum esset tempus prandendi, obviam venit dominus Iesus Christus, nec tamen agnitus est ab eis, sed mirantibus de tam decora facie eius benigne salutando dixit: « Quorsum tenditis et ubi prandium facietis » ? Qui responderunt: « Hoc committimus domino Iesu ». Et ait eis: « Sollicitudinem vestram semper proiicite in me ». Et de humero suo dedit eis saccum dicens: « Accipite et manducate »; et his dictis evanuit ab oculis eorum. Illi

---

[1] Vel Benosowia, pro quo cod. *Benesaw;* cfr. supra pag. 72, nota 3.

[2] Ita recte, sed cod. *Cadro,* et chron. XXIV Gen., f. 163. v. c. II, *Quadro;* cfr. Wadding., l. c. ad 1345, n. V.

[3] Cod. *Briscavia.*

[4] Cod. scribit *Norlingen,* nunc dicitur *Nördlingen* et est oppidum Bavariae.

[5] Scil. dominica IV. in Quadragesima (16 Martii).

[6] Cod. *Franckfurt* et deinde *Esslingen* ac supra *Augusta* pro *Augustae.*

[7] Quae erat 21 Aprilis. — *Turegum* est theut. Zürich in Helvetia.

autem gaudentes refecti sunt magis spiritualiter quam corporaliter cum gratiarum actione et proposito semper pro amore eius de futuro penuriam libenter pati ».

Anno Domini 1347 factus est frater Fortanerius Vassalli, Generalis Minister, per dominum Clementem Papam VI. Archiepiscopus Ravennatensis [1]; remansit cum hoc Vicarius Ordinis usque ad electionem sui successoris et statim mandavit, ut sequenti anno capitulum generale Veronae congregaretur pro electione Ministri Generalis, rexitque Ordinem annis quinque.

Eodem anno obierunt tres notabiles personae, videlicet X. die Aprilis, magister Gulielmus Ockam [2], Anglicus, et XIII. kalendas Iulii [3] frater Bonagratia de Bergamo, doctor utriusque iuris, sepulti in conventu Monacensi Custodiae Bavariae, ac in festo sancti Gereonis [4] dominus Ludovicus imperator, sepultus Monachii in ecclesia beatae Virginis.

Anno Domini 1348 fuit generale capitulum in Verona celebratum, praesente domino Fortanerio et praesidente, in quo electus est in Generalem Ministrum frater Gulielmus Farinerii de Provincia Aquitaniae, magister in theologia.

Frater Gulielmus Farinerii XIX. Minister Generalis Ordinis Minorum.

Eodem anno fuit tanta epidemia et mortalitas per universum mundum, ut vix tertia pars Fratrum Ordinis remaneret in vita. Et tunc mortuus est dominus frater Gerardus, Patriarcha Antiochenus, olim Generalis Minister Ordinis Minorum, in civitate Catanensi regni Siciliae tumulatus [5].

---

[1] Cod. *Ravennensis* (est Ravenna in Italia); cfr. chron. XXIV Gen., f. 164. r. c. I.

[2] Wadding. tamen, l. c. ad an. 1347, n. XIX. dicit: « Chronica Argentinensia (i. e. anonyma dicta) referunt, eo anno, quo Ludovicus, obiisse Guliel. Occhamum et Bonagratiam. Quidquid sit de Bonagratia, mihi palam constat ex diplomate Pontificio (dato Avenione 6 idus Iunii, an. pont. VIII, et habetur ibi n. XXII.), Occhamum adhuc an. 1349 vixisse, remisisse antiquum Ordinis sigillum, quod penes Caesenatem erat, ad Gulielmum Farinerium paulo ante electum Generalem Ordinis Ministrum et humiliter sui errati veniam petiisse » etc. Incertum autem est, quando et ubi mortuus sit; probabiliter circa an. 1350.

[3] Id est 20 Maii, chron. anonym. vero exhibent III. kalendas Iulii (30 Maii).

[4] 10 Octobris. — Non inopportunum nobis videtur hic adiungere quod Wadding., l. c. ad an. 1347, n. XVIII. de Ludovico iudicat: « Obiit hoc anno in die Gereonis martyris, V. idus Octobris, Ludovicus Bavarus, qui totos ferme triginta quatuor annos Caesaris nomen et imperium retinuit, frustra contradicentibus tribus Summis Pontificibus, Iohanne XXII, Benedicto XII. et Clemente VI, qui summa solemnitate multis in eum latis sententiis, censuris ecclesiasticis innodarunt et imperiali dignitate privatum declararunt. Quidquid sit de causae aequitate, de qua multi controvertunt auctores, vel ipse infelix Ludovici exitus, timendas esse monet sive iustas sive iniustas Summorum Pontificum, qui Dei vices gerunt in terris, canonicas censuras; et consultius esse aliquid sui iuris relaxare, quam cum sacris potestatibus irreverenter contendere obductoque conscientiae callo, illorum sententias non vereri. Ibat venatum Ludovicus die praefata, ut agitato et incalescente corpore, veneni, cuius epoti laborabat indiciis, malum superaret. Occurrit ursus in nemore prope monasterium Fürstenfeld, in quem vehementiore impetu incursans, ex equo delapsus ad gravem corporis collisionem, secuta apoplexia, diem obivit. Poenituisse et contritionis signa in brevi illo vitae transitu exhibuisse plures affirmant, pauciores negant auctores ». — Idem, vel potius severius iudicium ferendum est de istis Fratribus Minoribus, qui Ludovico adhaeserunt et Papae se opposuerunt. — Cfr. etiam Henricus Rebdorf., Annales, l. c. ad an. 1347, Card. Hergenröther, l. c. tom. II. p. 26, 27, et chron. Andreae Ratisbonensis.

[5] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 164. r. c. I, Wadding., l. c. ad an. 1348, n. X, et Iohannes Vitoduranus, ad eundem annum.

Anno Domini 1349 obiit venerabilis pater frater Conradus de Weilheim [1], lector et quondam Custodiarum Rheni et Bavariae Custos, qui fecit lecturam super Apocalypsim, et sepultus est in Landishuto.

Eodem anno cremati sunt adversarii Christi, Iudaei, per universam Alamanniam, paucis locis exceptis, quia totam Christianitatem exstinguere volentes, horribili veneno ubique terrarum fontes intoxicarunt. Unde ubique locorum fontibus obstructis, usi sunt homines aqua fluviali seu pluviali, exceptis monasteriis Religiosorum.

Anno Domini 1350 fuit Iubilaeus, et concessa indulgentia plenaria omnibus accedentibus limina Apostolorum Petri et Pauli et quasdam patriarchales ecclesias Romae per dominum Clementem Papam VI, et fuit illuc magnus discursus Fratrum.

Anno Domini 1351 celebravit frater Gulielmus Farinerii Lugduni capitulum generale, in quo fuit ordinatum, quod fieret festum de translatione sancti Antonii, quae fuerat facta in anno Iubilaei [2] per Cardinalem Boloniensem [3], Episcopum Portuensem, XV. kalendas [4] Martii, nec non de sancto Ivone tunc noviter canonizato [5].

Expedito capitulo generali, visitavit Generalis Provinciam Turoniae, et deinde veniens ad Provinciam Superioris Alamanniae, tenuit capitulum in Argentina circa festum sancti Matthaei Evangelistae [6], ubi condidit statuta provincialia talis tenoris:

In Christo sibi carissimis fratribus universis Provinciae Alamanniae Superioris frater Gulielmus, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Cupiens, ut debeo, ex cura pastoralis regiminis, vos omnes ad honorem Dei et aedificationem populi vivere exemplariter in observantia regulari, vitando penitus ea quae videntur bonis moribus et maxime nostrae regulae obviare, visis et auditis votis multorum fratrum notabilium vestrae Provinciae memoratae, ibidem personaliter visitando, ordinavi quae sequuntur de Ministri et multorum Custodum et aliorum Discretorum notabilium consilio et assensu, a vobis deinceps, suspensis aliis provincialibus Constitutionibus, inviolabiliter observari.

In primis ordinamus, ut Praelati, ad quos pertinet, caveant, ne faciant receptiones inutiles et ineptas, sed studeant statuta super hoc generalia edita quantum ad aetatem et sufficientiam observare, et nullum recipiant nisi de maioris et sanioris partis conventus, pro quo vel in quo recipitur, consilio et assensu. Concedo autem Custodibus, ut ipsi possint notabiles et solemnes personas, hoc desiderantes et cum devotione petentes, in mortis articulo recipere et pro tunc vel post mortem eisdem habitum nostrae Religionis conferre. Caveant tamen, ne occasione huiusmodi vel alias aliquem inducant ad vovendum, iurandum seu alias promittendum, ut cum fratribus eligat sepeliri. Novitii vero iuxta regulam toto tempore novitiatus sui portent probationis caputium, et si aliquando ex causa necessaria videretur Ministro quantum ad aliquem multum notabilem dispensandum, fiat ei protestatio, sicut in Lug-

---

1 Oppidum Bavariae.

2 Cod. male *Iubilaeo*.

3 Ita recte chron. XXIV Gen., cod. vero *Bononiensem*. Est enim Guido de Bolonia (Boulogne in Gallia), quem Clemens Papa Cardinalibus ascripsit.

4 18 Februarii; chron. XXIV Gen., f. 164. v. c. I. dicunt *XIV.* loco *XV.*

5 Id est secundum chron. XXIV Gen. IV. kalendas Novembris (26 Octobris).

6 21 Septembris.

dunensi capitulo continetur. Et puniantur graviter Guardiani, qui novitios extra conventum miserint praeterquam in casibus concessis in papalibus Constitutionibus.

De qualitate habitus. Caveant omnes fratres, ut vestes non deferant, nisi prius pannus fuerit per duos fratres conventus, ad hoc assignatos per Ministrum, vel Custodem, si praesens fuerit etc., usque in finem per titulos aliarum Constitutionum.

Datum, ut supra.

Anno Domini 1352 factus est dominus frater Pastor [1] de Provincia Provinciae, tunc Archiepiscopus Ebrodunensis [2], per dominum Clementem Papam VI. tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyter Cardinalis.

Eodem anno quidam frater laicus, dictus Gentilis, et nonnulli alii ei cohaerentes petiverunt a domino Clemente, instantibus pro eis aliquibus viris notabilibus, eorum petitione inductis, ut eis aliqua loca Ordinis concederentur, in quibus possent regulam in sua puritate primaeva, sicut tradita fuit a beato Francisco, observare ad litteram et sine glossa. Tandem impetraverunt ab eodem Papa, ut habere possent quatuor loca in Provincia sancti Francisci, videlicet Carceris, Iani [3], Heremitae et Montis Luci, et pro quolibet loco duodecim fratres, quos possent recipere vel de fratribus Ordinis, vel de saecularibus undecumque, et ut ipsos in huiusmodi [4] nullus impedire posset. Statimque fecerunt sibi habitus a communitate Ordinis mensura et figura dissimiles, et receperunt aliquos fratres sine licentia Praelatorum, quos ipsi iudicabant apostatas, et alios minus idoneos non securos. Accesserunt etiam ad eos disciplinam Ordinis fugientes et libertatem quaerentes. Praelati autem Ordinis asserebant, nihil boni praetendere talem reformationem, cum se toti communitati Ordinis opponerent et Ordinem magno schismate dividere molirentur, dicentes, eos habere locorum appropriationem contra altissimam paupertatem, altae obedientiae restrictionem, cum in multis licitis ex dicto privilegio non tenerentur Praelatis Ordinis obedire, immo essent transgressores statutorum, et transgressores eorum [5] facerent et contemptum poenarum contra huiusmodi habitus dissimiles portantes ac ministratores [6], materiam praestantes schismatis et scandali contra caritatem fraternam.

Innocentius Papa VI. sedit annos IX, menses VII, dies X.

Eodem anno obiit dominus Clemens Papa VI, et post paucos dies electus est in Papam dominus Stephanus Alberti [7], Lemovicensis, tunc Cardinalis et Episcopus Hostiensis, et vocatus est Innocentius VI.

---

1 Cognominatus de Serra-Scuderio; de quo cfr. chron. XXIV Gen., f. 164. v. c. I, Barthol. Pisan., Conf. VIII. p. II, et Wadding., l. c. ad an. 1337, n. I, 1339, n. II. et III. et 1350, n. V.

2 Ita recte, cod. *Ebrudiensis*, chron. XXIV Gen. *Ebrudunensis*, Wadding. et Sbaralea, Script. p. 573 *Ebredunensis;* est enim Ebrodunum, oppidum Embrum (vel Ambrum) in Gallia. — Paulo inferius cod. falso *Marcelli* pro *Marcellini.*

3 Cod., omisso *Iani,* legit falso *Heremitorii* et *Montis Lucii,* quod auctoritate diplomatis Papae (cfr. Wadding., l. c. ad an. 1350, n. XV. XVI, et 1355, n. III.) et chron. XXIV Gen., f. 164. v. c. I. correximus. — De dictis conventibus cfr. Analecta Francisc. pag. 376 seqq.

4 Chron. XXIV Gen. *hoc* pro *huiusmodi.*

5 Cod. vitiose *earum.*

6 Supple *latarum,* quae vocula in cod. excidisse videtur.

7 Ita recte, cod. vero legit *Adelberti;* erat enim e familia Aubert Lemovicis (Limoges in Gallia) oriundus.

Anno Domini 1353 reversus est frater Iohannes de Florentia, nuntius Sedis Apostolicae ad Imperatorem Tartarorum olim missus a domino Papa Benedicto XII, de eadem legatione sua cum litteris magni Khanis et muneribus, portans etiam in certitudinem suae legationis quandam Bullam, quam cuidam antecessorum eiusdem Imperatoris quondam Clemens Papa IV. miserat. In dictis autem litteris concedebat ipse Imperator domino Papae dominium super omnes Christianos imperii sui, cuiuscumque sectae essent, qui erant innumerabiles, rogando eum, ut praedicatores mitteret ad populum suum convertendum. Qui cum ad dominum Papam Innocentium VI. Avenionem venisset, fuit bene ab eo receptus et auditus; facta vero relatione suae legationis, scripsit [1] dominus Papa capitulo generali, proximo Assisii celebrando, ut ordinaret fratres idoneos ad mittendum, de quibus ipse aliquos Episcopos ordinare vellet. Sed tepescentibus tunc qui negotium debebant promovere, ulterius modicum est processum [2].

Anno Domini 1354 fuit Assisii generale capitulum celebratum, ubi tunc editae fuerunt illae notabiles Constitutiones, saepe allegatae per patrem Iohannem de Capistrano, quae dicuntur Gulielmi Farinerii, et incipiunt: « Quoniam, ut dicit Sapiens [3], *ubi non est sepes, diripietur possessio*, necessarium est volentibus regni coelestis possessionem praeclaram, in quam per spiritum paupertatis intratur, custodire illaesam, sepem illi circumdare disciplinae » etc.; ex quibus post nonaginta septem [4] annos nostrae Constitutiones Barcinonae factae sunt.

In hoc capitulo generali fratres, tantam scissuram Ordinis aestimantes [5] ex supra dicto privilegio, per fratrem Gentilem impetrato, voluerunt, quod in consistorio publico domini Papae pericula et dispendia ex illo privilegio eventura exponerentur, et communitas Ordinis in Curia domini Papae contra eos totis viribus litigaret. Dictus vero Generalis, tamquam vir expertus prudenter attendens, quod discordia de observatione regulae poterat esse, sicut alias fuit, Ordini scandalosa, aliam viam tutiorem dilationis adinvenit [6].

Memorialia dicti capituli:

In primis revocantur omnes gratiae, factae quibuscumque sub quacumque forma verborum, exceptis gratiis factis magistris et Ministris, qui sunt vel fuerunt, et dominae Blanchae [7] et Albuinae, et gratiis factis in praesenti generali capitulo.

Item, revocantur omnes gratiae, factae principibus et Praelatis de mittendo fratres ad Curiam Romanam.

Item, qui ibunt ad Curiam ex parte Praelatorum vel principum, petant litteras testimoniales, ne de sua vita bona vel mala procuratores Ordinis ex parte Provincialium Ministrorum dubitent.

---

[1] Litteras videsis apud Wadding., l. c. ad an. 1354, n. X. — Vide supra pag. 178, ad an. 1341.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 164. v. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1353, n. I.

[3] Eccli. 36, 27. — Constitutiones memoratas exhibent Chronologia etc. tom. I. p. 64, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 48 seqq.

[4] Scilicet an. 1451.

[5] Cod. *extimantes.*

[6] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 165. r. c. I.

[7] Cod. *Blantzae.*

Item, quod Ministri non promoveant studentes, venientes de Parisius, tamquam Parisienses, nisi ibi fuerint per duos annos etc.

Item, quod Minister faciat fieri carceres in quolibet loco, et ad hoc cogant Praelatos inferiores sub poena privationis officii.

Item, quod Episcopelli scandalizantes Ordinem non recipiantur intra loca fratrum, nec eis socii assignentur.

Item, praecipit Generalis per obedientiam salutarem, quod non recipiantur in locis fratrum, nisi resignaverunt libros et res alias, quas habebant ante promotionem.

Item, quod corrigant socios Episcoporum et puniant quorumcumque secundum eorum transgressiones.

Item, quod compescant discursus inutiles, et quod fratres non equitent nec portent calceamenta.

Item, quod frequentent chorum omnes, et dicatur totum officium cantando, ubi commode fieri poterit, et nullus nec Parisiensis nec alius eximatur ab hebdomadaria, nisi fuerit Minister vel magister, vel fuerit lector in studio generali vel actu in officio.

Item, studium Curiae sit sub manu Generalis.

Item, revocata est omnis licentia fratrum de immobilitate locorum.

Item, quod spurii non possint esse Definitores.

Item, quod fratres faciant de festis trium lectionum tres lectiones tantum.

Item, quod amoveantur culcitrae, linteamina et curiosae cortinae et omnia ornamenta de cellis et velamina omnia.

Item, quod nullus frater punitus ponatur ad morandum cum sororibus, nisi fuerit sufficienter correctus.

Item, quod nullus loquatur sororibus post Completorium.

Item, quod visitatores non ingrediantur monasteria ante secundam pulsationem Primae, nec ibidem remaneant post secundum pulsum Completorii.

Item, quod nullus habeat cameram separatam a dormitorio, nec destruat cellas dormitorii; quod si factum fuerit, ad statum pristinum reducantur.

Item, quod mulieres non comedant in domibus fratrum.

Item, laici promoti ad clericatum faciant officia laicorum.

Item, quod nullus frater vadat ad balnea.

Item, quod nominetur Papa in Missa.

Item, quod fiat festum solemne de prima translatione sancti Antonii.

Expliciunt.

Eodem anno 1354 frater Rudolphus, Minister Superioris Alamanniae, celebrato capitulo in Francofurto, intravit Provinciam Saxoniae, quia erat Vicarius eiusdem Provinciae, et celebrato capitulo Hallis, electus fuit in XVIII. Ministrum Saxoniae frater Bertholdus, et fuit per quatuor annos Minister et celebravit ista capitula: anno Domini 1355 Luneburgi[1]; 1356 Lübeci; 1357 Berolini; 1358 Magdeburgi, et postea habuit successorem.

Frater Bertholdus XVIII. Minister Saxoniae.

Eodem anno intraverunt Carolus, rex Romanorum et Bohemiae, et Episcopus Vratislaviensis claustrum sororum sanctae Clarae ad sanctum Franciscum, sexta feria

[1] Cod. *Luneburck, Lubeck, Berlin, Madeburg.*

infra Octavas Epiphaniae, et petivit dominus rex a sororibus partem de digito sancti Nicolai Episcopi pro suo pectorali. Quibus consentientibus, accepit rex cultellum et posito illo super reliquias, cum malleo desuper percuti praecepit. Quo facto tres guttae sanguinis de reliquiis eisdem emanaverunt. Quod videns rex territus est. Sed quia dominus Arnestus, Archiepiscopus Pragensis, propter sui absentiam dicto miraculo non interfuit, postquam venit, rex iterum cum ipso claustrum dictum intravit et particulam prius abscissam ad digitum applicavit et statim, omnibus videntibus, fuit cum digito continuata, sicut patet in publico instrumento desuper confecto.

Anno Domini 1355, comperto certis informationibus per fratrem Gulielmum, Generalem Ministrum, quod praedicti frater Gentilis de Spoleto et sui sequaces, qui se vigore impetrati privilegii ab Ordinis unitate in Provincia sancti Francisci separaverant, aliquos de haeresi suspectos receperant, laboravit apud dominum Aegidium tituli sancti Clementis tunc presbyterum Cardinalem ac Apostolicae Sedis in et per Italiam legatum, quod dictus frater Gentilis et duo alii fratres eiusdem congregationis de mandato dicti domini Legati capti et incarcerati fuerunt, et dictum eorum privilegium per dominum Innocentium Papam totaliter revocatum.

Inventi sunt etiam tunc multi haeretici saeculares in Italia, Ecclesiam et communitatem Ordinis condemnantes, qui per inquisitores Ordinis partim puniti secundum canonicas sanctiones, partim fugati fuerunt [1].

Capitulum provinciale Esslingae.

Anno Domini 1356 factus est frater Gulielmus Farinerii, Generalis Minister, per dominum Papam Innocentium tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyter Cardinalis, et remansit cum hoc Vicarius Ordinis usque ad electionem successoris sui, et sic rexit Ordinem novem annis.

Eodem anno terraemotus Basileae in die sancti Lucae [2].

Anno Domini 1357 in capitulo Barcinonae electus est in Generalem Ministrum frater Iohannes de Bucchio [3], magister in theologia de Provincia Aquitaniae. In hoc capitulo fuit constitutum, ut de cetero fieret de translatione sanctae Clarae secunda [4] die Octobris.

Frater Iohannes de Bucchio XX. Minister Generalis post S. Franciscum Minorum.

Eodem anno proposuit dominus Richardus Armachanus [5] Archiepiscopus, Primas Hiberniae et magister in theologia, Avenione in pleno consistorio multa contra fratres Ordinum Mendicantium et eorum status ac privilegiorum eis concessorum abusus. Et fecit librum habentem formam dialogi de paupertate, quae in regula beati Francisci et in Decretali Nicolai III,

---

[1] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 165. r. c. I, Wadding., l. c. ad an. 1355, n. I. seqq., Chronologia etc. tom. I. pag. 116 et Mansi, l. c. tom. III. pag. 363, ubi diserte demonstratur, quod isti haeretici, vere et proprie *Fraticelli* dicti (ad quos pertinent Fratres de paupere vita, Beguini, Begardi, Beguinae Apostolici vel Apostoli, vel Pseudoapostoli ac Dulcinistae), neque erant ex Ordine Minorum neque professores alicuius probatae regulae, sed profanae multitudinis viri, mere saeculares, ut confirmant Iohannes XXII. in Bulla: *Sancta Romana,* Alvarus Pelagius, De Planctu Eccl. l. 2. c. 51, et alii. Fraticellorum sectae auctor fuit Hermannus Pungilupus (Salimbene, l. c. p. 276: Armannus Punzilovus) Ferrariensis circa 1250, eiusque restauratores Gerardus Segarellus Parmensis et Dulcinus Novariensis. Fratres Ord. Min., praesertim illi qui *Spirituales* dicuntur, immerito *Fraticelli* vocati sunt.

[2] 18 Octobris. — [3] Cod. scribit semper *Bucco;* gallice dicitur Iean Bouchier. — [4] Nunc fit 3 Octobris. — [5] Armagh est civitas Hiberniae.

videlicet *Exiit qui seminat* etc., et Constitutione Iohannis XXII. *Ad conditorem canonum* describitur; qui habet septem partiales libros.

Primus habet 34 capitula, et tractat de divino atque angelico dominio ac possessione rerum et usu ipsarum ab eis. Secundus habet 32 capitula de humano originali dominio, ipsum describens et per partes descriptionis declarans. Tertius liber habet 34 capitula, ubi possessionem distinguit multiplicem, et qualem habuit primus parens noster in innocentiae statu, et describit descriptionem originalis dominii quoad alias particulas declarando. Quartus liber habet 23 capitula, de civili dominio et possessione et iure utendi civili et de simplici usu facti tractat. Quintus liber habet 23 capitula de principiis ditantibus Deum, Angelos, bonos et malos homines. Sextus liber habet 37 capitula de principiis depauperantibus quoad Deum, Angelos et homines bonos et malos, et qualis erat Salvatoris nostri paupertas et Apostolorum et discipulorum ipsius, et Fratrum Minorum et aliorum Religiosorum communem vitam ac monasticam profitentium, suadendo ostendens, et de gradibus paupertatis. Septimus liber habet capitula 18, continens contrarietates famosas et alias magis occultas inter Constitutiones dominorum Summorum Pontificum Nicolai III. et Iohannis XXII. ac ipsius libellum: *Quia vir reprobus* etc., super paupertate Christi et Apostolorum eius, in quo paupertas regulae Minorum describitur ab eisdem, et certis documentis traditis, absolvit librum et sic operi consummationem imponit. Et interrogat Iohannes, et respondet Richardus suadendo. Et incipit: *Quia circa rerum propter hominem creatarum* etc. Hunc librum obtulit domino Innocentio Papae VI.

Item, idem Richardus composuit alium libellum, qui incipit: *Nolite iudicare secundum faciem* [1] etc., et hunc praesentavit anno 1357, die 14 mensis Novembris, in consistorio et « defensionis curatorum contra privilegiatos Mendicantes » nominavit; contra quem libellum fuit a fratre et magistro Rogerio de Conwey [2] Ordinis Minorum luculenter responsum et erroribus eius satisfactum [3]. Deputavit autem dominus Innocentius Papa IV. quatuor Cardinales super hoc auditores, coram quibus proposuerunt contra dictum Richardum Mendicantes Religiosi, quod dixisset multa erronea et in fide suspecta, et illa frequenter replicasset, quibus adhaerens tamquam haereticus et per consequens excommunicatus debebat iudicari. Tandem datis hinc inde libellis, negotium prorogatur [4].

Claruit eo tempore in Hispania in conventu Lucensi [5] Provinciae sancti Iacobi frater Gonsalvus Sancii [6], perfectus moribus et exemplis. Qui cum esset nobilis et potens, erat multum audax et bellicosus et ideo multum criminosus. Et cum in bello

---

[1] Ioan. 7, 24. — [2] Vel *Conway,* quod idem est ac Aberconwey (Aberconobium) in Anglia, ut recte exhibent Thom. Eccleston, l. c. (Analecta Francisc.) p. 264, et Certamen Seraphicum p. 301. Cod. legit *Channoe* pro *de Conwey* — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1357, n. IV, ubi tamen male scribit Rogerius (mag. Oxoniensis) *Coneroey Cambrensis,* et an. 1355, n. VI, ubi iterum non recte legit: Rog. *de Convenay* vel, ut aliis placet, *de Chonnoe.*

[3] Libro scil., qui incipit: « Confessio et pulcritudo in conspectu eius ». Possevinus, in suis « Scriptoribus » iudicat ita: « At cum Richardus hic, quem Armachanum vocant, caute legendus sit, tum praecipue Rogerius de Chonnoe Ord. Minorum perpendendus est, qui defensionem Mendicantium adversus eundem Armachanum docte et accurate conscripsit ».

[4] Vide Wadding., l. c. ad an. 1357, n. V-VIII.

[5] Ita recte chron. XXIV Gen., f. 165. c. II; est enim Lugo, oppidum Hispaniae in provincia Galiciae. Cod. hic et postea corrupte *Liccensi.* — [6] Vel Sanchesius (Sanchez).

quodam infirmaretur, totus fuit de peccatis divino timore compunctus, et immissum est coelitus cordi eius, quod damnationem evaderet, si mundo renuntians, Ordinem Fratrum Minorum intraret. Interim reducitur ad domum, et vocans ad se uxorem dixit: « Ecce morior; si mihi licentiam dederis, ut Frater Minor fiam, salvus ero ». Illa nolens eum contristare consensit, et statim convaluit et factus est Frater Minor; et uxor eius et duae filiae intraverunt Ordinem sanctae Clarae, et factus est ipsorum unicus filius Frater Minor, et multi nobiles eorum exemplo habitum et Religionem Fratrum Minorum assumpserunt et in conventu Lucensi cum fratre Alphonso [1] et Gonsalvo vitam duxerunt magis angelicam quam humanam, et post mortem diversis miraculis claruerunt; qui Gonsalvus obiit in conventu Auriae [2].

Eodem anno convocatio Ulmae Custodum cum Discretis.

Anno Domini 1358 mandaverat dominus Innocentius Papa VI. ab ecclesiis, monasteriis et capellis, collegiis et conventibus et aliis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, exigi pro subsidio Ecclesiae Romanae tertiam vel sextam partem proventuum annuorum; de quo mandato noluerunt collectores eiusdem subsidii sorores Ordinis sanctae Clarae, ad quas ipse Papa dictum mandatum noluit extendi, habere exemptas, donec de hoc fuerunt per nuntios Apostolicos specialiter informati litteris talis tenoris:

Paulus, Dei gratia Episcopus Gurcensis [3], Apostolicae Sedis nuntius, honorabili viro Andreae, Custodi Ratisbonensi subcollectori nostro, salutem et sinceram in Domino caritatem et mandatis nostris, immo verius Apostolicis, firmiter obedire.

Licet tibi nuper nostris litteris, immo verius Apostolicis, sub certa forma dederimus in mandatis, ut ab ecclesiis, collegiis etc., exemptis et non exemptis dictae Ratisbonensis dioecesis, auctoritate nobis commissa, nomine nostro et praefatae Sedis Apostolicae procurationem exigeres et reciperes biennalem; quia tamen intentionis sanctissimi patris et domini nostri Papae non fuit nec est, prout etiam vivae vocis oraculo nos instruxit, ad monasteria seu conventus monialium Ordinis sanctae Clarae mandatum hoc extendi, de gratia speciali, immo potius ab huiusmodi procurationis onere habere vult omnino supportatas, circumspectioni tuae eadem auctoritate iniungimus et mandamus, quatenus, si quas procurationes a monasteriis seu conventibus dicti Ordinis exegisti, recepisti, seu conventiones, obligationes et pacta ab eis solvendo huiusmodi procurationes accepisti, receptas et solutas restituere non differas, promissiones, conventiones et obligationes remittas et relaxes, sententias quoque occasione earundem latas te revocare non pudeat, et nos huiusmodi obligationes, promissiones et sententias auctoritate, qua supra, relaxamus, tollimus ac tenore praesentium revocamus.

Datum Avenione, die lunae IX. mensis Aprilis, anno Domini MCCCLVIII.

Eodem anno, XIII. die Aprilis, vidimavit [4] frater Wenceslaus Maler, lector conventus Ratisbonensis, litteras Guidonis tituli sanctae Caeciliae presbyteri Cardinalis, Apostolicae Sedis legati, per notarium Liebhardum; quae litterae incipiunt: Guido,

---

[1] Mirabelio cognominato.

[2] Vel Orensae, id est Orense in Hispania, an. 1361. — Cfr. chron. XXIV Gen., l. c., Wadding., l. c. ad an. 1361, n. II. III, et Fortunatus Hueber, Menologium etc. 13 Decembris.

[3] Cod. *Gurtzensis;* est enim Gurcum, theut. Gurk, civitas Austriae in Carinthia.

[4] Cod. semper vitiose scribit *vidimiavit;* cfr. supra p. 98, ubi corrigendum est.

miseratione divina etc., et in fine huius collecturae ponuntur: propter sui prolixitatem contra praesumptionem curatorum Mendicantes mordentium.

Eodem anno martyrizati sunt in Cairo [1] pro fide catholica frater Nicolaus de Monte Corvino et frater Franciscus de Provincia Terrae Laboris.

Anno Domini 1359 [2], cum frater Iohannes de Bucchio, Generalis Minister, tempore hiemali totam Alamanniam proponeret visitare et provinciale capitulum Provinciae Burgundiae in conventu Belvae celebraret, ibidem infirmatus, cum Ordinem tantum uno anno rexisset, in crastino [3] sanctae Trinitatis diem clausit extremum, et factus est praedictus dominus Gulielmus Farinerii per dominum Innocentium Papam Vicarius Ordinis Generalis. Qui praecepit, sequenti anno in conventu Ianuae generale capitulum pro electione futuri Ministri Generalis congregari.

Eodem anno die sabbati proxima ante Dominicam *Esto mihi* [4] appellavit magister Conradus de Monte Puellarum, canonicus et plebanus maioris ecclesiae Ratisbonensis, contra omnes Mendicantes in Ratisbona super portione canonica [5], et, ut ipse dicebat, per eosdem fratres debita in testatis, relictis, datis vel donatis eisdem fratribus, seu testandis, relinquendis, dandis vel donandis etc., accusans eos inducentes et exhortantes feminas et puellas ad statum sororiatus atque benedicentes et consecrantes easdem et praecidentes eisdem capillos, quod potius ad se pertinere videretur, si tamen, ut dicebat, idem status non est idem cum statu Beghinarum, qui reprobatus et sub poena excommunicationis interdictus est in concilio Viennensi, de quo se dubitare dicebat. Cuius omnes conatus fuerunt evacuati per Legatos Apostolicos in Alamanniam missos [6].

Eodem anno dominica Paschae [7] obiit frater Rudolphus, Minister Superioris Alamanniae, et dominica quarta post Pascha [8] eiusdem anni in capitulo Argentinensi electus est in Ministrum eiusdem Provinciae frater Albertus de Marbachio [9], magister theologiae, et rexit Provinciam XIII annis et sequentia capitula et convocationes tenuit: anno Domini 1360 in Spira; 1361 in Ulma convocatio; 1362 generale et provinciale in Argentina; 1363 convocatio ibidem; 1364 in Herbipoli; 1365

Frater Albertus de Marbachio, Minister Alamanniae Superioris.

---

[1] Ita recte exhibent Wadding., l. c. ad an. 1358, n. IV, et Fortunatus Hueber, Menolog. 1 Aprilis, cod. autem cum chron. XXIV Gen., f. 166. v. c. II. legit iterum falso *Cadro* et deinde *Corbino* pro *Corvino* (Wadding. falso *Corvi);* Mons Corvinus, italice Monte Corvino, est oppidum in Apulia.

[2] Sed est error auctoris, qui sibi contradicens paulo inferius recte dicit, sequenti anno, scil. 1359 capitulum Ianuae celebratum esse. Ergo corrigendus est hic 1358, ut recte exhibent chron. XXIV Gen., f. 167. v. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1358, n. I.

[3] Id est 27 Maii. Ita etiam chron. XXIV Gen. contra Wadding., l. c., et Chronologiam etc., qui dicunt, die 5 Iunii proximo post dominicam Trinitatis.

[4] Scil. dominica in Quinquagesima, in qua Introitus Ss. Missae sic incipit, et erat dicto anno die 10 Februarii.

[5] *Portio canonica* vel *quarta funeralis* est pars oblationum, quae ecclesiae parochiali debetur, dum ad aliam ecclesiam sepultura cum oblationibus ibi faciendis transmitti permittitur. Du Cange, Gloss. Cfr. supra pag. 159, nota 5.

[6] Cfr. Chronologia etc. tom. I. p. 118, ubi de dictis Conradi sermo est.

[7] Scil. 1 Aprilis (id est an. 1358). — [8] Id est 29 Aprilis.

[9] Cod. scribit modo *Marckpack,* ut hic, modo *Marckpach;* est enim theut. Marbach, oppidum Würtembergae, ad fluvium Neckarum situm.

generale Florentiae et provinciale in Esslinga [1]; 1366 convocatio in Esslinga; 1367 iterum convocatio in Esslinga; 1368 capitulum (provinciale) in Spira et generale Assisii [2]; 1371 convocatio in Argentina; 1372 convocatio in Wormatia, et ibi obiit.

Eodem praedicto anno, videlicet 1359 [3], domino Cardinali praedicto Ordinem gubernante, nobilitatis praeclarissimae princeps dominus Petrus Infans, filius regis Aragoniae et sororis sancti Ludovici, divina revelatione praemonitus, Ordinem cum devotione et multorum admiratione intravit [4].

Eodem anno [5] in capitulo generali, Ianuae celebrato, electus fuit in Ministrum Generalem frater Marcus de Viterbio de Provincia Romana. In hoc capitulo fuit Vicaria Scotiae ex certis causis unita Provinciae Anglicanae.

Frater Marcus de Viterbio XXI. Generalis Minister Minorum.

Item, ibidem ordinata sunt ista:

In primis ordinat Minister Generalis cum capitulo universo, quod electiones baccalaureorum Parisius, Oxoniae, Cantabrigiae [6] non fiant de cetero nisi de primo cursu.

Item, quod lectores et baccalaurei fiant, ut antiquitus in Ordine est consuetum, videlicet usque ad sequens capitulum generale, nisi causa rationalis occurreret, propter quam Generali Ministro de maturo consilio aliud fieri videretur.

Item, quod si quis, seu clericus aut dominus temporalis quicumque, de nostro Ordine non existens, ob devotionem Ordinis fratres nostros ad morandum secum habere voluerit vel tenere, ad minus duo fratres concedi possunt, si Generali vel Provinciali Ministro visum fuerit expedire. Et fratres huiusmodi sine fratre socio extra hospitium, ubi morantur, per loca alia non debeant evagari. Si vero Praelatus nostri Ordinis fuerit, qui fratrem socium voluerit secum habere et propter paupertatem non valuerit nisi unum tenere, concedi possit eidem, si Superiori fratris visum fuerit opportunum, ista sub conditione, quod nunquam ad loca alia sine Praelato praedicto, seu fratre socio ire valeat vel evagari. Si quis autem frater, cuiuscumque conditionis existat, cum quocumque Praelato moretur, dominis Cardinalibus et Patriarcha Gradensi [7] exceptis, secus fecerit, sine fratre socio discurrendo, per Ministrum illius Provinciae, ubi frater moratur, vel per Procuratorem Ordinis, si in Romana Curia commoretur, puniatur poena, qua puniri debent qui contra sui Superioris licentiam evagantur.

Item, quod omnes Ministri debeant suis fratribus nuntiare, quod quando suspicari possit, ne aliquae litterae contra ipsos in Romana Curia impetrentur, causam

---

[1] Cod. hic et deinde *Esslingen.*

[2] Sed hic est error auctoris. Capitulum generale Assisii celebratum est an. 1367, ut ex documentis apparet, et recte exhibent chron. XXIV Gen., f. 170. r. c. I, Wadding., l. c. ad an. 1367, n. VI, Chronologia etc. tom. I. p. 86, et alii, et etiam ipse auctor infra ad an. 1367.

[3] Etiam hic cod. corrigendus est in 1358, ut dictum est supra.

[4] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 167. v. c. II.

[5] Hoc loco ponendum est 1359.

[6] Cod. legit vitiose *Canthaburgiae;* est enim Cambridge in Anglia.

[7] Gradus (italice Grado), nunc civitas Italiae, usque ad an. 1451 gaudebat Sede patriarchali, quae dicto anno ab Eugenio IV. ad Venetias translata est. — Cod. adiungit incongrue post *exceptis* relativum *qui,* quod, textu exigente, delevimus.

ipsam et conditiones ipsius et loca suspecta et iudices suspectos et favorabiles Procuratori Ordinis significare debeant, qui providere possit de remedio opportuno.

Item praecipit Generalis Minister omnibus Ministris, quod diligenter inquirant in suis Provinciis, si sit Bulla aliqua ad causam Almichani, alias Armachani [1], et si quam inveniunt, Procuratori Ordinis mittere teneantur. Item, si alicui fratri licentia concedatur per dominum summum poenitentiarium, quod possit accedere ad Terram Sanctam seu partes infidelium quorumcumque, Superioris obtenta licentia, quod suus Superior intelligatur in hoc casu tantummodo Generalis, vel Provincialis Minister. Item, nullus petat iudicem vel rescriptum, nisi prius obtenta licentia de iudice domini nostri Papae.

Suffragia. Ordinat Generalis, pro statu pacifico totius Ecclesiae et statu domini Innocentii divina providentia Papae VI. suffragia in omnibus locis totius Ordinis ab omnibus et singulis fratribus modo subscripto per obedientiam observanda, videlicet quod, cantato Pater noster in Missa diei, sacerdos humiliter genuflectat ante corpus Christi, et idem faciant fratres alii existentes in choro et dicant legendo Psalmum [2]: *Laetatus sum* etc., deinde per sacerdotem versus: *Fiat pax* [3] etc., *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*, oratio: *Ecclesiae tuae*, et *Hostium nostrorum*, et *Deus, a quo sancta desideria.* Et post Missam conventualem dicatur legendo die qualibet litania [4] cum versiculis et orationibus consuetis, et quod in fine cuiuslibet horae dicatur *Salve Regina* cum orationibus de beata Virgine, Angelis et de pace.

Haec de capitulo praedicto missa fuerunt.

Frater Udalricus XIX. Minister Saxoniae.

Eodem anno in capitulo Lipsiensi [5] electus est XIX. Minister Saxoniae frater Udalricus, et mansit in officio XI annis et haec capitula tenuit: 1359 Vratislaviae; 1360 Stendalii [6]; 1361 Stettinae; 1362 Berolini; 1363 Hannoverae; 1364 Erfordiae; 1365 Hallis; 1366 Friburgi; 1367 Kylonis; 1368 Budissinae; 1369 Berolini.

Anno Domini 1360 fuit capitulum provinciale in Spira [7], et ibi fecit Minister frater Albertus Constitutiones in hanc formam:

In Christo sibi carissimis fratribus universis Provinciae Alamanniae Superioris

---

1 De quo cfr. supra pag. 189.

2 Psalm. 121.

3 Scilicet: in virtute tua; et abundantia in turribus tuis. — Duae primae orationum paulo inferius memoratarum inveniuntur in Missali inter Orationes diversas n. 10. et 11, tertia in Missa pro pace.

4 Scilicet de Omnibus Sanctis.

5 Cod. *Licpzensi.*

6 Cod. legit *Wratislaviae; Standell* (Stendal); *Stetin* (theut. Stettin, est oppidum Borussiae in Pomerania ad fluvium Oderam (Oder) situm); *Berlin; Hononer,* corrupte (est enim theut. Hannover, olim urbs regni Hannoverae, nunc autem civitas principalis provinciae eiusdem nominis a Borussis an. 1866 annexae);... *Friburg* (i. e. Freiburg vel nunc Freiberg, oppidum regni Saxoniae ad fluvium «Freiberger Mulde» situm; cfr. supra pag. 83, nota 3, ubi tamen in parenthesi non recte «im Breisgau», et pag. 107, nota 5, ubi erronee «prope Schweidnitz» dictum est; Friburgum hic et illis duobus locis memoratum est unum atque idem et attinebat ad Custodiam Misnensem (Meissen); *Kylonii,* rectius Kylone vel Chilonii (i. e. theut. Kiel in Holsatia); *Budissem* (Bautzen); *Berlin.*

7 In festo Pentecostes (quod erat die 24 Maii), ut fr. Albertus ipse paulo inferius (p. 195) dicit.

frater Albertus de Marbachio [1], Minister et servus, salutem et gaudia perenniter possidere.

Cernens, novissimis istis temporibus coelestis vitae spectabile exemplar, quod almus Christi confessor, sanctus Franciscus, descripsit, plus solito proh dolor! obfuscari, et ex mortalis vitae sollicitudinibus mentis aspectum ab exemplaris huiusmodi contuitu frequentius declinare, tanto ex cura pastoralis regiminis provocor ardentius concupiscere, vos omnes et singulos exemplariter revirescere in observantia regulari, quanto frequentius intenta mente revolvo fructus uberes, quos ex vestra exemplari vita Dei populis procul dubio cognosco provenire. Tam pia igitur motus intentione, ad congruam reformationem regularis disciplinae et exemplaris observantiae, ut via vitiis claudatur meritumque virtutis obinde nobis accrescat, statuta quaedam provincialia inferius conscripta, aliis provincialibus, nisi meis exceptis, omnibus suspensis, de consensu concordi Definitorum, et totius capituli provincialis, sub anno Domini MCCCLX in festo Pentecostes Spirae celebrati, assensu, vobis virtute mei officii transmittere decrevi provide attentius observanda. Et ne per caliginem ignorantiae statutorum salubrium generalium editorum quis vestrum in transgressionis foveam prolabatur, praecipio singulis Guardianis seu eorum Vicariis per obedientiam salutarem, ut infra mensem ad minus semel legi faciant consequenter.

In primis itaque statuimus, ut Custodes tam sollicitam curam gerant per obedientiam de fratribus pauperibus induendis, ut totum conventum, a quo frater vestiendus est, ab omni vini potu suspendant, quamdiu huiusmodi fratribus pauperibus de vestibus minime est provisum etc., sicut in aliis praedictis capitulis, excepto quod fuit ordinatum, quod ubique et in quolibet conventu totius Provinciae infra hinc usque ad festum sancti Michaelis [2] unus ad minus habeatur carcer fortis, firmus et humanus, conventibus Argentinensi et Campo regis exceptis. Carcerum vero custodes, sub quorum custodiis detenti quomodolibet evaserint, loco ipsorum in carcere reponantur (ocha) [3], et Guardiani locorum eorundem absolvantur; et similia conventualia ridicula.

Eodem anno ordinaverunt patres in convocatione Argentinensi infrascripta, anno Domini MCCCLX in festo beati patris Francisci [4] habita:

Primo, quod omnes Viceguardiani studeant in absentia Guardianorum suorum conventuum observantiis laudabilibus et regularibus diligenter, conventuum expensas [5] ultra modum suorum Guardianorum, qui actuales et principales sunt ipsorum conventuum provisores, minime in gravem iacturam atque dispendium eorundem faciant ullo modo, ac discursus inutiles omnino invigilent praecavere. Contrarium autem facientes per fratres provinciali capitulo accusentur ac poena nihilominus gravi puniantur, atque pariter ad observantiam praemissorum Viceguardiani quicumque per Custodes stricte per obedientiam arceantur.

Item, quod de cetero conventus quilibet non nativus, qui fratris indebitati ex

---

[1] Cod. hic *Marckpach.*

[2] Id est 29 Septembris.

[3] Ita habet cod.; hoc verbum est additum ab auctore, ut videtur, per modum exclamationis et fortasse vult nihil aliud exprimere nisi nugae. *Ocha* (vel oca, quae vocula secundum Du Cange, Gloss., etiam ludum aleatorium quendam significat) idem est ac *anser.*

[4] Die 4 Octobris. — [5] Cod. mendose *exempensas.*

obitu eleemosynam et vestimenta receperit, quibuscumque creditoribus ipsius fratris decedentis primo de eleemosyna satisfacere teneatur quoquo modo. Si autem migrantis fratris debita de eleemosyna relicta non possunt ad plenum persolvi, tunc de vestium per ipsum relictarum [1] pretio residuum debitorum persolvatur.

Item, quod fratres, in quibus apparent evidentia signa de diurno vel nocturno egressu, seu cum quibus formatae litterae reperiuntur, per Custodem absque dilatione in domo disciplinae includantur.

Item, quod Custodes prohibeant omnia instrumenta musicalia et omnem artem instrumentorum musicalium.

Eodem anno mortuus est Richardus, Archiepiscopus Armachanus [2], Religiosorum Mendicantium maximus persecutor, et sic fuerunt eius dicta contra Mendicantes sine definitione quasi quid insanum et erroneum derelicta.

Ipso etiam anno obiit sancta comitissa Ariani [3] Delphina, uxor sanctae memoriae Elzearii comitis, et in conventu Aptae iuxta virum suum est tumulata.

Anno Domini 1361 fuit alia magna mortalitas, in qua migravit ad Dominum frater Gulielmus Farinerii Cardinalis.

Et eodem anno, XVIII. die Decembris, factus est dominus frater Fortanerius, quondam Generalis Minister, tunc Patriarcha Gradensis, per dominum Innocentium Papam presbyter Cardinalis. Qui post mensem, dum adhuc esset in Italia, antequam titulum ac capellum accepisset, diem clausit extremum.

Dicta mortalitate durante, obierunt multi fratres. Nam de sola Provincia Aquitaniae obierunt decem magistri in theologia notabiles, quorum erant duo Cardinales praedicti, duo Archiepiscopi, unus poenitentiarius domini Papae, alter lector sancti Stephani Sedis Tolosae famosissimus, et plures alii solemnes fratres [4].

Eodem anno convocatio Ulmae.

Anno Domini 1362 fuit capitulum generale, et cum hoc provinciale Argentinae celebratum, in quo fuerunt 800 fratres congregati [5].

Et eodem anno fuit pro confessione fidei catholicae per Saracenos in Medorum imperio martyrizatus dominus frater Iacobus de Florentia Ordinis Minorum, Episcopus Zaitonensis [6], et alii duo Fratres in fide constantissimi per haereticos Nestorianos capti et fame cruciati, palmam martyrii adepti sunt.

Eodem anno, II. die [7] Septembris, moritur Innocentius Papa VI, et ultima die

---

[1] Cod. vitiose *relictorum.*

[2] De quo cfr. supra pag. 189 et 194.

[3] Ita recte legunt chron. XXIV Gen., f. 168. v. c. I, Wadding., l. c. ad an. 1360, n. II, et alii; est enim Arianum (italice Ariano) situm in regno Neapolitano provinciae Principatus. Cod. vero semper scribit erronee *Arimini,* quae est civitas Italiae in provincia Marchiae et vocatur italice Rimini. Etiam supra pag. 144, ad an. 1327, verbum *Arimini* corrigendum est in *Ariani.*

[4] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 168. v. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1361, n. I.

[5] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1362, n. III, ubi dicit, 830 fratres interfuisse dicto capitulo.

[6] Ita recte legunt chron. XXIV Gen., f. 168. v. c. II, Wadding., l. c. ad an. 1362, n. IV; est enim Zaiton vel Zeiton, nunc Tsiuan-ceu, de quo cfr. P. Marcellinus de Civetia, l. c. tom. IV. p. 66. Cod. scribit *Zaiothanensis,* Arturus, Martyrol. Franc. *Zaiotonensis,* Fort. Hueber, Menol. *Zaietonensis.*

[7] Secundum Ciaconium: pridie idus Septembris i. e. 12 Sept.; Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 30, dicit 22 Sept.

Octobris assumitur ad papatum dominus Gulielmus Gamoardi, Abbas[1] Marsiliae et legatus Sedis Apostolicae in Italiam[2], et VI. die Novembris coronatus, dictus est Urbanus V, qui sedit annis octo.

Urbanus Papa V. sedit annis octo.

Item, obiit dominus Talleyrandus, Cardinalis Episcopus Tusculanus, Ordinis protector.

Item, domina Margarita, Abbatissa sanctae Clarae in Norimberga, fuit requisita per dominum Fridericum, decanum ecclesiae Bambergensis, procollectorem subsidii Ecclesiae Romanae, ad subsidium dandum et certis causis allegatis, absoluta per eundem.

Anno Domini 1363 misit dominus Urbanus Papa V. fratrem Marcum, Ministrum Generalem, ad pacificandum comitem et ducem Subaudiae et marchionem Montisferrati. Quos cum ad bonam concordiam reduxisset, missus est per eundem Papam ad confoederandum Florentinos et Pisanos, inter quos, guerra fervescente, multa damna facta fuerant; quos cum multis periculis et laboribus contra spem plurimorum ad perfectam pacem reduxit, tertio missus est ad colligandas multas civitates Italiae contra magnam societatem praedantium armigerorum, quae Italiam et maxime terras Romanae Ecclesiae devastabat[3].

Eodem anno molestata iterum praedicta domina Abbatissa in Norimberga pro subsidio tribuendo, misso procuratore suo ad nuntium Apostolicum, petivit absolutionem. Qui eius procurator infrascriptum libellum supplicationis domino collectori subsidii porrexit:

Coram vobis reverendo in Christo patre ac domino, domino Iohanne, dignissimo Episcopo Ecclesiae Hildesiensis[4] ac nuntio Sedis Apostolicae, specialiter ad colligendum pro Romanae Ecclesiae subsidio tertiam vel sextam partem proventuum annuorum ab Archiepiscopis etc., prout in litteris Apostolicis super hoc confectis plenius claret, deputato, vel coram commissario subdeputato a vobis ad infrascripta exsequenda; ego Conradus, dictus Schiller, procurator negotiorum, gestor ac nuntius specialis religiosae ac devotae dominae, dominae Margaritae, Abbatissae monasterii sanctae Clarae in Norimberga Bambergensis dioecesis, nomine procuratorio N.[5] eiusdem propono et dico, quod anno Domini MCCCLXIII, 29 die mensis Augusti et non prius, quidam processus et mandatum a vobis, ut fertur, promulgati per nuntium domini Ulrici de Leonrod, Praepositi Ilmmünstrensis[6] Frisingensis dioecesis, praedictae dominae meae fuerunt praesentati, in quibus, quantum eam concernere possunt, contineri videtur, ut infra viginti

---

[1] Monasterii S. Victoris, Ord. S. Benedicti; erat iuris canonici peritissimus doctor.

[2] Id est in Neapoli.

[3] Cfr. de hoc et antecedenti chron. XXIV Gen., f. 169. r. c. I, et Wadding., ad an. 1363, n. I. seqq.

[4] Cod. hic *Hildeshemmensis.* — [5] Scil. Margaritae Abbatissae.

[6] Ita recte, cod. legit *Illministrensis.* Significat enim Monasterium (theut. Münster) ad fluviolum « Ilm » (in superiore Bavaria) situm, ubi secundum Pl. Stumpf, « Bayern, Ein geogr.-stat.-hist. Handbuch des Koenigreichs » p. 154, iam an. 846 a comitibus Adalberto et Ottokaro monasterio exstructo, et postea saeculo X. suppresso, inter an. 1060-1068 collegium Canonicorum saecularium institutum erat; quod collegium dux Albrechtus IV. an. 1495 suppressit et eius emolumenta transtulit ad collegium Ecclesiae Monacensis beatae Mariae Virgini dedicatae, nunc Cathedralis Archiepiscopi Monacensis-Frisingensis (München-Freising). — Domini de Leonrod adhuc existunt et Episcopus Eichstadiensis est eiusdem familiae membrum.

dies a notitia eorundem processuum proxime sequentes sextam partem reddituum, fructuum et proventuum abbatiae suae pro subsidio Romanae Ecclesiae praedicto domino de Leonrod, vel deputato ab eo ad hoc recipiendum, integraliter persolvere teneatur, nisi illud subsidium venerabili domino, domino Philippo, tunc Episcopo Cavillacensi, Apostolicae Sedis nuntio, ad colligendum dictum subsidium, aut alias deputato, persolverit, vel coram vobis infra praefatos viginti dies causam rationabilem ostenderit, quare ad solutionem huiusmodi subsidii non teneatur, alioquin, dictis viginti diebus elapsis, excommunicationis sententiae subiaceat. Cum autem, pater reverendissime, anno MCCCLXII feria sexta post diem beati Michaelis [1] praefata domina mea Abbatissa requisita fuerit a venerabili domino Friderico, decano ecclesiae Bambergensis, collectore subsidii consimili, ab ante dicto domino Philippo, tunc Episcopo Cavillacensi, specialiter deputato, ut subsidium tale Romanae Ecclesiae solveret, certis de causis coram domino decano propositis et declaratis, a solutione huiusmodi subsidii fuerit absoluta. Item, alias quidam dominus Paulus, Episcopus Gurcensis, per dioecesim Ratisbonensem a domino Innocentio Papa VI. felicis recordationis ad colligendum simile subsidium specialiter deputatus, cum ab Abbatissis Ordinis sanctae Clarae, cuius est et domina mea, per subcollectores suos idem subsidium peteretur, expresse confessus est ac declaravit, easdem Abbatissas ad tale subsidium non teneri, prout dictus dominus Innocentius Papa vivae vocis oraculo sibi reserasset etc. Et infra. Item, per dominum Papam Bonifacium VIII. felicis recordationis privilegiata est domina mea, ut pro contributione alicuius procurationis legati vel nuntii Apostolici ac etiam ad tallias [2] et collectas minime teneatur. Et infra. Quare, domine reverende, intuitu Dei ac strictae Religionis dominae meae praedictae nomine, quo supra, peto declarari et pronuntiari, eandem meam dominam ad solutionem praedicti subsidii petiti non teneri, nec ad solutionem compelli debere nullamque poenam ex non solvendo incurrere, propter causas et rationes superius expressas, quas quidem causas, vel quantum mihi ex eis sufficit, me probaturum offero legitimis probationibus. Et infra. Et quoniam nimis grave esset dominae meae testes, litteras vel probationes, excepto iuramento per me praestando, coram vobis producere, peto ut supra, quatenus examen super veritate praedictorum, si alias fidem adhibere non vultis domino Ulrico de Leonrod praedicto, vel alii vicino gratiose committere dignemini. Haec omnia dico et propono forma, iure, modo et ordine melioribus quibus possum, salvo semper iure addendi, declarandi et quolibet alio iuris beneficio.

Anno Domini 1364 fuit magna inundatio aquarum in Praga ante dominicam Palmarum [3], ut Carolus imperator navi intraret ad sorores sanctae Clarae eis compassus.

Eodem anno in civitate Gazae [4] Saracenorum, dum frater Gulielmus de Castro-

---

1 29 Septembris.

2 Talliae (a taliando vel incidendo de bonis) sunt exactiones vel collectiones, quae a liberae conditionis hominibus exiguntur a dominis in eorum necessitatibus. Cfr. Du Cange, Glossarium.

3 Quae erat die 17 Martii.

4 Civitas in Palaestina. De Gulielmo Stabiensi sive de Castromaris (Castellamare in regno Neapolitano) cfr. chron. XXIV Gen., f. 169. r. c. 1, Wadding., l. c. ad an. 1364, n. XVIII, et Fort. Hueber, Menol. 8 Augusti.

maris Provinciae Terrae Laboris fidem Christi constanter praedicaret et legem Mahometi detestaretur, a rege illius civitatis per medium corporis sectus, glorioso martyrio coronatus est, et fuit eius corpus cum breviario, in quo horas dicere solebat, combustum; et anno sequenti [1] fuit frater Livinus de Provincia Franciae in Cypro minoris Babyloniae pro fidei confessione martyrio finitus.

Anno Domini 1365 fuit Florentiae capitulum generale celebratum, in quo fuerunt de mandato domini Urbani Papae baccalaurei assignati ad legendum Sententias Tolosae, ibidem postea magistrandi iuxta modum Parisiensium magistrorum ex privilegio illi Universitati concesso, primo per dominum Gregorium Papam IX, secundo per dominum Innocentium Papam IV, novissime per dominum Innocentium Papam VI [2].

Eodem tempore misit dominus Urbanus Papa V. conventui Montispessulani per manum domini fratris Petri Infantis de Aragonia praedicti, brachium sancti Ludovici, Episcopi Tolosani, argento et gemmis pretiosis decoratum.

In capitulo Florentiae praedicto haec sunt acta:

In primis declarat et ordinat Generalis cum toto capitulo generali, quod si contingat, fratrem aliquem mori extra suum conventum nativum, videlicet per quem ad Ordinem est receptus vel debite incorporatus, sive fuerit conventualis sive forensis, in loco, ubi moritur, libri et pecunia, si qua pro necessitatibus dicti fratris habetur, et iocalia [3], si qua haberet, ad conventum nativum integraliter remittantur, servatis papalibus et generalibus institutis, et de fratribus iuste incarceratis nec non et inventis proprietariis in vita vel in morte idem iudicium habeatur.

Item, mandat Generalis cum capitulo universo, quod Episcopi nullatenses [4] ad morandum seu hospitandum in locis fratrum nullatenus admittantur. Guardianus vero vel Vicarius, qui oppositum fecerit, ipso facto a suo officio sit suspensus, non relevandus nisi per Generalem vel Provincialem Ministrum, et de capellanis honoralium, qui correctioni Ordinis subiici nolunt, idem iudicium habeatur.

Item, ordinat Generalis praedictus et capitulum praedictum, quod generale statutum de percussoribus ad litteram observetur. Et quod, si quis Minister in observantia praefati statuti inventus fuerit negligens vel transgressor, per Generalem Ministrum puniri debeat secundum quantitatem delicti.

Item, hortatur Generalis praefatus omnes et singulos Ministros, ut in suis Provinciis reducant fratres ad uniformitatem vestium et ad observantiam regulae et papalium et generalium statutorum, puniendo iuxta quantitatem delicti cum sollicitudine transgressores.

---

[1] Id est 1365. Ita auctor cod. (qui falso legit *Linus* pro *Livinus)* etiam in alio suo msc., supra in diversis locis (ut p. 16) sub « maiori chronica » citato et nuperrime reperto; sed chron. XXIV Gen., f. 162 v. c. II, et Wadding., l. c. 1345, n. I. seqq., nisus auctoritate Mariani et Marci Ulyssip., qui hauserunt ex chron. cit., referunt martyrium eius iam ad an. 1345; ita etiam P. Marcellinus de Civ., l. c. tom. III.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 169. r. c. II, et Wadding., l. c. ad an. 1365, n. VII, ubi tamen erronee nominat Innocentium *VII* pro *VI.* Rodulphus in sua Historia de hoc capitulo et alio, quod an. 1362 Argentinae celebratum est, prorsus tacet. — Notandum, quod memoratum privilegium etiam tunc collatum fuerit Universitatibus Bononiae, Florentiae et Pragae.

[3] Iocalia sunt monilia, gemmae, annuli, aliaque id genus pretiosa. Du Cange, Gloss.

[4] Id est Episcopi nullius Sedis, qui carent clero et populo. Cfr. Du Cange, sub verbo *Episcopus.*

Eodem anno capitulum in Esslinga in festo sancti Matthaei [1], ubi factum fuit sequens pactum:

Notum sit universis fratribus Provinciae Alamanniae Superioris, quod omnes patres congregati in capitulo Esslingensi, anno Domini 1365 in festo sancti Matthaei celebrato, concorditer nec non affectanter promiserunt et libere, fide data loco iuramenti ad manus reverendi patris fratris Alberti, pro tunc Ministri, ad conservandam pacem et unitatem Provinciae, ad bonam famam patrum et aliorum fratrum bonorum efficaciter.

Primo eidem reverendo patri Ministro et consequenter sibi invicem et cuilibet in singulari assistere consilio, auxilio, favore et communibus expensis contra omnes Superioribus rebelles, discolos, frivolos, protervos, contumaces, infamatores, bonam famam proborum fratrum occulte vel publice denigrantes, et etiam contra schismata ac divisiones in Provincia quibuscumque inductionibus vel conspirationibus facientes, ut quos Dei timor a praedictis malis non revocat, saltem illos valida repressio zelusque iustitiae ac patrum sagacitas coerceat ab eisdem. Et intendunt fratres hoc promissum in quolibet capitulo provinciali innovare.

Ne transgressiones nostrae accusentur.

Acta eiusdem capituli: Statutum de novitiis quoad hoc, quod contributio fiat pro eis, tollitur in toto, sed cetera, quae pro eodem et in eodem statuto sunt posita, in suo permaneant robore et vigore.

Item, nullus frater petat auctoritatem Ordinarii sui, vel ea utatur sine Custodis licentia speciali, patribus Guardianis et lectoribus exceptis.

Item, nullus Custos nullusque Guardianus det cuicumque fratri licentiam et obedientiam super licentia indefinite, sed in particulari, quoties frater indiget licentia pro suis exitibus vel aliis suis negotiis pertractandis.

Item, nullus frater extra nostram vadat Provinciam sine reverendi patris Ministri licentia speciali in scriptis habita et obtenta.

Observantiam regulae parum curatam fuisse per patres, qui potentes erant, haec statuta indicant.

Exstirpabant *circa* vineam, et vineam incultam, spinas germinantem, deserebant, plus suas traditiones quam regulam zelantes.

Anno Domini 1366 fuit magna conversio haereticorum per doctrinam Fratrum Minorum baptizatorum in Bulgaria, provincia contigua regno Hungariae, quam christianissimus rex Hungariae, Ludovicus, nepos sancti Ludovici Episcopi, vi armorum sibi subegerat, sicut patet ex litteris Ministri Generalis, missis Ministro Provinciae sancti Francisci tempore indulgentiae Portiunculae [2].

Item, Paterini [3] de Bosnia, qui nimium erant multiplicati et diversis erroribus

---

[1] Id est 21 Septembris.

[2] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 169. r. c. II, ubi integrae litterae paulo superius indicatae, et a P. Nicolao Papini O. M. Conv. in sua « Historia indulgentiae Portiunculae » Florentiae 1824, iam publicatae inveniuntur; et Wadding., l. c. ad an. 1366, n. XV. XVI.

[3] Vel Patarini seu Patareni. Erant enim secta haeretica medii aevi, cuius origo non constat. In doctrina consentiunt quasi cum sectis Katharorum et Albigensium, ita ut Innocentius III. eos non distinguat, dicens: « Impii Manichaei, qui se Katharos vel Paterinos appellant ». Iam ab Alexandro III. an. 1179 in concilio generali Lateranensi III. condemnati sunt. — Cfr. Dr. H. Brück, l. c. p. 497.

irretiti, per dominum Peregrinum [1], Episcopum Bosnensem, Ordinis Minorum, virum magnae devotionis et scientiae, rege commonente, ad fidem convertuntur et baptizantur. Dictus etiam Ludovicus, rex Hungariae, apud Sedem Apostolicam devotius insistendo procuravit converti ad fidem catholicam gentem Cumanorum ritui tartarico involutam, cui genti in fide Christi iam eruditae administrant Fratres de Ordine Minorum auctoritate Apostolica eis commissa pontificalia et Sacramenta ecclesiastica, et de die in diem in fide confortantur.

Item, Sclavi districtus de Lipna, durae cervicis homines, ad fidem erant conversi, cui [2] sacerdotes catholici secundum translationem beati Hieronymi, doctoris sanctae Ecclesiae, Sacramenta ecclesiastica ministrabant, sed nunc in pristinos errores relapsi apostatasse narrantur et peiores facti, quam fuerant ante.

Eodem anno datus fuit Ordini protector per dominum Urbanum V. dominus Nicolaus, tituli sanctae Mariae in Via Lata [3] diaconus Cardinalis, quamvis dictus Generalis ex parte Ordinis alium postulasset.

Et eodem anno, XVIII. kalendas Septembris [4], factus est dictus Generalis frater Marcus per dominum Papam Urbanum V. tituli sanctae Praxedis presbyter Cardinalis. Et mandavit dominus protector Ministris Ordinis, ut cum Discretis Provinciarum in festo Pentecostes [5] proxime futuro accederent Assisii ad capitulum generale pro electione futuri Generalis Ministri. Dominus autem Papa, etiam requisitus, noluit dare Ordini Vicarium, sed dominus protector, facto speciali sigillo officii protectoris, quoad multa quasi Vicarius Ordinem gubernabat.

Sequenti anno intravit [6] dominus Papa Marsiliae mare et navigavit cum tota Curia sua in Italiam, ibidem moraturus, dominis Cardinalibus celeriter terra marique eum subsequentibus, duobus [7] Cardinalibus dumtaxat Avenione ad gubernationem provinciae relictis [8].

Anno Domini 1367 vocavit dominus Papa Urbanus V. dominum Carolum imperatorem in Italiam, et ambo iuncti exercitum movent contra Vicecomitem [9] dominum Mediolanensium, eo quia dominum Papam et omnia eius praecepta nihili pendebat. Verum cum diu frustra laborassent, Imperator Romam ingressus, dominum Papam cum omni reverentia et solemnitate in Sede Apostolicae dignitatis cum gaudio magno Romanorum collocavit. Sed Imperatore in Bohemiam reverso, cum dominus Papa ty-

---

[1] De quo cfr. supra pag. 178, nota 1. — Infra ante *die in* in cod. desideratur *de.*

[2] Supple: genti; sincerius legeretur *quibus* pro *cui.*

[3] Ita recte exhibent chron. XXIV Gen., f. 169. v. c. II, cod. scribit corrupte *inviolata;* Nicolaus, de Ressa dictus, erat Gallus Lemovicensis.

[4] Id est 15 Augusti; iuxta Wadding., l. c. ad an. 1366, n. IX, die 14 Octobris; sed secundum chron. XXIV Gen., f. 170. r. c. I. die 18 Septembris; et ita res se habet, ut ex ms. bibliothecae Vaticanae patet, et etiam Ciaconius l. c. exhibet. Quamobrem perperam dicitur in epitaphio sepulcri eius Viterbii *kalendis Ianuarii.*

[5] Die 18 Aprilis.

[6] 19 Maii, monitus ad hoc faciendum a Petro Aragonio Ord. Min.; cfr. Wadding., l. c. 1366, n. X, et 1367, n. I.

[7] Secundum Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 31 *tribus,* secundum alios *quinque* (Cfr. Ciaconius, l. c.).

[8] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 170. r. c. I.

[9] Id est Barnabam (vel Barnabonem) Visconti.

rannidem Mediolanensem restringere non posset, Avenionem cum Curia reversus [1], ibi diem clausit extremum.

Eodem anno, videlicet 1367 [2], in capitulo, Assisii celebrato, electus fuit Generalis Minister frater Thomas de Ferignano [3] de Bononia, magister in theologia, tunc Minister Bononiensis Provinciae.

Frater Thomas de Bononia XXII. Generalis Minister Ordinis Minorum.

Et circa illa tempora, dum dominus Papa Urbanus ex Avenione Romam venisset, post tres menses [4] obiit bonae memoriae praedictus dominus Aegidius, Cardinalis Episcopus Sabinensis, longo tempore legatus Apostolicus in Italia, ex clarissima ac nobilissima Hispaniarum gente Carila [5] natus, et sepultus est in conventu Assisii ob devotionem beati Francisci singularem in tumulo a se, dum viveret, condito; pro quo praecepit idem Generalis in quolibet conventu cantari unam Missam, et a quolibet sacerdote tres Missas de mortuis celebrari.

Temporibus istius Generalis capti sunt et cum multis aliis Christianis martyrio coronati per Saracenos duodecim fratres, qui morabantur in sacro monte Sion [6].

Anno Domini 1368 fuit convocatio, quasi capitulum, in Spira.

Item, frater Franciscus de Perusio [7], hoc anno Regens Parisius in scholis sub praesidentia magistri fratris Iohannis de Ripa [8], subtiliter super Sententias scripsit et continuavit post duos annos, cuius lectura incipit: « Circa prologum primi Sententiarum quaero talem quaestionem: Utrum in aliqua intellectuali essentia generari posset » etc.

Anno Domini 1369 in festo Pentecostes [9] fuit capitulum in Monachio sub Ministro fratre Alberto de Marbachio et fratribus Seyfrido Checzler Custode et Ulrico Schliers Guardiano.

Eodem anno in mense Augusti [10] obiit Viterbii dominus frater Marcus Cardinalis, olim Generalis Minister.

---

[1] 24 Septembris 1370, mortuus est 19 Dec. eiusdem anni.

[2] Die 6 Iunii, in festo Pentecostes, ut recte dicit Wadding., l. c. ad an. 1367, n. VI.

[3] Ita legit cod.; Ciaconius, cui assentiunt Chronologia etc., De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 74 (tom. I. vero p. 166 cum Wadding. (qui alibi etiam dicit *Frignanus*) *Farignanus*), Rudolphus aliique, dicit de *Firignano* seu *Frignano*, natione Italus, patria Mutinensis (familia enim Firignana seu Frignana Bononiae oriunda Mutinae cum consedisset, inter nobiles eius civitatis gentes olim relata, hodie nullum suae antiquitatis retinet vestigium).

[4] Id est 24 Augusti. — Cfr. chron. XXIX Gen., f. 170. r. c. I. seq., et Wadding., l. c. ad an. 1367, n. II.

[5] Rectius *Carriglia*.

[6] Cfr. chron. XXIV Gen., f. 170. r. c. II.

[7] De quo Wadding. nihil habet. Probabiliter est idem ac ille, de quo loquitur Sbaralea, Suppl. etc. p. 279 sub nomine: *Franciscus Parisiensis*, et de quo Dionysius *Cisterciensis* in I. Sent. d. 1. q. 2. art. 2. dicit: « Actum etiam medium (scil. inter fruitionem et usum) ponit praestantissimus magister et pater meus magister Franciscus de Parisio, Regens in domo Minorum, lib. I. d. 1. art. 2. concl. 1, quam probat decem rationibus » etc.

[8] Vel de Ripa-Transona (ital. Ripatransone in Marchia Anconitana); de quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1250, n. XIV, 1319, n. III. et Scriptores p. 224, et Sbaralea, Suppl. etc. p. 457.

[9] 20 Maii. — Pro *Marbachio* cod. etiam hic et deinde semper *Marckpach*, et paulo inferius fortasse pro *Checzler*, quod exhibet cod., legendum est *Schaetzler*.

[10] Ita etiam chron. XXIV Gen., f. 170. r. c. II, Marianus, Marcus Ulyssip. aliique (cfr. etiam Wadding., l. c. ad an. 1369, n. IX.); Ciaconius tamen, teste Contelorio, dicit: verius 3 Septembris.

Item, eodem anno mense Octobri obiit dominus Cardinalis[1] Lemovicensis, protector Ordinis, et datus est Ordini protector vir magnae circumspectionis et iustitiae dominus Philippus, sanctorum Petri et Marcellini[2] presbyter Cardinalis.

Eodem tempore in Bulgaria in civitate Budin[3] passi sunt pro defensione verae fidei christianae quinque Fratres Minores, videlicet frater Antonius de Saxonia, frater Gregorius de Tragurio[4] interpres, frater Nicolaus Hungarus, frater Thomas de Fulgineo[5] laicus et frater Ladislaus de Hungaria natus, qui omnes a Basarath rege, praesentibus ac cernentibus Calogeris[6] haereticis inimicis fidei catholicae, qui ipsos ceperant, interempti sunt.

Eodem anno, die XXVIII. mensis Maii[7], obiit Neapoli vir perfectionis frater Philippus Aquerii, tumulatus in ecclesia fratrum Corporis Christi, magnis miraculis in vita et post mortem clarens.

Item, in Octavis Paschae annotavit dominus Urbanus Papa catalogo Sanctorum sanctum Elzearium, comitem Ariani[8], in conventu Aptae cum habitu Fratrum tumulatum.

Frater Dionysius Sonlechat[9] et frater Arnoldus de villa Podii Ceritani dioecesis Urgellensis[10], ad sobrietatem non scribentes et praedicantes aliquas propositiones, coacti sunt revocare circa haec tempora.

Anno Domini 1370 fuit capitulum generale Neapoli celebratum, ad quod capitulum expedivit expensas domina Iohanna, Ierusalem et Siciliae regina, neptis Roberti regis, et multis honoribus, beneficiis ac favoribus suam devotionem, quam habebat ad beatum Franciscum et ad Ordinem, ostendit.

---

[1] Scil. Nicolaus de Ressa; sed secundum Ciacon. obiit 5 Novembris.

[2] Cod. iterum erronee *Marcelli;* cfr. chron. XXIV Gen., l. c., et Wadding., ut supra.

[3] Nunc est Widdin vel Vidin (latine Widdinum), pro quo chron. XXIV Gen., l. c. *Bindin,* Wadding., l. c. ad an. 1369, n. XI. *Bindim,* et Fort. Hueber, Menol. 12 Febr. *Bidinii.*

[4] Cod. *Trogurio;* est enim Trau vel Tragur, latine Tragurium, (pro quo Fort. Hueber, Menol. *Tragunium*, Wadding. recte *Traguriensis)*, oppidum Dalmatiae.

[5] Ita recte exhibent chron. XXIV Gen., l. c. (Wadding. etiam recte *Fulginas),* Fort. Hueber, Menol. de Fuligno; est Fulginium (italice Foligno) Italiae civitas in Umbria. Cod. vero mendose *de Falingo.* — Etiam fr. Ladislaus erat laicus.

[6] Calogeri sunt monachi Graeci, praesertim senio et aetate venerandi. Cfr. Du Cange, Gloss.

[7] Verbum *Maii* desideratur in cod., quod adiecimus auctoritate alterius msc. Glassbergeri, chron. XXIV Gen., f. 171 r. c. I, ubi diffusius de dicto fratre sermo est et legitur *Madii* (Madius mensis dictus, dicit Du Cange, quod terra madiat, qui et Maius, madorum pluvia), et Wadding., l. c. ad an. 1369, n. XII. seqq.

[8] Cod. iterum erronee *Arimini;* cfr. supra pag. 196, nota 3.

[9] Ita legit cod. ms. D'Argentre vero, Collect. iud. tom. I. p. 382, (ubi habentur errores fr. Dionysii, baccalaurei Parisiensis, quos et publice et solemniter revocavit in Ecclesia Praedicatorum anno 1369, die Iovis post dominicam *Quasi modo,* p. 384) eum vocat *Soulechat* vel *Foulechat* (ita etiam Sbaralea, Suppl. p. 220), et dicit, in litteris Papae Urbani V. manuscriptis Parisiis conservatis et ab ipso transcriptis, eum nominari *Foulechat.* Wadding., l. c. ad an. 1362, n. V. scribit *Foullechat.*

[10] In cod. excidit haec vocula *Urgellensis,* quod textu exigente adiunximus; est Urgel, oppidum Hispaniae in provincia Catalonia, in qua etiam sita est villa *Podii Ceritani,* pro quo cod. corrupte exhibet *Padii Teritani,* vulgo *Puigcerda* dicta. De fr. Arnoldo (alias Arnaldo) Montanerio cfr. Wadding., l. c. ad an. 1371, n. XXVIII, et D'Argentre, l. c. tom. I. p. 390.

Circa idem tempus misit dominus Papa Urbanus ad imperium Cathai latissimum dominum fratrem Gulielmum de Prato, Parisiensem sacrae theologiae magistrum, quem ibidem fecerat Episcopum, et cum eo alios magistros et sexaginta fere Fratres Minores, ut ibidem fidei fundamenta christianae iacerent et verba vitae seminarent[1].

Praefato anno rediit dominus Papa Urbanus cum galeatorum multitudine copiosa de Italia Avenionem, et XIX. die mensis Decembris ibidem ex hac vita migravit. Et assumptus est ad papatum dominus Petrus Rogerii[2], tituli sanctae Mariae Novae diaconus Cardinalis, nepos quondam Clementis Papae VI, et Gregorius XI. appellatus.

Anno Domini 1371, indictione IX. die IV. Ianuarii, coronatur dominus Gregorius Papa XI, et sedit annis VII et mensibus V.

Dominus Gregorius Papa XI. sedit annos VII, menses V.

Eodem anno[3] factus est dominus frater Bertrandus Aggerii[4], magister in theologia de Provincia Aquitaniae, tunc existens Episcopus Glandatensis, tituli sanctae Priscae presbyter Cardinalis per dominum Gregorium Papam XI.

Claruit eo tempore frater Nicolaus Mutius de Venetiis, qui opera sancti Gregorii per materias distinguens, fecit opus maximum, multum pulcrum et notabile, ipsumque domino Papae Gregorio praesentavit.

Convocatio in Argentina.

Anno Domini 1372 obiit supradictus dominus Philippus Cardinalis et Ordinis protector.

Eodem anno factus fuit frater Thomas, Minister Generalis, per dominum Papam Gregorium legatus ad Italiam, ut pacificaret ad invicem Ianuenses[5]. Nam inter se bellum satis periculosum habebant. Quod cum feliciter peregisset, factus est per eundem dominum Papam Patriarcha Gradensis.

Eodem anno in capitulo, Sundis[6] celebrato, electus fuit in XX. Ministrum Sa-

---

[1] Cfr. de hoc et seqq. chron. XXIV Gen., f. 173. v. c. I. seq., et Wadding., l. c. ad an. 1370, n. I. et XVIII.

[2] Monstrius, oppido Malmonte (Maumot), Lemovicensis agri in Galliae provincia Tolosana ortus, erat filius comitis Bellifortis (Beaufort).

[3] Sexto idus (8) Iunii, dicit Waddingus.

[4] Ita cod. et chron. XXIV Gen., f. 173. v. c. II. Wadding. tamen, l. c. ad an. 1371, n. XI, cui consentiunt Sbaralea, Suppl. etc. p. 138, et Ciaconius, l. c., eum vocat probabiliter rectius Bertr. *Lagerium* (i. e. e familia Lageria) de Figiaco (Figeac in Gallia). — Paulo inferius cod. omisit voculam *Aquitaniae*, quam chron. XXIV Gen. exhibent et textus exigit, quia fr. Bertr. erat alumnus eiusdem Provinciae, et deinde dicit *Gladacensis* pro *Glandatensis*, ut recte habetur in chron. cit. Glandeves (lat. Glannatae vel Glandatae) est oppidum Galliae, cuius Sedes episcopalis non amplius existit.

[5] Ita legunt chron. XXIV Gen., l. c. et etiam Glassbergerus in suo altero msc. Scriptor cod. vero, adiuncta particula *et*, exhibet erronee spatium vacuum, certe quia seductus a verbis *pacificaret ad invicem* putavit, alterum membrum esse adiungendum contra Ianuenses. Notum enim est, quod Ianuenses, vel potius nobiles eorum inter se erant divisi in duas partes, quarum una, cuius caput erant familiae Doriae et Spinolae, constitutione aristocratica, et altera, cui praesidebant familiae Fliscorum (Fieschi) et Grimaldorum (Grimaldi), constitutione democratica dominium assequi intendebat. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1372, n. I. seqq.

[6] Id est Stralsund; cfr. supra pag. 109, nota 6. — Paulo inferius cod. *Manssfell* pro *Mansfeld*.

Frater Burckhardus XX. Minister Saxoniae.

xoniae frater Burckhardus, comes de Mansfeld, de Custodia Magdeburgensi, et rexit octo annis et haec capitula habuit: anno Domini 1373 Berolini [1]; 1375 Magdeburgi; 1376 in Curia Regnitiana [2]; 1378 Vratislaviae; 1379 Stettinae; 1381 Brunopoli etc.

Praedicto anno, videlicet 1372 in mense Novembri, conquesti sunt fratres Conradus Guardianus et frater Iohannes lector conventus Norimbergensis domino legato Apostolico iniurias, sibi et Ordini factas a rectoribus ecclesiarum, contra quas petierunt remedium et iustitiam sibi ministrari, et obtinuerunt sequentem processum.

Iohannes, miseratione divina Patriarcha Alexandrinus et Apostolicae Sedis in partibus Alamanniae, Bohemiae, Hungariae et nonnullis aliis nuntius et legatus, universis, ad quos praesentes litterae pervenerunt, salutem in Domino sempiternam.

Notum ipsarum tenore facimus, quod anno Domini MCCCLXXII, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Gregorii divina providentia Papae XI. anno II, die VI. mensis Novembris, in Norimberga in domo habitationis nostrae comparuit coram nobis Religiosus vir Conradus Guardianus et frater Iohannes lector eiusdem domus Minorum, quaerulose et lacrymose nobis exponentes, quod quamplurimi et fere omnes plebani et ecclesiarum rectores residentes et animarum curam regentes in ecclesiis, in Custodia Bavariae, Sueviae [3], Rheni, Alsatiae, Basileensi et Laci [4] constitutis, in suis praedicationibus, quas publice in ambone ad populum faciunt, praedicant et publicant et publicari ubique procurant certa capitula infrascripta in grande praeiudicium et enorme dicti Ordinis et Religionis et status eiusdem, quorum effectus infert in personam dictorum Fratrum notam infamiae et sustentationis defectum.

Primo enim private dicunt dicti plebani et publice praedicant in ambone, quod Fratres dicti Ordinis, praesentati per suos Superiores Dioecesano ad confessiones audiendas, ipsas audire non possunt absque requisitione plebanorum et licentia seu auctoritate in parochia cuiuscumque, immo potius sunt deceptores illorum qui confitentur eisdem.

Item, etiam quoscumque utriusque sexus, qui dictis Fratribus confessi fuerint, retrahunt a Sacramento Eucharistiae et denegant ministrare dicentes publice: « Vadatis ad recipiendum Sacramentum Eucharistiae, ubi fuistis confessi ».

Item, hominibus infirmis, qui dictis Fratribus confessi fuerint, Sacramentum extremae Unctionis petentibus ea ministrare denegando, ex eo quod Fratribus confessi sunt, sine dictorum Sacramentorum administratione mori permittunt.

Item, asserunt, quod Fratres degentes per villas, ubi conventus non habent, confessiones audire non possunt in domibus seu locis honestis in villa existentibus,

---

[1] Cod. *Berlin, Madeburg; Wratislaviae; Stettin; Brunschwick.*

[2] Vel Curia Variscorum (ut dicit. « Nuovo Dizionario geografico universale », Venezia 1826); cod. legit *Curia Regnitz.* Est enim theut. Hof, oppidum Bavariae in confinibus regni Saxoniae ad Salam situm, et « hausit nomen a Regnizio amne ibi fluvio Salae influenti... Ibidem paulo post a. 1292 Fratres Minores S. Francisci in honorem B. M. V. et S. Crucis ex fidelium eleemosynis (monasterium) construere coeperunt ». Ita Ussermann, Episcopatus Bambergensis (Typis San-Blas. 1802) p. 432.

[3] Cod. *Sweviae.*

[4] Id est *Bodamici* (theut. Bodensee) in Helvetia.

et si contra faciunt, illi qui confessi eisdem fuerint, absolutionis beneficium minime consequuntur.

Item, etiam publice praedicant et prohibent in ambone sub anathematis poena et excommunicationis, neminem laicum persuadere alteri laico, sicut pater filio vel e converso, vel vicinus vicino, alibi sepulturam quam in parochiali ecclesia, ex qua prohibitione, sic de facto et contra ius facta, homines retrahunt ab electione sepulturae in conventibus dictorum Fratrum.

Item, etiam funera, quae penes Fratrum conventus sepelienda sunt, dum secundum morem terrae in parochialibus ecclesiis afferuntur, adeo sub quadam specie boni in ecclesiis detinentur per plebanos, et populum fatigant, quod, dum funus de parochiali ecclesia apud Fratres sepeliendum transfertur, vix aliquis saecularis post funus subsequitur; quod totum fit in fraudem oblationum, quae occasione dicti funeris ad Fratres pervenire deberent.

Item, etiam docent et suggerunt populo suo vulgari, ne alibi sepulturam eligant quam in sua parochiali ecclesia, ubi et non alibi debent cum suo pastore a mortuis resurgere.

Item, etiam suggerunt populo suo, quod si Fratres haberent penes se sepulturam laicorum, etiam haberent administrationem Sacramentorum. Subinferunt etiam, quod si fuisset eis concessum audire confessiones, etiam cetera Sacramenta administranda eis concessa fuissent; per quae verba homines laicos retrahunt a confessionibus Fratrum et ab electione sepulturae penes ipsos.

Item, etiam Fratribus dicti Ordinis, in sua mendicatione degentibus, prohibent plebani suos subditos, praeberi dictis Fratribus mendicantibus adminiculum seu iuvamen. Necessarios etiam aliquos ex ipsis subditis inter alios catholicos coadiutores seu cooperatores eleemosynarum dictorum Fratrum ab hoc abigunt et prohibent, immo etiam nec permittunt dictis Fratribus necessitates suas ad populum publice intimare.

Super quibus, ut praemissum est, in sui praeiudicium et dicti Ordinis notorie attentatis publice in ambone et alibi, adeo quod non possunt aliqua tergiversatione celari, dicti Guardianus et lector sibi petierunt et dicto Ordini provideri de remedio opportuno et iustitiam ministrari summarie et de plano, sicut in facto notorio, in quo procedendum est iuris rigore et solemnitate omissa.

Nos igitur cupientes inter praemissos plebanos et rectores et etiam praefatos Fratres nodum et zelum amoris et caritatis conservare, immo quantum nobis Deus ministraverit, augmentare, non intendentes, sicut nec possemus, Decretali Clementinae *de sepulturis*, quae quamplurimum et praemissa tangit et discindit, in aliquo derogare, sed quae de facto inter praefatos vertuntur, discindere et causa fovendae concordiae declarata, in et super praemissis referendo nos ad capitula supradicta, declaramus, Fratres praefatos, praesentatos per Superiores sui Ordinis Dioecesano pro confessionibus audiendis, ipsas ex tunc posse audire absque plebani seu rectorum requisitione vel auctoritate.

Item, prohibemus per censuram ecclesiasticam in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis, quam, canonicis monitionibus praemissis, in contra facientes ferimus in his scriptis, ne plebani seu ecclesiarum rectores deinceps a Sacramento Eucharistiae seu extremae Unctionis et sepultura, seu Sacramentis aliis Ecclesiae quibuscumque retrahant seu retrahi procurent quovis modo illos, qui confessi fuerint peccata sua Fratribus supradictis; quod tam de sanis et benevalentibus tempore confessionis suae quam de infirmis fieri prohibemus.

Item, etiam declaramus, quod in locis, in quibus Fratres habent conventus, ibidem confessiones audiant hominum utriusque sexus bene valentium et sanorum in conventu vel in parochiali ecclesia, si placuerit plebano; infirmorum vero confessiones audiant in domibus, in quibus degunt. In quibus autem locis conventus non habent, audiant confessiones in parochiali ecclesia. Et si forsan plebanus vel rector ecclesiae impedimentum in hoc praestiterit quoquo modo directe vel indirecte, excommunicationi subiaceat ipso facto, et in illo casu liceat praedictis Fratribus alibi quam in ecclesia, in locis honestis, hominum sanorum confessiones audire, et infirmorum in domibus, in quibus degunt, et poenitentias iniungere salutares.

Item, declaramus, plebanos seu rectores ecclesiarum non posse nec debere prohibere publice vel occulte, nec ad populum praedicare, quod laicus non inducat laicum, sicut pater filium et econtra, vel vicinus vicinum ad eligendum sepulturam in conventibus Fratrum praedictorum, reprobantes etiam, quod dicti plebani in suis praedicationibus subinferunt, videlicet quod die extremi iudicii corpora parochianorum suorum habent resurgere cum plebano in coemeterio parochiali et non alibi, quia sic asserere esset asserere contra fidem.

Prohibemus etiam, ne de cetero plebani seu rectores ecclesiarum private doceant seu publice praedicent, Fratres praedictos non posse confessiones audire, nisi etiam administrent alia ecclesiastica Sacramenta, quia, sicuti eis fuisset concessum de confessionibus audiendis, sic et concessum fuisset de ceteris Sacramentis administrandis. Per tales enim praedicationes et documenta privata homines retrahunt a sepultura penes dictos Fratres eligenda; quod omnino taliter praedicari seu asseverari publice vel occulte prohibemus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in talia praedicantes, praemissa admonitione canonica, ferimus in his scriptis.

Prohibemus etiam sub eisdem poenis, ne plebani seu rectores ecclesiarum per se vel per alium, directe vel indirecte, Fratres praedictos impediant in procuratione suarum eleemosynarum, nec procuratores seu cooperatores, per ipsos deputatos ad eleemosynas suscipiendas, nec etiam impedimentum in sua mendicatione afferant, quominus necessitates suas et alia, quae sibi competunt, valeant quiete et pacifice ad populum explicare.

Sane ex praefatorum Fratrum relatione et aliorum fide dignorum testimonio percepimus, Fratribus praedictis [1] in suis praedicationibus et confessionibus per quamplures plebanos et rectores ecclesiarum ausu temerario impedimentum afferri, licet Ordinario pro talibus exercendis per Superiores sui Ordinis fuerint praesentati, nec dicti Fratres praemissis utantur de licentia et assensu expressis praenominatorum rectorum et plebanorum, quod est expresse contra tenorem privilegii felicis recordationis domini Clementis Papae IV. Fratribus praefati Ordinis indulti, de quo nobis facta exstitit plena fides, cui ex tunc per Constitutiones aliorum Romanorum Pontificum nullatenus exstitit derogatum, cum ad hoc esset necesse, de dicto privilegio mentionem fieri specialem. Quapropter praecipiendo mandamus omnibus et singulis plebanis [2] et rectoribus in praelibatis Custodiis, plebium seu curam animarum regentibus, nec non etiam aliis personis ecclesiasticis cuiuscumque status aut conditionis in provin-

---

[1] Ita, textu exigente, correximus; cod. legit incongrue *Fratres praedictos.*

[2] In cod. desideratur hoc verbum, quod textu postulante adiecimus.

ciis nobis decretis constitutis, quatenus dictos Fratres nec non ipsorum aliquem in dictis suis praedicationibus seu confessionibus, neque subditos suos cuiuscumque status seu conditionis existant, dictis Fratribus confiteri volentes, licet ipsa faciant, consensu plebanorum seu rectorum minime requisito, cum iuxta tenorem dicti privilegii ad hoc nullatenus sint astricti, per se vel per alium, quovis modo directe vel indirecte, impedire seu molestare praesumant, sub excommunicationis poena, quam, canonicis monitionibus praemissis, quemcumque contrafacientem, praeterquam in pontificali dignitate constitutum, incurrere volumus ipso facto.

Sane etiam illud quod per quamplures plebanos publice praedicatur ad populum, videlicet privilegia et indulgentias, dictis Fratribus et suo Ordini concessas, fore et fuisse revocatas et iam de praesenti etiam nullas, nec occasione dictorum privilegiorum Fratres posse amplius uti nec confessiones audire nec cetera facere, quae in dictis privilegiis continentur, occurrere cordialiter cupientes, prohibemus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in contrarium facientes, canonica monitione praemissa, ferimus in his scriptis, ne aliquis cuiuscumque status aut conditionis existat, talia de cetero ad populum, seu alibi separatim publice vel occulte, vel similia dicere aut praedicare praesumat, nisi forsitan de revocatione dictorum privilegiorum faceret promptam fidem et indubitatam.

Declaramus insuper, quod quicumque fideles [1] praelibatis Fratribus ad audiendas confessiones praesentatis confitentes, a dictis Fratribus absoluti fuerint et casibus eis a iure concessis, absolutionis sunt beneficium consecuti, et est satisfactum Constitutioni *Omnis utriusque sexus*, proinde ac si suo proprio plebano confessi fuissent [2].

Ceterum non est intentionis nostrae, quod [3], licet praedicta declaraverimus ac deciderimus iure ordinario virtute legationis nobis iniunctae in provinciis nobis decretis, privilegiis et libertatibus dicti Ordinis in aliquo derogare, quam seu quas declarationes, prohibitiones seu decisiones, ut praemittitur, factas, praecipiendo mandamus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam, canonica monitione praemissa, in contemptores seu contravenientes ferimus in his scriptis, inviolabiliter observari.

Verum quia propter plebanorum pluralitatem ac temporis, quo hic esse possumus, brevitatem in praemissis declarationibus non potuimus plebanos seu rectores coram nobis facere evocare, volumus, quatenus tam praemissae declarationes nostrae quam mandata, cum eis publicabuntur, liceat proponere coram conservatoribus privilegiorum Ordinis saepe dicti, quos conservatores in Domino exhortamur, quatenus in praemissis summarie et de plano procedentes, absque more dispendio ministrent partibus iustitiae complementum.

Datum Norimbergae sub sigillo nostri, pontificatus die et mense, quibus supra.

Item, aliud mandatum eiusdem ad idem: Iohannes, miseratione divina Patriarcha Alexandrinus, in partibus Alamanniae, Bohemiae, Hungariae et nonnullis aliis Sedis Apostolicae nuntius et legatus, universis dominis Archiepiscopis, Episcopis,

---

[1] Cod. legit *fidelis*.

[2] Cod. certe per incuriam amanuensis *confuissent* pro *confessi fuissent*.

[3] Ita legit cod., sed hoc verbum superabundat, nisi forte aliquanto inferius *derogemus* vel *derogetur* pro *derogare* legatur.

Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus et ecclesiarum Canonicis, vestrum singulis infra terminos nostrae legationis constitutis, salutem in Domino sempiternam.

Ex parte Custodum et aliorum Praelatorum Ordinis Fratrum Minorum praesidentium, in partibus Alamanniae, Bohemiae, Poloniae degentium, fuerunt certi articuli seu capitula nobis exhibiti contra plebanos et ecclesiarum rectores, residentes in territoriis supradictis, asserentes Fratres praefati se quamplurimum gravatos ex serie contentorum in articulis praelibatis, petentes, sibi provideri de remedio opportuno et iustitiam ministrari. Quibus articulis visis et examinatis, perspeximus, per eos in pluribus contra canonicas sanctiones detrahi Ordini ac Religioni ac libertatibus praedictorum Fratrum, qui potius caritative tractandi sunt et prosequendi favoribus gratiose, utpote quibus sola mendicitas victum praebet; qui etiam suis praedicationibus et orationibus et confessionibus audiendis fructum in Dei Ecclesia non modicum afferunt incessanter. Volentes igitur in praemissis, prout ex iniunctae nobis legationis incumbit officio, adhibere medelam supra dictis capitulis et ea tangentibus, pro sedanda discordia et fovenda concordia declarationes fecimus, prout nobis Dominus ministravit. Quapropter prohibemus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in rebelles, canonica monitione praemissa, ferimus in his scriptis, plebanis et rectoribus memoratis, ne praefatos articulos seu capitula seu eorum quemlibet de cetero ad populum palam, vel occulte praedicent seu publicent quoquo modo, tamquam a iure exorbitantes et afferentes praeiudicium libertati et privilegiis Ordinis saepe dicti, observando modum et formam declarationum et decisionum nostrarum, quam in praedictis capitulis, per dictos Fratres expositis, et ea tangentibus fecimus, ut est dictum, rogantes vos dominos Archiepiscopos et Episcopos, et mandantes sub antedictis poenis Abbatibus, Prioribus, Praepositis et Decanis, cantoribus et personis ecclesiasticis et rectoribus praefatis et eorum cuilibet, quatenus, cum pro parte dictorum Fratrum requisiti fueritis, has nostras patentes litteras praelibatis plebanis, prout cuiuscumque ipsorum interfuerit, in vestris et eorum ecclesiis publicetis aut publicari et legi faciatis.

Datum, ut supra, die et mense memoratis.

Eodem anno, videlicet 1372, fuit convocatio in Wormatia, et ibidem obiit frater Albertus de Marbachio, et in festo beatae Catharinae fuit electus in Ministrum Superioris Alamanniae frater Hesso de Lampertheim[1], tunc lector Argentinensis, et fuit XIII annis in officio et haec capitula celebravit: anno Domini 1373 Argentinae in festo Assumptionis Mariae[2]; 1374 convocatio in Argentina; 1375 in Turego; 1376 Basileae convocatio; 1377 Columbariae capitulum; 1378 Basileae convocatio; 1379 Argentinae convocatio; 1380 Columbariae convocatio; 1381 in Esslinga convocatio; 1382 Spirae convocatio; 1383 Moguntiae magnum capitulum; 1384 Argentinae con-

Frater Hesso Minister Superioris Alamanniae XIII annis.

[1] Cod. *Lampartheym;* situm est in magno ducatu Hassiae-Darmstadii. — Festum S. Catharinae est 25 Novembris.

[2] 15 Augusti.

vocatio; 1385 in Pforzhemia[1] capitulum; 1386 Esslingae convocatio; et eodem anno in festo sanctae Margaritae[2] obiit idem Minister Hesso.

Eodem anno 1372 facta est solemnitas Praesentationis beatae Virginis cum officio proprio spectato in Curia Romana, beatissimo Papa Gregorio XI. in sacro palatio suo degente Avenione, in ecclesia Fratrum Minorum dominica die, XXI. Novembris; in vigilia ipsius dominicae Vesperae solemnes et devotae et Matutinum de officio praelibato per Fratres Minores celebratae fuerunt, et divina praetacta Missa solemnis et pontificalis in dicta ecclesia Fratrum Minorum celebrata fuit per dominum Episcopum Cortonensem[3], Romanum magistrum in sacra Pagina, solemnem praedicatorem, cum sermone eiusdem solemnitatis ad clerum in Missa, et praedicatione vulgari in Vesperis secundis ad populum laudabiliter factis per fratrem[4] Franciscum de Fabrica, Ministrum atque solemnem doctorem in theologia. Affueruntque in Missa ad honorandum festum beatae Mariae reverendissimi domini Cardinales infrascripti: Anglicus[5], Albanensis Episcopus; dominus Pampilonensis[6], tituli sanctae Anastasiae presbyter et vicecancellarius; Gulielmus[7], tituli sancti Clementis presbyter; dominus Petrus[8] Florentinus, tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter; dominus Hugo sancti Martialis in Damaso presbyter[9]; dominus Iohannes[10] Lemovicensis, tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter; dominus Bertrandus[11] Glandatensis, tituli sanctae Priscae presbyter, Ordinis Minorum; dominus Iohannes de Turre[12], tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter; dominus Hugo[13], tituli sanctae Mariae in Porticu diaconus; et do-

---

[1] Cod. legit hic *Pfortzen;* est enim civitas magni ducatus Badenae et vocatur *Pforzheim.*

[2] Virginis et martyris, Antiochenae, cuius festum 20 Iunii celebratur. Ita recte, ut infra ad an. 1386 patet. Cod. legit hic *Margaris* pro *Margaritae.*

[3] Id est Corythus vel Cortona, civitas Italiae in Tuscia. — [4] Post *fratrem* cod. iterum exhibet aliud *fratrem,* quod delevimus, quia superabundat. — Fabrica est pagus prope Assisium.

[5] Seu frater Angelicus (pro quo cod. non bene *Anglicanus*) Grimaldi seu Grimoardi de Grisaco (Grisac, oppidulum in Languedoc), dioecesis Mimatensis (Mende), Canonicus Regularis divi Augustini, coenobii S. Rufi prope urbem Valentiam Abbas, primo iussu Urbani V, cuius frater germanus erat, Ecclesiam Avenionensem rexit et deinde an. 1366 Episcopus Card. Albanus renuntiatus est († 18 Aprilis 1388). — Cfr. de hoc et seqq. Ciaconius, l. c.

[6] Cod. *Pampilionensis,* id est Card. Petrus de Selve e Monteruco, natione Gallus, qui prius ab Innocentio VI, cuius nepos erat, Episcopus Pampilonensis (Pamplona est oppidum Hispaniae) factus, deinde Cardinalis et vicecancellarius renuntiatus est. — [7] Iudicis, Lemovicensis, Gallus.

[8] Corsinus dictus, sed erat Card. S. Laur. in *Damaso,* non *in Lucina.*

[9] Ita legit cod., sed videtur esse error. Nam secundum Ciaconium, l. c., sub Gregorio XI. erant duo Cardinales nomine Hugonis, scil. Hugo de Montrelaix seu de Montelongo, Gallus de Britannia minore, qui erat presbyter Cardinalis titulo Ss. Quatuor Coronatorum, et Hugo de sancto Martiali (Sain Martial est oppidum Galliae), diaconus Cardinalis titulo S. Mariae in Porticu, qui ab Innocentio VI. erat creatus. Quorum primus certe est supra memoratus, cum alter paulo inferius nominetur. Iam vero, sub titulo *sancti Martialis in Damaso* nulla ecclesia Romae existit, sed sola ecclesia *S. Laurentii in Damaso,* quae titulo Cardinalis gaudet.

[10] De Crosso, ex pago Calmaforti, dioecesis Lemovicensis.

[11] Lagerius, Gallus, Alvernus (Auvergne), de quo cfr. supra pag. 204, nota 4. Pro *Glandatensis* (scil. Episcopus) cod. iterum vitiose *Gladacensis.*

[12] De Arverna, Gallus, Lemovicis natus, monachus S. Benedicti Cluniacensis et Abbas monasterii S. Benedicti Floriacensis ad Ligarim.

[13] Cfr. supra nota 5.

minus Petrus de Bivio[1], tituli sanctae Mariae in Via Lata diaconus: omnes Cardinales. Dominus Thomas, Patriarcha Gradensis, Ordinis Minorum. Affueruntque alii plures: Protonotarius, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, sacri Palatii magistri et alii magistri in theologia et diversarum Religionum Regentes, in sacra Pagina doctores solemnes ac utriusque iuris, ac multus populus utriusque sexus in laudem Virginis Mariae.

Dictum autem officium de mandato domini Gregorii Papae hi examinaverunt: Episcopus Pontensis, felicis memoriae Urbani Papae et tunc domini Papae Gregorii confessor, solemnis in theologia magister Ordinis Eremitarum sancti Augustini, et frater Gulielmus Romani Ordinis Praedicatorum, etiam in sacra Pagina magister, magistri sacri Palatii, primo dictum officium examinaverunt. Deinde reverendissimus pater dominus Bertrandus, tituli sanctae Priscae Cardinalis memoratus, solemnis in theologia magister de Ordine Minorum, officium prolixe examinavit et aliqua manu propria correxit. Deinde etiam reverendissimi patres dominus Anglicus[2], Albanensis Episcopus Cardinalis, et dominus Petrus Hispanus, tituli sanctae Praxedis presbyter Cardinalis. Post istos iterum dominus frater Thomas, Patriarcha Gradensis, Ordinis Minorum, Episcopus Cavilonensis[3], Minister Hyberniae, Procurator Ordinis Minorum, omnes magistri in sacra Pagina insimul congregati dictum officium viderunt, et in praesentia dicti domini Cardinalis[4] Glandatensis approbaverunt solemnizandum.

Frater Leonardus de Giphono XXIII. Generalis Minister Ordinis Minorum.

Anno Domini 1373 fuit capitulum generale Tolosae celebratum, et ibidem fuit electus in XXIII. Generalem Ministrum frater Leonardus de Giphono[5], Minister Provinciae Terrae Laboris, magister in theologia. Hic fecit Expositionem super Cantica Canticorum magnum volumen, per modum lectionum distinctum in 140 cantica, id est sententias eius, unde continet multa copiose et profunde.

Ad hoc capitulum misit dominus Papa Gregorius XI, praecipuus pater et amicus Ordinis, Bullas multum favorabiles et utiles toti Religioni. Una fuit, quod protector Ordinis non se intromitteret de gubernatione Ordinis vel correctione Ordinis, nisi in tribus casibus in regula expressis, videlicet si communitas Ordinis ab obedientia domini Papae vel Ecclesiae Romanae deviaret, si in fide vacillaret, si regulam non servaret. Nec aliquis frater a protectore Ordinis promotionem peteret nec datam acceptaret, sub poena excommunicationis, quam incurreret ipso facto.

Item, alia fuit, quod Generalis Ordinis non faceret aliquem Vicarium nisi subditum suum, cum ex opposito multa inconvenientia sequerentur.

---

[1] Ciaconius, l. c. eum nominat *Petrum de Verruco* seu de Verneyo, vel de Verruto aut Vunhia; erat natione Gallus, patria Tutellensis. — Immediate post cod. iterum falso legit *Mariae inviolatae* pro *Maria in Via Lata.*

[2] Cod. iterum legit *Anglicanus,* ut supra.

[3] Vel rectius *Cabilonensis;* est enim Cabilonum civitas in Gallia et vocatur gallice Chalon. — Supra pag. 198 cod. bis legit Episcopus *Cavillacensis*, sed erronee pro *Cavallicensis* vel rectius *Cabellionensis;* est enim Gallis Cavaillon, oppidum in provincia Provinciae (Provençe) prope Druentiam (Durance) situm.

[4] Scil. Bertrandus; cod. iterum falso legit *Gladacensis.*

[5] Ita cod., sed rectius vocatur Leon. de Rubeis (Rossi) ex Giffonibus (italice Giffoni), Campaniae oppidulo oriundus.

Eodem anno postulatus et concessus est Ordini protector dominus Gulielmus, tituli sancti Clementis presbyter Cardinalis, Lemovicensis [1].

Eodem anno capitulum provinciale Argentinae.

Anno Domini 1374 migravit ex hac vita praedictus dominus Gulielmus, Ordinis protector.

Eodem anno obiit frater Bertholdus [2], dictus Rosa, lector conventus Norimbergensis, opere, re ac habitu Conventualis, in eodem conventu.

Usque ad hunc annum est chronica Ordinis per fratrem [3] *de Aquitania perducta.*

Anno Domini 1375 fuit magnum capitulum in Turego celebratum, ut supra.

Eodem anno obiit illustrissimus princeps dominus Stephanus senior, dux Bavariae, filius serenissimi domini Ludovici imperatoris IV. et pater Friderici et Iohannis et Stephani iunioris ex Ingolstadio [4]. Hic Stephanus senior dux et eius coniux domina Elisabetha burgravia fuerunt magni benefactores Fratrum Ordinis Minorum et promotores.

Anno Domini 1376 coronatus est Aquisgrani in regem Romanorum dominus Wenceslaus, rex Bohemiae, filius Caroli IV. et frater Sigismundi, regis Hungariae.

Et eodem anno fuit convocatio patrum in Basilea per Ministrum Hessonem.

Anno Domini 1377 capitulum generale [5].

Eodem tempore factus est frater Bertrandus de Figiaco Cardinalis Hostiensis per dominum Gregorium XI.

DE SCHISMATE IN ECCLESIA SUBORTO.

Anno Domini 1378, die XXVII. mensis Martii, sabbato *Laetare* [6], obiit Romae Gregorius Papa XI, et celebratis eius exsequiis solemniter, domini Cardinales tunc Romae existentes metu, ut aiebant, Romanorum petentium, eligi Romanum vel Italicum, elegerunt die XVIII. Aprilis dominum Bartholomaeum, Archiepiscopum Barensem [7], qui fuit in die sancto Paschae coronatus et vocatus Urbanus VI, et domino Carolo Romanorum imperatori Bohemorumque regi, ceterisque principibus christianis litteris et nuntiis eorundem Cardinalium ut legitimus Christi Vicarius Petrique successor rite et concorditer electus denuntiatus et commendatus, et etiam ab ipsis Cardinalibus ad tempus pro indubitato Romano Pontifice habitus et veneratus. Sed

---

1 Cfr. chron. XXIV Gen., f. 174. r. c. 1, Wadding., l. c. ad an. 1373, n. XVIII. seqq., et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 170 et tom. III. p. 74.

2 Cod. *Pertholdus.*

3 Auctor dictorum chronicorum i. e. XXIV Generalium saepe saepius citatorum est quidem incognitus; attamen a nonnullis vocatur fr. Arnaldus de Sérano de Provincia Aquitaniae.

4 Cod. *Ingolstatt.*

5 Sed secundum Wadding., l. c. ad an. 1376, n. XIII, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 171 et tom. III. p. 75 comitia generalia an. 1376, XIII. Iunii Corporis Christi festivitate solemni (quod tamen dicto anno erat 12 Iunii, cum Pascha incideret 13 Aprilis et Pentecostes 1 Iunii) *Aquilae* in Vestinis celebrata sunt, assistentibus eis duobus millibus Fratrum.

6 Dominica IV. in Quadragesima.

7 Id est Bari in Italia. — Pascha hoc anno erat 18 Aprilis.

postea, quia maior pars ipsorum Cardinalium ex ultramontanis, id est ex Gallia et Vasconiae partibus, erat, avaritia et ambitione impulsi, cupientes ex suis habere Pontificem, schisma horrendum in Dei Ecclesiam introduxerunt. Nam de mense Iulii sequenti quatuordecim Cardinales fictae recreationis gratia ab Urbe discendentes, diverterunt ad civitatem Anagniae, Urbano Papa in Urbeveteri [1] tunc existente, et solis quatuor Italicis Cardinalibus cum eo remanentibus.

Deinde mox ad civitatem Fundorum [2] — quae est in confinio Campaniae — quam eis Iohanna, regina Apuliae, quae Urbanum Pontificem suspectum habebat, ne ei in facto regni sui, ad quod Carolus ius in eo praetendens aspirabat, adversaretur, primum ut eos male contentos super electione Urbani percepit, inhabitare concessit, divertentes, eiusdem loci securitate confisi, in mense Septembrio sequenti novam ibidem provisionem ediderunt, eligentes dominum Robertum de Gebennis [3], basilicae duodecim Apostolorum presbyterum Cardinalem et Clementem VII. ipsum appellaverunt. Hic olim tempore Gregorii XI. legatus creatus, Italiam cum Britonibus et Anglicis intraverat. Hunc ergo, missis litteris, Cardinales ipsi verum Pontificem per mundum praedicaverunt et eius electionem canonicam, quia liberam, non autem Urbani, quia coactam et violentam, dixerunt. Inde inchoatum est schisma in Ecclesia pessimum, durans usque ad concilium Constantiense [4], in quo per industriam Sigismundi, regis Romanorum, exstinctum fuit.

Dominus Urbanus Papa VI. sedit annis XI.

Clemens VII. antipapa sedit annis XV.

Quantam hoc schisma reipublicae christianae cladem intulerit, quasque pestes nutrivit, haereses germinavit obedientiarum diversitas ac perversitas appellationum, referre superfluum foret, cum et multi libri de hoc impleti sunt, et nobile regnum Bohemiae hodie usque, tunc natis ac roboratis haeresibus maculatum, hanc calamitatem gemat eiusque memoriam conservet.

Anno Domini 1379 fuit capitulum generale in Hungaria Strigoniae, ubi fuit post Leonardum de Giphono, quem Urbanus Papa voluit Cardinalem creasse — sed propter schisma consentire [5] noluit — electus in Generalem Ministrum frater Ludovicus de Provincia sancti Antonii, vir magnae facultatis et scientiae et magister sacrae theologiae, qui postea per eundem Urbanum VI. factus est Cardinalis. Urbanus etiam confirmavit Wenceslaum, regem Bohemiae, in regem Romanorum [6].

Frater Ludovicus de Venetiis XXIV. Generalis Minister Fratrum Minorum.

Anno Domini 1380 Londini in Anglia comdemnati sunt

---

[1] Id est italice Orvieto.

[2] Id est italice Fondi; 27 Augusti iter aggressi sunt.

[3] Vel Rob. Gebennensis seu e Gebennensium comitibus; Gebennae (Gebenna) idem est ac Geneva (theut. Genf. in Helvetia) ad Rhodani fluminis egressum ex Lemano lacu (Genfer-See). Itaque Robertus appellatur comes de Geneva.

[4] Anno 1414. — Cfr. Dr. H. Brück, l. c. p. 414 seqq., et Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 36 seqq.

[5] Id est fr. Leonardus; secutus tamen est postea Clementem antipapam, a quo dignitatem anticardinalis accepit; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1378, n. VII. — Rectius scribitur *Strigonii* pro *Strigoniae*.

[6] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1379, n. I. seqq., et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 171 seq. et tom. III. p. 75, ubi etiam sermo est de origine schismatis in Ordine, quod cum Pontificio ortum

articuli magistri Iohannis Wicleff[1] haeretici ab Archiepiscopo[2] Cantuariensi, octo Episcopis et a triginta magistris in theologia.

Item, Urbanus Papa VI. creavit[3] dominum fratrem Thomam de Frignano, olim Generalem Ministrum, tunc Patriarcham Gradensem, Cardinalem Episcopum Tusculanum.

Item, creavit Cardinalem fratrem Bartholomaeum de Cucurno[4] de Ianua, tituli sancti Laurentii in Damaso presbyterum.

Anno Domini 1381 in Spira fit convocatio.

Item, Carolus, regio Francorum genere natus, ab Urbano Pontifice ex Hungaria evocatus Ludovicique regis Hungariae copiis adiutus, in Italiam venit, regnum Apuliae obtinuit et Iohannam reginam Clementi Pontifici inhaerentem interfici procuravit[5].

Frater Fridericus de Saxonia XXI. Minister Saxoniae.

Anno Domini 1382 in capitulo Erfordiensi electus fuit in XXI. Ministrum Saxoniae frater Fridericus de Nassovia[6], de Custodia Misnensi, et mansit in officio VI annis et ista capitula provincialia celebravit, videlicet anno Domini 1383 in Dresda[7]; 1384 Misnae; 1386 Hamburgi; et sequenti anno recepit successorem in capitulo in Gorlitio.

Praedicto anno obiit Ludovicus, rex Hungariae, magnus fautor Ordinis, cuius avus, Carolus Martellus, fuit frater sancti Ludovici Episcopi, et reliquit filiam Mariam, quam Sigismundus, rex Hungariae et postea imperator, matrimonio sibi coniunxit[8].

---

et finem accepit. Quam ad rem non minus opportune quam vere animadvertit De Gubernatis: « Distracta enim miserabiliter in partes et scandaloso ambientium studio scissa Ecclesia, malum hoc ad omnes transivit regiones et Religiones. Sicuti enim divisa fuerunt regna in Pontificum obsequium, ita etiam oportuit religiosa Sodalitia eos sibi praeficere superiores, qui ei obedirent Pontifici, quem reges sequebantur. Partim ita licuisse putabant, dum in controversia positum videbant, cui potius obsequendum esset; partim cogebantur a principibus, qui adversi Pontificis potestatem uti negabant, ita a suis dominiis procul faciebant ». — Fr. Ludovico adhaerebant omnium nationum Fratres, praeter Gallos, qui deinde Scotos et Navarraeos, insuper Hispanos in suam sententiam adduxerunt et fr. Angelum quendam anti-ministrum secuti sunt.

1 Cod. scribit semper *Wickleff*, et paulo superius *Lundoniis* pro *Londini*.

2 Scil. Gulielmo de Courtnay; secundum Dr. H. Brück, l. c. p. 508 condemnatus est in synodo Londinensi 17 Maii 1382; cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 210 seqq.

3 Non autem hoc anno, sed, ut Wadding., l. c. ad an. 1378, n. V, recte dicit, an. 1378; Thomas mortuus est 1381.

4 Vel de Cothurno, qui erat Archiepiscopus Ianuensis. Aut hoc anno, aut 1381 creatus est Cardinalis, quia 4 Martii 1382 a Papa vocatur Archiepiscopus et Cardinalis; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1378, n. VI, Ciaconius, l. c.

5 Cfr. Cardin. Hergenröther, l. c. t. II. p. 38.

6 Cod. *Nassaw;* est enim theut. Nassau, urbs antiqui ducatus Nassoviae, qui nunc (ab an. 1866) una cum antiquo principatu Hassiae sub nomine « Hassia-Nassovia » (Hessen-Nassau) est provincia Borussiae.

7 Cod. *Dresin* (theut. Dresden); *Misnae* (theut. Meissen, oppidum in regno Saxoniae); *Hamburg; Gorlitz* (Goerlitz in Silesia).

8 Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1382, n. II.

Anno Domini 1383 fuit magnum capitulum in Moguntia celebratum.

Post Ludovicum de Venetiis, quem Urbanus ad cardinalatus praecellentiam assumpsit, factus est Generalis Minister [1] frater Petrus de Canzano [2] de loco [3] Sulmonensi Provinciae sancti Bernardini seu Pennensi; et eius tempore coeperunt Fratres regulariter vivere in loco Pictaviensi [4], ut latius inferius dicam.

Frater Petrus de Canzano XXV. Generalis Minister Minorum.

Temporibus illis, videlicet anno secundo pontificatus domini Urbani VI, idem Urbanus Papa misit duos legatos duos Cardinales, dominum Anglicanum de Ordine Minorum ad capitulum generale Carth̄ [5] et dominum Pileum, tituli sanctae Praxedis presbyterum Cardinalem de Ordine Praedicatorum, cum quodam Abbate Ordinis sancti Benedicti, qui postea etiam Cardinalis factus est, per totam Alamanniam, ut continerent provincias in obedientia sua. Hi duo venerunt ad Wenceslaum, regem Romanorum, et congregaverunt omnes principes Alamanniae et plures Episcopos et Praelatos in Francofurtum [6], quo etiam venerunt legati regis Franciae, Episcopus [7] Parisiensis; ubi exposuerunt fideliter veritatem electionis domini Urbani VI, et regem Romanorum et omnes principes manifestis rationibus induxerunt ad obediendum et inhaerendum domino Urbano Papae VI, omnesque reprobaverunt antipapam Gebennensem, dictum Clementem VII, praeter ambasiatores regis Franciae.

Idem legatus dominus Pileus, anno II. pontificatus domini Urbani VI, XIII. kalendas Februarii, Norimbergae existens, dedit indulgentiam quadraginta dierum omnibus Christifidelibus, qui infra pulsum serotinum post Completorium in monasteriis Fratrum Minorum Custodiae Bavariae ob reverentiam beatissimae Virginis Mariae flexis genibus salutationem Angelicam, videlicet *Ave Maria*, ter devote dixerint, de quo habetur Bulla in conventu Ingolstadiensi.

Anno Domini 1384 convocatio facta fuit in Argentina. Claruit illo tempore frater Petrus de Perusio, professor sacrae theologiae, magister Curiae [8].

Anno Domini 1385 [9] composuit venerabilis frater Bartholomaeus de Pisis, Ordi-

---

[1] In capitulo, hoc anno 1383 (non autem 1382, ut dicit Rudolphus) *Ferrariae* celebrato; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1383, n. I, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 173 et tom. III. p. 76. Creatus erat Cardinalis iam an. 1381, rexit tamen Ordinem titulo Vicarii Generalis usque ad dicta comitia.

[2] Cod. *Cansano*, quod est oppidum in regno Neapolitano, sicut etiam Sulmo (italice Sulmona, cod. vitiose *Sulmanensi)* et Penna.

[3] Idem est ac conventu.

[4] Id est Poitiers in Gallia.

[5] Ita clarissime habet cod., sed sensus totius propositionis a verbis: *duos legatos* usque ad hoc verbum, prorsus obscurus est. Manus quidem posterior ad marginem scripsit: capitulum generale Carthurci; attamen neque hoc anno 1383, neque illo II. pontificatus Urbani, qui erat 1380, Caturci capitulum fuit celebratum. Iam vero, inter Cardinales Ordinis Minorum nullus omnino nomine *Anglicanus* existit.

[6] Cod. *Franckfurtt;* sed hoc factum est iam an. 1379 in mense Februario, cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 38. — [7] Ita cod., forte excidit particula *et* ante *Episcopus,* vel alia verba.

[8] De quo apud Wadding. nihil invenitur.

[9] Secundum Wadding., l. c. ad an. 1385, n. I, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 173 et tom. III. p. 76, hoc anno, (non 1384, ut vult Rodulphus) comitia generalia celebrata sunt *Pata-*

nis Fratrum Minorum, magister theologiae, in honorem beatissimi patris nostri Francisci librum *Conformitatum*, in plures libros distinctum, in cuius ultimi libri fine continentur hi versus [1]:

Francisce, Iesu typice, dux normaque Minorum,
Per te Christi mirifice sint gesta et donorum,
Mala, Pater egregie, propelle animorum,
Sedes nobis perpetuae da regni supernorum.

Eodem anno fuit magnum capitulum in Pforzhemia Provinciae Alamanniae Superioris.

Anno Domini 1386 circa festum Ascensionis Domini [2] fuit capitulum in Esslinga, et eodem anno in festo sanctae Margaritae [3] virginis obiit Minister frater Hesso, dictus de Lampertheim, et in festo Exaltationis sanctae Crucis [4] fuit convocatio et capitulum in Spira, et ibi fuit electus in Ministrum Superioris Alamanniae frater Iohannes de Heilbrunna, qui praefuit Provinciae quatuor annis et sequentia capitula et convocationes tenuit: anno Domini 1387 convocatio Basileae; 1388 convocatio Argentinae; 1389 capitulum in Basilea; et eodem anno in festo Stigmatum sancti Francisci [5] obiit Minister frater Iohannes.

Frater Iohannes de Heilbrunna Minister Superioris Alamanniae.

Anno Domini 1387 in capitulo generali, Paduae [6] habito, electus fuit in Generalem Ministrum frater Martinus de Ianua seu de sancto Georgio de loco Riparolo Provinciae Ianuae, magister theologiae, mortuo fratre Petro de Canzano et in loco Pistorii Provinciae Tusciae sepulto [7].

Frater Martinus de Ianua XXVI. Minister Generalis Minorum.

« Per hanc tempestatem, ut dicit Robertus Gaguini Ordinis sanctae Trinitatis, in Compendio suo de Origine et gestis Francorum, libro nono, sub temporibus Caroli

---

vii, et fr. Petro de Canzano post unius anni et aliquot mensium gubernium an. 1385 in coenobio Pistoriensi, cum Provinciam Etruriae visitaret, defuncto, electus est in XXVI. Ministrum Generalem *fr. Martinus* de Ianua (vel San Georgius) a Riparolo.

[1] Typis impressus est memoratus liber Mediolani 1513, sed sine dictis versibus. — De fr. Bartholomaeo Albisio (vel de Albizis) — erat enim filius domini Albisi e nobili familia Vicecomitum in vico Pisano — cfr. Wadding., l. c. ad an. 1399, n. VII. VIII, Scriptores Ord. p. 48, et Sbaralea, Suppl. etc. p. 109 († X. Dec. 1401, ut Sbaralea, l. c. clare demonstrat).

[2] Quod erat 30 Maii. — Paulo superius cod. *Pfortzemm* pro *Pforzhemia.*

[3] 20 Iunii; cfr. supra pag. 209, nota 4.

[4] 14 Septembris.

[5] 17 Septembris.

[6] Cod. vitiose *Pauduae.* Sed hic auctor errat. Nam hoc anno 1387 non Patavii, sed ut Wadding., l. c. ad an. 1387, n. I, Chronologia etc., et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 173 et tom. III. p. 77 recte exhibent, *Florentiae* capitulum generale celebratum est. Fr. Martino San-Georgio enim in conventu Castrinovi Custodiae Ticinensis sive Papiensis mortuo, *fr. Henricus Alferus*, Astensis Pedemontanus, Provinciae Ianuensis Minister, ab Urbano Vicarius Generalis institutus, in comitiis, ab ipso statim Florentiae (1387) habitis, electus est in *XXVII. Ministrum Generalem*, cuius etiam ipse cod. infra ad an. 1393 et 1397 mentionem facit, quin dicat, ubi et quando ad officium generalatus evectus sit.

[7] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1387, n. I, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 173 et tom. III. p. 77.

VI. Iohannes Montesonus[1] Ordinis divi Dominici, theologus magni nominis doctor, ad populum de divinae Virginis Mariae puritate concionatus, eam originali contaminatione reliquae propaginis instar fuisse infectam disseruit. Quem alter eiusdem Ordinis theologus imitatus, cum Rothomagi[2] de re ipsa sermonem haberet, ego, inquit, nisi palam ostendero Christi Matrem paternae originis labem, dum conciperetur, contraxisse, *huetus*[3] appellari non recuso. Est enim illud apud Francos nomen ridiculum. Eam ob rem diu in consuetudine fuit, ut eius Ordinis Fratres *hueti* a pueris passim vocarentur ». Haec ille.

Anno Domini 1386[4], die IX. mensis Iunii, fuit Leopoldus[5], dux Austriae, a Swiceris[6], populis suis, occisus cum quatuor millibus pugnatorum, octo comitibus et centum viginti militibus, eo quod imponebat eis tallias et gravamina indebita, ad quae non obligabantur, et sepultus est in monasterio sororum sanctae Clarae in Campo regis in medio ecclesiae.

Sigismundus, filius Caroli VI. imperatoris, suscepit hoc anno regnum Hungariae.

« Anno praedicto 1387 appellaverunt Fratres Praedicatores ab Universitate Parisiensi ad Clementem papam VII, in Avenione degentem. Discussa in praesentia Clementis pontificis VII. veritate, procurante maxime Parisiensi schola, Montesonus Parisium redire, et quae de Virgine temere praedicaverat, retractare compellitur ». Haec Robertus, qui supra.

Inter alios errores sequentes etiam idem Montesonus contra Virginis puritatem praedicaverat:

Primus, non omnem hominem praeter Christum contraxisse ab Adam peccatum originale, est expresse contra fidem.

Secundus, beatam Mariam Virginem et Dei Genitricem non contraxisse peccatum originale, est expresse contra fidem.

Tertius, tantum est contra sacram Scripturam, unum hominem esse exemptum a peccato originali praeter Christum, sicut si decem homines ponerentur exempti.

Quartus, magis expresse est contra sacram Scripturam, beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, quam asserere, ipsam simul esse beatam et viatricem ab instanti suae conceptionis sanctificationis.

Quintus, pari modo videretur dici, quod magis est expresse contra sacram Scripturam, quam: ipsam unitam fuisse hypostatice Verbo divino.

Hi errores damnati sunt tamquam falsi, scandalosi, praesumptuosi et piarum aurium offensivi. Unde istorum et aliorum errorum occasione dictorum Iohannis de Montesono et suorum sequacium fuerunt Praedicatores Parisius ab Universitate exclusi, ut notat Gerson in epistola ad studentem collegii Navarrae, in qua deprecatur pro denua incorporatione eorundem Fratrum. Dictus autem Iohannes de Montesono profugus cum suis sequacibus auctoritate Romanae Curiae excommunicatus est, in qua

---

[1] Vel de Monçon, Aragonus, de quo cfr. D'Argentre, Collectio Iud. de novis erroribus, t. I. p. 60 seqq., et Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 56.

[2] Id est Rouen in Gallia.

[3] In lingua gallica huette vel hulotte, quae est species avis nocturnae.

[4] Cod. vitiose exhibet an. 1376. Factum hic memoratum revera an. 1376 evenit. — [5] Pius dictus.

[6] Ita cod. pro Helvetiis.

proterve ultra unum annum permansit. Aliqui vero Parisius publice, ut ignem evaderent, dictos errores et plures alios revocaverunt, ut notat egregius doctor magister Iohannes Vitalis [1] Ordinis Minorum in tractatu, qui *Defensorium beatae Virginis* appellatur; qui ex mandato dictae Universitatis contra dictos errores scribere compulsus est.

Originale autem dictae condemnationis habetur Parisius, magno sigillo facultatis theologicae sigillatum. Contra dictum Montesonum fecit Universitas tractatum, qui incipit: « Apostolicis verbis edocti, parati semper » etc., cuius excerptum ponitur in nova impressura lecturae sancti Bonaventurae super Sententias [2]. Hic Iohannes de Montesono primus *maculistae* nomen digne promeruit etc.

Eodem anno dederunt dominus Bertholdus, Episcopus Frisingensis, et eius Vicarius in pontificalibus, dominus Nicolaus, Tribunensis [3] Episcopus, Indulgentiam pro ecclesia Fratrum Minorum in Ingolstadio in pluribus festivitatibus.

Frater Dietmarus XXII. Minister Saxoniae.

Anno Domini 1388 in capitulo Gorlitiensi [4] Provinciae Saxoniae electus fuit frater Dietmarus de Custodia Lubecensi in XXII. Ministrum Saxoniae, et mansit per sex annos et postea resignavit et haec capitula celebravit: anno Domini 1388 in Rostochio; 1391 Francofurti; 1393 Hallis.

Praedicto anno convocatio Argentinae.

Anno Domini 1389 convocatio Basileae.

Frater Marquardus de Lindavia Minister Superioris Alamanniae.

Et ipso anno in festo sanctae Elisabethae [5] fuit capitulum in Argentina, et ibi fuit electus in Ministrum Superioris Alamanniae frater Marquardus de Lindavia [6], vir doctus et magnus praedicator. Hic multos sermones ac tractatus conscripsit, tam in latino quam in vulgari, id est theutonico, de quibus hic aliqui nominibus inscribuntur:

Primus: De reparatione hominis, qui incipit: Postquam suprema Sapientia dixit: *Faciamus hominem* etc.; 2us de arca Noe, qui incipit: *Fac tibi arcam;* 3us de exitu filiorum Israel, incipit: *Noli timere;* 4us de Iob, qui incipit: *Per multas tribulationes;* 5us de quadruplici homine, incipit: Dicturus de homine; 6us de nobilitate creaturarum, incipit: *Si cognovisses et tu;* 7us de paupertate, incipit: *Quaerite primum regnum Dei;* 8us de anima Christi, incipit: *Inspice exemplar;* 9us de vita Christi; 10us de perfectione humanitatis Christi, incipit: *Gavisi sunt discipuli;* 11us de augmento caritatis, item, de virtutibus: *Amice, ascende superius;* 12us de fide: *Iustus ex fide vivit;* 13us de horto paradisi: *Hortus conclusus;* 14us de paradiso spirituali, incipit: *Plantaverat autem Dominus;* 15us de poenis inferni, incipit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur;* 16us de poenis damnatorum: *Quaerebant eum inter co-*

---

1 De quo cfr. Sbaralea, Suppl. p. 466; Wadding. eum non cognovit. — 2 Cfr. editio Koberger t. II. in fine (Norimbergae 1500).

3 Id est Trebigne (Tributium, cuius adiectivum: Tribunensis) in Dalmatia. — Episc. Frisingensis (cod. *Freisingensis*) est Episc. Frisingae (theut. Freisingen, civitas Bavariae).

4 Cod. *Gorlitzensi*, et infra *Rostack* (theut. Rostock); *Wranckenvordis*, est theut. Francfurt, oppidum Borussiae in provincia Brandenburgensi ad fluvium Oderam situm. — 5 19 Novembris.

6 Theut. Lindau, oppidum Bavariae ad lacum Bodamicum situm. — De fr. Marquardo cfr. Wadding., Scriptores p. 250, et Sbaralea, Suppl. p. 520, qui eum nominant Marq. *Leonis.*

gnatos; 17us de quinque sensibus, incipit: *Beati oculi, qui vident;* 18us de Sacramento Eucharistiae, incipit: *Audi, filia, et vide;* 19us de Sacramento Corporis Christi, incipit: *Nolite solliciti esse;* 20us de Missa, incipit: Missa autem, quid significet; 21us de septem diebus, incipit: Dicturus de septem diebus; 22us de throno Salomonis: *Fecit sibi Salomon thronum;* 23us de Nabuchodonosor, incipit: *Fili, accedens ad servitutem;* 24us de Daniele: *Visiones Danielis;* 25us de decem praeceptis, incipit: *Septies in die cadit iustus;* 26us de tribus regibus, incipit: *Invenerunt puerum;* 27us de septem verbis Domini in cruce; 28us de et super Evangelio: *In principio erat Verbum,* incipit: *Ambulavi in magnis et mirabilibus super me;* 29us de virginitate et proprietate floris, incipit: *Flores apparuerunt in terra nostra,* Cant. 1, durante tempore hiemis.

Et praeterea multa alia opuscula fecit, quae ad manus meas non venerunt, sed praedicta omnia vidi.

Hic Minister triennio rexit Provinciam.

Ultimo anno pontificatus sui statuit dominus Urbanus Papa VI. de consilio Cardinalium annum Iubilaeum [1] de triginta tribus annis reduci in triginta tribus perpetuis temporibus, considerans, quod Christus trigesimo tertio anno aetatis suae debitum Adae solvit, et quod plures homines ante quinquagesimum annum decedunt, qui has indulgentias obtinere non possunt, ideo statuit, eum annum sequenti anno celebrandum, sed non tamdiu vixit.

Idem Papa Urbanus instituit eodem anno ad supplicationem domini Iohannis, Archiepiscopi Pragensis, pro exstinctione schismatis festum Visitationis beatae Mariae [2] cum Octavis celebrandum, et celebrantibus dedit indulgentias, sicut in festo Corporis Christi; quod confirmavit [3] successor eius Bonifacius Papa IX.

Hoc anno, id est 1389, ultima die [4] Octobris, obiit dominus Urbanus Papa VI, et Cardinales in conclavi congregati, ut Missam audirent, IX. die [5] post obitum Urbani, elegerunt dominum Petrum Tomacellum, natione Neapolitanum, dum Missam coram eis celebraret, et V. idus [6] Novembris coronatum Bonifacium IX. appellaverunt, qui sedit annis XIV, menses novem.

Bonifacius Papa IX. sedit annis XV.

Hoc anno composuit Parisius frater Iohannis Vitalis [7] illum solemnem sermonem trimembrem, qui incipit: *Tota pulcra es, amica mea* etc., quem inferius sic subdivisit: Iuxta haec tria nostra consideratio tractatu triplici est partita: 1us dicit festivitatem tam solemnem, tam gratam, tam perennem; 2us dicit de lite super dilecta, super re

---

[1] Haec lectio est communis et etiam semper usitata a Vulgata. Quamobrem cod. supra pag. 185, ad an. 1351, bene legit et correctio ibi facta corrigenda est. — Bulla Urbani de Iubilaeo habetur in chronicon Andreae Ratisb. et Ioan. Chrafti, l. c.

[2] Die 2 Iulii.

[3] Anno 1390. Decretum confirmationis exstat in concilio Basileensi. Ad praesentem formam Clemens VIII. redegit officium et ad festum ritus duplicis maioris evexit, Pius vero IX. an. 1850 ad festum ritus dupl. 2. classis. In Ordine Franciscano festum illud iam ab an. 1263 celebratum est.

[4] Secundum Ciaconium tamen, cui consentiunt Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 41, et Dr. H. Brück, l. c. p. 417, *idibus* (15) Octobris. In epithafio autem habetur III. Idus (13) Octobris.

[5] Id est 9 Novembris; sed secundum Ciaconium et alios auctores cit. IV. nonas (2) Novembris.

[6] Id est 9 Nov., sed secundum Ciaconium, l. c. III. idus (11) Nov.

[7] Ordinis Minorum, de quo cfr. supra pag. 218, nota 1.

nunquam neglecta; 3us dicit responsionem gaudiosam et sententiam tam formosam, et deducitur per septem tabernacula, per septem vetulas et per decem et octo defectus, qui iuxta litteram occidentem maculare[1] conceptionem Virginis gloriosae. Hunc tractatum conscripsit Iohannes Gerson, dum adhuc iuvenis magister esset, inter opuscula sua, quem post mortem eius sui inter eius opuscula reperientes ei adscripserunt.

Anno Domini 1390 in festo Assumptionis Mariae[2] celebravit frater Marquardus de Lindavia Minister magnum capitulum in Norimberga, et ibidem obiit frater Iohannes Botinger, Guardianus Basileensis, et ibi est sepultus, cuius memoriam conservat scriptam retro stalla chori eiusdem conventus in hodiernam diem.

Eodem anno in crastino Translationis[3] sancti Francisci obiit reverendus dominus et pater, dominus Albertus, Episcopus Salonensis, Ordinis Minorum, sepultus in conventu Monacensi ante summum altare iuxta presbyterium[4].

Anno Domini 1391 fuit convocatio in Esslinga, praesente Marquardo Ministro.

Anno Domini 1392 dedit dominus Bonifacius Papa IX. ad instantiam ducum Bavariae Stephani, Friderici et Iohannis fratrum annum gratuitum et Iubilaeum civitati Monacensi, quae gratia duravit a tertia dominica Quadragesimae[5] usque ad Octavam sancti Iacobi, propter Sacramentum Corporis Christi, reliquias sanctae Crucis et spineae coronae, et ceteras reliquias mirabiliter inventas in Andechs[6], quae tunc Monachii habebantur coruscantes multis signis.

Eodem anno fuit convocatio Basileae in festo Iohannis Baptistae[7], et ipso anno obiit frater Marquardus Minister in festo Assumptionis beatae Mariae; et statim in festo sancti Francisci fuit capitulum Esslingae, in quo fuit electus in Ministrum frater Iohannes Leonis et praefuit Provinciae 22 annis. Hic fuit natus de Tannis[8], Custodiae Basileensis, et celebravit capitula, quae suis in locis annotabo in sequentibus.

Frater Iohannes Leonis Minister Superioris Alamanniae.

Anno Domini 1393 fuit capitulum generale Coloniae, et nostrum provinciale tenuit frater Henricus, Minister Generalis.

Hoc anno media pars oppidi Straubingae[9] in Bavaria fulmine incensa periit. Tunc factum est miraculum quoddam non tacendum. Fuit in dicto oppido civis qui-

---

[1] Supple: *potuissent,* quod verbum vel aliud huiusmodi in cod. excidisse videtur.

[2] 15 Augusti. — [3] 26 Maii.

[4] In cod. iterum deest indicatio generalis capituli. Ut enim ex litteris Generalis Ministri, datis « Mantuae tempore nostri generalis capituli, in Pentecoste inibi celebrati anno millesimo trecentesimo nonagesimo, indictione tertia decima, die 26 mensis Maii », clare patet, an. 1390 capitulum generale *Mantuae* esse celebratum; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1390, n. XI, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 173 et tom. III. p. 77. Errant igitur Marianus et Marcus Ulyss. dicentes, hoc anno Henricum Min. Gen. comitia *Assisii* die 2 Augusti celebrasse.

[5] Quae erat hoc anno die 22 Martii. — Festum S. Iacobi est 25 Iulii.

[6] Cod. vitiose *Andachs;* est enim monasterium celeberrimum Ordinis S. Benedicti in Superiore Bavaria situm. — Cfr. chronicon Andreae Ratisb. etc., sub *Bonifacio.*

[7] Die 24 Iunii. — Festum S. Francisci est 4 Octobris.

[8] Vocatur theut. Thann et est oppidum Alsatiae. Fort. Hueber, Menol., legit *Tannum.* Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1339, n. IV.

[9] Cod. hic *Strawbingen* et aliquanto inferius *Strawbing;* est enim Straubing, civitas Bavariae ad Danubium sita. — Cfr. chron. Andreae Ratisb., etc. l. c.

dam annosus, Iordanus Wetz nomine. Hic in domum suam prope turrim in medio oppidi Straubingae versus austrum tegulis ligneis tectam posuit imaginem sancti Petri, quem semper in magna devotione et reverentia habuit, dicens: » Sancte Petre, ego semper tibi servivi, obsecro, ut domum meam custodias; quod si non feceris, tu una cum domo combureris ». Et factum est, dum oppidum incendio flagraret, et semper in illa parte tota flamma perseveraret, et nulla domus remaneret, haec sola domus in medio ignis illaesa permansit.

Anno Domini 1394, mortuo in Avenione Clemente VII. antipapa, electus est dominus Petrus de Luna, quem appellaverunt Benedictum XIII, **Benedictus XIII. antipapa.** et depositus fuit in concilio Pisano [1] et postea Constantiensi.

Convocatio Basileae.

Eodem anno vidimavit frater Seyfridus Eychstetter, lector conventus Ratisbonensis, Bullam Clementis Papae IV, quae *Mare magnum* dicitur et habetur in conventu Ingolstadii [2].

Eodem anno dedit dominus Iohannes, Episcopus Laodicensis, suffraganeus domini Rudolphi, Episcopi Swerensis [3], quadraginta dies indulgentiarum audientibus Missam et ter dicentibus salutationem angelicam in ecclesia sanctae Clarae Norimbergae.

Eodem anno fuit in capitulo, Hallis celebrato, electus est in XXIII. Ministrum **Frater Iohannes de Chemnitia XXIII. Minister Saxoniae.** (Saxoniae) frater Iohannes de Chemnitia [4], sacrae theologiae doctor, de Custodia Misnensi, et mansit in officio per duos annos et tenuit capitulum in Lipsia [5] 1395.

Anno Domini 1395 tenuit frater Iohannes Leonis Minister capitulum in Esslinga [6] et ibi fecit statuta multum stricta, sed dissolutioni Fratrum Conventualium accomoda, quorum prologus est per omnia idem, qui praeponitur statutis fratris Iohannis de Ravensburgo, superius anno Domini 1341 scriptis, et habent ista statuta XV rubricas.

Eodem anno suscepit dominus Wenceslaus, rex Romanorum et Bohemiae, in protectionem monasterium Ordinis sanctae Clarae in Norimberga, praecipiens suis iudicibus, ut abstinerent ab exactionibus et gravaminibus dicti monasterii; quod litteris suis sancivit.

Anno Domini 1396 convocatio in Argentina.

Et eodem anno in capitulo Magdeburgensi electus est in XXIV. Ministrum

---

[1] Anno 1409; Constantiense an. 1414.

[2] Cod. *Ingolstat.* — Quoad *Mare magnum* notandum est, quod non Bulla Clementis IV. illud nomen habeat, sed potius Constitutio amplissima Sixti IV, quae propter multitudinem et qualitatem privilegiorum sic dicta, praeter litteras aliorum Pontificum, etiam litteras amplas Clementis continet et pleraque adiungit indulta. Totam Constitutionem videsis apud Wadding., l. c. ad an. 1474, n. XVII.

[3] Est Swerin, nunc theut. Schwerin, urbs magni ducatus Mecklenburgi, quae illo tempore Sedem episcopalem habuit (erecta erat 1062 et periit saec. XVI. per Reformationem sic dictam). — Cfr. Sbaralea, Bullarium, t. I. p. 518, ubi in litteris Innocentii IV. iam ad an. 1248 mentio fit fr. Eylardi (vel fr. Silardi) in Rozche (Rostock?) tamquam confessoris Electi Suerensis.

[4] Cod. *Kempnitz;* est enim theut. Chemnitz, oppidum regni Saxoniae.

[5] Cod. *Liptz.* — [6] Cod. *Esslingen.*

Frater Iohannes de Gemunda XXIV. Minister Saxoniae.

Saxoniae frater Iohannes de Gemunda [1], sacrae theologiae doctor, de Custodia Bremensi, et mansit per X annos et haec capitula celebravit: anno Domini 1397 in Egra [2]; 1399 in Vratislavia; 1401 Stettinae; 1402 Hildesiae; 1406 Frfordiae, et ibi optavit absolutionem, sed postea obtinuit.

Eodem anno 1396 fecerunt fratres Iohannes Lutzelman, tunc Guardianus Norimbergensis, frater Andreas de Oetting lector, et frater Ulricus Wachenroder Viceguardianus, et frater Conradus Cleffinger confessor, et totus conventus Fratrum Minorum, et domina Agnes Gausmidin [3], tunc Abbatissa sanctae Clarae, et Agnes Santpeckin Priorissa et totus conventus suarum sororum conventionem de consensu Ministri, fratris Iohannis Leonis, et fratris Friderici de Monachio, Custodis Bavariae, ut Fratres de conventu eas perpetuo providerent cum Missa conventuali quotidie, sicut occurrit, pro quo labore darent eis ipsae sorores annuatim XXII florenos [4]: Michaelis XI, et Walburgis XI, et hanc conventionem scriptis roboraverunt, vocatis ad hoc testibus domino Friderico Holtzschuer Ordinis Theutonicorum, magistro hospitalis antiqui, et honesto viro Alberto Ebner, provisore ipsarum sororum. Et fuit haec conventio inconveniens statui Minorum.

Ipso anno praedicavit frater Iohannes de Eugubio Ordinis Praedicatorum, legatus Apostolicae Sedis, crucem contra Turcos, et factum est passagium. Tuncque Iohannes [5] Nivernensis, qui postea factus est dux Burgundiae, cum multitudine magna per Bavariam venit, quem sequebantur multi de nostratibus [6], inter quos praecipuus erat dux Rupertus, filius Ruperti, comitis Palatini Rheni et ducis Bavariae, qui [7] postea factus fuit rex Romanorum. Qui inito conflicto cum Turcis, nolentes sequi consilium Sigismundi, regis Hungariae, ut Hungaros tamquam expertes praemitterent, omnes Franci sunt occisi praeter ducem Burgundiae, qui captus fuit, ceteri submersi, aliqui fuga lapsi, e quibus Rupertus, dux Bavariae, cum magna penuria revertitur, et statim post hoc Ambergae moritur et ibidem in ecclesia S. Martini sepelitur, cuius sepulcrum hodie exstat [8].

Anno Domini 1397 convocatio in Basilea.

---

[1] Theut. Gemünden; est nunc oppidum Borussiae in provincia Hassiae-Nassoviae (Hessen-Nassau).

[2] Theut. Eger, civitas Bohemiae. Deinde cod. legit *Wratislavia, Stetin, Hildensem.*

[3] Ita legit cod., probabiliter rectius legitur *Gansmidin.* Ussermann, Episc. Bamberg. p. 444 (in « elenchus Abbat. S. Clarae Norimb. ») dicit: XXXIII. Abbatissa erat Agnes Gensmannin, alias Genschmidin.

[4] Supple: scil. in festo. — Festum S. Michaelis est 29 Sept., et sanctae Walburgis (cod. *Walpurgis*) vel Walburgae, virginis, 1 Maii. — Paulo inferius cod. vitiose *Holtzsthuer* pro *Holtzschuer.*

[5] Intrepidus dictus de Niverno i. e. Nevers, oppidum Galliae in provincia (olim ducatu) Nivernensi (Nivernais) ad fluvium Ligerim (Loire) situm.

[6] Id est Bavaris.

[7] Scil. comes Palatinus. — Cfr. chron. Andreae Ratisb. etc., l. c. ad an. 1395 (al. 1396).

[8] In cod. iterum deest indicatio capituli generalis. Anno enim 1396 cap. gen. celebratum est *Arimini;* cfr. Wadding., l. c. ad an. 1396, n. I, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 173 et tom. III. p. 77.

Post fratrem Martinum de Ianua[1] electus est Generalis Minister frater Henricus de Alpheriis scilicet de Asta[2], qui dedit testimonium de fratre Odorico de Foro Iulii[3], sepulto in Utino, quod suscitavit mortuum ad vitam. Hic Generalis praefuit aliquibus[4] annis et mortuus est.

Frater Henricus de Alpheriis XXVII. Generalis Minister Ordinis Minorum.

Anno Domini 1398 capitulum in Spira.

Eodem anno dominus Fridericus Sussner[5], perpetuus vicarius ecclesiae parochialis sancti Ulrici Ratisbonae, publice in ambone temerarie praedicavit in praeiudicium et contemptum iurium, privilegiorum et libertatum Fratrum Mendicantium, eis a Sede Apostolica indultarum. Fratres vero consilio omnium patrum Religionum congregati in conventu Fratrum Minorum, uniformiter consentientium, citaverunt eundem Fridericum Sussner ad dominum Conradum, decanum ecclesiae sancti Iohannis in *Hauge*[6] extra muros Herbipolenses, conservatorem privilegiorum et iurium Religiosorum. Qui mandavit auctoritate litterarum Apostolicarum in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae decano veteris capellae, plebanis sancti Emmerami, superioris et inferioris et sancti Pauli monasteriorum, ac universis Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis etc., omnibus per civitatem et dioecesim Ratisbonensem consistentibus, quatenus citarent eundem Fridericum Sussner et Hiltonem, rectorem ecclesiae sancti Cassiani eiusdem civitatis, peremptorie, ut XII. die post publicationem et intimationem eis factam coram eo comparerent in oppido Heidingsfeldia[7] in domo habitationis suae, responsuri ibidem.

Anno Domini 1399 fuit capitulum generale Assisii, cuius ordinationes sunt hae:

---

[1] Id est an. 1387 Florentiae; vide supra pag. 215, nota 8. et pag. 216, nota 6.

[2] Vel Hasta Pompeia, cod. *Ast;* est Asti, oppidum Italiae in Pedemontio, in provincia Alexandriae.

[3] Vocatur nunc Cividale et est civitas Italiae in Venetiano, in provincia Utinensi. Dictum Forum Iulii (vel Iulium) differt a Foro Iulio, oppidulo Galliae, quod vocatur Freius; in hac civitate Foroiuliensi Galliae erat Sedes episcopalis Iohannes XXII. ante suum papatum. Erronee itaque supra pag. 122, nota 2. dictum est Forli, civitate Italiae (Forum Iulii vel Livii), quae sunt duae diversae civitates. Forli appellatur latine Forum Livii. — *Utinum* est italice *Udine* in Venetiano. — De fr. Odorico cfr. Wadding., l. c. ad an. 1321, n. XI, et 1331, n. XIII-XX.

[4] Sed potius *multis* annis. Nam ab an. 1387-1404, quo pie decessit Ravennae, rexit Ordinem.

[5] Cod. quidem hoc loco scribit *Sunzner,* sed postea semper *Sussner;* ideo hic correximus.

[6] Ecclesia S. Iohannis (Apostoli scil. et Baptistae) in Hauge sive in Haugis erat collegium « Haug » dictum; quo exeunte saeculo XVII. propter fortificandam civitatem destructo, postea intra eam aliud collegium eiusdem nominis erectum est, quod nunc ecclesia parochialis est et adhuc vocatur « collegium Haug » (Stift Haug). — Ecclesia S. Emmerami erat antiquissimum coenobium Ord. S. Benedicti (nunc est palatinm principum Thurn et Taxis); ecclesia inf. et sup. monasteriorum erant antiqua monasteria sororum Ord. S. Bened., ubi nunc a saec. XV. collegia sic dicta nobilium mulierum habentur et dicuntur inferius et superius monasterium (Nieder-und Obermünster); ecclesia S. Pauli etiam erat monasterium sororum Ord. S. Bened. et vocatur medium monasterium (Mittelmünster), quod tempore Reformationis sic dictae destructum, at 1589 Patribus S. I. ut collegium traditum est.

[7] Cod. *Heyttingfelt;* est enim Heidingsfeld, non longe ab Herbipoli (theut. Würzburg) ad fluvium Moenum (Main) situm.

videlicet, quod festum Visitationis beatae Mariae [1] per Octavam celebretur et modo quo festum Corporis Christi.

Item, dedicatio capellae sanctae Mariae ad Angelos, secunda die mensis Augusti, celebretur ritu minoris duplicis.

Item, quod hic versus: *Maria, mater gratiae* [2] etc., dicatur post *Memento salutis auctor*, et ante *Gloria tibi Domine.*

Eodem anno capitulum provinciale Argentinae.

Item, magister Iohannes Marienwerd studii Pragensis scripsit tractatum super Symbolum et plura alia.

Annus Iubilaeus celebratur Romae.

Anno Domini 1400 celebratur annus Iubilaeus Romae sub domino Bonifacio Papa IX, et fuit tunc maxima mortalitas, ut in civitate Senarum [3] in hospitali sanctae Mariae de Scala 160 personae, quae infirmis pro pretio serviebant, ex morbo obirent, et nullus amplius servitor pro infirmis reperiretur. Tuncque beatus Bernardinus [4], adolescens XX annorum, pietatis ardore succensus, sese in dicto hospitali infirmorum servitio mancipavit.

Hoc anno depositus fuit Wenceslaus, rex Romanorum et Bohemiae, a quibusdam electoribus imperii propter lasciviam et segnitiem a regno Romanorum, et electus in regem Romanorum Rupertus [5], comes Palatinus et dux Bavariae, et regnavit IX annis, adhuc vivente praedicto Wenceslao, deposito rege.

Eodem anno capitulum in Reutlinga [6].

Item, Rupertus rex confirmavit privilegia sororum sanctae Clarae in Norimberga.

Anno Domini 1401 coronatur Rupertus, rex Romanorum, Coloniae, et non Aquisgrani, et veniens Ratisbonam infra Octavam sancti Augustini [7], honorifice suscipitur cum responsorio: *Salus nostra* etc., a clero et a populo, cum reliquiis ei obviam euntibus, et eodem itinere intravit cum magno exercitu Italiam pro benedictione imperiali a Papa Bonifacio accipienda. Qui a Florentino populo grandem pecuniam accipiens, ut contra Galeatium [8], Mediolanensem ducem, pugnaret. Galeatio ei resistente, grandi detrimento suorum sine papali benedictione ad propria est reversus.

Eodem anno capitulum magnum Basileae.

Anno Domini 1402 fuit convocatio Custodum in Schaffhusa.

Item, ipso anno intravit sanctus Bernardinus Religionem, cum esset tunc annorum XXII, consulente hoc venerabili patre fratre Iohanne Ristorii [9] Senensi Ordinis

---

1 2 Iulii.

2 Sequitur: Dulcis Parens clementiae,
Tu nos ab hoste protege
Et mortis hora suscipe.

3 Italice Siena in Tuscia.

4 Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1380, n. I-XI, et 1402-1450.

5 Vel Ruprechtus II. 1400-1410 (✝ 18 Maii).

6 Cod. *Ruttlingen*, theut. Reutlingen in Würtemberga.

7 Cuius festum 28 Augusti.

8 Galeazzo Visconti. — De origine ducum Biscomitum Mediol. cfr. chron. Andreae Ratisb. etc. loc. cit.

9 Vel Ristorio (i. e. e familia Ristoria); de quo cfr. Wadding. l. c. ad an. 1402, n. IV.

nostri, eius confessore, qui diu zelo fidei multa instantia contra haereticos in Bosnia laboravit et plurimos eorum ad verae fidei rectitudinem reduxit [1].

Anno Domini 1403 fuit convocatio in Esslinga [2], et confirmavit Minister Iohannes Leonis electam Abbatissam in Norimbergensi conventu Elisabetham Schürstabin in Octava Apostolorum [3].

Anno Domini 1404 convocatio in Hagenawia [4].

Eodem anno, primo die Octobris, obiit Bonifacius Papa IX, et loco eius fuit Romae electus dominus Cosmatus [5], natione Bononiensis, Cardinalis sanctae Crucis in Ierusalem, et coronatus in die sancti Martini [6], Innocentius VII. est appellatus. Hic in conclavi eligentium cum aliis iuravit ad sancta Evangelia, quod quicumque eligeretur, toto conamine deberet laborare pro unione Ecclesiae, etiam si per modum cessionis a papatu fieri deberet, seditque annis duobus.

Innocentius Papa VII.

Anno Domini 1405 fuit capitulum generale, et cum hoc provinciale in Monachio, fratre Iohanne Leonis Ministro et Vincentio Riedler, Custode Bavariae, procuratoribus eiusdem capituli, in die Pentecostes [7]; in quo capitulo electus est in Generalem Ministrum frater Antonius de Perreto [8], magister theologiae, et multis annis praefuit Ordini. Nam in duobus conciliis fuit, videlicet Pisano et Constantiensi, et sub ipso sumpsit regularis observantia vires et augmentum, fuitque vir magnae disciplinae.

Frater Antonius de Perreto XXVIII. Generalis Minister.

In hoc capitulo fuit institutum, ut protectivis intercessionibus gloriosissimae Virginis Mariae haec sacra nostra paupercula Religio divinisque patrociniis et adminiculis clementissime protegatur, quod de cetero omnes fratres et sorores nostri Ordinis post versum: *Memento salutis auctor* etc., immediate patrocinium invocando praelibatae Virginis Mariae, dicant: *Maria, mater gratiae* etc. Hoc anno triennium fuit primitus institutum, sed propter schisma non fuit omnibus Provinciis denuntiatum. De Visitatione Virginis fuit cum Octava salubriter ordinatum.

Eodem anno fuit capitulum Saxoniae in Erfordia, et ibi fuit absolutus a ministeriatu frater Iohannes de Gemundia, et sequenti anno successor suus electus.

Anno Domini 1406 fuit convocatio in Columbaria in festo sancti Iohannis Baptistae [9].

Eodem anno in capitulo, celebrato in Hamburgo, electus est in XXV. Ministrum

---

[1] Secundum Wadding., l. c. ad an. 1402, n. X, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 177 et tom. III. p. 77, hoc anno 1402 erat capitulum generale, cuius acta tamen perierunt.

[2] Cod. *Esslingen.*

[3] Scil. Petri et Pauli, quorum festum est 29 Iunii. — Elis. Schürstabin, patricia Norimbergensis, erat XXXIV. Abbatissa conventus S. Clarae Norimbergae.

[4] Id est theut. Hagenau in Alsatia.

[5] Melioratus (e familia Meliorata) non erat *natione* Bononiensis, ut dicit auctor, sed in oppido Polignorum, dioecesis Valvensis, in Aprutio natus. Episcopus quidem Bononiensis electus, sed a populo repudiatus, tamen postea sacra purpura nobilitatus Bononiae Cardinalis dici voluit.

[6] 11 Novembris.

[7] 19 Aprilis. — Alii, ut Marianus, Marcus Ulyss., Chronologia etc., dicunt, capitulum fuisse Argentinae.

[8] Alias legitur Ant. Angelus de Pyretto, vel Piraeo († 1420).

[9] 24 Iunii.

Frater Hermannus Schilling XXV. Minister Saxoniae.

Saxoniae frater Hermannus Schilling, de Custodia Thuringiae, et praefuit XV annos, celebrando haec capitula in suo regimine: anno Domini 1407 Zittaviae [1]; 1409 Hallis, et eo anno fuit concilium Pisanum; 1411 Dresdae [2]; 1413 Lubeci; 1415 Stendalii; 1417 Magdeburgi; 1419 in Curia Regnitiana; deinde habuit successorem.

Eodem anno 1406 obiit Romae in mense [3] Novembri Innocentius Papa VII, et eodem anno et mense in festo sancti Clementis Cardinales congregati collegialiter elegerunt Angelum de Corario, Patriarcham Constantinopolitanum vulgariter nuncupatum, quem vocaverunt Gregorium XII. Hic sicut et antecessor suus iuravit, quod si assumeretur ad papatum, pro unione in Ecclesia Dei facienda et schismatis exstirpatione renuntiaret papatui et iuri, quod sibi in eo competere posset, dummodo Benedictus pariter renuntiaret. Statim post ipsius Gregorii electionem accessit frater Iohannes Dominici Ordinis Praedicatorum ad magistratum Florentinum, exhortans ipsum et persuadens operam dare pro unione in Ecclesia fienda. Qui eum audientes, decreverunt eum ad Curiam destinare. Quo facto Romam profectus est et captata opportunitate, in consistorio publico sermocinatus est coram Gregorio et Cardinalibus. Et agnitus a Gregorio, factus est ab eo Archiepiscopus Ragusinus. Viso autem Gregorio, quod parti suae multum faveret, fecit eum etiam apud Luccam urbem Cardinalem. Et hic multum contra Benedictum XIII. insudavit pro Gregorio, et ex altera parte laboravit Vincentius, etiam de Ordine Praedicatorum, pro Benedicto contra Gregorium, unusquisque pro sua affectione.

Dominus Gregorius Papa XII. depositus in conciliis Pisano et Constantiensi.

Anno Domini 1407 fuit capitulum in Herbipoli, in quo magistratus est reverendus pater frater Iohannes Leonis, Minister Provinciae Argentinensis, completo cursu suo pro magisterio, anno officii sui XVI.

Anno Domini 1408 capitulum in Villinga [4], dominica proxima post festum sancti Iacobi Apostoli [5], per reverendum patrem fratrem Iohannem Leonis, Ministrum et magistrum sacrae theologiae. Et ista sunt memoralia eiusdem capituli:

Primo, quod Custodes ampliori diligentia invigilent, quam hucusque fecerunt, quod statuta, circa correctionem delinquentium et circa devotam divini cultus observantiam edita, firmiter observentur. Si quis vero Custodum de negligentia notabili reverendo patri Ministro per fide dignos accusatus fuerit, teneatur pater eundem Custodem absque spe reinstitutionis absolvere ab officio custodiatus.

Item, quod nullus patrum Provinciae excuset aliquem delinquentem et accusatum Custodi vel Guardiano, sub poena privationis officii; et alia statuta ibi facta sunt, quae causa brevitatis omitto.

Anno Domini 1409 fuit Pisis generale concilium, et cum hoc generale capitulum [6], celebratum, in quo fuerunt frater Antonius de Perreto Generalis et frater Io-

---

[1] Theut. Zittau, oppidum regni Saxoniae ad fluvium « Neisse » situm.

[2] Cod. *Dresin; Lubeck; Standel; Madeburg; Curia Regnitz.*

[3] Scil. die sexto. — Festum S. Clementis est 23 Novembris.

[4] Cod. *Villingen,* quae est civitas magni ducatus Badenae ad fluviolum « Brigach » sita.

[5] 25 Iulii. — Dominica proxima erat nona post Pentecosten, die 31 Iulii.

[6] Sed si Wadding., l. c. ad an. 1408, n. IV, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 174 et tom.

hannes Leonis Provincialis Ministri, et fuerunt in ipso concilio 22 Cardinales, quorum aliqui fuerunt Gregorii, aliqui Benedicti, tres Patriarchae, 180 Archiepiscopi et Episcopi, 300 Abbates, 280 sacrae theologiae doctores et oratores ac mandatarii diversorum principum Christianitatis [1]. Fuit igitur ingens concilium, in quo accusati de collusione Pontifices Gregorius et Benedictus, ambo privantur et deponuntur, quia fovebant et nutriebant schisma notorie verbo et facto et impedimenta praestabant paci et unitati Ecclesiae procurandae, cum Pisarum urbem etiam ipse Gregorius pro concilio instituit et postea retrocedere voluit et in concilio non comparuit. Et in eodem concilio electus est ad papatum dominus frater Petrus [2] de Candia Ordinis Minorum,

Dominus Alexander Papa V. Ordinis Minorum.

Concilium Pisanum anno Domini 1409 celebratum.

Archiepiscopus Mediolanensis, Cardinalis basilicae XII Apostolorum, vir doctrina et vitae sanctitate praeclarus, omnium Cardinalium, qui in concilio erant, consensu, et Alexander V. nominatur, ac omnibus Christifidelibus tamquam verus pastor denuntiatur, et alii duo non pastores, sed schismatum nutritores depositi et scandalo Ecclesiae ab omnibus relinquendi. Hic Alexander ab adolescentia Ordinem Minorum ingressus, adeo Parisius liberalibus studiis theologiae quam disciplinae vacavit, ut brevi et publicam scholam habuerit et in libros Sententiarum docte et acute scripserit, magnusque theologus et magnus orator est habitus. Hanc ob rem a Iohanne Galeatio, duce Mediolanensi, accitus, primum locum in consultationibus eius habuit, deinde Episcopus Vicentinus [3] rogatu Galeatii creatur, postea Novariensis [4] mutato loco, postremo Praesul Mediolanensis factus, ab Innocentio VII. Cardinalis basilicae XII Apostolorum creatur, quo quidem gradu pontificiam dignitatem adeptus, merito Alexandri nomen consecutus est, cum ex magnitudine et liberalitate animi cum quovis optimo principe conferri posset. Adeo munificus erat in pauperes et viros sua benignitate dignos, ut brevi nil sibi reliquerit. Unde per iocum dicere interdum solebat, « se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem ». In eo enim defuit illa habendi cupiditas, quae una cum re ac aetate accrescit simul. Sed hoc vitium cadere in viros bonos et rerum humanarum contemptores non potest. Tanti etiam animi fuit, ut Ladislaum [5],

---

III. p. 78, credendum est, Perretus capitulum iam an. 1408 *Aquilae* in Vestinis tenuit. Ait enim Wadding.: « Declinaturus turbas et Pontificum contentiones, longe recessit noster Primicerius fr. Ant. Piretus abiitque ad Aprutios, in tanta rerum incertitudine consulturus, quid agendum. Ecclesiae namque Cardinales et rei christianae Consules neutri obediendum, ex senatus consulto et consilii decreto praeceperant. Convocavit interim patres ad generalia Ordinis comitia in urbe Aquila habenda. Male hoc habuit Gregorius et anno sequenti alium opposuit Antonio generalem ministrum, fr. Gulielmum de Iannetis, et confirmatum voluit quinto post anno, sui pontificatus octavo ».

[1] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1409, n. I. seqq., Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 60 seqq., et Dr. H. Brück, l. c. p. 421, nota 4.

[2] Philargi de insula Candia. — Constat tamen, quod sicut conciliabulum Pisanum non erat concilium legitimum, ita nec ab ipso electus, legitimus atque verus Pontifex fuerit. Gregorio XII. remanente vero Papa usque ad an. 1415, quo renuntiavit, neque Alexander V. neque eius successor Iohannes XXIII, ut auctor cod. annuere videtur, verus Christi Vicarius dici potest. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1408 et 1410.

[3] Id est italice Vicenza. — [4] Italice Novara. — [5] Regem Neapolitanum.

persecutorem Ecclesiae et usurpatorem Ecclesiae patrimonii, in concilio Pisano, approbantibus qui tunc aderant, regno privaverit, iusque illud Ludovico, Andegaviae [1] duci, competere declaraverit. Soluto autem concilio, Alexander Bononiam proficiscitur [2], Gregorius autem in quandam civitatem quasi profugus profectus, de concilio generali mentionem facit. Verum cum in eo loco nequaquam se tutum arbitraretur, Ariminum [3] profectus, a Carolo Malatesta perbenigne et splendide est habitus. Benedictus vero post habitum in Perpignano ad apparentiam concilium, quo tutior esset, ad castellum Peñiscolae [4], locum munitissimum, confugit, ubi diu immoratus est. Uterque autem, licet in Pisano concilio depositi essent, tamquam [5] veri Pontifices Cardinales crearunt. Veneti autem, etsi difficultarent primum obedientiam Gregorio subtrahere, tamen celebrato hoc concilio, cum plures regum ac principum oratores destinati a concilio et pontifice Alexandro eos accedentes, persuaderent eis, ut Alexandro vero pontifici obedientiam exhiberent, ipsi Veneti ut viri graves in agendis, collectis quotquot ibi habere poterant doctoribus et magistris, peritis in theologia et iure, ad indagandam materiam, in hanc sententiam convenerunt, Alexandro ut vero et indubitato pastori Ecclesiae fore obediendum; quod et fecerunt. Solus autem Carolus Malatesta cum suis subditis in obedientia Gregorii perstitit.

Iohannes quoque Dominici Ordinis Praedicatorum, Cardinalis Ragusinus, qui remanserat cum Gregorio, videns, reges et principes et ceteros suo domino obedientiam subtraxisse et Alexandro inhaerere, de voluntate Gregorii in habitu, transformato ad modum alicuius plebani, navi se fecit deferri ad locum, ubi Rupertus, rex Romanorum, dicebatur esse, et se ei manifestans cum eo secrete tractavit, ut Pisano concilio non deferret et Gregorio obedientiam servaret. Nam dicebat ipse Iohannes Dominici, quod cum concilium Pisanum non esset auctoritate alicuius [6], qui se gerebant pro Pontificibus, congregatum, nullo pacto praedictos potuisse de iure deponere, nec ablatum schisma, sed augmentatum, ex duobus tribus iam se pro Papa gerentibus. Quod et factum est.

Nam Rupertus rex concilio Pisano et electioni Alexandri per suos ambasiatores appellationem Pisis in ecclesia Praedicatorum interposuit et Gregorio cum suis filiis perseveranter inhaesit, sicque hoc schisma trium continuatur praecedenti, quod coepit tempore Urbani VI. et duravit usque ad concilium Constantiense. Nec mirum! Nam quilibet, tam Religiosi quam saeculares, quaerebat quae sua erant, et hunc sequebatur, ad quem eum affectio vel commodum proprium trahebat. Unde Rothomagensis [7], quondam Tolosanus et Tarraconensis [8] Archiepiscopus, et Magister

---

[1] Id est Anjou in Gallia.

[2] Cod. vitiose *proficitur*. — Gregorius primo profectus est Cervidale del Friuli, deinde Gaetam.

[3] Id est italice Arimini vel Rimini, pro quo cod. clare, sed mendose exhibet *Arminium*.

[4] Alias Pañiscola (Peninsula), cod. legit *Panischole*. Est enim Peñiscola, civitas Hispaniae in provincia Valentiae ad mare mediterraneum sita.

[5] Cod. perperam *tamque*. Nota, quod Gregorius XII. revera tamquam verus Pontifex Cardinales creare potuit.

[6] Supple: illorum.

[7] Id est Rouen in Gallia, ubi etiam sita est Tolosa (Toulouse).

[8] Cod. vitiose *Terraconensis;* est Tarragona in Hispania.

Generalis Ordinis Praedicatorum, et frater Vincentius de Valentia eiusdem Ordinis, erant familiares Benedicti XIII, et frater Iohannes Dominici, Cardinalis Ragusinus, etiam Ordinis Praedicatorum, erat familiaris Gregorii, et quilibet suum dominum pro viribus defendebat, et nullus alteri cedere volebat in magnam iacturam fidei et totius Christianitatis, haereticis Wicleffistis et Hussitis in Bohemia libere gregem dominicum invadentibus et corrumpentibus, Ecclesia in se divisa. Cuius rei occasione dolens quidam, schisma a dicto Iohanne Dominici foveri, misit ei litteras sub nomine satanae istiusmodi formae:

LITTERAE SATANAE AD IOHANNEM DOMINICI.

Satanas, regnorum acherontis imperator, tenebrarum rex et profundissimae ditionis dux, superbiae princeps [1] et aeternus damnatorum omnium cruciator, fidelissimo nostro Iohanni Dominici Ordinis Praedicatorum, nostrorum operum cultori, Archiepiscopo Ragusino, salutem et superbiam sempiternam.

Verissimis nostrorum daemonum relatibus audivimus, quod tu tuis malis operibus, tuis nefandissimis mendaciis ac iniquissimis praedicationibus conaris dissensionem et nostrum abominabile schisma in Ecclesia adversarii nostri Iesu Christi manutenere sagaciter, leges nostras et nostri iuris praecepta omnimode ampliando, pro quo non modicum tibi sumus efficaciter obligati. Et non minus de isto tuo protervissimo opere quam de praeteritis tuis aliis facinoribus ac nefandissimis exercitiis, in quibus semper a tua usque in praesentem diem infantia pervigil irrevocabiliter perstitisti, et maxime, ut tu cum fratre Basilio, filio nostro, et aliis nostris sequacibus hypocritam ducebas vitam, et maxime quando cum ipsa dilecta filia luxuria satagebas adversario nostro Christo tot et tales procreare et facere infidelissimos servitores, ne gluvies [2] nostri chaos detrimenta quomodolibet pateretur.

Et licet ipse Christus dixerit in Evangeliis suis [3]: *Vae vobis, hypocritae*, ac quamplura alia contra vos, qui nostram fidelissimam filiam, dominam vestram simoniam colitis, noli tamen ab ipsa tuum iter in aliquo deviare. Nam nobis et legibus nostris et totius imperii nostri immensitati parebis. Et ut cor Pharaonis plenius induretur [4], ut solitus es, bonum praedica et malum sub hypocritico velamine exercere continuo procurato, maxime tuas interponendo sagacitates, ne Ecclesia nostri praefati adversarii in aliquo uniatur, ut sic detrimentum universus Christicola patiatur carissimi nostri schismatis. Unde si aliquis dicere ausus esset, quod dilectissimus noster Gregorius XII, periurus publicus, renuntiare pro unione modernae Ecclesiae teneretur et obligatus esset cedere non vero papatui suo propter vota et iuramenta publice facta, totis obsta conatibus, sicut semper vel saltem saepissime tu fecisti contra catholicam unionem, iniquissime et mendaciter articulando, videlicet quod Papa Gregorius, licet voverit et iuraverit, nihilominus adhuc cedere non tenetur. Istud idem diebus solemnibus populo praedica, faciendo te mendacem, ecclesi-

---

[1] Cod. vitiose *principes*.

[2] Idem est ac ingluvies i. e. insatiabilis voracitas.

[3] Cfr. Matth. 23, 13.

[4] Cfr. Exod. 7, 22.

cide[1]; hoc audacter et sine timore stude sollicite facere, quia tecum cum immensa mammonum societate semper erimus, docentes te, donec fecerimus, quod ipse noster Gregorius unum de suis carpidanaribus, alias carpidenariis, una cum ipso Antonio, fraticulo[2] gabadeo, camerario et nepote suo, te faciat Cardinalem. O quam bene stabit Ecclesia adversarii nostri, quando vos tunc carpidanares gubernabitis illam cum hypocrisi, simonia, superbia, avaritia, luxuria et aliis filiabus nostris omnibus. Caveas autem, noster fili, ab antiquis illis bonis Cardinalibus, qui conantur et student, quod nostrum schisma e medio tollatur.

His, inquam, audacter obsta et noli timere, et habeas insuper praefixum cordi tuo omnibus tuis ac nostris solitis proditionibus operari, quod carissimus noster Gregorius capiat trucique nece occidat ipsos antiquos et bonos Cardinales, qui iam diu fuere conati, sed et satagunt incessanter unionem Ecclesiae praefati nostri adversarii. Cum tu sic feceris, dabimus tibi omnem statum totius praefatae Ecclesiae, faciemus te vocari papam, et non solum papam, sed sanctum et sanctissimum. Tunc autem eris famelicus multo magis quam ante, quando tu eras fraticulus Praedicator. Et quando tu de avaritia hypocrisia[3] a fatuis viduis et ab insensatis mulieribus infinitam nostris operibus pecuniam extorsisti, recorderis etiam tibi, carissime noster, quod deliciose vivas in magnis conviviis cum multis delectationibus, confectionibus et ferculis. Nam furnus calefacitur per os; ideo stude crapulanter vivere cum omni vita polluta, fraticulis tuis praedicando observantiam odiosi nostri Dominici, ut per te iterato nobis nova Babylonia fabricetur. O profundissimae nostrae ditionis civis dilecte; o carissime serpe, qui septem capitum draconem pro saturatione nostri capitis suscitasti! Per te non minus quam per Arium nostrum intendimus totum mundum ad nostrae iurisdictionis moenia revocare.

Nam et multitudinem maximam captivorum tuis operibus, tuis erudientiis ex diversis Christicolarum partibus ad nostrum profundissimum chaos breviter destinasti ac destinas incessanter. Ita et taliter quod tibi vices nostras, sicut alias Mahometo, universaliter committimus, te in metuendum vicarium nostrum constituentes, gratiam dilectarum nostrarum filiarum omniumque regnorum nostrorum, nec non nostram tibi veraciter conferentes, ut valeas illas nostras carissimas filias non solum diligere, sed amare. Et esto cautus, quod, si quis contra te dicere seu attentare praesumpserit, facias, illum incontinenti a praelibato nostro Gregorio, consocio tuo, turpiter excommunicari, donec ad veniam tabernaculi reducatur et ad consocium vestrum non tollendi[4] schismatis, sed colendae hypocrisiae, se convertat.

Hortamur insuper te, quatenus, ut diu fecisti, amplius diu agas et multo peius, si possibile est. Nam pro remuneratione tuorum tibi in inferiori parte nostri chaos locum foetidum et ardentissimum in medio praefatorum, Arii scilicet et Mahometi,

---

[1] Ecclesicides (ecclesicida) est idem ac Ecclesiae destructor.

[2] Sic cod. pro fraterculo (italice: fraticello). Verbum *gabadeus* (italice gabbadeo), pro quo cod. vitiose *Sabbadeo*, est nomen opprobriosum et significat idem quod hypocrita, fraudulentus, simulator. Cfr. Du Cange, Gloss. — Notum est, quod Gregorius XII. an. 1408 quatuor Cardinales creaverit: duos nepotes, scil. Antonium Corarium, Venetum, virum scientia et sanctitate clarum, Canonicum saecularem Congregationis S. Georgii in Alga (Venetiis) et camerarium S. Ecclesiae, et Gabrielem Condulmerium; Iacobum Utinensem, protonotarium, et Iohannem Dominici, Archiepiscopum Ragusinum.

[3] Ita habet cod., fort particula *et* ante *hypocrisia* excidit. — [4] Cod. vitiose *tollendae*.

fecimus praeparari, ubi cum amantissimis Nicolao, olim Episcopo Ragusino, praedecessore tuo, nec non Dominico, olim iudice de Viterbio, nostri dilectissimi schismatis nutritoribus et amatoribus, satrapis regnorum nostrorum, infinita cum laetitia praestolaris. Vale in illa felicissima diu vita, quam olim dilectissimus noster Simon magus.

Datum in horribilissima civitate nostrae ditionis apud portam infimam centri retro in horrendo nostro palatio, infinita multitudine daemonum tunc praesente, sub charactere ad perpetuam rei memoriam aeternarum daemonum furiarum.

Haec epistola hic est posita, ut sciatur, quomodo schisma ab aliquibus nutriebatur.

In dicto autem Pisano concilio, approbante hoc universali[1] concilio, statutum fuit, ad sequens triennium generale Ecclesiae concilium in civitate seu loco habili et decenti fore convocandum; quod tamen propter regimen regni usque ad quinquennium fuit dilatum.

Eodem anno, mense Iulii, prohibuit reverendissimus pater dominus Iordanus[2], tituli sancti Laurentii in Damaso Cardinalis, protector Ordinis Minorum et sanctae Clarae, omnibus et singulis Praelatis et ceteris, ne molestent seu perturbent sorores sanctae Clarae quomodocumque, in hoc mandato:

Iordanus, miseratione divina tituli sancti Laurentii in Damaso sacrosanctae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis de Ursinis, ac Ordinum Fratrum Minorum et sanctae Clarae protector a Sede Apostolica deputatus, universis et singulis Abbatibus, Praepositis, Prioribus, Decanis etc. per provinciam Moguntinensem, Bisuntinensem[3], Salisburgensem, et alibi ubilibet constitutis, salutem in Domino et mandatis nostris, immo verius Apostolicis, firmiter obedire.

Exigente quidem iustitia pro debita cura nostri suscepti regiminis, ut pro bono et tranquillo statu sororum Ordinis sanctae Clarae, quem almus Christi confessor beatus Franciscus et felicis memoriae Urbanus IV. et Benedictus XII. ad instar lucernae positae super candelabrum, ut ingredientes eius videant luminis claritatem, in agro militantis Ecclesiae summe solerti studio plantavere, mentis nostrae aciem extendamus iuxta vires, sic quod Ordo ipse et personae ipsius, praecipue quas sexus reddit imbecilliores[4], opportunis praesidiis et promptioribus sustentatae fulcimentis debite custoditi, a noxiis praeserventur et ad salutaria dirigantur, et tam spiritualiter quam temporaliter ad laudem et gloriam divini nominis, sibi dato incremento desiderati inde fructus de communitatis laboribus colligantur — deducto itaque in notitiam nostram, quod nonnulli salutis suae immemores, temeritate propria, satore procurante malorum, interiores clausuras monasteriorum dictarum sororum contra canonicas sanctiones et contra statuta et regulam Ordinis et sororum intrare, quidam etiam in eisdem insolentias, furta et rapinas, spolia aliaque impedimenta atque damna ipsis monasteriis et sororibus inferre praesumpserunt et praesumunt, et co-

---

1 Sed notandum, quod dictum concilium Pisanum, quia ei deerat omnis auctoritas legitima, ne concilium quidem erat, nedum universale.

2 Ursinus cognominatus.

3 Id est Vesontio, vel Besançon in Gallia. — Pro *Salisburgensem* cod. *Saltzburgensem*.

4 Cod. incongrue *becilliores*.

rum causas spirituales seu ecclesiasticas ad saecularia et vetita iudicia trahere, et per hoc seu alias eorum bona invadendo, usurpando et detinendo, eis nocere et iacturas inferre, nec non de officio procurationis, syndicationis seu administrationis huiusmodi monasteriorum seu sororum dicti Ordinis, quae tam in spiritualibus quam in temporalibus immediate ad sanctam Romanam spectant Ecclesiam, ad hoc per nos ac commissarios nostros auctoritate Apostolica minime instituti, nec per sorores monasteriorum electi, aut ab eorum Visitatoribus per nos deputatis confirmati, assumpti seu deputati, potentia laicali suffulti, propria temeritate se intromittere, et alias eisdem monasteriis et sororibus, seu eorum bonis et possessionibus damna et incommoda facere praesumpserunt et attentaverunt, praesumunt et attentant, unde excommunicationis sententiam notorie incurrunt, contra quos debito iuris remedio insurgere ac modum et remedium, ne de cetero talia committantur, dare cupientes — vos omnes et singulos auctoritate, qua fungimur in hac parte, requirimus et monemus, vobisque nihilominus et vestrum cuilibet in solidum in virtute sanctae obedientiae et sub infrascriptis poenis districte praecipiendo mandamus, quatenus vos et vestrum quilibet, qui super hoc pro parte Ministri Provincialis seu Visitatorum dicti Ordinis Minorum in provincia Alamanniae, Abbatissarum, Priorissarum, sororum huiusmodi, ac earum procuratorum vel syndicorum seu eorum alterum fueritis requisiti seu fuerit requisitus, omnes et singulos et eorum quemlibet, qui talia seu eorum aliquid vel aliqua perpetrarunt aut commiserunt, perpetravit vel commisit, seu in futurum perpetrabunt vel committent, seu perpetrabit vel committet, seu ipsis perpetrantibus et committentibus, seu perpetranti vel committenti, praestarunt aut praestavit, vel praestabunt seu praestabit auxilium, consilium et favorem quoquo modo per se vel per alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, singulis dominicis diebus vel festivis infra Missarum solemnia, dum populus ibidem convenerit ad divina, quando et quoties sic fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, sic quod unus vestrum alium non exspectet, nec unus pro alio se excuset, campanis pulsatis et candelis accensis et demum exstinctis, denuntietis seu denuntiare faciatis, ac quilibet vestrum denuntiet seu denuntiari faciat publice excommunicatos et eorum quemlibet excommunicatum, ac evitetis tamquam excommunicatos ac faciatis ab aliis publice evitari, nec inde cessantes, quousque hoc aliud non receperitis a nobis in mandatis; alioquin vos et vestrum quemlibet, qui in praemissis fueritis culpabiles, seu fuerit culpabilis, excommuuicationis sententiae, quam ex nunc prout ex tunc singulariter in singulos ferimus in his scriptis, conventus vero ac capitula suspensionis et vestras et eorum ecclesias interdicti sententiis ipso facto noveritis subiacere. Absolutionem vero omnium et singulorum, qui praefatas nostras sententias, seu earum aliquam incurrerint quoquomodo, nobis et Superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium et singulorum testimonium atque fidem praesentes nostras litteras inde fieri et sigilli nostri iussimus appensione communiri.

Datum Pisis in conventu Fratrum Minorum sub anno a nativitate Domini MCCCCIX, indictione secunda, die IX. mensis Iulii, pontificatus sanctissimi domini nostri, domini Alexandri, divina providentia papae V, anno primo.

Durante concilio Pisano, facta est controversia inter Fratres Minores et dominum Humbertum, Electum Basileensem, propter fratres et sorores tertii Ordinis, et delata causa ad concilium, datus fuit iudex et commissarius reverendissimus pater dominus

Landulphus [1], tituli sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus Cardinalis, Barensis nuncupatus, a sanctissimo domino papa Alexandro V, qui audita causa, sequenti anno protulit sententiam inferius scriptam.

Eodem anno 1409 venientes de Hibernia fratres Adam Payn Ordinis Augustinensis, sacrae theologiae magister, et frater Iohannes Cuock Ordinis Minorum, ex parte suorum et aliorum Ordinum Mendicantium cum assistentia Generalium, Praesidentium et Procuratorum eorundem Ordinum supplicationem porrigi fecerunt domino Alexandro papae V. in condemnationem, faciendam quorundam errorum ex parte confessionum audiendarum, quos dogmatizabat in Hibernia magister Iohannes Wichet. Quibus erroribus discussis, dedit idem dominus papa de consilio dominorum Cardinalium unam Bullam [2] incipientem: *Regnans in excelsis* etc., in qua damnavit memoratos errores et sub certis poenis prohibuit eos doceri.

Eodem anno fuit convocatio in Ueberlinga [3], reverso Ministro de concilio generali.

Item in die sancti Iustini presbyteri [4] intravit Hallis [5] Ordinem frater Richardus de Kirchberg, et anno Domini 1410 fecit professionem Ulmae infra Octavam Assumptionis beatae Virginis sub Custode N. Gerspach, et anno 1431 venit Norimbergam et ibi mortuus est. Huius idcirco facta est mentio, quia plures libros manu scripsit, qui habentur in libraria conventus Norimbergensis.

Anno Domini 1410, audita causa, quae versabatur inter Fratres Minores et dominum Humbertum, Electum Basileensem, protulit dominus iudex infrascriptus sententiam, quae de verbo ad verbum hic subscribitur:

Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, de iurisperitorum consilio et assensu per hanc nostram sententiam, quam ferimus in his scriptis, pronuntiamus, decernimus et declaramus, Iohannem Leonis, Ministrum Provincialem, Guardianum et fratres conventus domus Fratrum Minorum in Basilea ac omnes alios fratres in commissione nobis facta nominatos, nec non sorores tertiae regulae sancti Francisci, de poenitentia nuncupatas, dictae Basileensis civitatis, expressas in commissione nobis similiter facta, fuisse et esse per reverendum patrem dominum Humbertum, Electum Basileensem, nulliter excommunicatos, suspensos et interdictos, excommunicatas, suspensas et interdictas, et censuras et processus per praefatum reverendum patrem dominum Humbertum, Electum Basileensem, contra Fratres praedictos et conventum praedictum et sorores tertiae regulae praedictas dictae civitatis fulminatas et emissas, fuisse et esse nullos, cassos et irritos, ipsosque et ipsas cassamus, irritamus et annullamus, et quatenus de facto processerunt, revocandos fore et revocamus, praefatumque dominum Humbertum in expensis, tam coram nobis ac aliis commissariis quam etiam in partibus legitime factis, condemnandum fore et damnamus; quarum taxationem nobis in posterum re-

---

[1] Marramaurus dictus, Neapolitanus.

[2] Extat in «Historia Universitatis Parisiensis» t. V. p. 196. Cfr. D'Argentre, Collectio Iudic. de novis erroribus, t. I. p. 180 seqq. — Vide infra pag. 238.

[3] Cod. *Uberlingen;* est enim theut. Ueberlingen, civitas magni ducatus Badenae ad lacum Ueberlingensem (Ueberlinger-See), quae est pars laci Bodamici, sita.

[4] Et martyris, Romae, sub Claudio, cuius festum est 17 Septembris.

[5] Theut. Hall (Schwäbisch-Hall), civitas regni Württembergae, ad quod etiam infra dicta civitas Ulmae (theut. Ulm in confinibus Bavariae ad Danubium sita) pertinet.

servamus, nec non omnia et singula privilegia ac indulta, Fratribus Minoribus et tertiae regulae sororibus praedictis concessa, coram nobis vel commissariis aliis producta, auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmanda fore et confirmamus, ac omnem defectum, si quis intermissus intervenerit supplendum fore et supplemus.

Insuper, fratres et sorores praedictos et praedictas privilegiamus, ne in eos seu in eas aliquis cuiuscumque status, gradus vel praeeminentiae existit, aliquas sententias excommunicationis, suspensionis seu interdicti possit vel valeat promulgare seu fulminare, nec non decernimus et declaramus, eisdem fratribus licitum fore, divina publice celebrare in ecclesiis et domibus eorundem secundum Constitutionem [1] Clementis Papae, quae incipit: *Ex frequentibus*, ac sententiis, censuris et processibus supradictis non obstantibus, reservata nobis potestate, praemissa omnià et singula privilegia ac indulta exsequendi et debitae executioni demandandi.

COPIA.

Humbertus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Electus confirmatus Basileensis, universis et singulis decanis, camerariis, rectoribus, plebanis seu viceplebanis et vicariis ecclesiarum parochialium, nec non viris Religiosis exemptis et non exemptis civitatis et dioecesis nostrarum Basileensis, salutem in eo qui est vera salus.

Cum reverendissimus in Christo pater et dominus, dominus Landulphus, miseratione divina sancti Nicolai in Carcere Tulliano sanctae Romanae Ecclesiae diaconus Cardinalis, Barensis vulgariter nuncupatus, iudex et commissarius quoad haec a sanctissimo in Christo patre et domino nostro, domino Alexandro, divina providentia papa V, deputatus, nobis inter alia suis litteris dedit in mandatis, ut processus et sententias, quibus occasione Constitutionis [2] Clementis in concilio Viennensi contra Beghinas et Beghardos et in statu Beghinagii existentes editae incipientis: *Cum de quibusdam* etc., contra eosdem Beghardos et Beghinas, nec non fratres et sorores tertiae regulae seu tertii Ordinis sancti Francisci, qui *de poenitentia* nuncupantur, tamquam habitum Beghinarum dictarum deferentes et vitam earum ducentes, et Religiosos Fratres Minores domus Basileensis tamquam fautores eorundem fratrum et sororum tertii Ordinis et participantes eisdem, per excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias dicebamur processisse, quatenus et in quantum huiusmodi processus contra eosdem fratres et sorores dictorum Ordinum emissi essent et fulminati, et quaecumque praemissorum praetextu in praeiudicium eorundem fratrum et sororum per nos contra ipsos in ea parte attentata seu procurata revocare deberemus, quia etiam in pluribus et diversis placitis et tractatibus amicabilibus pro parte nostra et consortium nostrorum in ea parte ex una, et pro parte Religiosorum virorum Custodis, Guardiani, Lectoris et Fratrum dicti Ordinis Minorum domus Basileensis, et fratrum et sororum dicti tertii Ordinis de Basilea parte ex altera, praemissorum occasione habitis atque factis, finaliter conclusum existit, quod nos parendo mandatis Apostolicis nobis factis supradictis, praedictos processus et ecclesiasticae censurae poenas et sententias, quatenus dictos fratres et sorores Ordinum praedictorum

---

[1] Cap. 1. de Sententia excommunicationis etc., tit. X. in Clementinis l. 5. Clemens V. *in Conc. Viennensi.* — In cod. desideratur *secundum* ante *Constitutionem.*

[2] Cap. 1. De religiosis domibus, tit. XI. in Clem. l. 3.

constringere seu comprehendere noscuntur, cassare et revocare deberemus et vobis in mandatis dare, ut ipsos similiter sic cassatos et annullatos publicare et publicari facere deberetis in forma in vulgari Alamannico infra descripta. Quos quidem etiam processus et sententias nostros, de quibus praemittitur, ut sic in eadem forma subscripta revocamus et annullamus, revocatos et annullatos denuntiamus, dantes vobis et cuilibet vestrum in virtute sanctae obedientiae ac sub poena excommunicationis per praesentes litteras districtius in mandatis, ut revocationem nostram huiusmodi, difficultate et mora sublatis, in cancellis seu ambonibus ecclesiarum vestrarum et alias, dum vos populis verbum Dei praedicare contigerit, praesente populo, solemniter publicetis, et huiusmodi processus et sententias nostras sic revocatos et annullatos denuntiatis et habeatis sub hac forma:

Liebe Kinde, von der stöss und sporne wegenn, so unser gnediger herr von basell und dye seynen gehebtt hand wider die barfüssenn und dye personenn in der dritten regell, so hat erkennet der erwirdig herr, der Cardinal vonn bare, der in der sach richter ist, mit urteyll, das die pene und benne wider dye beghart und beginen, die barfüssenn und die personenn der dritten regell nitt entrürent, und dorumb so hatt er unss gepotten by den banne, das wir euch kindenn sollent, das dye barfüssenn und die personenn der dritten regell der statt basell und bystumbs nach nyemann von yren wegenn sind ze banne kumen von der brief und process wegenn, so unser gnediger herr vonn basell uss hatt gebenn und verkundet wordent syntt wider beghart und beginen, und das sye dye gepott nit begriffenn handt, und yrt halberr nit sindt, und das man sye wider setze in gewere und rüwetliche lasse gann, nut und abe sind, und man zu den barfüssenn zu sant Claren und zu gnadentall mag zu kilchenn gan und stan, und das ir yre messenn in alle weg als vor dyesem krieg und alle eyn und predige und alles göttlich ampt horenn und begrepnuss da habenn mugenn, das kundent wyr üch, das das allso ist und yr das thun mugenn, und das sollent wir üch kyndenn, wye dick es an uns gerfordertt wurdt und es redlichen zu beschulden kumet on alle geverde.

Datum per copiam in oppido nostro Delsberg[1], anno Domini MCCCCX, die sabbato proximo ante dominicam *Invocavit*, scilicet VIII. die mensis Februarii, indictione tertia.

Alexander autem papa, Bononiae existens, dedit ac concessit ad supplicationem fratris Antonii de Perreto, Generalis Ministri, istam gratiam, quae litteris eiusdem Generalis Ministri hic subiectis inseritur[2]:

In Christo sibi carissimis Ministris, Custodibus, Guardianis ceterisque Fratribus omnibus et singulis Ordinis Minorum Provinciae Argentinae, nec non Abbatissis et sororibus omnibus Ordinis sanctae Clarae et Minorissarum, infra eandem Provinciam existentibus, frater Antonius de Perreto declaratione et institutione Apostolica totius Ordinis antedicti Generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Quia hostis humani generis inimicus illos praecipue sedulis insidiis persequi nititur, qui divinis obsequiis mancipati Christo, per religionis arma fortissima pro viribus certare conantur et gloriosius triumphare — ne igitur contingeret propter eius

---

[1] Cod. *Delsperg*, aliter Delémont dictum, situm ad fluviolum Biers. — Dominica *Invocavit* est prima in Quadragesima. — [2] Cod. *insertur*.

versutias vestrum aliquem in via Domini retardari, sed divino munitus praesidio mereatur consequi regnum sempiternum — ad pedes olim sanctissimi domini nostri papae Alexandri V. mihi genibus provoluto et humiliter supplicanti coram pluribus de sacro collegio dominorum Cardinalium pie concessit, quod quilibet frater aut soror Ordinum dictorum, dicto olim domino nostro eiusque successoribus firmiter adhaerens, unum Fratrem nostri Ordinis sibi gratum in confessorem eligere possit, qui eum et eam in foro poenitentiae a poena et a culpa infra duos menses a notitia praesentium auctoritate dicti olim domini nostri absolvere valeat, ac semel in mortis articulo, ac eidem conferre indulgentiam remissionis omnium peccatorum, quae conceditur pie visitantibus Romam tempore Iubilaei. Et sic pro parte dicti olim domini nostri vobis omnibus annuntio, hortans vos efficaciter, ut pro eius anima velitis Deo humiles preces porrigere, ac ad tantam et talem gratiam suscipiendam devote et humiliter vos praeparare. Valete in Domino Iesu et orate pro me.

Datum Bononiae, anno Domini MCCCCX, IV. die mensis Iunii.

Dictis litteris susceptis, reverendus pater frater Iohannes Leonis, Minister Provinciae Argentinae, volens errores, qui circa praedictam gratiam conferendam accidere possent, salubriter praecavere, sequentia puncta servanda mandavit.

Ego frater Iohannes Leonis, Fratrum Minorum Provinciae Superioris Alamanniae Minister et servus Fratrum, et sororum Ordinis sanctae Clarae per dictam Provinciam Visitator, a Sede Apostolica deputatus, hortor efficaciter omnes fratres electos et eligendos ad audiendum confessiones fratrum aut sororum nostri Ordinis ac sanctae Clarae et ad conferendum eis gratiam plenisssimae absolutionis, a felicis recordationis domino Alexandro papa V. ipsis concessae, quod non absolvant aliquem vel aliquam fratrem aut sororem, nisi primo diligenter inquisitis et observatis punctis infrascriptis:

Primo inquirat, an talis habeat debitum dolorem de commissis et firmum propositum continendi de futuris.

Secundo, an sit excommunicatus a iudice, et si sic, quod tunc procuret, se absolvi.

Tertio, an se debito modo expropriavit, et si non, quod tunc se expropriet.

Quarto, an habeat aliqua bona illicite vel iniuste acquisita, et si sic, quod illa restituat.

Quinto, an aliquem laeserit in fama, et si sic, quod illi restituat famam.

Sexto, an habeat aliquod odium capitale, et si sic, quod illud ex toto remittat.

Septimo, dicat, quod occasione dictae gratiae non peccet.

Et si, praemissis omnibus inquisitis et observatis, fratrem aut sororem, cuius confessionem ipsum audire contingit, ad praemissa omnia facienda et observanda promptum vel promptam invenerit, tunc talem fratrem vel sororem absolvat, et non aliter; quoniam si praemissa omnia non fuerint observata, nullum beneficium absolutionis consequi poterit aliquis virtute gratiae praedictae. Quare ut non decipiantur tam poenitentes quam confessores et tam larga gratia in suarum animarum periculum abutantur, mando et praecipio firmiter et districte et sub poena excommunicationis singulis confessoribus, quod nullum vel nullam absolvant virtute gratiae praedictae, nisi praedicta fuerint perfecte observata cum aliis opportunis et necessariis ad Poenitentiae Sacramentum.

In quorum omnium et singulorum testimonium et efficaciam praesentes litteras sigillo officii mei duxi consignandas.

Datum etc., ut supra.

Dictus autem dominus Alexander papa sedit menses X et dies VIII et obiit Bononiae in festo sancti Floriani [1], sepultusque est in domo capituli Fratrum Minorum ibidem; cuius est tale epitaphium:

Lucifer et Luna, dum deiicerentur [2] ab una
Mitra papali sub concilio generali,
Quintus Alexander, praecellens valde magister,
De Graecia natus, est Pisis papa creatus
Post MC quater, tria si post haec repetis ter
In lo pau festo, cuius sancti memor esto [3].

Dominus Iohannes papa XXIII. sedit annis V. et depositus est in concilio Constantiensi.

Defuncto Alexandro papa V, Cardinales in conclavi, ut moris est, adunati, anno MCCCCX elegerunt in Romanum Pontificem dominum Balthasarem Cossam, Neapolitanum, sancti Eustachii diaconum Cardinalem, Bononiensem vulgariter nuncupatum, et fuit Iohannes XXIII. in sua obedientia nominatus, seditque annis quinque usque ad concilium Constantiense.

Eodem anno mortuus est dominus Rupertus, rex Romanorum, in Oppenheim, qui pro viribus nisus fuerat concilium Pisanum impedire, adhaerens Gregorio XII, et non pervenit ad imperium, sepultusque est Heidelbergae ad sanctum Spiritum, XVI. die mensis Maii; et sequenti anno [4] eius uxor, domina Elisabetha, filia burgravii de Norimberga, relinquentes superstites filios quatuor, scilicet Ludovicum cum barba, Iohannem, Stephanum, Ottonem — Rupertus [5] ante papam et Fridericus ante patrem obierant — et hi filii eorum etiam adhaeserunt domino Gregorio XII, et sub eorum dominiis existentes compellebant similiter ei adhaerere; nolentes hoc facere beneficiis privabant et conferebant eadem beneficia eis qui erant obedientiae Gregorii XII.

Tunc temporis venit Ambergam [6] quidam Hermannus Hasso [7], Clevensis sive Ebro-

---

[1] Id est 4 Maii; ita etiam chron. Andreae Ratisbonensis et Ioh. Chrafti. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 67 dicit 3 Maii; Wadding. l. c. ad an. 1410, n. II: « die sabbati V. nonas (3) Maii noctis sequentis hora quinta » i. e. circa mediam noctem, quae secundum illos qui diem ab occasu solis computabant, ut apud Italos adhuc saepe fieri solet, iam ad diem 4. spectabat, dum secundum computationem ordinariam 3 Maii erat.

[2] Chron. Andreae Ratisb. etc. falso *dicerentur*.

[3] Chron. Andreae Ratisb. etc. legit: In *Io por* festo, cuius *facti* memor esto. Lectio *facti* pro *sancti* sine dubio est recta. Alexander electus est 26 Iunii, quo die festum Ss. Iohannis et Pauli, martyrum, celebratur. Qua de causa legendum est: In Iohannis et Pauli festo, cuius facti (scil. electionis) memor esto. — Wadding., l. c. aliud epitaphium exhibet.

[4] Supple: mortua est.

[5] Cfr. supra pag. 222. Cod. vitiose legit *autem pipam* pro *ante papam*.

[6] Civitas Bavariae.

[7] Chron. Andreae Ratisb. etc. dicit ad an. 1410 clarius: Tunc quidam clericus saecularis, natione Hasso, nomine Hermannus, titulo Ebronensis Episcopi a Gregorio impetrato, venit Ambergam.

nensis Episcopus, auctoritate Gregorii, et celebravit ibidem in territoriis adiacentibus, videlicet in Sibeneiche, quae erant sub dominio filiorum dicti Ruperti regis, et pontificalia exercuit in grande praeiudicium, damnum et gravamen domini Alberti, Episcopi Ratisbonensis, et ceterorum, qui erant obedientiae Ioh nnis XXIII.

Praedicto anno Domini MCCCCX fecerunt Fratres Ordinum Mendicantium in Hibernia ligam inter se, causa et modo, ut sequitur:

Pateat omnibus, quorum interest vel intererit in futurum, quod anno Domini MCCCCX, die VI. mensis Iunii, nos inferius scripti Generales, Praesidentes, Procuratores Ordinum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum, Carmelitarum et Servorum [1] pariter congregati, cum consilio unanimi et assensu sacrae theologiae magistrorum, patrum et fratrum inferius subscriptorum coniunximus et univimus nos, Christi nomine primitus invocato, ad prosecutionem causae infrascriptae sub modis et conditionibus infrascriptis.

Anno Domini MCCCCIX in concilio generali Pisano post creationem felicis recordationis Alexandri papae V. ad obviandum scandalis, exortis in aliquibus partibus et specialiter in Hibernia, propter conclusiones erroneas, quas praedicabant et dogmatizabant non missi, et praesertim dominus Iohannes Wichet, docens et asserens infrascriptas conclusiones [2]:

Prima conclusio: Confessus Fratri, admisso in forma capituli *Dudum*, tenetur eadem peccata numero iterum curato suo confiteri [3].

Secunda conclusio: Conclusiones Iohannis de Poliaco, damnati [4] per Iohannem XXII, sunt satis verae et a quocumque litterato sufficienter possent [5] teneri.

Tertia conclusio: Statutum Iohannis XXII: *Vas electionis*, est irritum et inane, quia cum illud fecit, erat haereticus, et per consequens quidquid fecit praedictus Iohannes sive de Mendicantibus sive aliis ante revocationem, est [6] inane.

Quarta conclusio: Nec Deus, nec Papa de potestate sua potest facere, quin confessus Fratri Mendicanti admisso, iterum teneatur confiteri curato suo, stante statuto *Omnis utriusque sexus* [7].

Quinta conclusio: Confessio, Fratribus admissis facta, est dubitabilis et incerta, ideoque omnes tenentur dimittere incertum, et sic solum confiteri suis parochialibus sub poena peccati mortalis.

Sexta conclusio: Quamvis Fratres admissi habeant auctoritatem absolvendi et audiendi confessiones, tamen populus subiectus non habet potestatem accedendi ad Mendicantes sine licentia [8] sacerdotis.

Septima conclusio: Fratres, petentes privilegia pro confessionibus audiendis et sepulturis habendis, sunt in peccato mortali [9]; et Romani Pontifices talia concedentes privilegia Mendicantibus aut eisdem confirmantes, sunt in peccato mortali et excommunicati.

---

[1] Scil. beatae Mariae Virginis. — [2] Cfr. D'Argentre, Coll. Iud. de novis erroribus, t. I. p. 180 seq.

[3] D'Argentre adiungit: Damnatur per Iohannem Papam XXII. in statuto, quod incipit *Vas electionis*.

[4] D'Arg.: damnatae; [5] possunt; [6] fuit. — Statutum: *Vas* etc. vide de haereticis, t. 3. in Extr. Com. lib. 5. Iohannes XXII.

[7] Cap. 12. de poenitentiis et rem. t. 38, l. 3. Innoc. III. in concil. generali.

[8] D'Arg. adiungit: proprii; [9] mortali et excommunicati; et.

Octava conclusio: Fratres non sunt aut fuerunt pastores, sed fures, latrones et lupi.

Nona conclusio: Sacerdos curatus, dans licentiam audiendi confessiones, magis dispensat cum statuto *Omnis utriusque sexus*, quam Papa, dans licentiam iuxta formam Decretalis *Dudum* [1]:

Fratres Adam Payn, sacrae theologiae magister, Ordinis Augustinensis, et Iohannes Cuock Ordinis Minorum, venientes de Hibernia, ex parte suorum et aliorum Ordinum cum assistentia Generalium, Praesidentium et Procuratorum Ordinum Mendicantium supplicationem porrigi fecerunt praefato Alexandro, ut provideret de remedio opportuno. Qui cum consilio fratrum [2] suorum concessit unam Bullam, quae incipit: *Regnans in excelsis*, in qua revocavit et damnavit errores praedictos et sub certis poenis prohibuit, ne quisquam auderet illos asserere. Bullae [3] cum venisset Parisius notitia, nonnulli de Universitate Parisiensi, illam irrationabiliter aegre ferentes, gravissimas molestias Religiosis Mendicantibus intulerunt, aliquos incarcerando ac etiam praedicationibus et cursu studii privando et plura falsa imponendo, et specialiter, quod per illam Bullam possent Religiosi exigere decimas, conferre Sacramenta sacrae Eucharistiae et sacrae Unctionis et alia singula facere, quae curati possunt; quibus, ut percepimus, conati sunt alias Universitates et provincias contra nostros Ordines excitare, pluraque alia gravamina intulerunt, propter quae nonnulli fratres et conventus dictorum Ordinum coacti sunt ad Sedem Apostolicam appellare. Nos igitur volentes contra temerarias impetuositates Ordines nostros et iura nostra defensare, quia virtus unita fortior est se ipsa dispersa, et quia, nisi virtuosi viri ad invicem unirentur et concordarent contra malevolos, occasionem darent malitiae, ut superaret bonitatem et virtutem, idcirco, ut suprascriptum [4] est, univimus nos ad infrascripta:

In primis protestamur, quod intendimus orthodoxae fidei veritatem et sanctae Ecclesiae unionem, generali concilio Pisano conclusam, atque statum sanctissimi domini nostri Iohannis papae XXIII. moderni iuxta gratiam, a Domino nobis datam vel dandam, per nos et alios promovere, et per hanc nostram unionem nostri propositi et fidei catholicae et reverentiae et obedientiae praefati sanctissimi domini nostri nullatenus derogare, immo illas semper plenissime et humillime adimplere.

Item, ad adiuvandam dictam piam et iustam causam Ordinum nostrorum, et praesertim, ut reprobatio dictorum articulorum in suo robore perseveret, vel de novo reprobentur.

Item, ad contribuendum expensas etiam hoc modo, videlicet quod Ordines Praedicatorum et Minorum et Augustiniensium concurrant quilibet pro qualibet parte, et Ordines Carmelitarum et Servorum pro alia quarta parte, prout inter ipsos fuerit concordatum.

Item, quod non liceat alicui de dictis Generalibus, Praesidentibus aut Procuratoribus per se aut alium aut alios concordantiam facere, aut de dicta lite desistere, nisi maior pars eorundem consenserit.

---

[1] Cap. 1. de iudiciis, t. 1. In Clement. l. 2. Clemens V. in concil. Viennensi.

[2] Id est Cardinalium. — De Bulla paulo inferius citata cfr. supra pag. 233, nota 2.

[3] Cod. *Bulla*. — [4] Pag. 238.

Item, quod, quandocumque in futurum occurrent gravamina contra privilegia, omnibus nostris Ordinibus indulta, ubicumque talia gravamina occurrant, simul stabimus et concurremus secundum praesentem formam, dummodo maior pars Generalium vel Procuratorum Ordinum iudicaverit, sic esse concurrendum.

Item, curabimus, prout iudicaverimus expedire condecens esse, quod omnes Provinciae et conventus, maxime principales Ordinum nostrorum, scilicet quilibet circa Provincias et conventus Ordinis sui pariter cum Provinciis et conventibus aliorum Ordinum secundum praesentem formam cum Provinciis et conventibus aliorum Ordinum convenient[1] pariterque concurrant. In praemissorum autem omnium testimonium et robur suprascripti et infrascripti Praesidentes, Generales, sacrae theologiae magistri, patres et fratres iuraverunt, tactis manu sacris Scripturis, praedicta omnia servare ac se propriis manibus subscripserunt anno Domini MCCCCX, die X. mensis Iunii.

Eodem anno, defuncto iam Ruperto, Romanorum rege, et vivente adhuc Wenceslao, rege Bohemiae, et olim a regno deposito et se regem Romanorum scribente,

Sigismundus rex Hungariae et Romanorum imperator.	**Wenceslaus rex Bohemiae et olim Romanorum depositus.**	**Iodocus marchio Moraviae electus in regem Romanorum.**

electores in Francofurto ad eligendum novum regem congregati, diviserunt se in duas partes. Una pars, scilicet Archiepiscopi Coloniensis et Moguntinensis, elegit Iodocum, marchionem Moraviae, patruum Sigismundi, regis Hungariae, et Wenceslai, regis Bohemiae. Alia pars elegit ipsum Sigismundum, regem Hungariae, filium Caroli IV. imperatoris, et fratrem Wenceslai, regis Bohemiae, nepotem iam dicti Iodoci marchionis. Sicque mansit electio per annum usque ad obitum Iodoci[2], et tunc omnes electores consenserunt in Sigismundum, qui fuit rex christianissimus, debellator Turcarum, et Religiosorum, praesertim Fratrum Minorum, amator[3].

Anno Domini 1411 fuit Romae[4] capitulum generale, cuius infrascripta sunt statuta et memorialia, per reverendum patrem fratrem Antonium de Perreto, Generalem Ministrum, et totum memoratum capitulum ordinata:

In primis ordinat reverendus Pater cum toto capitulo, quod nullus frater praesumat legere in aliqua Universitate pro gradu magisterii assequendo, nisi prius habita licentia reverendissimi patris Generalis, vel a suo Ministro Provinciali de consensu capituli provincialis; quod si secus, quod absit, per aliquem attentatum fuerit, ipso facto sit omni gratia magistrali privatus omnique auxilio et subventione conventus nativi et totius Provinciae suae.

Item, quod gratiae magistrales deinceps nullatenus alicui concedantur, nisi tantum magistris et his, qui sunt vel fuerunt Ministri in possessione officii ministeriatus; et si quae gratiae deinceps a reverendissimo patre Generali concedantur alicui fratri

---

[1] Ita cod., sed sincerius legendum esset: conveniant.

[2] Id est 8 Ianuarii 1411.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1411, n. I, et chron. Andreae Ratisb. etc., ad an. 1410.

[4] Usque ad hodiernum diem locus capituli, anno dicto celebrati, Scriptoribus de rebus Ordinis erat incognitus. Wadding., l. c. ad an. 1411, n. II, cui assentit De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 175 et tom. III. p. 78, dicit: « Hoc anno indicta etiam a nostris consodalibus comitia scribunt Marianus et Marcus, ubi tamen, quo mense, quidve in eis actum, non commemorant.

non magistro, illis uti non valeat, nisi prius in capitulo provinciali fuerint visae et admissae per Ministrum una cum capitulo provinciali. Et quoniam de facto quorundam praesumptio dignoscitur attentasse contra gratias magistrales, notabilibus fratribus indultas, ordinat reverendissimus pater Generalis, quod si Guardianus, vel Custos se quovis modo gratiis magistrorum et aliorum proborum opposuerit, ipso facto officio guardianatus, vel custodiatus sit privatus.

Item, quod deinceps nullus promoveatur ad gradum magisterii, nisi prius vadat Parisius, iuxta papalia statuta et generalia instituta, et faciat omnia et singula, quae facere tenetur, Provincia Angliae excepta. Vult autem dictus reverendissimus pater Generalis cum praefato capitulo, quod magistri sint contenti vita communi et provisionibus iuxta possibilitatem conventuum et locorum.

Item, ordinat capitulum generale de consensu reverendissimi patris Ministri Generalis, quod omnes Vicarii et Commissarii dicti Patris, in quacumque causa deputati et in quacumque Ordinis parte, ex nunc sint absoluti, gratiaeque per ipsos concessae penitus revocatae, et quod si de cetero legitima ex causa continget, antedictum Patrem aliquem Vicarium seu Commissarium instituere et deputare in aliqua speciali causa, huiusmodi Vicariorum seu Commissariorum auctoritas ultra sex menses non duret nec se extendat, exceptis Provinciis Saxoniae et Daciae, propter extensionem ipsarum Provinciarum. Similiter Ministri Provinciales de cetero non valeant constituere Vicarios seu Commissarios in eorum Provinciis, nisi ex legitima et alia sufficienti causa impotentes reddantur [1].

Ordinat reverendissimus Pater memoratus cum capitulo generali, quod Provincia huiusmodi provideat de Vicario vel procuret, per reverendum patrem Generalem provideri.

Item, ordinavit reverendissimus pater Generalis memoratus cum capitulo generali, quod nullus Minister in sua Provincia aliquem recipiat vel retineat de aliena Provincia, nisi dictus frater sui Ministri habeat licentiam, vel reverendissimi patris Generalis, in scriptis obtentam.

Item, vult capitulum generale et praelibatus pater Generalis, ut deinceps non fiat aliquis inquisitor haereticae pravitatis, nisi fuerit lector in aliquo studio generali, vel alias fuerit sufficienter instructus in sacra Scriptura; et ipsis inquisitoribus provideatur solummodo, sicut ceteris magistris provideri conceditur per generale capitulum.

Item, mandat reverendissimus pater Generalis cum capitulo generali, quod nullus monialium intret monasterium aliquod, exceptis casibus, in regula et in rescriptis dominorum Protectorum contentis, et semper cum sociis honestis et etiam in sociorum numero taxatis in dictis rescriptis, et hoc sub poena absolutionis ab officio visitationis, quam contrafaciens incurrat ipso facto.

Item, quod nulli concedatur camera ad habitandum, pro officio Generalis vel Provincialium Ministrorum deputata, et si sic alicui exstitit concessa per Ministros Provinciales, habitanti vel occupanti auferatur, nec alicui assignetur camera in aliquo conventu vel loco, nisi prius de camera fuerit provisum pro officio Generalis et Provincialium Ministrorum.

---

[1] Scil. Ministri Provinciales.

Item, quod Provinciae de cetero visitentur, sicut in statutis papalibus et generalibus plenius continetur.

Item, si contingat, aliquem Ministrorum specialiter visitari propter aliqua contra ipsum exposita vel delata, ordinat dictum generale capitulum cum saepe dicto patre Generali, quod deinceps Visitator deputandus et mittendus non sit de Provincia Ministri visitandi [1] quovis modo.

Item, tenore praesentium determinat et declarat praenominatus pater reverendissimus Generalis cum toto capitulo generali, omnia et singula statuta, tam pro parte Ultramontanorum quam Cismontanorum, a tempore schismatis et citra usque in praesens condita, esse annullata et cassata et nullius esse roboris vel momenti, statutis et memorialibus editis in capitulo apud Monachium dumtaxat exceptis, quae suo in robore et firmitate manent, eo quod in praesenti generali capitulo confirmata et roborata sunt.

Provinciae seu studia, ad quas et quae Provincia Argentinensis studentes de debito transmittere potest: videlicet Oxoniae, Cantabrigiae, Erfordiae, Aurelianense [2], Strigoniense, Viennense [3], Pisanum, Coloniae, Romanum et Assisium.

Provinciae, quae mittere possunt studentes de debito ad studium Argentinae: videlicet Coloniae, Saxoniae, Angliae, Hungariae, Hiberniae, Burgundiae, Romana et sancti Francisci.

Item, Provincia Argentinae visitabit Provinciam Coloniae, et e converso Provincia Coloniae visitabit Provinciam Argentinae etc.

Eodem anno 1411 emisit dominus Albertus, Episcopus Bambergensis, quoddam praetensum mandatum poenale et comminatorium, quod fecit in nonnullis locis publice publicari. In quo mandato mandavit omnibus et singulis Abbatibus, Prioribus, Commendatoribus, Abbatissis, Priorissis, monachis et monialibus, per suas civitatem et dioecesim constitutis, ut quarundam praetensarum expensarum solutionem in quadam procuratione, praetensa per praefatum dominum Episcopum, et eius nomine contractarum, contribuerent secundum ordinationem suam, et hoc infra sex dierum terminum post publicationem praetensi processus [4] solverent, alioquin non parentes sententiae excommunicationis innodavit. Monasterium autem sanctae Clarae in Norimberga, quamvis exceptum et privilegiatum a Summis Pontificibus, contra indulta Apostolica XXVI florenis talliavit. Unde sorores et totus conventus ad Sedem Apostolicam appellavit, quibus adhaeserunt frater Eberhardus Forstmaister, Guardianus, Fridericus de Cambia, Viceguardianus, Henricus Kessler confessor et frater Albertus Becheim, lector conventus Norimbergensis etc., meliori modo, forma et iure, quibus debuerunt et potuerunt.

Concilium Romanum.

Anno Domini 1412 venit Iohannes papa XXIII. Romam rogatu Romanorum, qui praesentiam eius flagitabant. Ubi convocavit secundum Constitutionem domini Alexandri V, de concilio ad triennium celebrando in concilio Pisano editam, Praelatos et alios interesse debentes pro synodo generali ibidem habenda. Videns autem, in tempore constituto Praelatos et ceteros, qui in

---

[1] Cod. mendose *visantandi.*

[2] Id est Aurelia (Orleans) in Gallia.

[3] Cod. *Wyennense* i. e. Vindobona (theut. Wien) in Austria.

[4] Cod. *praecessus.*

teresse debebant, nequaquam in tanto numero convenisse, quantum rerum agendarum magnitudo requirebat, requisitus ex litteris domini Sigismundi, electi in regem Romanorum, ut non festinaret cum concilio celebrando, sed supersedere vellet, donec ipse suos ad eum super hoc instructos nuntios destinaret, de voluntate et assensu fratrum suorum dominorum Cardinalium prorogavit terminum concilii habendi et dictorum nuntiorum adventum exspectavit. Interim fuit ipsius Sigismundi regis electio ab utroque Pontifice confirmata, videlicet Iohanne XXIII. et Gregorio XII. in suis obedientiis nuncupatis, Iodoco, marchione Moraviae, iam defuncto, et regnavit annis XXVII [1].

Eodem anno celebravit frater Iohannes Leonis, Minister Argentinensis, capitulum in Friburgo inferiori in festo Pentecostes [2], cuius sunt istae ordinationes:

In primis mandat reverendus Pater et doctor praefatus cum toto capitulo, quod, ne animae fratrum vinculo [3] proprietatis maculentur, in singulis Custodiis omnes eleemosynae annuales vel precarie a fratribus comparatae, ad unum certum locum reponantur, ad manus seu potestatem reverendi patris Ministri praedicti et Custodis eiusdem Custodiae, ut inde ab altero istorum fratribus infirmis provideatur, fratresque non habentes indumenta necessaria de eisdem induantur, et de residuis ornatus ad cultum divinum, vel libri competentes pro Ordine et conventibus procurentur, et quod omnes et singuli fratres, qui quascumque litteras vel instrumenta desuper confectas habent, vel pro quacumque annuali certa eleemosyna alia, libere eas resignando et proprietatem renuntiando ad manus et potestatem patris Ministri, vel sui Custodis tradant, et de eorundem ordinatione ad certum locum reponantur, et huiusmodi eleemosynae per eosdem patres ad congruum usum communem conventuum vel specialem fratrum eorundem vel aliorum dispensentur.

Item, ordinatum est et mandatum, quod in singulis Custodiis per Custodem loca ordinentur, in quibus habeantur novitii et nutriantur fideliter, ita quod in quolibet conventu aliqui novitii, puta duo vel tres nutriantur, et quicumque conventus pro se novitios non habent neque nutriunt, ille [4] conventus alteri conventui, novitios nutrienti, quolibet anno quatuor florenos contribuat ad minus, vel plus ad aestimationem Custodis de consilio patrum Custodiae.

Item, ad instantiam Custodiarum reverendus Pater ordinavit cum toto capitulo, quod nullus, ultima poena punitus, deinceps relevandus est ad officia dignitatis Ordinis habilitandus, nisi pro tali fratre tota sua Custodia supplicationem porrigat et testimonium de eo perhibeat, quod ad minus quinque annos post suam liberationem se honeste tenuerit, si una vice punitus sit, et quod sua relevatio ad specialem eorundem sit profectum; et qui denuo relapsus et punitus est, testimonium habeat de decem, et sic consequenter, quoties relabitur.

Item, quod omnia statuta prius ordinata de non licentiando fratres solos sine socio et de non eundo fratres sine sociis Ordinis, et alia quaecumque per provinciale

---

[1] Scil. 1410-1437.

[2] 22 Maii. — Friburgum hic memoratum est oppidum magni ducatus Badenae in Brisgavia (theut. Freiburg im Breisgau) situm.

[3] Ita legit cod., sed super hoc verbo, quin sit deletum, scriptum est, ut videtur, ab ipso scriptore codicis *vitio*, quae vocula certo praeferenda esset.

[4] Ita cod., sed textui conformior esset lectio: *illi* conventus... *contribuant.*

capitulum alias notata, inviolabiliter observentur, et quod Custodes de hoc curam habeant diligentem, quemadmodum desuper velint respondere reverendo Patri saepe dicto et Provinciae.

Item, ordinatum est, quod pro nullo fratre fiat petitio, quod sibi committatur exsecutio audiendi confessiones et absolvendi confitentes, nisi talis frater sit examinatus per Custodem, quod bene sciat casus dominis Papae et Episcopis reservatos, nisi forte dumtaxat ad audiendum culpas fratrum etc.

Circa haec tempora claruit frater Petrus de Fussi [1] Ordinis Minorum, comes seu princeps de Aragonia potentissimus, cui papa Iohannes XXIII. cardinalatus pileum cum mantello de Roma ad Hispanias transmisit cum duobus episcopatibus, pro eo ut ipse et sua terra et parentela ac amici non essent contra eum, sed contra Benedictum XIII, adversarium suum; et hic Petrus dicebatur Cardinalis de Fussi, tituli sanctae Susannae, et fuit in concilio Constantiensi.

Similiter claruit eo tempore frater Franciscus de Regatiis, patria Cremonensis, Ordinis Minorum, magnus theologus, factus Episcopus Bergomensis, qui rexit eandem Ecclesiam XXXIII annos doctrina et exemplo, fuitque etiam in concilio Constantiensi et obiit IV. idus Augusti anno Domini 1427 [2].

Anno Domini 1413 Roma iterum occupatur a Ladislao, rege Siciliae, pontifice Iohanne in Florentia existente cum universa Curia, et Romani depraedantur et plurimi captivi ad Neapolim ducuntur. Tunc misit papa Iohannes nuntios ad Sigismundum, regem Romanorum, Antonium, tituli sanctae Caeciliae presbyterum, et Franci-

---

[1] Wadding., l. c. ad an. 1409, n. XVI. XVII, 1419, n. VI. etc., eum nominat *de Fuxo*. Ciaconius, l. c. eum sub anticardinalibus Benedicti XIII. antipapae (n. IV.) exhibet, et dicit: « Magister fr. Petrus de Foix seu de Fuxo senior, Gallus Bearnensis illustri terrae illius principum familia natus, filius Archambaldi et Isabellae Castelbonae, comitissae Flussatum, Ord. Min. regulam professus est in coenobio de Morlas, et erat postea Archiepiscopus Arelatensis. Benedictus XIII, ut Bearniae principes in suas partes traheret, aut in sua obedientia contineret, Petro filio cardinalatus dignitatem titulo S. Stephani in Coelio monte contulit. Hic Benedicti partes semper secutus est usque ad Constantiense concilium, ad quod accessit » (✝ 13 Dec. 1464).

[2] Ita cod., sed in aliquibus errat, ut intuenti patet. Ferdinandus Ughellus enim in « Italia sacra sive de Episcopis Italiae » (Venetiis 1719) t. IV. p. 482 in elencho Episc. Bergomensium refert, fr. Franciscum de Agregaciis (in margine dicit: vel de Aregatiis seu Regatius, ut vult Arisius in Cremona; etiam Wadding., l. c. ad an. 1403, n. V. et Scriptores etc. p. 111 et 134, et Sbaralea, Suppl. p. 242 sic legunt) Episc. creatum an. 1403, obiisse 1437. Cui assentiunt Iacobus Philippus Bergomas, qui in Suppl. Hist. lib. 14, sub anno 1406 (ut legitur apud Sbaraleam) dicit, fr. Franc. Ecclesiam Berg. per annos 34 rexisse et an. 1437 mortuum esse, et Castellus de Castello, in « Chronicon Bergomense » (cfr. Muratorius « Rerum Italicarum Scriptores » t. XVI. p. 935 et 971) ita loquens: « Anno 1403 die dominico, XI. Martii... fr. Franciscus de Regatiis de Cremona, aetatis annorum 28, ut dicitur, et Ordinis Min., intravit in urbe Bergamo... Die sabbati mensis Augusti MCCCCVII (quod tamen respectu textus sequentis error manifestus est et quidem, ut videtur, librarii, loco MCCCCXXXVII) dominus Franc. Episc., utriusque iuris doctor, decessit, qui optime fuit honoratus... praecipue in Basileensi (alii cum auctore nostro Constantiensi, 1415) synodo noviter celebrato » (1431). Wadding. vero, l. c. vult, nescio qua auctoritate, eum rexisse 24 annis, 5 mensibus, 27 diebus, et diem ultimum clausisse an. 1427, IV. idus (10) Augusti; praeterea erronee dicit in « Scriptores » p. 134, Franc. Ragatium, Cremonensem, utriusque iuris doctorem, qui adfuerit concilio Constantiensi et in episcopatu Bergom. administrando 24 annos transegerit; putans, eum alium esse ab illo, qui hic dictus est, et obiisse 1470.

scum, sanctorum Cosmae et Damiani diaconum Cardinales, cum plena potestate super electione loci et deputatione temporis sacri concilii celebrandi, qui elegerunt de consilio et assensu eiusdem regis civitatem Constantiensem; quem locum confirmavit ipse dominus Iohannes papa et omnes Praelatos illuc accedere iussit.

Anno Domini 1414 in vigilia Simonis et Iudae Apostolorum venit dominus Iohannes papa Constantiam et mansit iuxta civitatem in monasterio Cruzlingae [1], quia sabbatum fuit, et sequenti die dominica introductus est cum magna solemnitate sub panno deaurato cum quatuor phalangis, et frenum eius tenuerunt comites Rudolphus de Montfort et Bertholdus de Ursinis Romanus, et venerunt cum ipso Papa novem Cardinales, et unus, videlicet dominus Iohannes, Hostiensis Episcopus, prius fuit ibidem. Item, in vigilia [2] sancti Martini venerunt quinque Cardinales. Item, feria VI. post festum sancti Nicolai Episcopi venerunt nuntii et ambasiata regum Angliae et Scotiae cum duobus Archiepiscopis et septem Episcopis, inter quos fuit principalis comes Berhardus de Warenwick ex Anglia et alii multi comites et milites de Anglia et Scotia cum CCCCLIV equis et cum tot personis. Item, XII. die [3] ante Nativitatem Domini venerunt iterum quatuor Cardinales, inter quos fuit unus Otto de Columna Romanus, postea Papa et Martinus V. nominatus, et venerunt cum CLXXX equis et totidem personis. Item, in vigilia [4] sancti Hilarionis venerunt domini Theutonici de Prussia de domo Ordinis Theutonicorum, volentes conqueri contra ducem Wittoldum de Littuania [5] et Wladislaum, regem Poloniae, fratrem eius.

Eadem die hora Vesperarum venit Constantiam venerabilis pater frater Antonius de Perreto, doctor sacrae theologiae, Generalis Minister Ordinis Minorum, et cum eo XV fratres, omnes magistri in theologia, eiusdem Ordinis, cum XXXII equis, et venerunt obviam ei CC Fratres Minores, et introductus est cum luminaribus et cantu in conventum Constantiensem. Postea iterum venerunt IX Ministri de diversis Provinciis, ac demum venerunt magistri de Ordine Minorum multi, fueruntque in ipso concilio XXXIII sacrae theologiae doctores de Ordine Minorum.

Item, in die sancti Hilarionis [6] venit illustrissimus princeps dominus Ludovicus, comes Palatinus Rheni, dux Bavariae, elector sacri imperii, filius quondam Ruperti, regis Romanorum, adhuc existens sub obedientia Gregorii XII, et venit cum CCCC equis et totidem personis et VIII curribus; et demum multi Archiepiscopi et Episcopi, ut clare patet in libro vulgari concilii Constantiensis ac in chronica eiusdem civitatis.

Igitur sanctissimus dominus papa Iohannes XXIII. volens, sicut in civitate Laudensi [7], praesente Sigismundo, Romanorum rege, praeterito anno concordatum fuerat, sacrum Pisanum concilium super reformatione Ecclesia in civitate Constantiensi

---

[1] Theut. Kreuzlingen prope Constantiam. — Festum Apostolorum Iudae et Simonis est 28 Octobris.

[2] 10 Novembris. — Festum S. Nicolai est 6 Decembris.

[3] 13 Decembris.

[4] Id est 20 Octobris.

[5] Cod. *Littwania,* theut. Lithauen.

[6] 21 Octobris.

[7] Id est Lodi (latine Lauda) in Italia, ubi Iohannes 9 Dec. 1413 Bullam convocationis pro celebrando concilio 1 Novembris 1414 publicavit.

Sacrosancta magna synodus universalis Constantiensis incepit anno Domini MCCCCXIV die V. mensis Novembris[1].

provinciae Moguntinae continuare, pontificatus sui anno V, die V. mensis Novembris praedicti anni, pro felici inchoatione dicti concilii, solemni processione praemissa, astantibus cum mitris et habitibus tam reverendissimorum dominorum Cardinalium quam Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Abbatum et aliorum Praelatorum coetu copioso, Missam de Spiritu sancto in ecclesia Constantiensi solemniter celebravit, et per Religiosum virum fratrem Iohannem de Vincellis, sacrae theologiae magistrum, Priorem prioratus de Pamonte, Bellicensis[2] dioecesis, Procuratorem Ordinis Cluniacensis, pronuntiatus est sermo ad clerum, pertinens ad materiam propositam[3]. Et reverendissimus pater dominus Franciscus, sanctorum Cosmae et Diamani diaconus Cardinalis, ex pulpitu ligneo, quem ascendit, haec verba alta et intelligibili voce protulit:

Sanctissimus dominus noster papa, sacro approbante concilio, statuit, sessionem tenendam die veneris[4] huius mensis Novembris. De et super quibus omnibus et singulis magister Iohannes de Scribanis, procurator fisci, alta intelligibili voce per protonotarium domini papae et clericos et notarios camerae Apostolicae petiit, fieri publicum instrumentum ad perpetuam rei memoriam etc.

Prima sessio.

Anno Domini 1414, die XVI. mensis Novembris, indictione VII, pontificatus domini papae Iohannis XXIII. anno V, sacra et universali synodo in ecclesia Constantiensi, praesidente praefato domino Iohanne papa XXIII, solemniter congregata, celebrataque Missa de Spiritu sancto per reverendissimum in Christo patrem dominum Iordanum, Episcopum Albanensem Cardinalem, de Ursinis nuncupatum, cantatisque litaniis et aliis devotis orationibus pie porrectis ad Deum, idem dominus papa inchoans: *Veritatem diligite*, Zachariae VIII[5], et adducens auctoritates veteris ac novi Testamenti, allocutus est synodum, exhortans omnes ad meditandum et solerter insistendum super ordinandis his, quae ad Ecclesiae pacem et statum pertinent. Quo sermone perfecto, reverendissimus in Christo pater dominus Franciscus, sanctorum Cosmae et Damiani Cardinalis, Florentinus vulgariter nuncupatus, stans in thalamo eminenti, ubi dominus papa sedebat, alta et intelligibili voce legit schedulam sequentem:

Iohannes Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Intendentes ad exsecutionem eorum, quae per felicis recordationis Alexandrum papam V, praedecessorem nostrum, in concilio Pisano decreta fuerunt circa convocationem concilii generalis iterum faciendam, alias praesens concilium convocavimus per nostras litteras, quarum tenorem hic duximus inserendum; et cum ad hunc locum pervenisset idem Cardinalis, rediit ad sedem suam, et continue litterae Apostolicae

---

[1] Cod. hic et in textu bis exhibet mendose *Decembris*, quod correximus, quia tam contradicit textui sequenti quam omnino falsum est.

[2] Cod. male *Ballicensis;* est enim Bellicum, gallice Belley. Ita etiam recte legunt Harduini, Acta Conciliorum, t. VIII. p. 230, et Mansi, Collectio sacrorum Conciliorum (Venetiis 1784) novissima editio, t. XXVII. p. 519; et loco *Ioh. de Vincellis* habent *Ioh. de Vercellis* (in margine vero: alias *de Vincellis*, msc. Lips. *Urzellis*), ac pro *Pamonte* (in marg.: *Immonte*, ms. Lips.).

[3] Cod. incongrue *proposuit.* — [4] Harduin, l. c.: veneris 16. huius mensis. De.

[5] Vers. 19.

sequentes alta et intelligibili voce per venerabilem virum magistrum Iob de Rostis [1], domini nostri papae secretarium, stantem in dicto thalamo, lectae fuerunt, quarum tenor talis est:

Iohannes Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Ad pacem et tranquillitatem et exaltationem Ecclesiae et populi christiani prompto corde et efficaci desiderio intendentes etc.; vide in decretis eiusdem concilii.

Haec de inceptione concilii sufficiunt hic dicta.

In vigilia noctis Nativitatis Christi in media nocte, hora V. venit Constantiam illustrissimus princeps dominus Sigismundus, rex Romanorum, cum sua coniuge, Barbara de Cilia [2], in navi, et venerunt ad pontem sancti Conradi et admissi sunt ad stubam praetorii, et calefacta familia, iverunt ad Matutinas et ad Missam gallicantus. Cum regina venerunt domina de Württemberga ac burgravia de Norimberga nec non regina Bosniae.

Post Natalem Domini venerunt alii multi Archiepiscopi et Episcopi, et specialiter supradictus Cardinalis de prosapia principum Aragoniae, Petrus de Fussi [3] Ordinis Minorum, et sic iam XXIV Cardinales Constantiam convenerant; et tamen adhuc aliqui cum Gregorio XII. remanebant, id est Iohannes Dominici et alii nonnulli, usque ad XIV. sessionem.

Eodem anno post capitulum Basileae celebratum obiit frater Iohannes Leonis, Minister Argentinensis, doctor in theologia.

Anno Domini 1415, indictione VIII, die prima mensis Martii, fuit domino Iohanni papae XXIII. in magna aula inferiori palatii Apostolici Constantiae in praesentia serenissimi regis Romanorum, Sigismundi, et quatuor nationum per dominum Vitalem, Patriarcham Antiochenum, ex parte totius sacri concilii quaedam schedula praesentata, eique nomine dicti concilii humiliter et devote supplicatum per eundem dominum Patriarcham, quatenus ipsam schedulam dignaretur benigne acceptare. Et recepta schedula et ea secrete lecta, dixit dominus papa Iohannes, quod semper fuerit intentionis, dare pacem Ecclesiae, et quod ad hoc venerat Constantiam, et quod non vi nec metu compulsus seu coactus, sed libere et sponte concilio viam cessionis sui papatus obtulisset, et quod nunquam alterius intentionis fuisset. Demum legit ipsam schedulam alta voce, quae erat talis tenoris: Ego Iohannes papa XXIII. propter quietem populi christiani profiteor, spondeo, promitto, iuro et voveo Deo et Ecclesiae ac huic sacro concilio sponte et libere, dare pacem ipsi Ecclesiae per viam meae simplicis cessionis papatus et eam facere et adimplere cum effectu iuxta deliberationem praesentis concilii, si et quando Petrus de Luna, Benedictus XIII, et Angelus, Gregorius XII, in suis obedientiis nuncupati, papatui, quem praetendunt, per se vel procuratores suos legitimos similiter cedant; et tunc in quocumque casu cessionis vel decessus aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiae Dei ad exstirpationem praesentis schismatis. Qua lecta, fuit regratiatum domino papae per serenissimum dominum regem de bona oblatione facta, deinde per Cardi-

---

[1] Ita cod., Mansi tamen, l. c. p. 590 *de Gestis* (in marg. dicit: forte: Restis, ms.), in alio loco legit de *Resti*. Cfr. etiam U. v. Reichental, (Zeitgen.) Chronik des Const. Conc. (158. Publication des litt. Vereins in Stuttgart, Tübingen 1882), qui p. 181 habet *Restis*.

[2] Id est theut. Cilli, civitas Austriae in provincia Styria (Steiermarck) ad fluvium « Sann » sita.

[3] De quo cfr. supra pag. 244, nota 1.

nales, demum per dominum Patriarcham et Universitatem Parisiensem. Quo facto, voluit dominus papa, quod in crastinum, quae fuit secunda dies Martii, teneretur sessio publica, in qua hoc idem solemnius publicaretur.

Sessio secunda concilii Constantiensis.

Anno, ut supra, fuit sessio publica in ecclesia Constantiensi, die secunda mensis Martii; in qua celebravit dominus papa Iohannes Missam de Spiritu sancto. Qua finita, fuerunt factae solemnitates consuetae fieri in sessionibus publicis, et dominus papa, sedens in cathedra ante altare, conversus ad concilium ibidem congregatum, legit suprascriptam schedulam alta voce. Et dum venisset ad illam clausulam: promitto, spondeo etc., flexit genua versus altare, ponendo manus super pectus suum, et complevit legendo; deinde posuit iterum manus ad pectus et dixit: « Et ita promitto observare ». Quo facto, surgens Imperator de solio suo, deposito diademate et flexis genibus, regratiatus fuit eidem domino papae nomine concilii, osculando pedem eius. Similiter fecit dominus Patriarcha. Post haec inceperunt cantores *Te Deum laudamus,* et petiit sibi dominus Iohannes de Scribanis, procurator concilii, desuper facere publicum instrumentum, ut supra.

In die Purificationis [1] Mariae benedixit dominus Iohannes papa candelas et distribuit populo, et easdem candelas benedictas principibus et maioribus domum mittit.

Item celebrans in ecclesia maiori Constantiensi in dominica *Laetare* [2], benedixit auream et balsamo odoriferam rosam et eam, actis solemniis, manu sua tradidit in manus Romanorum regis, maxima reverentia acceptantis, et postea in loco extra ecclesiam sub divo ad hoc praeparato solio, praesente rege et universo populo, benedictionem dedit. Quo facto, rex Romanorum, equo suo insidens, praecedentibus fascibus imperii et buccinatoribus, rosam manu gestans, comitantibus principibus, ad ecclesiam cathedralem reversus, descendit de equo et rosam auream, a sanctissimo [3] dono sibi datam, manu propria ad aram beatissimae Virginis Mariae obtulit, ubi usque hodie diebus statutis ostenditur.

Et postea in profesto [4] sancti Benedicti recessit dominus Iohannes papa occulte de Constantia, et in simulato habitu ad modum rustici ivit ad Schaffhusam [5] oppidum, Constantiensis dioecesis, ad quatuor millaria inde distans, in terra Friderici, ducis Austriae, situm, ipso duce Friderico conscio et favorem ei praestante. Qui etiam dux Fridericus mox, fucata persona, clam omnibus Constantiam exiens, papam Iohannem, qui navi se occulte ad Schaffhusam receperat, comitatur; propter quod incurrit magnam indignationem regis et omnium principum [6].

Papa autem Iohannes misit litteras Constantiam talis tenoris:

Iohannes papa XXIII. manu propria. Gratia Dei liberi sumus in Schaffhusa et non venimus animo declinandi ab his, quae promisimus per nostram renuntiationem fa-

---

[1] 2 Februarii.
[2] Dominica IV. in Quadragesima, quae erat 17 Martii.
[3] Scil. papa.
[4] 20 Martii.
[5] Cod. hic et deinde *Schaffhusenn* (theut. Schaffhausen).
[6] Cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 74.

cere pro pace Ecclesiae sanctae Dei, sed ut in libertate saltem propriae personae nunc possumus ea exsecutioni demandare.

Datum in Schaffhusa, XXI. mensis Martii MCCCCXV.

Anno Domini 1415, die lunae XXV. mensis Martii, fuit sessio generalis, in qua praesidebat dominus Petrus [1], tituli sancti Chrysogoni presbyter Cardinalis Cameracensis, qui dixit officium Missae, praesente rege Romanorum in habitu imperiali cum suis nobilibus; cui regi assistebat dominus Franciscus Cardinalis Florentinus, diaconus Cardinalis sanctorum Cosmae et Damiani. In qua quidem sessione, cantata Missa de Domina nostra de Annuntiatione, factum fuit officium litaniarum cum Introitu [2]: *Exaudi nos, Domine* etc., et collecta pro pace. Subsequenter pronuntiat dominus Cardinalis Florentinus iuxta deliberationem sanctae synodi certas constitutiones servandas, quae habentur in decretis eiusdem concilii. **Sessio publica tertia.**

Anno, quo supra, die sabbati XXX. et penultima mensis Martii, fuit sessio quarta in ecclesia Constantiensi, in qua celebravit Missam de Spiritu sancto dominus Patriarcha Antiochenus, praesente rege Romanorum in insigniis regalibus, et Cardinalis Florentinus pronuntiavit articulos et constitutiones pro uniformi ordinatione concilii etc. **Sessio quarta.**

Illis temporibus ordinavit dominus Iohannes, Archiepiscopus Rigensis [3] de Niffenlant, Missam de beata Virgine quotidie per totum tempus concilii decantandam apud Fratres Minores, et pro hoc satisfecit Fratribus, providendo eis.

Item, imperator per intercessionem illustrium principum Ludovici comitis Palatini et Friderici, burgravii de Norimberga, suscepit in gratiam Fridericum, ducem Austriae, qui Iohannem papam XXIII. de concilio abduxerat, in refectorio Fratrum Minorum; et reconciliatus [4] satisfecit iuxta promissionem principum.

Anno Domini 1415, die sexta mensis Aprilis, fuit quinta sessio generalis, praesente rege Romanorum, ut prius. In qua sessione inter alios Cardinales ibidem existentes praesidebat concilio dominus Iordanus, Episcopus Albanensis, Cardinalis de Ursinis, Protector Ordinis Minorum, et cantabatur Missa de Domina nostra per dominum Raynaldum, Archiepiscopum Rhemensem [5], fueruntque pronuntiati articuli et constitutiones per reverendum dominum Andream, Electum Posnaniensem [6], videlicet quod synodus ipsa, in Spiritu sancto congregata, concilium **Sessio quinta concilii.**

---

[1] De Alliaco (d'Ailly), erat Episcopus Cameracensis (Cameracum), id est Cambray in Gallia.

[2] Habetur etiam feria IV. Cinerum. — Aliquanto superius cod. *assistebant* pro *assistebat.*

[3] Id est Riga, quae civitas est in Russia ad fluvium Dünam (Duna) sita. Anno 1566 archiepiscopatus exstinctus est et erectus erat 1186.

[4] Scil. Fridericus. Cod. omissa particula *et,* quam textu exigente adiunximus, *reconciliatum.*

[5] Ita recte. Cod. quidem exhibet *reveñ* (quod esset idem ac *Revensem*, sed nihil significat hoc verbum). Mansi, l. c. dicit: Archiep. *Ravennatem* (notat tamen in marg.: in msc. Brunf., Lips. Goth. et Suriano: *Remensem*). Secundum Ughellum, l. c. t. II. p. 521 Raynaldus quidam Concoregius Ravennae erat Archiep. ab 1303-1321; iuxta P. Gams O. S. B., Series Episcoporum p. 608 erat Archiep. Rhemensis an. 1414-1444 Renaud (Regnauld) de Chartres, qui dicitur apud Reichental, l. c. p. 166: *Regnaldus* de Carnoto (scil. Chartres).

[6] Id est civitatis Posnaniae (theut. Posen) in Borussia, provinciae Posnaniensis, ubi etiam sita est Gnesnia (theut. Gnesen), pro quibus civitatibus nunc existit Archiepiscopus Posnaniensis-Gnesnensis (Posen-Gnesen).

generale faciens et Ecclesiam catholicam repraesentans, potestatem a Christo immediate habet.

Anno, ut supra, die mercurii XVII. mensis Aprilis supradicti, **Sessio sexta.** fuit in cathedrali ecclesia Constantiensi sexta sessio generalis, in qua fuit celebrata Missa de Spiritu sancto per reverendum patrem dominum Nicolaum, Archiepiscopum Gnesnensem, praesente rege Romanorum etc., cui astabant domini Iordanus de Ursinis et Angelus[1] Laudensis, Episcopi Cardinales. Et praesidebat pro tunc reverendus pater dominus Iohannes, Hostiensis Episcopus, vicecancellarius, Cardinalis Vivariensis[2], praesentibus Gulielmo[3] sancti Marci, Alamanno[4] Pisano, Antonio de Chalanto[5], Antonio[6] Aquileiensi, presbyteris, Amadaeo Salutiarum[7] et Francisco[8] Florentino diaconis Cardinalibus. Officio vero Missae dicto, fuit cantatus Introitus: *Exaudi nos, Domine* etc., cum litaniis et Evangelio: *Ego sum pastor bonus* etc., ac hymno: *Veni creator Spiritus,* cum collectis, per eundem dominum Episcopum dictis.

Quibus peractis, ascenderunt ambonem, in quo legi et publicari solent constitutiones et alia avisamenta proponenda in concilio, reverendi patres Episcopus Atrebatensis[9] pro natione Gallicana, Archiepiscopus Rigensis[10] pro natione Germanica, Episcopus Lichfeldensis[11] pro natione Anglicana, et Abbas Florentinus pro natione Italica; et de mandato ipsius synodi legebat dominus Atrebatensis articulos alios, per quatuor nationes deliberatos, videlicet de procuratorio ad cedendum papatui pro bono unionis et pacis Ecclesiae per dominum Iohannem XXIII. Item, commissarii contra Iohannem Huss in materia fidei auctoritate concilii. Item, citationem contra Hieronymum de Praga de haeresi infamatum, quodque dicta citatio contra exsequatur. Item, contra famose libellantes. Item, decrevit concilium litteras missivas ad dominos reges, principes et Universitates per nationes huius sacri concilii ordinandas, quam citius fieri poterit, fore mittendas.

Post quorum lecturam et publicationem articulorum fuit petitum per dictos dominum Atrebatensem et alios sibi assistentes, an placerent publicata etc., praesenti-

---

1 De Anna de Summaripa cognominatus, monachus Camaldulensis, dictus de Laude vel Laudensis, non quia Laudensi Ecclesiae praefuit Episcopus, sed quia Laude Pompeia (Lodi vecchio in Italia) suam originem habuit. Vide Ciacon. sub Urbano VI, n. LIII.

2 Ioh. de Broniaco, Vivar. dictus, quia primo erat Episcopus Vivarii (Viviers) in Gallia. Cfr. Ciac. sub Clemente VII. antipapa, n. XXV.

3 Gulielmus Philasterius (Filastre), Gallus, Coenomanensis, Decanus Rhemensis.

4 Cod. *Alemannus;* Alamannus Adimarius erat Episcopus Pisae et Cardinalis tituli S. Eusebii.

5 Ita certo recte, ut etiam Mansi, l. c. p. 682 habet (alias tamen legit modo *Salancho,* modo *Salanco,* et dicit in marg.: aliter *Chalanco*). Ant. *de Chalanco* (de Chalant) eum vocat Ciac.; erat enim ex nobilissima familia de Chalant. Cod. tamen hic habet de *Caulaumo.* — Vide Ciac. sub Benedicto XIII. antipapa, n. IX.

6 Ant. Caietanus, Episc. Praenestinus, Card. Aquileiensis dictus.

7 Amadaeus de marchionibus Salutiarum, de Salutiis dictus, Italus. Salutina (Saluzzo) est civitas subalpinas.

8 Franciscus Zabarella, Patavinus, utriusque iuris doctor et Episcopus Florentinus.

9 Id est Atrebati (Arras), civitatis Galliae. — Secundum P. Gams, l. c. vocabatur Episc. Martinus Po(i)ré, O. S. D. (1408-1426).

10 Iohannes, supradictus.

11 Nomine Iohannes de Lichfeldia, civitate comitatus Staffordiae.

bus ibidem illustribus et magnificis viris Ramboldo, duce Silesiae[1], Iohanne Iacobo, filio Marchionis Montisferrati, Friderico comite de Oettingen, Alberto pincerna de Syndawe[2], Iohanne e vicecomitibus de Mediolano, ambasiatoribus regum Norwegiae, Sueciae et Daciae, Poloniae, Franciae et Cypri. Subsequenter lectae fuerunt litterae Universitatis Parisiensis et rectoris studii eiusdem usque ad finem.

Die XVIII. mensis Aprilis in conventu Fratrum Minorum in praesentia notarii publici et testium vidimavit honorabilis vir dominus, dominus Michael de Broda theutonicali[3], plebanus ecclesiae sancti Adalberti sub Schodrass Pragensis, instigator officii contra Iohannem Huss et eius complices specialiter deputatus, litteram continentem citationem contra Hieronymum de Praga[4], magistrum in artibus plurimorum studiorum, emanatam in concilio Constantiensi et quatuor sigillis praesidentium quatuor nationum ab intra impressis sigillatam, et publicum instrumentum desuper fieri fecit.

Die veneris, XIX. mensis Aprilis, reverendissimus dominus Patriarcha Antiochenus in medio deputatorum quatuor nationum apud Fratres Minores, ubi natio Germanica convenire solebat, praesentavit dominis legatis nationis Germanicae, habentibus ire ad dominum Papam cum duobus Cardinalibus et aliis legatis aliarum nationum, articulos die mercurii conclusos per concilium in forma unius instrumenti per notarios subscriptos. Utrumque in libro concilii.

Septima sessio.

Anno, indictione, pontificatus, quibus supra, die iovis, secunda mensis Maii, fuit septima sessio generalis in ecclesia Constantiensi mane hora Tertiarum, praesente rege Romanorum, ut supra, cum suis nobilibus; in qua praesidebat dominus Iohannes, Episcopus Hostiensis, Cardinalis Vivariensis, et domini Angelus Laudensis et Iordanus de Ursinis Episcopi Cardinales assistebant regi nomine Cardinalium, et fuit cantata Missa per dominum Archiepiscopum Ragusinum[5] et postea cantatum officium litaniarum etc., ut supra, praesentibus ibidem reverendissimis patribus Branda[6] Placentinensi, Gulielmo sancti Marci, Landulpho Barensi, Amadaeo Salutiarum, Ludovico de Flisco[7] et Francisco Florentino Cardinalibus. Et dominus Pileus, Archiepiscopus Ianuensis, legebat citationem contra Iohannem XXIII, ut compareat in IX diebus in concilio, et fuit protestatio facta etc.

Sessio octava.

Anno, ut supra 1415, die sabbati, quarta mensis Maii, fuit sessio VIII. in loco solito et Missa de beata Virgine cantata per dominum Iohannem, Patriarcham Antiochenum; et praesidebat dominus Iohannes, Episcopus Hostiensis, praesente rege et omnibus Cardinalibus, et ibidem fuit condemnata doctrina Iohannis Wicleff, haeretici de Anglia, in XLV articulis.

---

1 Cod. *Slesiae.* — Mansi, l. c. legit Romboldus (in marg. dicit: in msc. Lips.: Rudolfus est); et sessione XII. apud eundem sermo est de quodam Henrico Rempoli, duce Zonadensi (msc.: Zaganensi) de Silesia; Reichental, l. c. p. 209 habet: « Rupolt uss der Schlesi ».

2 Ita cod., Mansi, l. c. p. 612 dicit: Alb. pincerna de Suiden (msc. Germ.: Synda) et pag. 735: Pincerna de Subit de Syndovo. — Pro *Suecia* cod. semper *Swecia.*

3 Theut. « Deutschbrod », oppidulum Bohemiae. — Pro *Adalberti* (Episc. Prag.) cod. *Adelberti.*

4 De quo cfr. Card. Hergenröther, t. II. p. 81. 89. 218.

5 Scil. Iohannem Dominici, Ord. Praedicatorum.

6 De Castellioneis, Mediolanensis, Episcopus Placentinus, presb. Card. titulo sancti Clementis.

7 Id est e nobili familia Flisca (Fieschi), Genuensis, diaconus Cardinalis sub Urbano VI. creatus.

Die dominica, quinta mensis Maii supradicti, fuit congregatio deputatorum quatuor nationum hora quinta in loco, in quo natio Germanica congregari solet; in qua dominus Fridericus, dux Austriae, se submisit, praesentibus multis nobilibus et principibus, et ibi fuit conclusum, quod dominus rex non caderet in aliquod periurium, si reciperet eum ad misericordiam tamquam hominem captivum, sicut et factum est.

Sessio nona.

Sessio nona fuit die lunae, XIII. mensis Maii supradicti, in ecclesia et loco consueto; in qua praesidebat dominus Iohannes Cardinalis, Hostiensis Episcopus, Vivariensis dictus, praesente rege cum suis nobilibus, et fuit cantata Missa de Angelis per dominum Robertum, Episcopum Sarisburiensem [1] de Anglia, et postea legit dominus Andreas, Electus Posnaniensis, conclusiones, in quibus producebatur exsecutio citationis contra Iohannem papam XXIII.

Frater Iodocus Langenberg, Minister Superioris Alamanniae.

Eodem anno fuit capitulum generale Lausoniae [2], et provinciale in Ueberlinga [3] celebratum. In quo provinciali capitulo fuit electus in Ministrum Provinciae Argentinensis frater Iodocus Langenberg de Ueberlinga natus, et praefuit XXIII annis et tenuit diversa capitula, quae suis in locis annotantur. Et ex tunc prohibitum fuit, ne durante concilio capitula per Ordines Mendicantes celebrarentur, nisi ex speciali licentia praesidentium in concilio generali.

Sessio decima.

Sessio decima fuit die XIV. mensis Maii praedicti, in qua cantavit Missam dominus Bertrandus, Episcopus sancti Flori [4], ambasiator regis Cypri, et praesidebat reverendissimus dominus Iohannes, Episcopus Hostiensis, Cardinalis Vivariensis, et reverendissimi domini Angelus Laudensis et Iordanus de Ursinis assistebant regi Romanorum ibidem praesenti etc., praesentibus etiam reverendissimis dominis Branda Placentinensi cum aliis X Cardinalibus; absentibus tamen ibidem dominis Petro Cameracensi et Antonio Aquileiensi et Thoma [5] Tricaricensi Cardinalibus, licet in eadem civitate praesentibus. Finito officio Missae de sancta Trinitate et litaniis etc. lectis, repetierunt domini promotores et procuratores concilii Henricus de Piro et Iohannes de Scribanis citationem contra Iohannem papam XXIII; et fuit tunc lecta sententia suspensionis papae Iohannis ab administratione totali papatus.

Eadem etiam die fuit congregatio deputatorum quatuor nationum, in qua fuit scrutinium super mittendis cum rege Romanorum ad Petrum de Luna et ad regem Aragonum [6]; nihil tamen fuit conclusum.

---

[1] Cod. vitiose *Saristeriensem;* est enim Savordunum, vel Sarisburia (Sarisberia) i. e. Salisbury in Anglia.

[2] Vel *Lausonii* (cod. *Lonsoniae*) i. e. Lausanne, civitas Helvetiae ad lacum Lemanicum sita. Secundum Wadding. tamen, l. c. ad an. 1414, n. V, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 78 capitulum Lausannae in Subaudia iam fuit celebratum an. 1414, et quidem 16 mensis Octobris.

[3] Cod. hic et deinde *Uberlingen.*

[4] Id est Saint-Flour (latine Floriopolis vel Fanum sancti Flori) in Gallia.

[5] Thomas Brancacius, Neapolitanus, Episcopus Tricaricensis, lat. Tricaricum, ital. Tricarico, oppidum in regno Neapolitano provinciae Basilicatae. — Pro *Aquileiensis* (Aquileia) cod. semper *Aquilegiensis.*

[6] Cod. modo legit *Arroganum*, modo *Arrogonum.*

Subsequenter fuit schedula lecta ex parte quorundam nobilium de Bohemia conquerentium, quod magister Iohannes Huss detineretur, et petentium, quod ipse in publico audiretur. Quibus fuit responsum per dominum Episcopum Luthomislensem [1] ex adverso.

Die mercurii, XV. mensis Maii supradicti, fuit iterum congregatio deputatorum omnium nationum, praesente rege Romanorum; in qua fuit lecta Bulla Constitutionis procuratoris per dominum Gregorium XII. in sua obedientia nuncupatum, et de mandato dicti regis examinata, an foret sufficiens, et in casu, quo non sufficeret, dicebat rex [2], velle eam remittere Carolo de Malatestis, qui eam procuraret plenius expedire.

Die iovis, XVI. mensis Maii supradicti, post meridiem in palatio episcopali retulerunt dominis Commissariis, deputatis ad examinandum testes super positionibus et articulis producendis contra Iohannem papam XXIII, in praesentia notariorum etc.

Sessio undecima.

Sessio undecima fuit die sabbati, XXV. mensis Maii supradicti, praesente rege Romanorum, et cantata Missa de Spiritu sancto per dominum Episcopum Atrebatensem [3], et lectis litaniis more solito, dominus Andreas, Electus Posnaniensis, legebat articulos formatos contra dominum Iohannem papam XXIII, et dominus Bertholdus Wildingen [4] auditor in summa dixit et declaravit, si articulus erat probatus, exponens, per quot testes, cum eorum quantitate, qualitate et dignitate; quibus articulis et expositione summarie expositis, fuit ad instantiam promotoris commissum deputatis ad portandum dictos articulos Papae ad summarie respondendum eisdem, et ad eundem ulterius citandum ad audiendam sententiam ad proximam sessionem, et postea fuit per eundem promotorem concilii petitum, an placeret omnibus, quod fieret processus iuxta per eum petita. Et respondit dominus Hostiensis pro collegio Cardinalium et se ipso, quod placeret. Subsequenter existentes in ambone: Archiepiscopus Mediolanensis pro natione Italica, Andreas, Electus Posnaniensis, pro Germanica, Abbas sancti Lupi pro Gallica, Thomas Poltensis [5] protonotarius pro Anglica, responderunt: placet, et ulterius per totius synodi supposita responsum fuit: placet. Sicque tota haec sessio concordavit contra papam Iohannem XXIII.

Sessio duodecima.

Sessio duodecima fuit tenta die mercurii, XXIX. mensis Maii supradicti, in qua praesidebat dominus Iohannes, Episcopus Hostiensis, Cardinalis Vivariensis, praesente serenissimo principe domino Sigismundo, Romanorum rege etc.; et fuit cantata Missa de Spiritu sancto per dominum Patriarcham Antiochenum. Qua completa, dicebantur litaniae etc., ut moris est. Quibus peractis, fuit facta relatio le-

---

[1] Ita cod., forte pro *Litomericensem* (bohem.: Litomierczicze), theut. Leitmeritz ad fluvium « Albim » (Elbe) in Bohemia situm. Mansi, l. c. hic: *Lutomuslensem*, alibi ut cod. Cardin. Hergenröther, l. c. t. II. p. 228 dicit: Leitomysl.

[2] Supple: se.

[3] Cod. hic vitiose *Atrabatensem.*

[4] Ita cod., sed Mansi habet semper *de Wildungen.*

[5] Ita cod. hoc loco (etiam Mansi, l. c. p. 106 ita habet et vocat eum notarium Sedis Apostolicae), sed infra ad an. 1417 cod. scribit, et quidem probabiliter recte: Thom. *Polton* — videtur enim esse nomen familiae — ita et Ciac., l. c., qui eum nominat *diaconum* (cod. infra recte: *decanum) Eboracensem.* Eboracum est Yorck in Anglia.

gatis et nuntiis missis ad Iohannem papam per Iohannem, Episcopum Vaurensem, quemadmodum articulis et attestationibus, contentis in processu sacri concilii, si quid vellet opponere, quod libere posset, et tunc fecerunt Commissarii relationem ad Iohannem papam, et lata fuit sententia definitiva contra ipsum, et depositus fuit de pontificatu.

Sessio tertia decima.

Sedes vacat ab anno MCCCCXV usque ad MCCCCXVII.

Tertia decima sessio fuit die sabbati, XV. mensis Iulii, anno a Nativitate Domini MCCCCXV, indictione VIII, in loco consueto; in qua fuit cantatum officium Missae de beata Virgine per reverendum patrem dominum Iohannem, Episcopum Luthomislensem, et factis litaniis et aliis iuxta morem aliarum sessionum, praesente ibidem serenissimo principe Sigismundo, rege Romanorum, cui astabant reverendissimi domini Cardinales de Ursinis et Laudensis, et praesidente reverendissimo patre domino Iohanne, Episcopo Hostiensi, Cardinali Vivariensi nuncupato, legit dominus Archiepiscopus Mediolanensis ex deputatione synodi quasdam ordinationes et de cetero per totam Ecclesiam servandas, quarum tenores sequuntur in haec verba:

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere praesumunt, populum christianum debere Sacramentum Eucharistiae sub utraque panis et vini specie suscipere, et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, etiam post coenam, vel alias non ieiunos[1], et communicandum esse, pertinaciter asseverent contra laudabilem Ecclesiae consuetudinem, rationabiliter approbatam, quam tamquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur; hinc est, quod hoc praesens concilium sacrum generale Constantiense, in Spiritu sancto legitime congregatum, adversus hunc errorem saluti fidelium providere satagens, matura plurium doctorum tam divini quam humani iuris deliberatione praehabita, declarat, decernit et definit, quod, licet Christus post coenam instituerit et discipulis suis ministraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi Sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis et alterius necessitatis, a iure vel Ecclesia concesso vel admisso.

Et fuit haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala rationabiliter introducta, quod, licet in primitiva Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, postea a conficientibus sub utraque et a laicis tantummodo sub specie[2] panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri.

Unde cum huiusmodi consuetudo ab Ecclesia et sanctis Patribus rationabiliter introducta et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare aut sine Ecclesiae auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debere erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum tamquam haeretici ar-

---

[1] Cod. *ieiuni.* — [2] In cod. desideratur haec vocula.

cendi sunt et graviter puniendi per Dioecesanos locorum seu officiales eorum, aut inquisitores haereticae pravitatis in regnis seu provinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid fuerit forsitan attentatum aut praesumptum, iuxta canonicas et legitimas sanctiones, in favorem catholicae fidei contra haereticos et eorum fautores salubriter adinventas. Item, quod nullus presbyter sub poena excommunicationis communicet populum sub utraque specie panis et vini.

Quibus lectis, petierunt promotores concili, responderi per dominum Imperatorem et ceteros, si lecta placerent. Praesidens autem, dominus Hostiensis, respondit nomine collegii Cardinalium: Placet. Similiter rex Romanorum, sic successive reverendissimi patres domini Episcopi: Antonius Concordiensis [1] pro Italica, Stephanus Dolensis [2] pro Gallicana, Nicolaus Merseburgensis [3] pro Germanica, et Patritius Cartagensis [4] pro Anglicana, in ambone existentes responderunt: Placet.

Sessio quarta decima fuit die iovis, IV. mensis Iulii, in qua **Sessio quarta decima.** procuratores Gregorii XII, Carolus de Malatestis et Iohannes Dominici Ordinis Praedicatorum, Cardinalis sancti Sixti Ragusinus, renuntiaverunt papatui nomine Domini Gregorii Papae XII. Et primo autorizavit Iohannes Dominici concilium his verbis ex commissione sibi facta:

Quia sanctissimus dominus noster, dominus Gregorius Papa XII, audivit et intellexit atque multipliciter est informatus de celebri fama huius sacrae congregationis, pro generali concilio Constantiensi in Christi nomine congregatae, idcirco idem dominus noster, avidus ecclesiasticae unionis et reformationis ac exstirpationis [5] haereticae pravitatis, commissionem fecit, prout in eisdem litteris nunc lectis dignoscitur contineri. Cuius quidem commissionis et mandati vigore ego Iohannes, miseratione divina tituli sancti Sixti presbyter Cardinalis, Ragusinus vulgariter nuncupatus, pro me et collegis meis in hac parte hic existentibus: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti auctoritate ipsius domini nostri, quantum ad eum spectat, ut praedicta sancta unio, reformatio et haereticae pravitatis exstirpatio, Deo auctore, meliorem sortiatur effectum, et ut sub diversorum professione pastorum dissidentes Christiani in unitate sanctae matris Ecclesiae et caritatis vinculo coniungantur, istud sacrum concilium generale convoco et omnia per ipsum agenda [6] autorizo et confirmo iuxta modum et formam, et prout in litteris dicti domini nostri nunc lectis plenius continetur.

Igitur praedictus Carolus Malatesta, vir insignis, cum videret, omnes in sententiam renuntiationis venire, ut Gregorius quoque pontificatu se abdicaret, in publico consistorio ac in Sede Gregorii non aliter ac si ipse adesset, collocatus, perlecta re-

---

[1] Id est Concordia, oppidum Italiae. — [2] Scil. Dol (lat. Dolum) in Gallia.

[3] Cod. *Merspurgensis;* est enim Merseburgum, theut. Merseburg, civitas Borussiae in provincia Saxoniae ad fluvium Salam sita.

[4] Ita cod., Mansi, l. c. habet semper *Cortagensis,* excepto uno loco p. 735, ubi exhibet *Carthaginiensis,* sed in marg. dicit: ex msc.: *Cortagensis.* — [5] Cod. vitiose *exstirpatione.*

[6] Iure et bene dicitur *agenda,* et non *acta,* quia usque ad hoc momentum concilio auctoritas omnis deerat. — Notandum est, quod quamvis in serie Pontificum Romanorum, et quidem iure meritoque, tantum successores Urbani VI. Romae sedentes enumerentur, acta tamen antipaparum Avenione residentium non minus quam illorum, qui Pisis sunt electi, nunquam reprobata sunt.

nuntiandi facultate, Gregorium pontificatu abdicat, quem [1] statim conventus concilii pro tam libera abdicatione agri Piceni legatum creavit. Ipse Gregorius non multum post moritur Recineti [2] dolore animi, ut fertur, propter subitam abrogationem, ante constitutum tempus a Carolo factam. In longum enim causam protrahi volebat, in mora temporis spem aliquam constituens.

Post cessionem Gregorii admisit concilium in Cardinales, Cardinales ipsius Gregorii. Et primum Gregorium, Angelum de Corario, Cardinalem sancti Marci, et reverendos patres dominum Antonium [3], Episcopum Portuensem, Iohannem Dominici, tituli sancti Sixti, Gabrielem Condulmerium [4], tituli sancti Clementis, qui postea Pontifex factus, Eugenius IV. vocatus est, Angelum [5], tituli sanctorum Petri et Marcellini, Blandellum [6], tituli sanctae Sabinae, presbyteros, et Petrum [7] sanctae Mariae in Cosmedin diaconum, Cardinales.

Hoc ipso tempore et mense praesentati sunt Fratres Minores de Observantia ex Provinciis Franciae, Burgundiae et Turoniae per ambasiatores regis Franciae sacro concilio, ut ipsum concilium eis in supplicationibus ipsorum provideret. Cumque genua flecterent coram domino Protectore Ordinis, domino Iordano de Ursinis, et reliquis Cardinalibus, praesente rege Romanorum, interrogavit ipse rex, quid tam humiliter peterent? Et responso, quod supplicarent, quod reformatio eorum, quae Domino promiserant observare, per concilium ordinaretur, dixit rex: « Iusta est petitio eorum, cum ideo simus hic congregati, ut status Ecclesiae reformetur ». Commisitque rex, ut petitio eorum exaudiretur. Inter hos Fratres fuerunt frater Nicolaus Rudolphi [8], frater Ivo N. et frater Iohannes de Caparia de Provincia Turoniae, et alii tres, quos recepit dominus Petrus Cameracensis Cardinalis in suum hospitium et curam et eos cum magna benevolentia fovit.

Sessio quinta decima.

Sessio XV. fuit die sabbati, VI. mensis Iulii supradicti, loco et hora consuetis; in qua praesidebat dominus Iohannes, Episcopus Hostiensis, et officium Missae de Domina nostra cantatum fuit per dominum Nicolaum, Archiepiscopum Gnesnensem, praesente rege, ut supra semper, et dominis Cardinalibus. Et lecto Evangelio [9]: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* etc., et sermone facto, lecti sunt articuli Iohannis Wicleff et Iohannis Huss; et introductus ipse Iohannes Huss ac ibidem, tamquam obstinatus in suis haeresibus, est condemnatus traditusque manui saeculari, postquam fuit degradatus, igne combustus est. Ab ipso Huss sunt haeretici Hussitae in Bohemia, perversissimi et simplicium deceptores.

Sessio sexta decima.

Sessio XVI. fuit die iovis, VI. mensis Iulii praedicti, in loco et hora consuetis, praesidente reverendissimo domino Iohanne, Episcopo Ho-

---

1 Scil. Gregorium abdicantem.
2 Vel *Riceneti*, ital. Recanati († 18 Oct. 1417 nonaginta annorum natus).
3 Corarium, Venetum, Card. sanctae Rufinae.
4 Cod. *Coldelmarium;* erat Venetus.
5 Barbadicum, Venetum. — Cod. iterum mendose *Marcelli* pro *Marcellini.*
6 Secundum Ciac. *Bandellus* de Bandellis, Lucensis, Cardin. *S. Balbinae.*
7 Maurocenum dictum, Venetum.
8 Ita etiam recte Mansi, Wadding., l. c. ad an. 1415, n. VII. dicit *Radulphi.*
9 Matth. 7, 15.

stiensi, Cardinali Vivariensi. Et cantata Missa de Spiritu sancto per reverendum dominum Nicolaum, Episcopum Merseburgensem, legebantur capitula et ordinationes ad requirendum Petrum de Luna, Benedictum XIII. in sua obedientia nuncupatum; et constituebat concilium Procuratores generales, Archiepiscopos, Episcopos, doctores sacrae theologiae et utriusque iuris, ita quod ipsi omnes aut ipsorum quatuor cum consensu serenissimi principis Sigismundi, si praesens fuerit, tractare, concludere et requirere et alia coniunctim vel divisim facere possent.

Sessio decima septima.

Sessio XVII. fuit die lunae, XV. mensis Iulii supradicti, loco et hora consuetis, praesidente reverendo domino Iohanne, Episcopo Hostiensi, praesenteque rege Romanorum cum pluribus ducibus, comitibus et nobilibus. In qua cantavit Missam reverendus pater dominus Ulricus, Episcopus Verdensis. Quo completo, legebantur litaniae, rege ipso genibus flexis et in veste non imperiali, sed quotidiana ante altare prostrato, assistentibus ei reverendissimis Laudensi et de Ursinis Cardinalibus. Cumque perventum est ad hunc locum: « Ut Ecclesiam tuam », dominus Praesidens ita legit: et regem nostrum, Imperatorem electum hic praesentem, Ecclesiae tuae advocatum et defensorem, ad perfectam reintegrationem unitatis Ecclesiae praefatae iter arripientem, dirigere, protegere et conservare digneris; fuitque responsum: Te rogamus. Secundo dixit: Ut Ecclesiam tuam et eundem regem electum ab omnibus inimicis visibilibus et invisibilibus praeservare et defensare digneris. Tertio dixit: Ut eundem Imperatorem electum etiam ad nos incolumem reducere digneris etc.; fuitque responsum, ut prius.

Completa litania, vertit se ipse Praesidens ad Imperatorem et benedixit eum dicendo: *Salvum fac servum tuum, Domine etc.*, et decantata oratione pro pace Ecclesiae, redeunteque Imperatore ad sedem suam, legit dominus Antonius, Concordiensis Episcopus, Bullam legationis domini Angeli, olim Gregorii XII, et provisionis eiusdem, et demum sententiam excommunicationis contra impedientes Imperatorem in itinere ad regem Aragonum. Item, quod celebraretur Missa singulis dominicis diebus, et fieret [1] processio, et interessentes haberent centum dies indulgentiarum.

Die XX. mensis Iulii profectus est rex Romanorum de Constantia in legatione concilii cum oratoribus, a concilio deputatis, ad Franciae, Angliae, Scotiae et Hispaniae reges, et adhortatus est eos, ut pro salute christiani nominis, iam ob schisma periclitantis, in abrogando Benedicto, sublatis aliis duobus, eius sequerentur sententiam. Grato autem responso accepto a regibus Franciae et Angliae, inde properavit Narbonam ad Ferdinandum, Aragonum regem, cuius populi magna ex parte Benedicto obtemperabant. Quocum inter cetera capitula hoc pactus est, ut Benedictum rationibus moneret ea facere, quae Gregorius et Iohannes in concilio Constantiensi egissent; id vero si facere recusaret, populos cogeret ab eo ad concilium deficere.

Benedictus autem in castello Peñiscolae [2] munitissimo se continens, moveri a sententia sua persuasionibus noluit; dicebat, et se verum Christi vicarium esse, et concilium non esse locum libertati ecclesiasticae convenientem, cum Iohannes XXIII. ab his etiam abdicare se pontificatu coactus foret, qui partes suas antea sequebantur. Cuius Benedicti pertinaciam principes Hispaniae cernentes, opinionem concilii

---

[1] Cod. *fiat.* — [2] Cod. *Panischole.*

secuti, in aliorum Christianorum sententiam venerunt. Quo facto, frater Vincentius Ordinis Praedicatorum[1], Benedicti confessor, concilio de cetero adhaesit.

A praecedenti sessione Imperator sessionibus concilii non interfuit usque ad annum Domini MCCCCXVII, quia per integrum annum et ferme sex mensibus in legatione concilii absens fuit.

Die XXI. mensis Iulii — fuit profestum sanctae Mariae Magdalenae, et dominica dies — anno Domini MCCCCXV facta est magna processio per synodum, procedendo a summo [2] ad ecclesiam sancti Pauli et demum ad ecclesiam Fratrum Minorum et per ecclesiam sancti Stephani iterum in summum, ut Dominus Deus dignaretur reducere regem cum prosperitate et salute ad concilium. In hac processione ibant duo Patriarchae, XVIII Cardinales, IX Archiepiscopi, LXI Episcopi: omnes infulati, et tres sine infulis, et omnes clerici ac auditores consistorii et omnes Ordines Religiosorum.

Sessio decima octava.

Sessio XVIII. fuit XVII. die mensis Augusti, in qua praesidebat dominus Iohannes, Episcopus Hostiensis, Cardinalis Vivariensis, et decantata Missa de Assumptione beatae Virginis per dominum Petrum, Episcopum Olerensem[3], et lectis litaniis etc. more aliarum sessionum, legebat dominus Antonius, Episcopus Concordiensis, articulos: Quod datur iudicibus potestas definiendi et causas per dominos cognoscendi. Item, quod adhibeatur fides Bullae concilii. Item, quod committentes falsum circa Bullam concilii puniantur sicut falsarii litterarum Apostolicarum. Et deputati fuerunt ambasiatores ad Italiam ad dominum Angelum Corrarium, Cardinalem Episcopum, olim Gregorium XII, et dominos Cardinales cum eo existentes et ad alios patres Italiae; quorum ambasiatorum nomina sunt haec: Archiepiscopus Mediolanensis, Archiepiscopus Ragusinus, Episcopus sancti Flori, Abbas Florentinus, Praepositus Quinqueecclesiensis[4], magister Iohannes Stoltz. Quibus lectis et nominatis, fuit responsum: Placet.

Die XVIII. mensis Septembris venerunt nuntii a Romanorum rege ex Francia, quod fideliter exspectarent adventum eius, quia omnia bene procederent in negotio Ecclesiae uniendae, et tunc omnes campanae pulsabantur.

PROVISIO FRATRUM MINORUM DE OBSERVANTIA.

Sessio decima nona.

Sessio XIX. sacri concilii Constantiensis fuit celebrata anno Domini MCCCCXV, indictione VIII, die lunae, XXIII. mensis Septembris, Sede Apostolica vacante, sub praesidentia reverendissimi patris domini Iohannis, Episcopi Hostiensis, Cardinalis Vivariensis, praesentibus ibidem patribus Alamanno Pisanensi, Branda Placentinensi, Gulielmo sancti Marci, Iohanne Ragusino, Francisco Venetiarum, Petro Cameracensi, Thoma Tricaricensi, Antonio de Chalanto[5], Antonio Aquileiensi, presbyteris, Amadaeo Salutiarum, Raynaldo de Brancaciis, Landulpho Ba-

---

[1] Vincentius dictus est S. Vincentius Ferrerius.

[2] Id est ecclesia cathedrali.

[3] Mansi: *Olorensem*, sed rectius Oloronensis; est enim Oleron, oppidum Galliae.

[4] Est Serbinum, theut. Fünfkirchen (Quinque Ecclesiae) in Hungaria.

[5] Cod. hic *Caulauco*.

rensi, Ottone de Columna, Ludovico de Flisco et Lucido de Comite [1], diaconis Cardinalibus.

In qua fuit primo ad laudem Dei et Curiae coelestis dictum officium Missae per reverendum patrem dominum Nicolaum, Episcopum Assisinum. Quo peracto, fuit decantatum officium litaniarum etc. more solito, et lectum Evangelium [2]: *Sint lumbi vestri praecincti* etc., cum antiphona: *Veni, sancte Spiritus*, et hymno: *Veni, creator Spiritus* etc. Quibus omnibus peractis, levavit se reverendus pater dominus Petrus, Cardinalis Cameracensis, unus ex deputatis in materiis fidei, et proposuit, qualiter nuperrime magister Hieronymus de Praga accusatus delatusque de haeresi et propter hoc incarceratus, ad redeundum ad gremium sanctae matris Ecclesiae et fidei orthodoxae unionem proposuisset, in publica congregatione in praesenti loco se revocare velle omnem haeresim, quam incidisset ex collationibus sermonis et sequela Iohannis Huss, propter haeresim combusti per ipsum concilium, et protestatum fuisse, sicut in quadam schedula continetur manu ipsius magistri Hieronymi conscripta, quam tunc de verbo ad verbum legit. Sed quia illud non videbatur sufficere, quia non fuit in sessione publica factum, ideo dictus Hieronymus venisset ad praesentem sessionem, volens illa, quae tunc proposuit, clarius quam tunc profiteri et revocare. Et tunc ascendit ipse magister Hieronymus ambonem, in qua decreta, statuta et ordinata publicari solebant, praemissa brevi et solemni protestatione, recommendando reverendissimos patres dominos deputatos et commissarios super materia fidei de eorum bona atque salubri doctrina et pia tractatione et aliis bonis sibi per eos impensis, legit schedulam, ut asseruit, manu sua conscriptam huius tenoris:

Ego, magister Hieronymus de Praga artium liberalium, cognoscens veram, catholicam et Apostolicam Sedem, anathematizo omnem haeresim, praecipue eam, de qua hactenus infamatus fui, et quam praeteritis temporibus dogmatizaverunt et docuerunt et tenuerunt Iohannes Wicleff et Iohannes Huss etc.; vide in decretis concilii.

Qua schedula lecta, protestatus fuit, quod si habuisset cognitionem per prius, quam tunc habere se dicebat, nunquam tenuisset illos errores, sed quidquid disputavit et fecit contra sanctam catholicam fidem et Romanam Ecclesiam, non tenuit neque fecit pertinaciter, sed disputative tamquam non informatus tunc de veritate. Dixit etiam, quod praedictam protestationem, revocationem et abiurationem non fecit propter detentionem, immo si in libertate constitutus esset, habendo cognitionem, quam hodie habet, vellet facere et gubernare se, secundum quod legit et scripsit in eadem schedula, offerens animam suam tamquam adolescentulam sponsae Christi, videlicet Ecclesiae sanctae, recommendans se omnibus dominis Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis et toti concilio. Hoc fecit forte ex timore ipse Hieronymus, quia post annum relapsus est [3].

Subsequenter reverendi patres domini Antonius, Episcopus Concordiensis, pro natione Italica, Vitalis, Episcopus Tolonensis, pro natione Gallicana, Ulricus, Episco-

---

[1] Rectius *de Comitibus*.

[2] Luc. 12, 35.

[3] Quamobrem etiam, ut Huss, igne morti traditus est. — Cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 226.

pus Verdensis, pro Germanica, et Patritius, Carthagensis[1] Episcopus, pro Anglicana, nec non dominus Bertholdus de Wildingen, auditor sacri palatii Apostolici, ascenderunt ambonem praedictum, de quo magister Hieronymus recesserat, et auctoritate ipsius synodi legebat dictus dominus Bertholdus, auditor causarum palatii Apostolici, quandam ordinationem per reverendissimos patres et dominos, videlicet Iordanum, Episcopum Albanensem de Ursinis, Protectorem Ordinis Minorum, et Petrum, tituli sancti Chrysogoni presbyterum, Cameracensem vulgariter nuncupatos, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et alios ex parte sacri concilii super hoc specialiter deputatos ordinatam et traditam, atque per Religiosum virum fratrem Iohannem de Rocha, alias Kotha[2], in sacra Pagina professorem et Vicarium in eodem concilio, cui Minister Generalis, frater Antonius de Perreto, etiam magister in sacra theologia, vices suas commiserat, una cum pluribus aliis magistris et discretis fratibus Ordinis Minorum Conventualium ex una parte, et per Fratres de Observantia Provinciarum Franciae, Burgundiae et Turoniae ex alia concordatam, super observantia regulari observandam per Fratres sancti Francisci. Cuius tenor talis est[3]:

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis dilectis Ecclesiae filiis, Generali et Provincialibus Ministris, Custodibus ceterisque Ordinis Minorum professoribus salutem et omnipotentis Dei benedictionem.

Supplicationibus personarum, quae voto Religionis sunt astrictae, illis praesertim libenter annuimus, quas ad finem tendere conspicimus, per quem personae sub placida tranquillitate iuxta suam professionem quiescant ac sedulum in humilitatis spiritu reddere valeant Domino famulatum etc. Vide eam et singula in ea ordinata de verbo ad verbum in fine libri.

Et praesentatus fuit tunc per reverendissimos dominos et patres, dominum Iordanum de Ursinis, Episcopum Albanensem, et dominum Petrum, tituli sancti Chrysogoni presbyterum Cameracensem, Cardinales praedictos, toti collegio reverendissimorum dominorum Cardinalium de laudabili providentia ac solerti diligentia multipliciter commendatus pro hac primaria vice in Generalem Vicarium instituendus frater Nicolaus Rudolphi, quem instituit sacrum concilium in Vicarium Generalem super Fratres de Observantia in Provinciis superius nominatis commorantes, modo et forma in decreto contentis.

Frater Nicolaus Rudolphi primus Vicarius Generalis Fratrum Minorum de Observantia institutus per concilium Constantiense anno Domini 1415 pro familia citramontana.

Qua ordinatione lecta, responderunt praedicti reverendi patres in ambone stantes pro quatuor nationibus successive: Placet. Similiter respondit dominus Praesidens pro se et collegio Cardinalium: Placet.

Postea legebat idem dominus Bertholdus, auditor causarum, unum aliud statutum sive decretum, quo declaravit ipsa synodus, ex quovis salvo conductu per Imperatorem, reges et alios saeculi principes haereticis vel de haeresi diffamatis, putantes, eosdem a suis erroribus sic revocare, quocumque vinculo se astrinserint, concesso, nullum fidei catholicae vel iurisdictioni ecclesiasticae praeiudicium generari, vel impedimentum praestari

---

[1] Cfr. supra pag. 255, nota 4.

[2] Mansi, l. c. p. 796 exhibet in textu: *Ioh. Rhotani* (dicit tamen in marg.: msc. *de Rhoca*).

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1415, n. VII; ibi habetur integra ordinatio, quae hic indicatur.

posse seu debere, quo minus dicto salvo conductu non obstante, licet iudici competenti ecclesiastico de huiusmodi personarum erroribus inquirere. Item, quod dominus viceecancellarius expediat Carolinam[1] sub Bulla sacri concilii Constantiensis. Item, quod beneficiati in concilio praesentes reciperent fructus suorum beneficiorum in absentia etc.; vide in libro concilii.

Eodem anno obiit Constantiae reverendissimus pater dominus Landulphus, Cardinalis Barensis, qui olim fuerat iudex in concilio Pisano ab Alexandro V. institutus in causa Fratrum contra Episcopum Basileensem, sepultusque est ad Iacobitas cum exsequiis.

Sessio XX. fuit hoc anno, die XXI. mensis Novembris, celebrata super monitorio contra Fridericum, ducem Austriae, pro Episcopo Tridentino. Sessio vigesima.

Anno Domini 1416, indictione IX. die iovis, XXX. mensis Ianuarii, fuit sessio generalis in ecclesia Constantiensi pro relatione missorum ad Petrum de Luna et regem Aragonum, Ferdinandum, et capitula proposita sunt.

Alia sessio generalis eodem anno, die martis, IV. mensis Februarii, fuit celebrata, in qua proposuit dominus Archiepiscopus Laurentinus[2], unus ex ambasiatoribus concilii ad regnum Aragoniae, quomodo iuxta conventa in capitulis Narbonae conclusis omnes et singuli domini Cardinales, Praelati, ambasiatores et procuratores existentes in concilio tenerentur sub iuramento dicta capitula approbare. Et tunc iuraverunt omnes concilio adhaerere, et inter ceteros Praelatos iuravit frater Antonius de Perreto, Generalis Minister Ordinis Minorum, pro toto Ordine, deinde etiam pro se et persona sua. Similiter frater Iohannes de Gorello eiusdem Ordinis, sacrae theologiae professor Parisiensis conventusque Parisiensis magister regens necnon reverendi patris fratris Iohannis Commineonelli[3], sacrae theologiae eximii doctoris ac in Provincia Franciae Provincialis Ministri, pro sacro generali Constantiensi concilio procurator cum plenaria potestate constitutus, iuravit nomine procuratorio antedicti, iuravit grata habere capitula praedicta.

Eodem anno, feria IV.[4] post festum Apostolorum Petri et Pauli, facta est congregatio concilii in conventu Fratrum Minorum, et requisitus fuit Iohannes Latschenbocke[5] super erroribus Iohannis Huss, et iuravit fideliter fidem tenere, et quod iuste fuerunt combusti ipse Iohannes Huss et Hieronymus de Praga, rogavitque, ordinari desuper litteras, quas vellet mittere ad Bohemiam.

---

[1] Quoad «Carolinam» dicit concilium (cfr. Mansi, l. c.): Cum in generalibus conciliis, maxime Lateranensi, provide quaedam (sint) stabilita, libertatem ecclesiasticam concernentia, quae piae memoriae Fridericus II, fervore devotionis Romanae Ecclesiae tunc persistens, (approbavit), etiam quaedam statuit et adiunxit; et demum per felicis recordationis Leonem III. fuit eiusdem Friderici constitutio approbata; et consequenter per piae memoriae Carolum IV. eadem fuit approbata et quaedam alia in favorem ecclesiasticae libertatis adiecta, quae in libro Cancellariae Romanae Ecclesiae latius continentur etc. — Constitutio Friderici II. et Carolina habetur apud Mansi, l. c. p. 1219.

[2] Ita legit cod. primitus; manus posterior correxit *Laventinus*, forte pro Lavantinus, (Lavantum, Lavant, oppidum Austriae in Carinthia).

[3] Ita habet cod., Wadding. vero, l. c. ad an. 1416, n. I. dicit: Ioh. *Evingonelli;* in indice tamen cum Mansi, l. c., et videtur recte, Ioh. *Quingonellus.*

[4] Scil. 1. Iulii; festum enim Ss. Petri et Pauli (29 Iunii) erat feria II.

[5] Forte rectius *Lacembock.*

Dominica die post festum sancti Michaelis[1] fuit festum sancti Francisci, et convenerunt omnes Cardinales et Episcopi in conventu Fratrum Minorum et solemniter cantaverunt Missam cum magna celebritate, et omiserunt processionem eadem die dominica.

Hoc anno in mense Februario impetravit frater Liphardus Forchamer[2] a Generali Ministro gratiam sequentem:

In Christo sibi carissimo etc. frater Antonius de Perreto, Ordinis Minorum Generalis Minister et servus etc.

Tuis petitionibus paternaliter condescendens, praesentium tenore tibi concedo, quatenus quater in anno possis tibi eligere confessorem fratrem nostri Ordinis, qui te in foro poenitentiae absolvere valeat ab omnibus peccatis tuis, quantum auctoritas mei officii se extendit. Insuper, usum librorum, vestimentorum aliarumque rerum necessariarum praesentibus tibi concedo. Demum, quod eleemosynas, tibi specialiter factas, possis recipere et apud fidelem personam deponere ac ipsas pro tuis emergentibus necessitatibus expendere, nec non infra Ordinem nostrum distribuere atque communicare, sicut tibi secundum Deum melius videbitur expedire. Vale in Christo et ora pro me.

Datum Constantiae, die XIX. mensis Februarii, anno MCCCCXXI. — Placet!

Eodem anno, in mense Novembri, venit venerabilis pater Iodocus, Minister Argentinensis, ad Custodiam Bavariae; quia hoc anno capitulum non celebravit, fecit has ordinationes in Monachio:

In primis ordino et statuo, quod Custodes, Guardiani, lectores ceterique fratres omnes, quos causa rationabilis non excusat, iuxta tenorem statutorum nostrornm et papalium et generalium sequantur chorum omni tempore, et ibidem tractim et distincte in vera nota Ordinis et iuxta Ordinarium nostrum divinum officium persolvere cum disciplina et devotione ad Dei laudem et populi aedificationem teneantur.

Item, quod nullus frater de cetero audeat portare pro exteriori habitu pannum totaliter nigrum aut de colore blaveo[3] aut tendentem ad blavedinem, et hoc sub poena privationis huiusmodi habitus, sed vestiat se panno humili in colore et valore.

Item, nullus frater vadat de conventu ad conventum, aut alias per terras sine expressa licentia mea, aut sui Custodis; et si quis, quod absit, oppositum fecerit, apostata censeatur et ut talis per Custodem, aut Guardianum suum puniatur. Et idem iudicium habeatur de quolibet fratre, qui sine alio fratre socio alicubi ire praesumpserit; ipso facto a suis officiis sint absoluti et reinstitui non valeant nisi per Ministrum.

Item, accessus illicentiatus ad monasteria sororum Ordinis sanctae Clarae sub poena statutorum simpliciter evitetur.

Item, Guardiani et alii Praesidentes non licentient fratres ad civitatem ante prandium et post coenam. Alio autem tempore non nisi ex causa rationabili et necessaria, pro qualibet vice eis intimanda, poterunt eos ad civitatem licentiare.

---

[1] 29 Septembris (erat feria III. post dominicam XVI. post Pentecosten). — Festum S. Franc. 4 Octobris.

[2] Rectius Liebhardus Forchammer.

[3] Cod. legit hic *plaveo* et deinde *plavedinem;* color blaveus (cfr. Du Cange, Gloss.) est idem ac caeruleus; theutonice *blau,* gallice *bleu.*

Item, omnes fratres unius conventus, infirmis dumtaxat exceptis, teneantur ad minus semel in die sequi communitatem.

Item, nulli lectori fiat specialis provisio in mensa nisi in diebus, quando actu legit vel praedicat. Et tunc talis provisio in diebus carnium non excedat quatuor denarios et sex denarios in diebus piscium. Aliis autem temporibus sint contenti de communi pietantia conventus, quae tamen propter honestatem poterit eis duplicari.

Item, quilibet frater convictus de lapsu carnis sine omni dissimulatione poena carceris puniatur.

Item, in ostio cuiuslibet cellae sit una apertura patens in magnitudine ad minus unius palmae, per quam quilibet transiens sine obstaculo et difficultate introspicere poterit. Quae apertura nullo unquam tempore quocumque velamine obstruatur.

Item, silentium pulsetur omni die de sero hora competenti, post quem pulsum fratres neque comedant neque bibant nisi de licentia Guardiani, pro qualibet vice petita et obtenta, et si supervenerint hospites, aut alia intervenerit causa rationabilis et necessaria. Simili modo pulsetur silentium et servetur tempore aestivo modo hactenus observato.

Item, Custodes et alii Praesidentes arceant fratres ad observanda ieiunia regulae. Et nullus saecularis, quacumque occasione sumpta, in diebus ieiuniorum de sero invitetur ad comedendum cum fratribus in conventu.

Item, nullus conventus assumat sibi novum onus vel onera quotidiana seu hebdomadalia, neque obliget se ad dandum pecunias fratribus aut aliis, prout in statutis provincialibus cavetur.

Item, fratres caveant sibi ab omni ludo pecuniario et contrectatione pecuniarum sub poena statutorum desuper factorum; ideo habeant signa, quae exponant tempore necessitatis, more hactenus observato.

Item, Custos sub poena excommunicationis et absolutionis a suo officio nullum munus, aut donum in pecunia, aut valore a quocumque terminario seu eleemosynario, quacunque occasione sumpta, recipiat, sed sit contentus de provisione consueta sibi dari a communitate conventuum. Terminarii vero et eleemosynarii, qui aliquod munus vel donum in pecunia, vel valore Custodi suo dare praesumpserint, reddantur ipso facto inhabiles ad quasvis dignitates Ordinis, et cum hoc teneantur duplum solvere communitati Ordinis secundum determinationem Ministri.

Item, Custos non instituat terminarios nisi tales, qui sciunt et possunt etiam praedicare in area, et de hoc certa experientia de ipsis habeatur.

Datum in Monachio, anno Domini MCCCCXVI, feria IV.[1] post festum sancti Martini Episcopi.

Anno Domini 1417, die XXVI. Ianuarii, rediit dominus Sigismundus a legatione ad reges Franciae, Angliae et Hispaniae. Quem excepit concilium cum magna solemnitate et processione totius Cleri et omnium Religiosorum, assistebantque ei in conductione in dextris dominus Iohannes, Cardinalis Hostiensis, a sinistris Patriarcha Antiochenus, et praecedebant eum dominus Ludovicus, comes Palatinus Rheni, et dominus Fridericus, burgravius Norimbergensis, et fiebat sermo per dominum Robertum, Archiepiscopum Sarisburiensem[2] de Anglia, cuius thema fuit: *Erit magnus*

---

[1] Id est 16 Novembris, cum festum S. Martini (11 Nov.) dicto anno incideret feria VI.

[2] Ita recte, cod. hic *Salusburgensem;* cfr. supra pag. 252, nota 1.

coram Domino[1], et fiebat in organis *Te Deum laudamus*, et sic redierunt omnes ad propria.

Eodem anno fuit capitulum in Reutlinga[2] in festo Divisionis Apostolorum, in quo ordinavit Minister ista statuta:

Primo mando et praecipio, quod Matutinum singulis noctibus in omni loco Provinciae cantetur et omnes canonicae horae, nisi obstet interdicti sententia, et quoties hoc neglectum fuerit, serventur statuta Patris defuncti.

Item, volo et mando, quod omnes et singuli Guardiani visitent Matutinum omni nocte, et quicumque ipsorum plus quam semel in septimana obdormierit, nisi ratione infirmitatis fuerit excusatus, abstineat secunda vice a vino, tertia a carnibus, et sic procedendo secundum poenas in statutis positas.

Item, volo et mando, quod in horis diurnis et in Missis conventualibus Guardiani maneant in choro a principio usque ad finem, et nullus frater se absentet sine licentia Guardiani. Si quis vero Guardianorum in praemissis negligens repertus fuerit, teneantur ipsum fratres conventuales Custodi visitare[3], et Custos teneatur per obedientiam salutarem dictum Guardianum sic punire, quod aliis transeat in exemplum.

Item, nullus Guardianus incipiat quodcumque aedificium novum neque reformet antiquum sine consensu seniorum conventus. Et si aedificia ista se extendunt ultra valorem duorum florenorum, debent Guardianus et fratres illius conventus etiam habere consensum Custodis. Si quis vero Guardianus oppositum attentare praesumpserit, solvat ipse expensas omnes de eleemosynis propriis.

Item, volo, quod Guardiani omni septimana celebrent capitulum culparum, ad quod lectores baccalaurei legentes semper venire teneantur. Negligentes vero puniantur per Guardianum secundum exigentiam delicti. Guardianus autem non tenens capitulum sedeat sine vino et pietantia super terram.

Item, volo, quod Custodes et Guardiani diligenter inquirant de confessoribus fratrum, ita quod sciant, quibus et quoties fratres confiteantur; et si quis repertus fuerit, quod non fuerit confessus ad minus ter in septimana, puniatur per Custodem, vel Guardianum, secundum quod ipsis expedire videbitur.

Item, Guardiani et lectores comedant ad minus semel in die cum communitate, nec invitent hospites extraneos, sive sint Religiosi sive saeculares, nisi talium invitationem sine notabili damno conventus non possint evitare.

Item, iuvenes lectores praedicent omni tempore et omnibus festivitatibus, quibus consuetum fuerit praedicari, nec excusent se cum aliis fratribus, ac eisdem temporibus, quibus lectores praedicant, Guardiani teneantur eis providere secundum antiquam consuetudinem; nec stuppas[4] cum clausuris pro se habeant, excepto in Adventu Domini et per Quadragesimam, dum actu suos continuant sermones.

Item, volo et praecipio per obedientiam salutarem, quod Guardiani habeant secum

---

[1] Luc. 1, 15.

[2] Cod. *Rütlingen.* — Festum Divisionis Apostolorum (ab Alberto Stadensi an. 1098 etiam Dispersionis Apost. dictum) notatur in martyrologiis Bedae, Usuardi et aliorum 15 Iulii, quo die scilicet Apostoli in diversas orbis provincias profecti sunt ac dispersi, et habetur in Missali Romano in Appendice inter festa pro aliquibus locis ex indulto Apostolico concessa, dicto die.

[3] Ita cod., sed videtur esse error scriptoris loco *denuntiare.*

[4] Alias stuba (theut. Stube), idem est quod camera separata. Vide Du Cange, Gloss.

famulos, quandocumque voluerint exponere pecunias spectantes ad communitatem, et caveant sibi Guardiani sub poena statutorum generalium, ne per se pecunias exponant.

Item, volo, quod omnia statuta antecessoris mei firmiter et integraliter serventur. Et ne quis se per ignorantiam excusare valeat, volo, quod praesens littera singulis septimanis in quolibet conventu Provinciae legatur. Et in testimonium et robur omnium praemissorum sigillum mei officii praesentibus duxi affigendum.

Datum loco et tempore, ut supra.

Eodem anno in castro Gottliebensi [1] mortem obiit dominus Robertus, Archiepiscopus Sarisburiensis [2] de Anglia. Is summa celebritate et funeralibus pompis latus in Constantiam, cum insigniis archiepiscopalibus in choro cathedralis ecclesiae est sepultus. Eius processionem comitabantur Cardinales, rex Romanorum, principes, Archiepiscopi etc., et populus innumerus. Et IX. die Septembris eius exsequiae aguntur mira celebritate. Hic fovit et promovit Fratres de Observantia, qui agebant praesentes in concilio pro provisione habenda, ob quendam fratrem olim ei notum et familiarem.

Eodem anno, die XXVI. Septembris, obiit reverendissimus dominus, dominus Franciscus Zabarella, Cardinalis Florentinus, et sepultus est in Constantia in choro Fratrum Minorum ad latus sinistrum, cuius funus prosequebantur omnes Clerici et Praelati, rex Romanorum et omnes principes et barones. Eius exsequiae actae sunt secunda die Octobris in conventu Fratrum Minorum, praesentibus omnibus tam spiritualibus quam saecularibus Praelatis in magna pompa. Hunc Franciscum multum allegant iurisperiti in sua facultate.

Rebus in concilio ordinatis, ut electio fieret in festo sanctorum Simonis et Iudae [3], convenerunt quinque nationum Praelati, ut concordarent provisuri, ne schisma in Ecclesia oriretur. Sabbato igitur ante festum Omnium Sanctorum fuit sessio publica, in qua cum de restituenda Ecclesia emendandisque moribus clericorum mentio haberetur, id fieri non posse aestimarunt, vacante Sede. Unde de eligendo novo Pontifice sermo est habitus, quo decreta concilii maiorem deinceps auctoritatem haberent. Cum igitur hac de re verbum haberetur, placuit ex unaquaque natione sex viros deligi et quidem probatos, qui una cum Cardinalibus conclave ingressi, Pontificem eligerent. Et fuerunt electi ad XXIII Cardinales et XXX viri nationum, qui iuncti simul faciunt LIII.

NOMINA CARDINALIUM.

Iohannes, Cardinalis Hostiensis.
Petrus Cameracensis.
Branda Placentinus.
Franciscus Venetiarum.
Angelus Veronensis.
Antonius de Chalanto [4].
Thomas Tricaricensis.
Angelus Laudensis.
Iordanus de Ursinis.
Alamannus Pisanus.

---

[1] Id est Gottlieben prope Constantiam.
[2] Cod. iterum *Salusburgensis.*
[3] 28 Octobris.
[4] Cod. hic *Canlanco.*

Lucidus de Comitibus.
Antonius Bononiensis.
Gulielmus sancti Marci.
Petrus de Hispania.
Ludovicus de Flisco.
Otto de Columna.
Iohannes Ragusinus.
Amadaeus Salutiarum.
Antonius, Cardinalis Aquileiensis.
Raynaldus[1] de Brancaciis.
Petrus de Fussi.
Petrus sancti Angeli.
Ludovicus de Fluscha[2].

NOMINA ELECTORUM EX GERMANICA NATIONE.

Nicolaus, Archiepiscopus Gnesnensis, de Polonia.
Simon, Episcopus Traguriensis, de Hungaria.
Iohannes, Archiepiscopus Rigensis, de Niffenlant.
Conradus de Susato, doctor in theologia, Heidelbergensis.
Lambertus[3] de Stipite, doctor theologiae, de Norwegia.
Nicolaus de Dinckellspuel[4], doctor theologiae.

NOMINA ELECTORUM EX NATIONE ANGLICANA.

Richardus, Episcopus Londoniensis.
Iohannes, Episcopus Norvicensis[5].
Iohannes, Episcopus Lichfeldensis.
Nicolaus, Episcopus Bathoniensis[6].
Thomas Polton, decanus Eboracensis[7], protonotarius regis.
Thomas[8], sanctae Mariae Eboracensis.

---

[1] Ita recte; cod. sibi ipsi contradicens (cfr. supra pag. 258) *Ludovicus.* Raynaldus hic dictus e familia Brancacia (de Brancaciis) est ille, qui, electione Papae facta, in consecratione eiusdem in Episcopum die dominico, XI. kldas Decembris (22 Nov.), Missam cantavit.

[2] Ita cod., sed est error. Cardinalis enim huiusmodi nominis non invenitur. Augustinus Oldoini S. I., in sua additione ad an. 1414, apud Ciacon., l. c. p. 822, ipsum Ciaconium, qui dixerat, electioni Martini Papae interfuisse 28 Cardinales, refutans dicit: « Nos ex libro Officialium Rom. Curiae sub Martino V. Pontifice et ex ipsis concilii Constantiensis actis scimus, viginti tres tantum ex viginti sex, qui tunc superstites erant, S. R. E. Cardinales conclave 8. Nov. ingressos esse ». Oldoini itaque, sicut et Card. Hergenröther, l. c., Dr. H. Brück etc., convenit quoad numerum Card. cum auctore nostro, demonstrat tamen, Petrum supradictum sancti Angeli iam mortuum fuisse pridie kldas (30 Oct.) Novembris 1417. Quamobrem substituendi essent pro *Petro* dicto et *Lud. de Fluscha* (quod est nihil aliud nisi repetitio erronea iam dicti *Lud. de Flisco): Gabriel Condolmerius,* Venetus, Episc. Senensis, tit. S. Clementis, et *Simon de Cramaud,* Gallus, Patriarcha Antiochenus, tit. S. Laurentii in Lucina.

[3] Cod. *Lampertus,* erat Prior Bercheneyensis (de Berckenyo, Harduin), dioecesis Leodiensis, Ord. Cluniacensis.

[4] Theut. Dinkelsbühl, et est oppidum Bavariae.

[5] Id est Norwich, civitas comitatus Suffolciae.

[6] Cod. *Barthoniensis;* est enim oppidum Bathonia, anglice Bath vel Bathe.

[7] Ita recte etiam habent Mansi, l. c., Harduin, l. c. t. VIII. p. 865, et Ciac., l. c., cod. *Obonacensis.*

[8] Abbas coenobii S. Mariae Ord. S. Benedicti extra muros Eboracenses (Yorck).

NOMINA NATIONIS ITALICAE.

Nicolaus, Archiepiscopus Mediolanensis.
Henricus, Episcopus Feltrensis [1].
Albertus, Episcopus Melchrensis [2], de Neapoli.
Bandolfus [3], dux de Malatestis, Archidiaconus Bononiensis.
Iacobus de Camplo [4], auditor.
Fr. Leonardus de Florentia, Generalis Prior Praedicatorum.

NOMINA NATIONIS GALLICAE.

Iohannes, Archiepiscopus Turonensis [5].
Iohannes, Episcopus Bituricensis [6].
Iohannes, Episcopus Gebennensis, in Sabaudia princeps.
Iohannes, Patriarcha Constantinopolitanus.
Petrus [7], Abbas Cluniacensis.
Marcus, Prior Rhodiorum [8] sancti Iohannis.

NOMINA NATIONIS HISPANICAE.

Iohannes, Episcopus Pacensis [9], in regno Castellae.
Iohannes, Episcopus Sacensis [10], de regno Navarrae.
Philippus, Episcopus Conchensis [11].
Gundisalvus Garziae, doctor decretorum [12].
Philippus de Mandiola [13], doctor theologiae.
Marcus Scholasticus.
Petrus, doctor in utroque [14].

---

[1] Ita recte, cod. *Veltrensis;* est enim Feltre (Feltria) in Marchia Trevisana. Cfr. Ughellus, l. c. t. V. p. 375. Ibi dicitur Henr. Scarampus, Astensis, et sedit ab 1404-1440.

[2] Ita cod., sed falso. Episcopus Melchrensis non existit, sed erat secundum Mansi, l. c., Harduin, l. c., et Ciac., l. c. *Franciscus* (Carosius) *Melfitensis* (Melfi) et sedit ab 1412-1418. Cfr. Ughellus, l. c. t. I. p. 937.

[3] Rectius *Pandulphus.*

[4] Iacobus de Turdis de Camplo dicitur in actis concilii Episc. Pennensis, quia Sedem Pennensem tenuit 1413-1419, quo anno translatus est ad Sedem Spoletinam. Cfr. Ughellus, l. c. t. I. p. 1149.

[5] Id est Tours (lat. Turonium) in Gallia.

[6] Gallice Bourges (lat. Bituricae).

[7] Secundum Mansi, l. c., Harduin, l. c., et Ciac., l. c. vocabatur *Robertus.*

[8] Ciac. legit: Gualterus Grassi, Prior Rhodius, et Harduin: Walterus Grassi Rhodi decretorum.

[9] Probabiliter est Badaioz (lat. Badaiocium, cuius adiectivum Pacensis).

[10] Harduin, l. c., et Ciac., l. c. eum nominant *Nicolaum,* Episc. *Aquensem* (Aix).

[11] Cod. vitiose *Consensis;* est Cuenca (lat. Conca Valeria); Harduin et Ciac. eum nominant *Didacum.*

[12] Et archidiaconus Barcinonensis.

[13] Harduin, l. c. et Ciac. *Madalia;* archidiaconus de Briviesca.

[14] Ita habet cod., sibi contradicens (cfr. supra pag. 265); sed Ciac. loco duorum ultimorum nominum exhibet sine dubio recte: *Velascum Petri* (Harduin: *Valaschum Petri),* utriusque iuris doctorem.

PRO NATIONE GERMANICA COMPUTANTUR.

Alamannia.	Bohemia.	Moravia.	Hungaria.
Polonia.	Dalmatia.	Croatia[1].	Graecia.

PRO GALLICANA COMPUTANTUR.

Francia.	Burgundia.	Normannia.	Picardia.

PRO ANGLICANA COMPUTANTUR.

Anglia.	Scotia.	Suecia.	Norwegia.	Dacia.	Cypriae regna.

PRO ITALICA COMPUTANTUR.

Lombardia.	Romandiola.	Sicilia.

PRO HISPANICA COMPUTANTUR.

Hispaniae Castellae Aragoniae
Maioricarum Portugalliae regna.

Anno igitur Domini 1417 praedicto, sexto idus Novembris, suprascripti electores conclave ingressi, et interim clero et universo populo cum rege et principibus Deum exorantibus et processiones cum humilitate et devotione facientibus, consentientibus XXIII, vel secundum alios XXXII[2] Cardinalibus nationibusque omnibus praeter omnium spem et opinionem, cum iam triennio et amplius Pontifice vero caruisset Ecclesia, multique schismatici tunc interessent, III. idus Novembris[3], in festo beati Martini, hora III. elegerunt in Papam dominum Ottonem de Columna, Romanum, sancti Georgii ad Velum aureum diaconum Cardinalem, cum omnium laetitia, ut prae gaudio homines vix loqui possent. Imperator nimio gaudio effusus, conclave ingressus, gratias omnibus egit, qui tantum virum et tam necessarium reipublicae christianae prope exstinctae elegissent, et ante Pontificem prostratus, cum summa veneratione eius pedes osculatus est; quem contra Pontifex non secus ac fratrem in pretio habuit eique gratias egit, quod sua opera et industria pax Ecclesiae Dei reddita esset. Vocari autem Martinus voluit, quod electio ipsius in festivitate sancti Martini Episcopi facta

Dominus Martinus Papa V. unanimiter electus in concilio Constantiensi anno Domini MCCCCXVII, in die sancti Martini, hora tertia.

[1] Cod. *Crovatia.*

[2] Ita cod., forte pro *XXII.* Nam secundum Panvinium et Claud. Fleury, Abb., Hist. ecclesiastica, tom. 26. p. 352 § 80 erant tantum 22 Card. praesentes. Cfr. supra pag. 266, nota 2.

[3] 11 Nov., quo die festum S. Martini celebratur.

est. Electus cum electoribus ex conclavi prodibant[1], comitantibus cum Cardinalibus, et Cardinalis de Flisco in uno latere et Cardinalis de Comitibus in altero, et Electus equum conscendit, et tunc eius lateri dextro Romanorum rex iungebatur pedes, frenum eius manutenens, sinistro[2] Palatinus Rheni. Hos maximus populus comitabatur. Et profecti in ecclesiam cathedralem, *Te Deum laudamus* cantaverunt et postea in palatinatum ipsum solemniter duxerunt. Id actum est feria V.[3] Martini, anno superius dicto. Feria VI. Electus ordinatur in diaconem, sabbato ordinatur in sacerdotem, dominica die Electus consecratur in Episcopum, et hoc in episcopio Constantiensis Ecclesiae. Feria II. praestiterunt Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etc., obedientiam Summo Pontifici. Feria III. Religiosi et monastici obedientiam exhibuerunt. Feria IV. Romanorum rex et omnes principes obedientiae Apostolicae se incorporarunt. Dominica proxima ante festum sanctae Catharinae[4], die vero XXI. mensis Novembris, Electus papali benedictione insignitur et solemniter coronatur.

Eodem anno, die martis, XXVIII. mensis Decembris, pontificatus sanctissimi domini, domini Martini V. anno primo, fuit sessio generalis et XLII. in ecclesia maiori Constantiensi, ipso domino Papa personaliter praesente et praesidente, et domino Antonio, Episcopo Concordiensi, Missam de sanctis Innocentibus devote celebrante. Qua finita, legit dominus Gulielmus, tituli sancti Marci presbyter Cardinalis, de mandato domini Papae et sanctae synodi Bullam liberationis factae domino Imperatori de custodia olim Iohannis papae XXIII. et traditione domino nostro Martino factis.

Anno Domini 1418, XII. kalendas Martii, confirmavit dominus Papa Martinus V. omnia privilegia sororum Ordinis sanctae Clarae in Norimberga commorantium, et omnia, quae possidebant ac in futurum possent adipisci, sub Petri protectione suscepit; et de hoc Bulla habetur.

Item, eodem anno, cum quadriennio concilium Constantiense iam duraret cum magno Praelatorum et Ecclesiarum incommodo, placuit Martino, sacro approbante concilio, rem tantam in aliud tempus magis idoneum transferre, videlicet de componendis moribus tam laicorum quam clericorum — dicebat, rem maturitate et consilio indigere — qui[5] tolli sine perturbatione rerum subito non possunt. Idcirco in ultima[6] sessione, quae fuit die veneris, XXII. mensis Aprilis, domino Martino Papa V. praesidente, et praesente rege Romanorum in insigniis imperialibus, celebrata, cantata Missa de Spiritu sancto per dominum Antonium, Cardinalem Aquileiensem, et litaniis lectis, protulit sententiam et decrevit, ut a fine concilii Constantiensis non nisi ad quinquennium usque aliud concilium denuo celebraretur, utque a quinquennali in septennium aliud transferretur, ab hoc vero in decennium res protracta legis haberet locum. Ut autem omnes intelligerent, sibi in animo esse concilium futurum habere, locum ad id aptum publico concilio praedicto disquirit ac tandem, appro-

---

[1] Ita cod., melius: prodibat. Immediate post cod. legit: *comitantes cum Cardinales,* quod constructione postulante, correximus.

[2] Cod. vitiose *sinistra.*

[3] Supple: in festo sancti.

[4] 25 Novembris.

[5] Scil. mores.

[6] Secundum Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 90. factum est hoc in sessione penultima (44.), quae erat die 19 Aprilis.

bantibus cunctis, Papiam[1] idoneum habendi concilii locum litteris sequentibus designat:

Martinus Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Cupientes ac etiam volentes huiusce generalis synodi decreto satisfacere, concilio approbante et consentiente, cum de loco ambigeretur, Papiam urbem auctoritate litterarum nostrarum designamus. Nulli igitur omnino homini liceat huius nostri decreti paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire etc.

Datum et actum Constantiae in loco publicae sessionis tanti concilii, III. kalendas Maii, pontificatus nostri anno primo.

Igitur in eadem[2] sessione, cum tempus opportunum dissolvendi concilii advenit, de mandato domini Papae et totius ipsius sacri concilii denuntiavit dominus Vinbaldus, sancti Viti in Macello diaconus Cardinalis[3], haec verba alta et intelligibili voce: «Domini, ite in pace»; et fuit responsum per astantes: «Amen». Quo facto, antequam ad alia patres concilii se diverterent, petierunt ambasiatores Wladislai, regis Poloniae, et domini Alexandri[4] Magni, ducis Littuaniae, nomine dominorum suorum, quendam libellum et in eo contenta cuiusdam fratris Iohannis Falckenberg[5], notorie crudelissimos errores et haereses, ut dixerunt, continentem, rite iam damnatum tamquam haereticum per deputatos in causa fidei, per concilium damnari. Quibus respondit dominus Papa, quod omnia et singula determinata et decreta in materiis fidei vellet inviolabiliter tenere et nunquam contraire ullo modo. Damnati fuerunt in eodem concilio XXV articuli fratris Matthaei Grobau[6] Ordinis Praedicatorum, conventus Wismariensis[7] lectoris, provinciae Saxoniae, quos ipse in eodem concilio coactus fuit revocare. Vide hoc in Gersone, secunda parte, folio XIII[8].

Abeundi itaque potestate omnibus data, cum Pontifex ab Imperatore et Germanis rogaretur, ut in Germania aliquamdiu maneret, similiter a principibus Gallicis, ut in Galliam proficisceretur, ostendit, sibi id nequaquam integrum esse, sed ut aequo animo essent et paterentur, eum sedere in Sede Petri Romae, quem Pontificem omnium consensu decreverant. Cum Ecclesia Romana sit caput et mater omnium Ecclesiarum, merito in ea Pontifici immorandum est, ne gubernator a puppi ad proram transferatur cum magno navigantium, id est in christiana republica viventium periculo et detrimento. Recessit igitur de Constantia anno praedicto MCCCCXVIII, quarta[9] die mensis

---

1 Id est Pavia in Lombardia.

2 Secundum Card. Hergenröther, l. c. sessione ultima (45.).

3 Ita cod., secundum Ciacon. vero, l. c., erat Card. Ss. Viti et Modesti in Macello Raynaldus Brancacius, Neapolitanus († mense Octobris 1427).

4 Cfr. D'Argentré, l. c. de nov. err. t. I. p. 215, ubi dicitur: Alexandri, alias Witoldi.

5 Rectius de Falkenberg, Ord. Praed.; erat enim oriundus de Falkenberga (nunc Falkenburg), civitate Borussiae in Pommerania. Cfr. D'Arg., l. c., Echard., Script. Praed., t. I. p. 760, Io. Albertus Fabricius, Bibliotheca Latina mediae et infimae aetatis (Hamburgi 1735) vol. IV. p. 211, qui eum etiam nominat Iacobitam de Saxonia et doctorem de Prutenis, et Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 164.

6 Ita cod., sed Echard., l. c. t. I. p. 760 *Grabeen,* et Io. Alb. Fabric., l. c. vol. V. p. 146: *Grabon* sive Grabeen.

7 Est enim Wismaria, theut. Wismar, oppidum magni ducatus Mecklenburg-Schwerin.

8 Vel in Gersonis operibus, edit. nov. t. I. p. 467 et t. IV. p. 713 seq.

9 Secundum Card. Hergenröther, l. c. t. II. pag. 90: 16 Maii.

Maii, et post ipsum interpolatim omnes magnates, qui fuerant in concilio. Ipse autem Papa per Subaudiam iter faciens, dum Italiam petit, pervenit Mediolanum, ubi a Philippo, Mediolanensi duce, honorifice et benigne susceptus est. Demum Mantuam abiens et Ferrariam ac per Flaminiam[1] pertransiens, Florentiam pervenit, Bononia vitata.

Eodem anno, die XV. mensis Maii, capitulum generale Mantuae[2] fuit celebratum per reverendissimum patrem fratrem Antonium de Perreto, Generalem Ministrum; in quo capitulo edidit statuta sequentia:

In primis ordinat reverendissimus pater Generalis cum toto capitulo generali sub poena inhabilitationis ad quaecumque Ordinis nostri officia, quam procurans seu procurantes ipso facto incurrant contrafacientes, quod nullus audeat seu praesumat quovis modo seu forma extra nostrum Ordinem aliquid de statu ipsius Ordinis immutare seu immutari facere, aut procuratum seu oblatum acceptare, vel exsequi officium quodcumque in nostro Ordine, dignitatem, promotionem seu gradum magnum vel parvum, prout continetur in statutis nostri Ordinis, et hoc sub poena carceris, a qua non valet liberari nisi de consensu sui provincialis capituli.

Item, declarat idem reverendissimus pater Generalis cum universo capitulo generali supradicto, quod nullus Praelatus nostri Ordinis, posito quod contra aliquem fratrem, seu monialem iuridice procedat vel procedere intendat propter eorum defectus seu delicta, ex hoc talis Praelatus censeatur *pars*, quin hoc non obstante valeat et posset huiusmodi Praelatus secundum iustitiae debitum contra delinquentes procedere libera facultate.

Item, diffamantes suos Praelatos, sive sint fratres sive sorores, extra vel infra Ordinem, ultra poenam taxatam in statutis antiquis ordinat saepe dictus pater Generalis cum capitulo iam praemisso, quod poena carceris puniantur ipso facto, et idem iudicium sit de trahentibus facta et causas Ordinis ad examen vel iudicium saecularium, contra nostri Ordinis libertatem.

Item, ne fratres passim mittantur ad lecturam Sententiarum pro magisterio exsequendo, ordinat reverendissimus Pater cum generali capitulo, quod de cetero nullus ad dictam lecturam admittatur quovis modo, nisi prius per suum provinciale capitulum Generali Ministro praesentetur, statutis generalibus capitulo deputandis ad lecturam Sententiarum pro gradu consequendo diligentius observatis, et contrarium attentantes, promotione ad gradum perpetuo sint privati. Multa quoque alia fuerunt ibi statuta, ad XXVI puncta; et ultimo contra Fratres sub provisione concilii viventes tale condiderunt statutum: Item, cum unaquaeque Provincia una et eadem integra obedientia debeat gaudere, et ne diversitas appareat, ideo reverendissimus pater Generalis cum universo capitulo mandat, quod omnes Fratres nostri Ordinis, cuiuscumque conditionis et status existant, suis Ministris, in quorum Provinciis morantur et degunt, in omnibus debeant et teneantur obedire, ad sua provincialia capitula ire

---

[1] Id est: viam, ex consule Romano, Flaminio, sic dictam.

[2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1418, n. XXXIV, qui tamen dicit: « Quid hic factum aut decretum, non liquet, perditis actis capituli »; De Gubernatis, l. c. tom. I. pag. 175 et tom. III. p. 81, et Rudolphus, l. c., qui tamen omnia capitula ab anno 1405 usque 1418 celebrata praetermittit, et falso asserit, hoc anno 1418 in dictis comitiis fr. Angelum in Ministrum Generalem electum esse; quod factum est an. 1421.

et accedere, modo statutorum diligentius observato, et Guardianos atque officiales in huiusmodi capitulis factos et institutos nullatenus refutent. Et qui alios loco ipsorum contra huiusmodi mandata instituere attentare praesumpserint, poenam contumacis inobedientiae se noscat incursurum, et per Ministros acriter puniatur secundum qualitatem et quantitatem talis delicti inobedientiae. Ministri vero caritative et benigne eosdem fratres recipiant neque de suis locis expellant neque mutent sine causa legitima, et benefacientes ac zelo devotionis ferventes foveant et manuteneant, ita ut caritas et amor in nostro Ordine reluceant.

Expliciunt statuta.

Numerus fratrum defunctorum a capitulo Lausoniae, anno Domini MCCCCXV. celebrato, usque ad capitulum Mantuanum: 1376; et oretur pro bono statu magnifici viri domini Iohannis Francisci [1], domini Mantuani, et pro felici statu inclytae dominae Paulae, consortis eiusdem, ac totius eius prolis, et pro sanctissimo domino Papa Martino V.

Eodem anno 1418 fuit capitulum provinciale Spirae, XXIII. die mensis Augusti, per reverendum patrem fratrem Iodocum de [2] Langenberg celebratum, in quo sunt haec condita statuta:

In primis ordinat reverendus pater cum capitulo universo, quod Custodes, Guardiani, lectores ceterique seniores sedeant cum communitate ad minus semel in die, demptis decrepitis et infirmis; et quicumque hoc neglexerit, nihil eidem a conventu in eadem refectione ministretur.

Item, ordinat reverendus pater Minister cum capitulo praedicto, ut honestas et conformitas in habitibus appareat, quod de cetero nullus frater, cuiuscumque gradus, status vel eminentiae existat, emat vel emere faciat per se, vel per alium seu per alios quovis modo pannum totaliter nigrum vel blaveum, aut pannum, qui vulgariter dicitur *Arras* [3], seu pannum nimis pretiosum, nostrae sacrae Religioni minime competentem, nisi prius ostenderit suo Custodi, qui iudicari habeat cum senioribus conventus, an liceat, talem pannum pro habitu deferre. Et Custodes teneantur secundum nostri Ordinis instituta in praetactis iudicare, sicut Deo in extremo mortis velint respondere.

Item, cum abusus habeat in nostra Provincia, et scandalum magnum oriatur de fratribus, animalia, precarias et possessiones habentibus et mercantias facientibus, in nostri Ordinis vituperium, hinc est, quod reverendus pater Minister ordinat cum capitulo praetacto, quod Custodes invigilent diligenter, quod omnes fratres, habentes precarias, resignent litteras precariarum suarum ad manus Custodis, animalia vero et possessiones habentes infra spatium quatuor mensium, postquam eis fuerit denuntiatum, sub poena carceris et privatione omnium bonorum temporalium resignare tenentur, nec de cetero aliquis frater praesumat emere precarias sub poenis praescriptis. Mercantias vero exercentes eadem poena sunt puniendi.

---

[1] Iohannes Franc. Gonzaga erat princeps urbis Mantuae, qui sumptus pro comitiis generalibus celebrandis, praesente Pontifice, liberaliter ministraverat.

[2] Supple: familia. Nam, ut cod. supra p. 252 dicit, erat Iodocus Langenberg natus de Ueberlinga.

[3] Erat species panni pretiosi, ab urbe Atrebato (Arras) in Gallia sic dicti; quae civitas olim celebris erat tapetibus aliisque similibus operibus acu pictis. Atrebaticae vestes sub Imperatoribus Romanis magni habebantur. Cfr. Du Cange, Gloss.

Item, mandat reverendus pater Minister cum capitulo memorato per obedientiam salutarem et sub poena interminationis maledictionis aeternae singulis Custodibus et fratribus Discretis per Custodes requirendis, quod de cetero nullum fratrem ad sacros Ordines promoveri permittant, qui legitimam pro Ordine suscipiendo non habuerit aetatem.

Item, mandat reverendus Pater cum capitulo saepe tacto omnibus et singulis lectoribus, quod ad minus in anno legant XXV lectiones, praemittendo principia; et qui unam lectionem sine causa rationabili praetermittit, careat isto anno sua provisione et in futurum promotione. Et si aliquis frater a lectione lectorum sine causa se praesumpserit absentare, talis frater debet in proxima refectione a vino et pietantia abstinere.

Item, mandat reverendus pater Minister cum capitulo universo, quod servetur modus antiquus in sermonibus faciendis a lectoribus et conventualibus, non obstante statuto in capitulo anno Domini MCCCCXVII Reutlingae edito. Vult et ordinat reverendus Pater praedictus, quod Guardiani in festivitatibus Ordinis et patronorum secundum consuetudinem loci de sermonibus, in vigiliis et de mane fiendis, aut per lectorem, si praesens fuerit, aut per alium in lectoris absentia diligenter provideat.

Item, ordinat reverendus Pater cum capitulo, quod titulus XIII. in antiquis statutis positus de examine studentium tam Argentinensium quam Provinciam intrantium et exeuntium inviolabiliter et strictius observetur.

Item, quod nullus studens, nisi examinatus fuerit, ad altiora promoveatur.

Item, modus antiquus de Parisiensibus stricte observetur.

Item, numerus fratrum defunctorum a capitulo Reutlingensi usque ad praesens capitulum XXXI, sorores sanctae Clarae XVIII.

Anno Domini 1419 obiit dominus Wenceslaus, rex Bohemiae et olim etiam Romanorum, filius Caroli IV. imperatoris et frater Sigismundi, regis Hungariae et Romanorum; et coeperunt haeretici Hussitae Pragae ecclesias evertere, et seditionem facientes, lamentabiliter imagines Christi et Sanctorum sacrilego ausu combusserunt et destruxerunt. Conventum autem Fratrum Minorum apud sanctum Iacobum Pragae defenderunt carnifices adhuc catholici, fraternitatem suam ibi habentes. Ceteri autem Religiosi ubique in eadem civitate magnam violentiam et depraedationem omnium bonorum et rerum suarum passi sunt ab haereticis et vetulis [1].

Anno Domini 1420 [2], tertio nonas Maii, confirmavit dominus Martinus Papa V, Florentiae existens, decretum concilii Constantiensis, Fratribus de Observantia datum, anno quinto post datum ipsius decreti. Bulla autem dictae confirmationis Martini Papae V. incipit: *Romanum Pontificem, Christi Vicarium, beati Petri Apostolorumque principis successorem* etc.

Eodem anno fecit Sigismundus magnam expeditionem contra haereticos Hussitas in Bohemia et Pragam obsedit, sed nihil profecit.

Et eodem anno obiit reverendissimus pater frater Antonius de Perreto, Minister Generalis Minorum.

---

[1] Vetuli vel veticuli sunt vitulorum et iuvencarum custodes. Cfr. Du Cange, Gloss.

[2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1420, n. IX. et X, ubi videsis Bullam infra memoratam.

Anno Domini 1421 capitulum generale Fori Livii [1] XI. die mensis Maii celebratur; in quo fuit electus in Ministrum Generalem reverendus pater frater Angelus [2] de Senis, sacrae theologiae doctor. Qui ex consensu totius capituli condidit sequentia statuta: Pro uniformitate divini officii in posterum per totum Ordinem servanda, quod deinceps rubricae Ordinarii Breviarii et Calendarium antiquum Romanum quoad festa observentur, nec de cetero aliquod festum novum introducatur, nec introductum defendatur, nisi de novo auctoritate Apostolica fuerit roboratum. De festo autem Visitationis beatae Mariae teneatur ritus Provinciarum, donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum.

Frater Angelus de Senis XXIX. Minister Generalis Ordinis Minorum.

Item, de sequela chori illud firmiter observetur, quod in statuto [3] domini Benedicti Papae XII. continetur.

Item, ut caerimoniae in choro in divino officio diligentius observentur, debent Custodes sub poena privationis sui vestiarii [4] aut contributionis cogere Guardianos, quod legere faciant in suis conventibus Ordinarium divini officii, quod incipit: *Ad omnes horas canonicas* etc., semel ad minus in duobus mensibus, et ubi dictum Ordinarium non habetur, sub eadem poena procurare, quam citius poterunt, sine mora, et ad haec implenda per Ministros Provinciales arceantur.

Item, quoniam multa dubia, exorta circa rubricas divini officii, saepe fratres turbant in choro, ideo statuit, quod omnia dubia praedicta et opiniones dubiorum seu intellectus ad sequens generale capitulum deportentur, ut in eo provisio fieri valeat sufficiens.

Item, ut Ordo melius ac salubrius valeat reformari, reverendissimus pater Generalis cum capitulo cassat et annullat omnes et singulas gratias, concessas Fratribus et sororibus sanctae Clarae nec non et sancti Damiani per reverendum patrem fratrem Antonium de Perreto, quondam Generalem Ministrum, et praedecessores suos. Et si quis gratiis huiusmodi concessis abusus fuerit vel in posterum concedendis, vult reverendissimus pater Generalis, quod Ministri Provinciales de maturo consilio ac assensu proborum fratrum gratias huiusmodi suspendere valeant et dicto reverendissimo Patri suspensionis causam, quam citius potuerint, intimare.

Item, quod Ministri Provinciales teneantur et debeant visitare Provincias eisdem commissas, iuxta tenorem statuti papalis, quod incipit: *Singuli quoque Ministri.*

Item, teneatur quilibet Minister expellere de Provincia sibi commissa omnem fratrem de aliena Provincia venientem, nisi sui Ministri licentiam portaverit in scriptis obtentam et Ministro, ad quem venerit, praesentatam.

Item, Provinciales Ministri non exigant a suis Provinciis expensas aut provisiones aliquas ultra illas, quae ipsis per suas Provincias dari consueverunt, nisi nova causa et rationabili perurgente, capitulo generali, si oportuerit, reservanda.

Item, quod nullus Praelatorum Ordinis, cuiuscumque conditionis aut gradus existat, applicet sibi eleemosynas, oblatas sacerdoti in sua et nova Missa.

---

[1] Cod. semper exhibet *Forlivium;* est Forli in Aemilia. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1421, n. IX.

[2] Salvettus cognominatus († Senis, 6 Octobris 1423).

[3] In Constitutionibus, cap. I. — Cfr. Chronologia, l. c. t. I. p. 46, et supra pag. 165 seq.

[4] Vestiarium est certa pecuniae alteriusve rei pensio, quae ad vestes emendas erogabatur, vel quidquid ad vestes pertinet, cfr. Du Cange, Gloss. — Cfr. De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 82.

Item, quod Ministri Provinciales teneantur portare numerum fratrum ad Ordinem receptorum ad generale capitulum, sicut numerum defunctorum.

Item, quod deinceps, si contingat, aliquem eligi in Provincialem Ministrum, cuius confirmationem praecedat mors Generalis Ministri, per Ministrum viciniorem Provinciae loco capituli, in quo electio celebrabitur, et per duos Custodes eiusdem Provinciae similiter viciniores, electione et electo examinatis legitime et approbatis, confirmetur.

Item, si electus et electores propter examinationem electionis et electi a praedictis Ministris et Custodibus fuerunt vocati, eisdem in omnibus, quae ad examinationem et confirmationem pertinent, teneantur firmiter obedire.

Item, de cetero Custodes et Discreti, mittendi ad capitulum generale, scientia ac moribus decorati instituantur, quantum commode fieri potuerit, in eorum Provinciis, et super hoc debeat Minister solerter vigilare.

Item, Custodes priventur suis vestiariis, si non visitaverint Custodias sibi commissas, nisi ex legitima et rationabili causa fuerint impediti.

Item, nullus de cetero, pro Custode Custodum ad generale capitulum destinandus, eligatur, nisi actu sit Custos alicuius Custodiae seu Provinciae.

Item, probati fratres in vita exemplari et competenter litterati de cetero constituantur Guardiani in conventibus, potissime magnis et principalibus, quantum fieri potest bono modo.

Item, Guardiani habeant in conventibus suis regulam, statuta papalia et generalia, et legantur secundum tempus in statutis papalibus determinatum, sub poenis in eiusdem statutis contentis.

Item, de retinentibus in cellis et portantibus arma invasura statutum generale de cetero inviolabiliter observetur, et ut hoc strictius custodiatur, teneantur Guardiani cum duobus Discretis fratribus semel in mense cellas dormitorii visitare.

Item, fiant Visitatores Provinciarum et officia sua faciant, secundum quod in statutis generalibus plenius continetur.

Item, inquisitores haereticae pravitatis non instituantur de cetero, nisi sint exemplares et litterati, ita quod sciant et possint disputare et praedicare tam clero quam populo, si et quando necessitas occurreret, addito etiam quod sint XL annorum iuxta Clementinam [1].

Item, nullus frater sub poena carceris, per Ministros Provinciales infligenda, audeat in sua praedicatione detrahere Praelatis Ecclesiae vel Ordinis nostri, vel contra statum alicuius in speciali praedicare, unde ex hoc Praelati Ecclesiae contra Ordinem provocentur, et nullus inde sequatur fructus.

Item, quod nullus frater sub poena carceris praesumat audire confessiones saecularium, nisi prius iuxta formam Clementinam, Extravag. *de Sepulturis*, cap. *Dudum*, Dioecesano fuerit praesentatus.

Statutum domini Benedicti [2] de cameris a dormitorio sequestratis inviolabiliter observetur. De caminis autem fiat, sicut continetur in statuto Mantuano [3].

---

[1] Libr. V. tit. III. cap. II.

[2] In Constitutionibus supra p. 165 citatis, cap. XXVIII.

[3] Cfr. supra pag. 271. Sed cum alii, qui de rebus Ordinis scripserunt, nihil de dicto capitulo sciant, et etiam auctor noster maximam statutorum partem omittat, nihil amplius de hoc notum est.

Item, ad pacem Provinciarum et Custodiarum mutuam, conventuum seu locorum quorumcumque servandam, ordinatur, quod nullus frater de aliena Provincia, Custodia aut conventu recipiatur seu incorporetur in aliqua nostri Ordinis Provincia seu Custodia ad conventum seu locum, nisi de communi consensu Provinciae, Custodiae, conventus vel loci, a qua seu quo exincorporandus est, tum de communi consensu Provinciae, Custodiae, conventus vel loci, in qua vel in quo frater fuerit incorporatus. Et si quid deinceps in contra contigerit attentari, ipso facto irritum sit et inane.

Item, ordinat reverendissimus Pater, quod monasteriis sororum nostrarum de cetero provideatur de idoneis Visitatoribus, confessoribus et capellanis, prout Ministris Provincialibus melius videbitur expedire, quorum conscientias praefatus reverendissimus Pater in his decrevit esse oneratas; nec aliquis Visitator praeter Ministros faciat visitationem ad intra, sed ad cratam [1] dumtaxat, nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum et rectam conscientiam videatur.

Item, nullus deinceps deputetur ad legendum Sententias pro cursu magisterii, nisi in studiis et Universitatibus infrascriptis: in Universitatibus Parisiensi, Oxoniensi, Tolosana, Cantabrigiensi [2], in partibus ultramontanis; in partibus vero cismontanis: in Curia Romana, Bononiensi, Paduana, Perusina. Et quicumque contra praesentem ordinationem attentaverit in sacra Pagina magistrari, promotionibus et officiis omnino careat et actibus legitimis sit privatus, nec gratiis magistralibus gaudere possit quoquomodo; quod quidem intelligimus de his, qui praedictum gradum nituntur attentatum adipisci sine licentia Ministri et provincialis capituli, servato super hoc statuto [3] domini Benedicti XII. de eodem.

Item, fratres promovendi ad dictas cathedras pro cursu magisterii eligantur, ut continetur in statutis papalibus Benedicti XII. Talesque eligantur et non alii, qui legerint artes et philosophiam per VII annos, et quatuor libros Sententiarum ad minus per unum annum in studiis generalibus theologiae cuiuscumque Ordinis.

Item, quod nullus promoveatur ad lectorias principales in aliis studiis theologiae generalibus Ordinis, nisi prius legerit, ut baccalaurei, Sententias vel aequivalens in eisdem studiis vel aequivalentibus studiis generalibus.

Item, magistri in sacra Pagina sint contenti exemptionibus et privilegiis, per statuta papalia Benedicti XII. magistris indultis, auctoritate praesentis capituli generalis. Quodsi aliquas alias speciales gratias habeant sibi concessas, debeant eas ostendere Ministris, ut per haec valeant ipsi Ministri ceterique Praelati fratres suos facilius et quietius gubernare.

Item, quod Ministri Provinciales sollicitam curam gerant de removendis deformitatibus vestium et habituum et thesaurorum, nec non et coercendis fratribus a receptione et tactu pecuniarum sub poena statuti [4], Assisii ordinati per Gulielmum Farinerii, tunc Generalem Ministrum, cum ex commissione praedictarum enormitatum non parum nostra Religio in conspectu hominum deturpetur.

---

[1] Crata vel crates est repagulum ferreum, quo Sanctimonialium locutoria clauduntur.

[2] Id est Cantabrigia (Cambridge, cfr. supra pag. 193, nota 6.), olim Camboritum dictum. Cod. legit mendose *Gambrionensi.*

[3] In Constitutionibus citatis cap. IX.

[4] Cfr. De Gubernatis, l. c. t. III. pag. 48 seq.

Item, in quolibet conventu sit deinceps unus scholaris honestus, probus et fidelis, ne fratres sumant occasionem contrectandi pecuniam. Talis autem de consensu concordi conventus et voluntate fratrum omnium habeat introduci.

Item, nullus, cuiuscumque conditionis existat, praesumat quovis modo officiare in aliqua capella seu ecclesia aut hospitali extra conventum seu locum, nisi de consensu omnium Discretorum et maiorum partis eorundem; et si contingat, aliquam eleemosynam dari pro huiusmodi servitio, talis eleemosyna communitati conventus applicetur, nisi aliter per fratres conventus exstiterit ordinatum.

Item, mandat per obedientiam salutarem ad rescindendam proprietatis maculam, quod nullus teneat vel tradat mercatorie vel usurarie denarios vel pecunias, nec possideat praedia, domus aut animalia, sub poena carceris et confiscationis bonorum dictorum, communitati Provinciae conventus seu loci, unde est oriundus, prout videbitur Ministro de Discretorum consilio, applicandorum.

Item, quod de cetero nullus bona fratrum incarceratorum applicet ad alios usus quam conventus nativi, nisi expensae tales forent factae, quas redimere teneretur incarceratus.

Item, cum regula [1] dicat, quod « universi Fratres huius Fraternitatis teneantur semper habere Generalem Ministrum et servum totius Fraternitatis, cui teneantur firmiter obedire in his, quae non sunt contraria animae suae et regulae nostrae », hinc est, quod auctoritate praesentis capituli generalis simul mandat [2] fratribus huius Religionis ubilibet terrarum constitutis, quatenus sibi et Provincialibus Ministris et aliis Praelatis Ordinis, secundum regulam institutis, puram debeant obedientiam voce vel scripto infra duos menses a praesentis statuti promulgatione eis facta. Quodsi, monitione canonica praevia, indurato spiritu huic praecepto aliqui praesumant obviare, ipso facto tamquam regulae contemptores et Ordini inobedientes sententiam excommunicationis incurrant, a qua nullus inferior Generali possit ipsos, praestita prius obedientia, absolvere.

Item, mandat reverendissimus pater Generalis, quod quilibet Minister teneatur secum ferre in Provinciam sibi traditam haec statuta et memorialia, et generaliter publicare ac ab omnibus fratribus inviolabiliter facere observari. Si qua tamen sint, quae videantur propter diversas Provinciarum conditiones difficilia observare, possit reverendissimus pater Generalis Minister auctoritate praesentis capituli secundum conscientiam suam in eisdem dispensare, salva tamen semper Ordinis bona reformatione.

Datum et actum, loco et civitate praenominatis, anno Domini MCCCCXXI.

Frater Theodoricus Strube XXVI. Minister Saxoniae.

Eodem anno in Provincia Saxoniae in capitulo, Hallis celebrato, electus fuit in XXVI. Ministrum Saxoniae reverendus pater frater Theodoricus Strube, de Custodia Halberstadiensi, et mansit Minister XI dies; sub apertura examinis sibi in Universitate Erfordiensi facta pro gradu magisterii in sacra theologia, viam universae carnis ingressus est.

---

[1] Cap. VIII. et X.

[2] Scil. Minister Generalis. Haec ordinata sunt contra exemptionem a concilio Constantiensi (supra p. 260) Fratribus Observ. in Gallia concessam. Cfr. etiam infra pag. 280, 286, 287.

Eodem anno, facta convocatione in Erfordia, electus fuit in XXVII. Ministrum Saxoniae frater Fridericus Macherim, de Custodia Misnensi, et mansit Minister sex annis, diversa capitula celebrando: 1423 Lipsiae; 1425 Vratislaviae, et post 1427 in convocatione Erfordiae resignavit.

Frater Fridericus Macherim XXVII. Minister Saxoniae.

Martinus autem eodem anno de Florentia Romam petit, effusa obviam ei omni urbana multitudine, quae ipsum non secus ac quoddam salutare sidus vel unicum patriae parentem exspectabat. Diem illum in fastis annotavere Romani X. kalendas Octobris MCCCCXXI.

Anno Domini 1422 missus est frater Richardus de Kirchberg Florentiam pro primo studio, sed mansit Bononiae.

Et eodem anno dux Ludovicus de Ingolstadio, cum plura oppida et castra amisisset, sabbato Quatuor Temporum ante Michaelem misit magnum exercitum et primores suos, ut circa Monachium terram devastavarent. Sed duces Ernestus et Gulielmus de mane cum populo exierunt et ipsos vicerunt et multos captivos Monachium duxerunt; qua ex re compulsus est dux Ludovicus pacem amplecti.

Anno Domini 1423 profectus frater Richardus de Kirchberg Romam ad Generalem Ministrum, sequentem obedientiam ab eo accepit:

In Christo sibi carissimo fratri Richardo Kirchberg[1] Provinciae Argentinensis, frater Angelus de Senis, Ordinis Minorum Generalis Minister et servus ac sacrae theologiae magister, salutem et pacem in Domino sempiternam. Cum secundum ordinationem factam in capitulo generali, Fori Livii[2] celebrato, Provincia Tusciae possit mittere unum studentem ad conventum et studium Coloniae de debito, et sim informatus relatione fide digna, te esse habilem ad capessendam scientiam; hinc est, quod profectui tuo libenter intendens, debitum praefatae Provinciae tibi assigno assignatumque praesentibus decerno, mandans tibi ad meritum obedientiae salutaris, quatenus ad dictum conventum et studium cum prima occurrente societate te transferas, sacrarum litterarum studio usque ad sequens generale vacaturus, cum gratiis et libertatibus, privilegiis et immunitatibus, quae studentibus ibidem conceduntur. Non intendo tamen per hoc in aliquo derogare iurisdictioni Provinciae saepe dictae. Praesentes autem litterae sint stando, eundo et redeundo in testimonium obedientiae salutaris apud Fratres et quoscumque transitum feceris, quibus te carius, quo valeo, in Domino recommendo. Vale in Domino et ora pro me.

Datum Romae, anno Domini MCCCCXXXIII, 8 Iunii.

Eodem anno Custos Bavariae frater Andreas de Oetting, Guardianus Norimbergensis frater Andreas de Eggenfeldia[3], Minister ut supra.

Circa haec tempora faciebat sanctus Bernardinus de Senis magnos fructus spirituales in Italia praedicando; contra quem frater Manfredus Vercellensis de Ordine Praedicatorum, simultate repletus, sugillando praedicabat. Qui Manfredus, seductus positionibus fratris Vincentii Ordinis sui de adventu antichristi, praedicabat in par-

---

[1] Hoc loco cod. omisit praepositionem *de* ante *Kirchberg*. Quam ob rem nomen Kirchberg videtur esse nomen familiae et non patriae. Existit enim etiam pagus, Kirchberg dictus, in Würtemberga.

[2] Cod. *Forlivii,* cfr. supra pag. 274, nota 1.

[3] Cod. *Eckenfeldenn;* est enim theut. Eggenfelden, oppidum Bavariae Inferioris.

tibus Lombardiae, antichristum suo tempore futurum, et ad hoc retorquebat Scripturas probandum, maxime Apocalypsim. Quae cum praedicaret, suadebat habitum tertii Ordinis Praedicatorum assumendum; quod multi faciebant, et erant quasi omnes Lombardi laici simplices. Martinus autem Papa attendens, illud hominum genus periculosum posse scandalum generare, conatus est illos ad propria remittere, sed non valuit, quia protervi et inobedientes. Tandem eos reliquit. Sperabatur ab illis Manfredus papa futurus, et antichristus fore eorum temporibus manifestandus. Tandem tempore Papae Eugenii obiit ipse Manfredus nimis credulus visionibus vel fictionibus illarum personarum, Romae in conventu Minervae sepultus; et quae exspectabant sui, non viderunt, nec illum papam nec antichristum, sicut praedicaverat. Praedicatores autem cum praedicto Manfredo magnam accusationem fecerunt domino Martino Papae contra sanctum Bernardinum, eo quod magnifice praedicabat et nomen *Iesus* in populo exclamabat; mentientes, eum inducere homines ad ritum, qui idololatriae assimilatur. Dominus autem Papa, audito beato Bernardino, nihil iniuste actum seu indiscretum praedicatum asserebat, et ipsum Sanctum in praedicatione commendans, licentiam ei praedicandi universaliter concessit; quod fideliter implevit.

Frater Antonius de Massa XXX. Minister Generalis Minorum.

Anno Domini 1424 in festo Apostolorum Petri et Pauli [1] fuit generale capitulum Ferrariae celebratum, in quo electus est Minister Generalis reverendus pater frater Antonius de Massa, magister in theologia, qui cum universo capitulo haec statuta condidit:

In primis mandat per obedientiam reverendissimus Pater, quatenus pervigilem et diligentem curam habeant Ministri, quod in eorum Provinciis divinum officium bene in choro et cum debita pausa de cetero persolvatur. Et ut praesens statutum inviolabiliter observetur, mandat reverendissimus Pater, quod Ministri possint et debeant absolvere ab eorum officiis Custodes et Guardianos, quos in suis Provinciis circa observantiam praesentis statuti invenerunt negligentes. Et ut divinum officium deinceps melius in nostro Ordine persolvatur, vult et mandat idem pater Generalis, quod de sequela chori firmiter teneatur totum illud, quod in statuto domini Benedicti XII. continetur.

Item, quod si aliquis frater, cuiuscumque conditionis aut gradus existat, inventus fuerit notorie defectuosus et negligens in persolvendo divinum officium, si dictus frater fuerit in officio constitutus, ex decreto praesentis statuti suo officio sentiat de facto se esse privatum. Si vero non fuerit in officio constitutus, teneatur ipse Minister per obedientiam fratrem talem debite castigare, et nihilominus in sequenti capitulo provinciali nullatenus eum ponere in tabula Definitionis pro officio praelaturae.

Item, pro uniformitate divini officii, in posterum per totum Ordinem observanda, ordinat reverendissimus pater Generalis cum capitulo, quod ex hinc in antea rubricae antiquae Ordinarii et Breviarii ac etiam Calendarium antiquum quoad festa observentur, nec de cetero aliquod festum introducatur, vel introductum defendatur, nisi de novo auctoritate Apostolica fuerit roboratum. De festo autem Visitationis Mariae fiat, sicut in capitulo Fori Livii est ordinatum.

---

[1] 29 Iunii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1424, n. V, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 175 et tom. III. p. 82.

Insuper ediderunt statuta in eodem capitulo usque ad puncta XXIV, et ultimum punctum est de obedientia exhibenda Ministris, contra Fratres de Observantia, sicut in praecedenti generali capitulo, cum tali additione:

Insuper teneantur Ministri et eorum Vicarii ceterique Ordinis Praelati sub poena privationis officiorum suorum, postquam eis constiterit, fratres huiusmodi sententiam incurrisse, in suis conventibus eosdem fratres excommunicatos denuntiare, et in ecclesiis cathedralibus et aliis ecclesiis suarum Provinciarum coram populo excommunicatos denuntiari facere, secundum quod eis erit possibile bono modo.

Cum tempus instaret, ut ex decreto Constantiensis concilii Papiae [1] generale concilium celebraretur, misit [2] dominus Martinus Papa Petrum Donatum, Archiepiscopum Cretensem, Iacobum de Camplo, Episcopum Spoletinum, Petrum Rosacium, sancti Petri Aquileiensis dioecesis Abbatem, et fratrem Leonardum Florentinum, Generalem magistrum Ordinis Fratrum Praedicatorum, qui concilium Papiae inchoarent, ad quod adhuc nemo venerat praeter duos Abbates Burgundos. Distulerunt autem concilium inchoare, donec ex omni natione unus aliquis superveniret. Ex Gallica enim et Germanica natione nondum quis venerat, et parvi momenti fore putabant, quod sine istorum auctoritate et suffragiis esset inchoatum. Sed ecce! dum hos exspectant, tanta repente pestis Papiam invasit, ut Praesidentes concilii mutare locum et tempus sint coacti. Placuit itaque omnibus ex sententia Papae Senas migrare, quo maior ex omni natione multitudo convenit.

Concilium generale Senense anno Domini 1424 sub Papa Martino V.

Anno Domini 1424 [3] fuit concilium de Papia ad civitatem Senensem per Martinum Papam V. translatum, pontificatus sui anno VI. Alphonsus autem, Aragonum rex, Martino Papae infensus, quod titulum regni Siciliae et Neapolis habere nequiverat, datum Aloysio, regis Ludovici filio, oratorem ad concilium mittit, qui et concilium in longum duceret et causam Petri Lunae, adhuc in Peñiscola superstitis, restitueret, largitione, pollicitationibus ambiendo unumquemque ex his, qui in concilio auctoritatem haberent. Martinus hanc ob rem non ignarus, quantam calamitatem ea res Ecclesiae Romanae allatura esset, quantumque periculum de mora haberetur, mandavit, concilium statim dissolvi [4], approbatis decretis in concilio habitis, quae ad fidem pertinent. Et ne subterfugere conventum Christianorum videretur, insequens septennium concilium celebrandum adiudicavit in Basilea, atque hoc modo schismatis et discordiarum semina, in concilio Senensi iactata et sparsa a quibusdam, sublata sunt.

Eodem anno ductae sunt reliquiae cum insigniis imperialibus ad inclytam civitatem Norimbergam in vigilia [5] sancti Benedicti, de Hungaria de Waradino.

Anno Domini 1425 fuit capitulum provinciale in Basilea, de quo fuit frater Richardus Kirchberg per tabulam Definitionis missus pro lectore in Rottenburgum [6].

---

[1] Cfr. supra pag. 270, nota 1.

[2] 25 Martii 1423. Auctor cod. errat in calculo; nam 23 Aprilis an. 1423, non 1424, ut hic innuitur, concilium Papiense apertum est. Cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 91.

[3] In mense Iunio et, ut dictum est, an. praecedenti 1423.

[4] Quod factum est per legatos Papae 7 Martii 1424. Cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 92.

[5] 20 Martii.

[6] Cod. *Rotenburg;* est theut. Rottenburg, oppidum Württembergae.

Illis temporibus venerunt oratores Imperatoris Constantinopolitani ad Pontificem Martinum V. pollicentes, Graecos in his, quae ad fidem pertinerent, velle in sententiam Latinorum venire, si aequae conditiones proponerentur. Hos et perbenigne ac splendide Martinus Pontifex suscepit, et Legatum a latere creavit Petrum Fontesiccum [1], sancti Angeli Cardinalem, hominem Hispanum, in quavis facultate doctum, qui Constantinopolim ad res componendas proficisceretur. Verum priusquam Cardinalem a se dimitteret, eo praemisit fratrem Antonium de Massa, Ordinis Minorum Generalem Ministrum, qui Imperatoris ac Graecorum sententia explorata, quid in ea re postea sperandum esset, nuntiaret. Antonius autem illuc profectus, comperit, obstinatos esse Graecos tum in erroribus, tum in obedientia Patriarchae, et sic nulla fuit spes pro illo tempore reductionis eorum.

Anno Domini 1426 intravit rex Aragoniae cum potentia Marsiliam et eam depopulatam destruxit et abstulit secum in Cataloniam corpus sancti Ludovici, Episcopi Tolosani, Ordinis nostri, cum illud fratres de conventu in civitate apud saeculares maluissent occultare. Ideo anno sequenti, cum in eodem regno rex et regina vellent lavare manus ad prandendum, fuit aqua in sanguinem mutata, et apparuerunt in mari beluae marinae, horribiles voces emittendo, eiulantes in coelum et homines terrentes, et terraemotus factus multa oppida et castra subvertit.

Eodem anno in festo sanctae Praxedis [2] virginis fuit capitulum in Ueberlinga celebratum per reverendum patrem Iodocum de Langenberg, ubi condidit sequentia statuta cum capitulo provinciali:

In primis, quia detestabilis nimis abusus, speciem avaritiae vitiique proprietatis prima facie praetendens nostraeque sacrae Religioni [3] ac statutis Ordinis plurimum contraveniens, inolevit, quod videlicet Guardiani et Praesidentes pro aliqua certa summa pecuniae in promptu recepta vel recipienda, seu etiam pro aliquibus redditibus annualibus receptis vel recipiendis, in futurum obligant et obligari permittunt conventus et fratres eorundem ad dandum ac solvendum perpetuis temporibus, certis ac determinatis diebus, secundum voluntatem ac intentionem eorum, a quibus recipiunt, cuilibet fratri conventus aliquam determinatam summam pecuniae in promptu vel ad manus, secundum morem ecclesiarum collegiatarum, seu curam habentium, in quibus beneficiati praebendas ac stipendia quotidiana in pecuniis, quae *praesentiae* nominantur, recipere solent — cum autem talis consuetudo, immo verius abusio et corruptela, in non modicum, ut praemittitur, nostrae Religionis vergat exterminium conventuumque sic obligatorum detrimentum — idcirco ordinat reverendus pater Minister, quod deinceps nulla talis obligatio dandi aliquid fratribus modo praedicto ad manus a quocumque conventu Provinciae acceptetur quovis modo; et si oppositum factum seu attentatum ab aliquo fuerit, tales obligationes dandi ad manus vel in speciali, ut praemittitur, admittendo seu acceptando, teneatur Guardianus et omnes fratres conventus, in quo vel quibus huiusmodi obligatio admissa seu contracta fuerit, tamdiu virtute praesentis statuti sub praecepto obedientiae salutaris sedere super terram quolibet prandio in pane et aqua, donec huiusmodi contractui ac obligationi

---

[1] Vel in lingua vulgari: *Fonseca* vel de Fonseca; erat enim ex familia Lusitaniae celebri Fonseca; Cfr. Ciac., sub antipapa Benedicti XIII. n. XX.

[2] 21 Iulii.

[3] Cod. male *Religionis*.

plenarie renuntiaverint et cum effectu, et nihilominus Guardianus talis conventus, huiusmodi contractum procurans vel admittens, ipso facto ab officio sit absolutus, ad hoc non restituendus praeter consensum capituli provincialis.

Item, ut studium litterarum amplius in Provincia promoveatur, et ne fratres indocti et minus utiles in posterum tam passim ad altiores Ordinis gradus et dignitates non via meriti, sed per abrupta in occasionem scandali plurimorum petant ascensum, ordinat et mandat reverendus Pater, quod deinceps studentes, missi extra Provinciam, pro primo exitu ante ipsorum exitum stricte examinentur Argentinae per patres super examine iuratos, et huiusmodi studentium sufficientia et insufficientia, postquam examinati fuerint, reverendo patri Ministro, ipsis ignorantibus, per examinatores insinuetur; et si sufficientes reperti admissi fuerint, de studio ipsis deputato ante triennium ad Provinciam redire non praesumant, alioquin secundum statuta reverendi patris Ministri praesentia et dudum super hac materia edita compellantur, denuo ad eundem cursum complendum Provinciam exire, vel gradu lectoratus, donec compleverint, carere. Tales etiam, postquam primum cursum, ut praemittitur, per triennium compleverint, teneantur vigore praesentis statuti, per quinquennium in officio lectoratus seu aliis officiis Ordinis ipsis deputatis perseverare, antequam ad studium Parisiense promoveantur. Ad hoc ordinatum est per omnes patres in praesenti capitulo congregatos, fide data loco iuramenti ad manus patris Ministri in firmam eiusdem ordinationis observantiam, quod deinceps nullus frater pro cursu Parisiensi admittatur, nisi prius quinque annis post primum cursum completum, ut praemittitur, lectoris officium seu aliud sibi iniunctum exercuerit, et in provinciali capitulo in praesentia Ministri examinatus, sufficiens repertus fuerit. Postquam autem talis de studio Parisiensi, biennio completo, reversus, actus suos in Argentina respondendo et praesidendo secundum antiquiora statuta perfecerit, nondum in Discretum alicuius Custodiae eligi valeat nec poterit, nisi prius alios quinque annos in lectoratu Parisiensi vel alio Ordinis officio compleverit, iuxta reverendi patris Ministri et Provinciae ordinationem. Teneantur autem sub praecepto sanctae obedientiae singuli Custodes, hanc praesentem de Parisiensi Constitutionem singulis annis in suis convocationibus custodialibus, ipsis Vocalibus praesentibus, legere et interpretari, ne ipsi Vocales aliquem in Discretum eligant, qui iuxta tenorem praesentis statuti inviolabiliter observandi post cursum Parisiensem quinque annos, ut praemittitur, in Provincia non compleverit. Si vero in aliqua convocatione custodiali quisquam citra praedictum modum in Discretum Custodiae electus fuerit, noverint ipsi electores, huiusmodi electionem ipso facto irritam fore ac nullius roboris vel momenti.

Datum et actum die, loco, praesentibus et consentientibus, quibus supra.

DE INTRODUCTIONE SACRAE OBSERVANTIAE IN HANC NOSTRAM ARGENTINAM PROVINCIAM.

Anno Domini 1426 praedicto reformatus est conventus Heidelbergensis Ordinis Minorum hac occasione et hoc ordine. Illustrissimus princeps dominus Lodovicus, dictus cum barba, comes Palatinus Rheni etc., filius serenissimi principis quondam Ruperti, regis Romanorum — de quo videlicet Ludovico praedictum est, quod in concilio Constantiensi, absente domino Sigismundo, rege Romanorum, vices eius gerebat — habuit duas coniuges successive: Blanciam, filiam Henrici, regis Angliae,

ex qua genuit filium, nomine Rupertum, qui sine herede ante patrem obiit; et Mechtildem, ducissam Subaudiae vel Sopheiae[1] de Burgundia Superiori, et de provincia Turoniae secundum nostrum modum loquendi. Dicta autem domina Blancia, prima coniuge eius, anno Domini MCCCCIX, XXI. die Maii, defuncta, et ducta Mechtilde, domina utique religiosa et sancta, genuit ex ea tres filios, Ludovicum, Fridericum et Rupertum, et nonnullas filias; quarum fuerunt duae factae moniales in Ordine sanctae Clarae sub prima regula — in terra unde mater earum oriunda fuit — discipulae sororum Coletae, reformatricis tunc temporis monasteriorum Ordinis sanctae Clarae; tertia, Mechtildis, coniuncta fuit primum domino Ludovico, comiti de Württemberga, et genuit ei filium Eberhardum, primum ducem de Württemberga, et quasdam filias; deinde domino Alberto, archiduci Austriae, fratri Friderici III. imperatoris, qui obiit sine herede etc.

Dicta itaque domina Mechtilde ipsi illustrissimo principi domino Ludovico, dicto cum barba, coniuncta, cum Heidelbergam venisset vidissetque ibidem Fratres Minores Conventuales non satis regulariter viventes, recordata est Fratrum Minorum de Observantia, sub provisione sacri concilii Constantiensis, quos in provincia paterna in omni sanctitatis perfectione Deo fidelissime servientes viderat, degentium. Accidit autem die quadam, ut, peracto prandio, cum ipso principe in palatio castri deambulans videret, ipsos Fratres Conventuales inferius in conventu militaribus lusibus sese exercitantes, lapidem iacere et cum phalangis saltare vel congredi, ac aliis his similibus dissolutionibus vane et saeculariter deducere tempus. Super qua eorum nimia irreligiositate femina sancta ingemiscens, ait ad astantem sibi principem: « Cernite, serenissime princeps, Fratres isti, qui mundo penitus mortui esse deberent et solis rebus intendere divinis, etiam vanis saeculi lusibus sese occupant ». Tuncque aptam commendandi Fratres de Observantia occasionem nacta, « utinam, ait, Fratres de terris nostris hic essent; sunt Religiosi viri, et lucet in eorum vita omnis perfectio ». Et adiecit: « Mittite, obsecro, illuc et confessorem meum adducite ». Et quia domina religiosa et Deo devota erat, quippe quae singulis noctibus cum principe surgebat ad orandum horas canonicas ritu Ecclesiae Romanae, princeps ipse eius sancto desiderio satisfecit, missisque nuntiis et litteris ad Provinciam Turoniae, adduci fecit Heidelbergam quatuor Fratres de Observantia; inter quos fuit unus frater Iohannes de Caparia superius[2] memoratus, et alter frater Michael etc. Quibus adductis accersitoque Ministro Provinciali, venerando patre fratre Iodoco, proposuit princeps coniugis suae desiderium, ut videlicet conventus Heidelbergensis reformaretur, et Fratres de Observantia de Provincia Turoniae introducerentur. Minister autem advertens, quod posset, si Fratres Observantiae de aliena Provincia in suam introducerentur, conventus tandem a sua obedientia subtrahi, et eorum regulari vita sua et suorum vilescere et ex comparatione non immerito transgressoria notari, consentire noluit dicens, multos fratres in sua Provincia esse, qui in regulari observantia vitam transigerent, praesertim in conventu Rubeacensi, et de illis velle illuc collocare pro reformatione eiusdem conventus.

Quibus dictis ipso principe consentiente, misit ad Heidelbergam plures fratres, qui zelum ad observantiam habebant. Verum quia planta, quae saepe transfertur,

---

[1] Ita cod. forte pro Saboiae, quod idem est ac Subaudiae vel Sapaudiae (Savoyen).

[2] Pag. 256.

raro convalescit, cum Minister fratres frequenter ad alia loca transferret et alios loco eorum mitteret, videntes Fratres Gallici, observantiam propter instabilitatem fratrum et frequentes mutationes non posse figere radices nec aliquatenus proficere, aliquoties moti recesserunt, ad Provinciam suam redeuntes. Et mittebat domina Mechtildis et faciebat, alios de eadem Provincia adduci, qui et ipsi ad tempus ibidem morati, cum viderent, fratres instabiles pro libitu a Ministro mutari, ferre rem non potuerunt, quia profectus nullus erat. Morabantur autem tunc ut communiter in conventibus Rubeacensi et Heidelbergensi fratres, qui zelum regularem habebant et de Rubeaco ad Heidelbergam et contra de Heidelberga ad Rubeacum mittebantur. Fuit autem sanctae memoriae venerabilis et Deo devotus pater frater Nicolaus Caroli unus omnium praecipuus, qui observantiam regulae fovebant et manutenebant. Hic cum esset sacerdos saecularis et vitam honestam duceret, divina admonitione per somnum commonitus fuit, ut Ordinem Fratrum Minorum intraret. Qui expergefactus, territus est, et talem et tam dissolutum, ut tunc fuit, statum nullatenus acquievit intrare iuxta admonitionem sibi factam; factumque fuit hoc ipsum semel et bis, et nullo modo credere voluit admonenti. Tertio autem, plagis sibi illatis ab Angelo, credidit, et Ordinem ingressus, rogavit, sibi regulam ostendi. Quam cum legisset, intellexit, illam admonitionem idcirco sibi esse factam, ut ipse hanc eandem regulam cum aliis se sequentibus observare et ab aliis observandam propalare deberet. Et quia vir maturus et discretus fuit, idcirco venerabatur eum Minister et faciebat eum in capitulis provincialibus iuxta se sedere et fecit eum Guardianum in Heidelberga. Et cum processu temporis propter superius memoratam causam Fratres Gallici iterato ad Provinciam suam redire deliberassent, frater Nicolaus Caroli, sumpto socio et baculo, quasi cum fratribus ipsis recessurus, ivit ad dicendum vale dominae ducissae. Quae comperto, quod intenderet recedere, dixit ad eum: « Carissime pater, cum ego sim soror vestra, cur vultis recedere et me hic dimittere solam cum domino meo »? Cui cum respondisset ille, quia propter crebras mutationes, quas Minister faceret, observantia non proficeret, subintulit domina, quod propter hoc non recederet; daturam enim se operam, ut alii fratres in Provinciam et conventum adducerentur, quos Minister nec mutare nec dispergere haberet.

Accessit ergo domina principem infusa lacrymis, et exposito ei, quod propter instabilitatem fratrum boni illi patres, et cum eis etiam pater Guardianus, intenderent recedere, supplicavit, quatenus ad Turonensem Provinciam pro fratribus numero sufficienti dirigere vellet, ne Minister, occasionem mutandi et auferendi fratres habens, profectum observantiae impediret. Quo audito, commotus instabilitate fratrum, princeps indignanter respondit dominae dicens: « Desine nunc toties nos molestare tuorum instabilitate fratrum. Putas, quia aliud nihil nobis agere incumbat, quam istorum instabilitatibus intendere? cum nunc Bohemi terras nostras iuxta silvam devastent, et tractare habeamus, quemadmodum expeditionem cum rege contra eos de proximo celebremus ». Abiit ergo domina devota multum desolata et amaras lacrymas fundens, seditque in gradibus publicis iuxta palatium cum domicellis suis plorans, ut cuncti comites, milites et nobiles ingredientes et egredientes compassione moverentur. Demum recollecto animo, assumptis duobus filiis suis parvulis, videlicet primogenito Ludovico et Friderico secundo nato, iterum ingressa ad principem, eadem rogavit et cum lacrymis valedixit ei, dicens: « Et si ipsi abibunt, abibo et ego cum filiis meis ». Cernentes autem pueri, matrem suam flere, fleverunt et ipsi et

eiulaverunt, ut hoc pio spectaculo commoti, omnes nobiles praesentes ibidem flerent et etiam ipsum principem in lacrymas emollirent. Tandem accesserunt nobiles et rogaverunt principem, ut pias dominae preces exaudiret et ei satisfaceret.

His itaque sanctae coniugis suae, dominae Mechtildis, lacrymis et nobilium precibus devictus, illustrissimus princeps misit litteras Vicario Provinciae Turoniae, ut dirigeret fratres ad conventum saepe dictum, asserens, velle se eis satis commode de victu et vestitu providere, ut regulam bene servare possent, ne Minister occasionem haberet fratres mutandi vel illic collocandi, qui non forent ibidem induti. Misit ergo Vicarius Provinciae Turoniae patres et fratres devotos et maturos ad conventum Heidelbergensem, qui ibidem in omni sanctitate viventes, optimis suis moribus et exemplis multum fructum fecerunt. Nam quia generale studium ibidem existit, multi studentes, a Deo inspirati, Ordinem ingressi sunt et adeo religiose educati ab istis, ut fama bonitatis eorum longius diffusa etiam alios principes ad reformandum conventus sui dominii incitaret. Reformavit enim dominus Carolus, marchio Badensis, conventum Pforzhemensem, et dominus Ludovicus de Würltemberga conventum Tübingensem etc., sicut latius infra patebit.

Domina autem Mechtildis, postquam iuxta suum desiderium fratres in conventu Heidelbergensi in vera observantia regulari fundatos et stabilitos vidit, ac non secus quam mater filios suos dulcissime plurimis beneficiis fovit, ita ut saepe etiam — prout referente quodam nobili viro, dicto Hersperger de Emath prope Kemnett [1] in Bavaria, qui cum filiis dictae dominae in iuventute in Curia nutritum se asserebat, et haec saepe portasse agnovi — eis cibaria de scutella sua mitteret. Tandem anno Domini MCCCCXXXVIII, XIV. die Maii, diem Heidelbergae clausit extremum, domino Ludovico, comite Palatino, marito eius, antea anno Domini MCCCCXXXVII, ultima die Septembris defuncto. Reliquerunt autem tres filios, quorum primogenitus Ludovicus successit patri in principatu et suscepit regalia a Sigismundo imperatore, adhuc iuvenis, duxitque uxorem anno Domini MCCCCXLV Margaritam, filiam Amadaei, ducis Subaudiae, ex qua genuit filium, nomine Philippum, qui hoc anno, quo ista scripsi, videlicet MCCCCCVIII obiit. Ipse autem Ludovicus obiit anno Domini MCCCCXLIX, in die sancti Hippolyti [2], filio eius, Philippo, unius anni tantum aetatem habente. Fridericus autem, dictus *virilis*, secundo genitus Ludovici cum barba ex Mechtilde, rexit palatinatum post mortem fratris sui Ludovici, donec Philippus, filius fratris sui, ad annos pubertatis venit. Rupertus autem, tertius filius, factus est Episcopus Coloniensis, et hic gessit magnam controversiam contra canonicos, et devenit ultimo ad bellum et guerram, Carolo, duce Burgundiae, in adiutorium ei veniente et Colonienses et alias regni urbes multum laedente. Propter quod Fridericus imperator, comparato ingenti exercitu ex civitatibus imperii, se ei iuxta Nussiam [3] opposuit, donec pace facta et matrimonio contracto inter filium Imperatoris, Maximilianum, et filiam Caroli, omnes ad propria redierunt etc.

Hoc itaque ordine reformatio in Provincia Argentinensi felix initium habuit, sicut seniores nostri nobis tradiderunt.

---

[1] Est oppidum Bavariae in destrictu « Oberpfalz » situm et vocatur theut. *Kemnat*. Pro *Hersperger* probabiliter rectius legendum est *Hersberger* vel *Herzberg*.

[2] Presbyteri et Martyris, Antiochiae, 30 Ianuarii.

[3] Id est theut. Neuss.

Anno Domini 1427 fuit generale capitulum Casali [1] Provinciae Ianuae celebratum per reverendissimum patrem fratem Antonium de Massa, qui fecit statuta et memorialia sequentia de communi consensu totius eiusdem capituli:

Quoniam, teste Prospero in quadam Epistola, « terminos patrum transgredi reipublicae censetur esse dispendium », et per Sapientem [2] dicitur: *Ubi non est sepes, diripietur possessio;* idcirco infrascripta statuta et memorialia reverendissimus pater Generalis de consensu totius generalis capituli provide condere decrevit et de facto statuit et ordinavit:

In primis, quod divinum officium a fratribus in choro dicatur, et fratres chorum sequantur iuxta tenorem statutorum papalium domini Benedicti XII [3], et etiam caerimoniae in choro ad unguem observentur. Et super hoc Minister, Custodes et Guardiani sollicite invigilent et faciant a suis fratribus observari, sub poena privationis suorum officiorum, ita quod Minister Provincialis, si repererit super hoc culpabilem Custodem vel Guardianum, praedictam poenam contra eos exsequatur. Quodsi Minister Generalis vel reperiat, Ministrum Provincialem circa hoc fuisse negligentem, simili poena eum puniat, statuto generali quondam domini Gulielmi Farinerii non obstante. Hoc idem vult fieri de fratribus non dicentibus divinum officium seu omittentibus, quod puniantur graviter.

Item, quod Formularium seu ordinarium caerimoniarum, quod incipit: *Ad omnes horas* etc., omnia loca et conventus teneantur habere, et semel infra duos menses Custodes et Guardiani faciant coram fratribus in mensa legi, ne propter ignorantiam valeant fratres de observantia excusari, et hoc sub privationis vestiarii, quam eo facto, si negligentes in hoc fuerint, volumus eos incurrere.

Item, cum quondam dominus Iohannes XXII. in expositione regulae [4] statuit et ordinavit circa uniformitatem habituum Fratrum certo modo, prout in dicta expositione regulae plenius continetur, et demum dominus quondam Benedictus XII. [5] praefatum statutum renovavit, prout in eisdem statutis papalibus continetur, statuit et ordinat ac praecipit sub poenis et sententiis, in dictis statutis contentis, reverendissimus pater Generalis cum capitulo universo, quod dicta statuta ab omnibus Fratribus, quocumque nomine intitulentur vel nominentur, de cetero inviolabiliter observentur, et Praelati Ordinis etiam faciant observari.

Item, cum sanctissimus Pater noster Franciscus fratres suos nominaverit *minores* et voluerit intitulari, Summique Pontifices semper in omnibus declarationibus regulae et etiam privilegiis, dicto Ordini concessis, *Ordinem Fratrum Minorum* et non aliter in suis prooemiis posuerint et sic dictum Ordinem nostrum semper intitulaverint, statuit et ordinat ac praecipit reverendissimus pater Generalis etc., ne

---

[1] Oppidum provinciae Montisferrati, dioecesis Vercellensis, in Italia. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1427, n. XVII, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 177 et tom. III. p. 82, quorum uterque tamen dicit, acta dictorum comitia periisse, neque ullam eorum mentionem apud auctores Ordinis se invenisse.

[2] Eccli. 36, 27.

[3] Cap. I. Cfr. De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 28.

[4] In Bulla: *Quorundam exigit,* quae habetur in Extrav. Iohannis XXII. De verborum significatione, tit. 14. cap. I.

[5] Cap. V. — Cfr. De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 30.

aliquis frater de cetero alio nomine vel titulo se audeat nominare vel facere nominari, ne diversitas in nostro Ordine contra mentem sanctissimi Patris nostri Francisci et Summorum Pontificum in Ordinis eiusdem nomine extraneo videatur seu reperiatur. Et quicumque oppositum, quod absit, fecerit, si monitus per prius fuerit et noluerit desistere, tamquam Ordinis divisor habeatur et poena carceris puniatur, et nihilominus sententiam excommunicationis incurrat. — Haec de habitu et nomine contra Fratres Observantiae condita fuisse videntur.

Item, quod nulli fratri in correctione delicti vel criminis liceat de cetero appellare nisi modo et forma, in privilegio et statuto [1] domini Benedicti XII. contentis. Quodsi oppositum attentatum fuerit, et manipulosae colligationes super hoc factae fuerint, facientes et attentantes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Item, quod de cetero Provinciae Ordinis non graventur inaequaliter in expensis Generalis Ministri, sed solvantur aequaliter per ordinem secundum qualitatem et possibilitatem Provinciarum iudicio Generalis Ministri cum consilio Discretorum, in generali capitulo sequenti fiendo, et sic deinceps. Interim vero provideatur Generali Ministro et suis sociis per Provincias, in quibus moram trahet vel transitum faciet, quae expensae in sequenti capitulo generali computentur.

Item, quoniam, iuxta doctrinam Christi [2], *lucerna* non debet *poni sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt,* statuit et ordinat reverendissimus pater Generalis ad finem, ut omnibus innotescat, quales fructus uberes in sancta Dei Ecclesia Ordo Fratrum Minorum continue producit, quod quilibet Minister Provinciarum et etiam Vicarius Vicariarum, inter infideles existentium, in quolibet generali capitulo teneatur per se, vel per alium, authentice capitulo generali denuntiare et notificare numerum conversorum infidelium et baptizatorum per Fratres nostri Ordinis a capitulo generali immediate praeterito et citra, ut Deus in hoc laudetur, et Ordo apud sanctam Sedem Apostolicam in maiori affectione habeatur, omnibusque et singulis Fratribus distincte praecipiendo, quatenus dictos fratres antedictarum Provinciarum et Vicariarum caritative et benigne pertractent et recipiant, de cetero nullam eis molestiam quovis modo inferant. Cetera statuta propter prolixitatem hic omitto, cum sint puncta 25 et amplius.

Eodem anno fuit capitulum provinciale Argentinae.

Et circa festum sancti Iacobi [3] facta est tertia expeditio contra Bohemiam per principes electores, sed nihil profecerunt, immo reversi sunt cum confusione fugiendo; et circa festum sancti Michaelis venerunt Hussitae cum solemni ambasiata suorum doctorum, immo seductorum, in Francofurtum, volentes placitare cum principibus et electoribus, sed nihil factum fuit.

Eodem anno in convocatione Erfordiae electus fuit in Ministrum Provinciae Saxoniae XXVIII. frater Mathias Döring, sacrae theologiae doctor, de Custodia Brandenburgensi, et mansit XXXV annis Minister et postea resignavit. Hic fecit *Replicas* [4]

---

[1] Cap. XXVII. — Cfr. De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 43.

[2] Matth. 5, 15.

[3] 25 Iulii.

[4] Rectius dicitur « Defensorium Postillae Nicolai de Lyra contra Paulum Burgensem sive de Burgo »; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1438, n. XXVII. et 1443, n. IX. et Scriptores, p. 255; Sbaralea, l. c. p. 530, ubi multa de Mathia habentur; Alb. Fabricius, l. c. t. V. p. 48 et 208, et Franz

Frater Mathias Döring sacrae theologiae doctor, XXVIII. Minister Saxoniae, praefuit annis 35.

contra Paulum Burgensem, et scripsit clare super Sententias, et subscripta capitula celebravit: anno 1428 Berolini [1]; 1429 Stettini; 1430 Halberstadii; 1433 Arnostadii; 1435 Luneburgi; 1437 Torgaviae; 1439 Sundis; 1442 Lignitii Silesiae. Eodem [2] anno capitulum Argentinae dominica IV. post Pascha. Anno 1443 factus minister generalis [3] per concilium Basileense in obedientia papae Felicis, cui citramontani obtemperabant; 1446 Stendalii [4]; 1450 Zerbstae, et fuit tunc Iubilaeus; 1452 Vratislaviae; 1454 Zwickaviae; 1456 Stettini; 1458 Brunopoli; 1460 Northusae, et tunc resignavit.

Anno Domini 1428 fuit capitulum provinciale in conventu Esslingensi. Fratres autem de Observantia ex favore, a sacro concilio Constantiensi habito, in observantia regulari multum profecerunt in diversis Provinciis, sed succrescentibus impedimentis, quae eis Ministri praestabant, coeperunt diversi diversimode vivere; ex qua diversitate oriebantur plurima scandala et contentiones plurimae, maxime in praedicationibus et discursibus, quae postea relata sunt ad bonae memoriae Martinum Papam quintum.

Eodem anno, perfecta capella in monasterio interiori Ordinis sanctae Clarae in Norimberga iuxta ecclesiam, ad preces dominorum de consulatu veniens dominus Fridericus de Aufsess, Episcopus Bambergensis, in propria persona consecravit eam in honorem sanctorum Confessorum Francisci, S. Antonii, S. Ludovici, et totam ecclesiam in honorem sanctae Clarae virginis; ubi prius fuerat chorus in honorem sanctae Mariae Magdalenae consecratus, consecravit summum altare, et aliud in choro dominarum in honorem sanctae Clarae, matris eiusdem Ordinis, duo quoque altaria in ecclesia, unum versus meridiem in honorem Virginis Mariae, aliud contra septentrionem in honorem S. Mariae Magdalenae. Haec consecratio facta est VI. kalendas Maii [5].

Anno Domini 1429 fuit capitulum provinciale in Friburgo inferiori celebratum.

Eodem anno destruxerunt haeretici Hussitae et Taboritae conventum Fratrum Minorum in nova Pilzna [6]. Tandem pervagata terra Misnae, obsederunt dictum Christianorum oppidum Pilznam novam, et deficientibus eis victualibus, irruptionem faciebant in terras Bavariae iuxta silvam et terras burgravii Norimbergensis, videlicet in Curiam Hof, Auerbach et Bleienstein, et spoliaverunt terram usque ad Bambergam, anno 1430 circa festum Purificationis sanctae Mariae; transfugeruntque so-

---

Wilhelm Woker, Geschichte der norddeutschen Franciscaner-Missionen der Sächsischen Ordens-Provinz vom hl. Kreuz (Herder 1880) p. 19.

[1] Cod. *Berlin; Stettin; Halberstadt; Arenstatt* (est theut. Arnstadt, civitas principatus Schwarzburg-Sondershausen); *Luneburg* (civitas Borussiae in provincia Hannoverae ad fluvium « Ilmenau » sita); *Torgaw* (est th. Torgau oppidum Borussiae in provincia Saxoniae); *Sundis* (Strahlsund); *Legnitz Schlesiae* (theut. Liegnitz in Silesia).

[2] Scil. 1442, die 29 Aprilis.

[3] Id est pseudominister generalis. — Iuxta Wadding., l. c. ad an. 1443, n. IX. an. 1443 electus est.

[4] Cod. *Stendell; Gerbist* (est enim theut. Zerbst, oppidum ducatus Anhaltini (Anhalt)*; Czwickaviae* (est Zwickau, civitas regni Saxoniae)*; Stettin; Brunschwick; Nordhusen.*

[5] 26 Aprilis. — [6] Id est Pilsen in Bohemia. — Cfr. supra pag. 159, nota 4.

rores Ordinis sanctae Clarae, numero XX, timore eorum, de conventu earum in Bamberga ad conventum eiusdem Ordinis in Norimberga, et manserunt ibi usque ad festum Translationis sanctae Cunegundis[1] in Quadragesima, et tunc reversae sunt ad conventum suum in Bamberga unde transfugerant.

Anno Domini 1430 advertens frater Iohannes de Capistrano, patres in cismontanis partibus propter inobservantiam regulae secundum ordinationem sacri concilii Constantiensis sub Vicariis seorsum vivere, putavit, Ordinem divisum esse, coepitque discordiam Fratrum immenso dolore deflere et Fratribus cismontanis adversari, quasi Ordinem divisissent. Unde ut Ordo, secundum eius aestimationem divisus, in observatione regulae uniretur et reformaretur, usus consilio Ministri Generalis, accessit Martinum Pontificem Summum et eum precibus et supplicationibus pro reformatione et unione Ordinis propulsavit. Qui misit Legatum a latere, reverendissimum patrem dominum Iohannem[2], tituli sancti Petri ad Vincula presbyterum Cardinalem, ad capitulum generale eodem anno in festo Pentecostes[3] Assisii celebrandum ad reformandum Ordinem et uniendum. Congregato ergo capitulo generali anno et loco praedictis, in praesentia et praesidentia dicti reverendissimi patris et domini Legati primo depositus fuit frater Antonius de Massa, Minister Generalis, et postea in Episcopum Massanum electus, et in locum eius subrogatus frater Gulielmus de Casali. Deinde die XXI. mensis Iunii convocato universo capitulo ad sonum campanae, praesentibus ibidem reverendo patre domino Bernardo, Episcopo Montis Albani, Gulielmo Patipe et Iohanne Algezules, notariis Apostolicis, et pluribus aliis tam clericis quam laicis et Fratrum copiosa multitudine, legi fecit reverendissimus dominus Legatus Constitutiones reformatorias, quae *Martinianae* dicuntur, de verbo ad verbum alta et intelligibili voce per organum venerandi patris fratris Iohannis de Capistrano Ordinis Minorum.

Frater Gulielmus de Casali XXXI. Minister Generalis Ordinis Minorum.

Post quarum Constitutionum et ordinationum lectionem et publicationem, ut praemittitur, factam, omnes Ministri et Custodes et Discreti Discretorum tam nominibus suis propriis quam Provinciarum, conventuum et fratrum suorum, tam praesentium quam absentium atque futurorum, eis in omnibus et singulis, tamquam legitime, sancte et iuste factis, libere et sponte sine omni contradictione consenserunt, et se et suos fratres ad illas in perpetuum inviolabiliter sub poenis et censuris in eisdem latis observandum obligaverunt, alta et intelligibili voce clamando: « Consentimus in eisdem in omnibus et per omnia, et volumus stare, vivere et mori in isto Ordine sancto fraternaliter secundum Constitutiones, reformationes et ordinationes praedictas ». Iuravit insuper ipse Minister Generalis, frater Gulielmus de Casali, se illas observaturum et alios ad observantiam illarum fideliter inducturum, nec dicti iuramenti absolutionem petiturum, nec, si obtineret, illa usurum. Cuius rei gratia praecepit idem reverendissimus dominus Legatus auctoritate Apostolica, dictas Constitutiones in omnibus et singulis teneri et servari, et omnes Ministros et Custodes ac Discretos ac quoscumque Fratres dicti Ordinis praesentes, absentes et futuros sub poenis et censuris, in eisdem scriptis et latis, ad easdem servandas eadem auctoritate obligavit.

---

[1] 3 Martii. — [2] Cervantes, natione Hispanum. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1430, n. I. seqq., et de Gubernatis, l. c. tom. III. p. 82, ubi etiam Constitutiones infra dictae habentur. — [3] 4 Iunii.

Commiserat autem idem reverendissimus dominus Legatus, dictas Constitutiones per dictum venerabilem patrem Iohannem de Capistrano fieri, ut conscriberet ea, quae pro observantia regulae necessaria videbantur, et modum vivendi omnibus communem, possibilem et facilem, a quo nullus excusari posset. Conscripsit zelosus pater, quae sibi ad reformationem Ordinis et regulae observantiam necessaria videbantur; quae praecepit Legatus servari tamquam rationabiliter et possibilia ad servandum. Et ut Ordo totus maturius reformaretur secundum Constitutiones praedictas, praecepit reverendissimus dominus Legatus saepe dictus ipsi Ministro Generali, ut fratrem Iohannem de Capistrano in socium reciperet et se in reformatione Ordinis secundum eius consilium regeret. Coepit ergo idem venerabilis pater, Ministrum sequens, reformationi Ordinis vigilanter intendere sperans, ipsum Ministrum Generalem propter iusiurandum, coram Legato publice factum, diligentem operam ad hoc ipsum daturum. Unde forfices in manica ferens, si quando videbat, Conventuales nimis ampla et longa caputia deferre, clam accedebat et praescindebat. Sed vix duorum mensium spatio elapso, Minister Generalis dicti iuramenti absolutionem a domino Martino Papa quaesivit et obtinuit, et ipse primus et post eum Ministri fuerunt, qui ipsas Constitutiones, ad quas sese obligaverant et obligari consenserant, violabant et custodientes in earum observantia impediebant. Cogitavit itaque ipse venerabilis pater Iohannes de Capistrano de modo, quo posset Ordo reformari, sed non inveniebat propter dicti iuramenti absolutionem obtentam et multas alias relaxationes, ab eodem domino Papa ad instantiam Ministri concessas, quibus Conventualium transgressiones munitae et incorrigibiles manebant. — Nihil pestilentius capite morboso.

Anno Domini 1431, finito iam septennio, quo post concilium Senense aliud concilium Basileae statutum erat celebrandum, misit dominus Martinus Papa V. dominum Iulianum [1], sancti Angeli diaconem Cardinalem, Legatum a latere creatum, ad ipsum concilium Basileae inchoandum.

Et eodem mense, id est XIX. [2] die Februarii, obiit idem Papa Martinus Romae, pontificatus sui anno XIV, mense III, aetatis suae anno LXIII, sepeliturque eius mandato in basilica Constantiniana, et vacavit Sedes dies XII.

Eugenius Papa IV. sedit annis XVI.

Concilium Basileense habuit laetum initium et finem tristem.

Eodem anno, V. nonas [3] Martii, in conclavi apud Minervam creatur Pontifex dominus Gabriel [4], Cardinalis Senensis, natione Venetus, et Eugenius IV, mutato nomine, vocatur, seditque annis XVI. Statimque ut assumptus est ad papatum, confirmavit [5] Iulianum in legatione, sibi iniuncta a praedecessore suo pro concilio Basileensi celebrando, permaxime ad exstirpandam haeresim Hussitarum.

Anno igitur praedicto 1431, indictione IX, die veneris, VII. [6] mensis Decembris, pontificatus domini Eugenii Papae IV. anno I, hora nona eiusdem diei a media nocte in antea computando, celebrata est prima sessio concilii Basileensis per reverendis-

---

[1] Caesarini, Romanum.

[2] Ciac., l. c.: 21 Febr., Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 93: 20 Febr.

[3] Die 3 Martii.

[4] Condolmerus (Condolmieri); erat prius Episcopus Senensis.

[5] Scil. in die coronationis suae (12 Martii).

[6] Secundum Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 96, et Dr. H. Brück, l. c. p. 428: 14 Dec.

simum dominum, dominum Iulianum, sancti Angeli diaconem Cardinalem, in ipso concilio auctoritate Apostolica praesidentem.

Anno Domini 1432 profectus est Sigismundus, rex Romanorum, ad Italiam pro corona imperii suscipienda. Cum Senas venisset, ferventissimum zelum et devotum animum habuit ad sanctum Bernardinum, audita fama, quae de sancto viro per orbem undique pervolabat, et adeo affectus est ad sanctum virum et amicitia copulatus, quod eam diem, qua sanctum Bernardinum propriis oculis non vidisset, aut in praedicationibus vel Missis sive alibi non visitasset, sine luce transire decerneret. Cumque dies coronationis conclusa esset, Romam iturus, Imperator duxit secum sanctum Bernardinum, quia videbatur christianissimo ac dignissimo Imperatori angelicam societatem ducere, si itineris sui comitem sanctum Bernardinum haberet.

Anno Domini 1433 in die sancto Pentecostes [1], corona maxima cum solemnitate invictissimus Imperator ab Eugenio Papa IV. suscepta, Italiae valedicens et concilio Basileensi festinanter occurrens, multos tractatus habuit cum Hussitis. Nam eodem anno ad idem concilium allati fuerunt articuli ex parte regni Bohemiae et marchionatus Moraviae in festo sancti Tiburtii [2] per Procopium magistrum in secunda legatione, qui et ipse unus fuit de communione sub utraque specie. Sanctus autem Bernardinus Senas rediens, libros quamplures edidit.

Eodem anno factus est dominus Iohannes [3], tituli sancti Petri ad Vincula sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, per sacrum concilium Basileense iudex supremus in causa fidei, maxime contra Gulielmum Iosellini Ordinis Minorum iam pridem intentata, in eo statu, in quo tunc fore dignoscebatur, resumenda et ulterius audienda et fine debito terminanda [4].

---

[1] 30 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1433, n. I. seq., secundum quem n. VIII. hoc anno (31 Maii 1433) Bononiae capitulum generale celebratum est; De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 92.

[2] 11 Augusti.

[3] Cervantes, Hispanus.

[4] Sed qualis causa fuerit, non claret et nullibi invenitur. Quamobrem non superfluum esse videatur sequentia subiungere. Wadding., l. c. ad an. 1420, n. IX. loquens de Gulielmo Iosselino dicit: « Voluerunt etiam alii in Gallia impedire profectum et propagationem regularis Observantiae et revocare ad communitatem Ordinis omnes illos conventus a concilio Constantiensi exemptos et strictioris vitae sectatoribus destinatos, asserentes, omnia illa synodi decreta circa Minorum regimen fuisse a Martino Pontifice revocata. Male hoc habuit Pontifex declaravitque sequenti Bulla (ibid. n. X: *Romanum Pontificem Christi*), non solum non revocasse, sed omnibus novum robur adiecisse. Diploma hoc diligenter procuravit Gul. Iosselini, vir nobilis et doctus, qui dum tyronem ageret in Provincia Turoniae apud Fratres Observantes et videret moerentes fratres propter praedictum rumorem de revocato decreto Constantiensi, dixit Superiori: « Si placet mihi reddere vestes saeculares et in regressu ad Ordinem computare quos in tyrocinio transegi menses quatuor, spondeo, me obtenturum a Martino Pontifice indulti Constantiensis (exemptionis scil. Fr. Observantium Gallorum a communitate Ordinis) confirmationem. Quod promisit complevit, obtenta hac Bulla. Multa egregie praestitit post regressum, conventum Metensem reformavit, mortuusque in Provincia praedicta, magna pietatis opinione multa patravit miracula ». Probabile igitur est, quod hic in nomine sit error. Et rem a Waddingo narratam ita se habere, indubium esse videtur. Ad an. 1433 enim n. XI. (ubi loquitur de capitulo Bononiae habito) mentionem facit cuiusdam fr. Philippi Berbegalli, qui inveniebat novam sectulam Reformatorum, *de la Cappucciola* dictam, et dicit, eum esse an. sequenti (1434) ab Eugenio cum aliquot ex sociis tamquam novato-

Missi quoque fuerunt eodem anno ad Pragam Bohemiae nuntii ex concilio Basileensi Philibertus, Episcopus Constantiensis, provinciae Rothomagensis, Iohannes de Polomar[1], decretorum doctor, archidiaconus Barcinonensis, palatii Apostolici auditor, Martinus Bernerii, decanus Turonensis, et Thomas Haselbach, ut concordarent in *Compactatis* et reducerent regnum Bohemiae ad obedientiam sanctae Romanae Ecclesiae. Qui concordata et conclusa manuum stipulatione firmata capitula cum suis declarationibus scripserunt, ut in actis ipsius concilii habetur.

Anno Domini 1434, feria tertia[2] post festum sancti Viti martyris, consecravit dominus Germanus, Episcopus Acconensis, suffraganeus domini Antonii, Episcopi Bambergensis, sacristiam et altare apud sanctam Claram Norimbergae in honorem sancti Michaelis et omnium Angelorum ac omnium Sanctorum atque omnium Christifidelium animarum, deditque visitantibus eandem ecclesiam in certis diebus quadraginta dierum criminalium et unum annum venialium et unam Karenam indulgentiam ex parte domini Bambergensis, et ex parte sua tantumdem, et statuit Dedicationem ecclesiae, chori et altarium dominica infra Octavas[3] Domini celebrandam.

Eodem anno, dominica[4] post Pentecosten, consecravit idem Episcopus imaginem in altari beatae Virginis in conventu Fratrum Minorum in Norimberga, in qua reclusit reliquias sanctorum Laurentii, Sebastiani, Georgii, Christophori, Urbani, Victoris, Alexandri martyrum, et sancti Emerammi Episcopi et martyris, sancti Lazari, fratris Marthae, sanctae Barbarae virginis et martyris, de dente sanctae Ursulae, de cerebella[5] unius virginis de collegio XI[6] virginum et martyrum, et dicentibus coram ea trina vice *Ave Maria* concessit indulgentiam quadraginta dierum criminalium et unum annum venialium.

Item, dominica V. post Pentecosten reconciliavit idem Episcopus in conventu Fratrum Minorum Norimbergae altare maius cum choro et ecclesia et capellis et ambitu, et reposuit reliquias in altari et statuit, Dedicationem deinceps dominica IV. post Pascha generaliter celebrandam; et visitantibus ecclesiam ipsam in festivitatibus, in tabula in choro annotatis, contulit indulgentiam quadraginta dierum criminalium et annum venialium et unam Karenam ex parte domini Episcopi Bambergensis, et ex parte sua tantumdem, de iniunctis poenitentiis.

Eodem anno, XVIII. kalendas Maii[7], emanavit quaedam Bulla subreptitia in

---

rem et mali dogmatis seminatorem, commissa causa Iohanni S. Laurentii, Iohanni, tit. S. Sixti presbyteris, et Ardicino Ss. Cosmae et Damiani diacono Cardinalibus, fuisse condemnatum ». — Cod. legit certo ex incuria scriptoris: pridem *intentatam... resumendam... audiendam... terminandam.*

[1] Secundum Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 113: Polemar.

[2] Scil. post dominicam V. post Pentecosten (22 Iunii), cum festum S. Viti (15 Iunii) dicto anno esset feria III. post dominicam IV.

[3] Supple: Corporis, quod verbum in cod. excidisse videtur.

[4] 30 Maii.

[5] Vel cerebello, pro cerebro; manus posterior male correxit *cerellella.*

[6] Ita cod.; videtur excidisse *millia,* cum respiciat socias S. Ursulae, quae vulgo dicuntur 11 millia.

[7] 14 Aprilis.

concilio Basileensi in grandem infamiam omnium Ordinum Mendicantium, praeiudicium et gravamen, ad Hiperregiensem [1] et Augustensem Episcopos sub nomine sacri eiusdem concilii falso intitulata, praeter stylum et voluntatem ipsius concilii. Cui Bullae opposuerunt se Mendicantes omnibus viribus suis et impetraverunt contra eam a reverendissimis dominis Cardinalibus, existentibus in concilio ipso, litteras sequentes:

Universis et singulis, ad quos praesentes pervenerint, salutem in Domino et sinceram caritatem.

Nuper quaedam litterae sub Bulla sacri concilii Basileensis contra omnes Fratrum Mendicantium Ordines atque in eorum maximum praeiudicium et grandem infamiam, in huius sacri concilii non modicum scandalum emanasse dicuntur, quarum tenor sequitur et est talis: Sacrosancta generalis synodus Basileensis etc. venerabilibus Hiperregiensi et Augustensi Episcopis salutem et omnipotentis Dei benedictionem. Inter alias quas ad eliminationem etc. Datum Basileae, ut supra. De quarum litterarum emanatione nos ab ipsorum Religiosorum Ordinibus legitime requisiti, ita, ut nos semper et ubique facere decet, cum sincerae veritatis assertione testimonium perhibemus. Quocirca universitati vestrae tenore praesentium notum facimus et declaramus, quod litterae praeter stylum et voluntatem sacri concilii atque ordinationes eiusdem processerunt, neque de ipsis, ut mos est, et ordinationes [2] atque instituta ipsius concilii requirunt, ulla unquam fuit facta mentio in sacris deputationibus, aut in generali congregatione. Et ne litterae huiusmodi tali via expeditae scandalum aliquod parere habeant apud homines, aut odium aliquorum contra dictos Fratres generare possint, aut etiam ne aliquo modo de tali expeditione et scitu ac voluntate sacri concilii haesitare contingat, nos subscripti has nostras testimoniales litteras fieri iussimus cum insertione dictarum litterarum et appensione nostrorum sigillorum in fine praemissorum, declarantes, quod nos etiam de dictis litteris aut similibus ante expeditionem ipsarum nihil unquam percepimus, neque eis post ipsarum talem expeditionem ullam unquam fidem dedimus.

Datum Basileae, die XXVII. mensis Augusti, anno a Nativitate Domini MCCCCXXXIV:

Ego Nicolaus, tituli sanctae Crucis presbyter Cardinalis, in sacro Basileensi concilio Praesidens, propria manu subscripsi.

Ego Antonius, Episcopus Hostiensis, Cardinalis Bononiensis, manu subscripsi propria.

Ego Branda, Episcopus Portuensis Cardinalis, propria manu subscripsi.

Ego Dominicus [3], sanctae Romanae Ecclesiae sanctae Mariae in Via Lata diaconus Cardinalis Firmanus, propria manu subscripsi.

Ego Iohannes, Archiepiscopus Tarentinus, manu propria subscripsi.

Ego Petrus, Episcopus Paduanus, Praesidens in sacro Basileensi concilio, propria manu subscripsi.

Ego Iohannes, Patriarcha Antiochenus, manu propria subscripsi.

Eugenius autem Papa post excessum Martini V. iuramenti absolutionem et quas-

---

[1] Probabiliter pro Hipporegiensis, sive Hipporegius; et significatum est Hippo, nunc Bone dictum, oppidum Africae, ubi erat olim Sedes episcopalis S. Augustini.

[2] Cod. *ordinationis.*

[3] Capranica dictus, nobilis Romanus. Paulo inferius pro *in Via Lata* cod. iterum exhibet falso *immaculata.*

cumque relaxationes per Martinum Ministris concessas revocavit et annullavit, et Ministrum Generalem et totum Ordinem ad observantiam omnimodam Constitutionum Martinianarum iterato obligavit, sub poenis in eisdem contentis, quas voluit omnes contrafacientes incurrere ipso facto, sicut patet in Bulla [1] eiusdem, quae incipit: « Vinea Domini Sabaoth, domus Israel, diversorum varietate florum fulcita » etc.

Anno Domini 1435 accessit Minister Generalis, frater Gulielmus de Casali, in propria persona concilium Basileense, dum adhuc foret integrum et in obedientia Eugenii Papae, et primo fecit suprascriptam litteram dominorum Cardinalium, contra falsam Bullam confectam, per reverendum patrem dominum Matthaeum, Albinganensem Episcopum, sacrae Basileensis synodi camerae thesaurarium, transcribi, exemplari seu fieri facere, et earum transsumpto seu *Vidimus* auctoritatem sacri synodi interponere et decretum, quod et fecit forma litterarum in talibus consueta, die IV. mensis Aprilis, anno quo supra. Deinde tentavit, si infringere posset decretum sacri concilii Constantiensis in favorem Fratrum de Observantia editum, in quo habebat multos Fratres de Observantia de Italia consentaneos, et praecipue fratrem Iohannem de Capistrano, qui dicebant, quod, si ipsi non resisterent Ministro Generali, totus Ordo reformaretur; quod profecto verum non fuit, quia longa experientia docuerat Fratres de Observantia in citramontanis partibus, Ministros et Fratres Conventuales non nisi ad enervationem regularis observantiae niti, et regulam in eorum contubernio nullatenus quiete posse servari. Unde hoc attendens beatus Bernardinus, arguebat fratrem Iohannem de Capistrano, dicens: « Frater Iohanne, noli esse contrarius Fratribus ultramontanis; sic enim expedit eis in illis regionibus sub Vicariis vivere ». Sed frater Iohannes de Capistrano non acquiescebat ei, sed continue flebat Ordinem illorum Fratrum provisione scissum, donec et ipse per experientiam didicit, quod ita fieri oporteret. Unde re ipsa cognita, semper doluit, se Fratribus familiae contrarium fuisse, dicens — ut de eo frater Christophorus de Varisio [2] in Legenda eius refert — « Ego rem non intellexi, sicut sanctus Bernardinus, ego carnalis, ille sanctus ».

In eo ergo concilio multis accusationibus Fratres Conventuales contra Fratres sacrae Observantiae, sub provisione decreti sacri concilii Constantiensis viventes, insurrexerunt, ad quas eorum calumnias responderunt ipsi Fratres de Observantia, ut hic sequitur:

Primo omnium supposuerunt, quod ipsi non contenderent sine causa, nec de parvis, sed de maximis, quia non de terrenis, sed de necessitate salutis suarum animarum et coacti per alios Fratres communitatis. Huius occasionem esse satis communem in quolibet statu dicebant. Nam quasi commune esse, quod, quando in uno statu sunt diversi modi vel contrarii vivendi, ibi esse zelum et contentionem, et maxime inferioris vitae respectu superioris, sicut Esau invidit Iacob, et filii Israel Ioseph, sancto fratri suo, et Saul David, et huiusmodi exempla plurima reperiri. Huic etiam zelo fomitem praebere, quia vita melior videtur redarguere inferiorem, quod etiam augere rumorem hominum dicentium: « Quare non facitis, sicut illi » etc. Addere etiam huic zelo incitamentum magnum, cum pauperes pauci et simplices per vitam suam videntur arguere et nolle sequi vitam magnorum plurimorum et docto-

---

[1] Data idibus Martii 1431. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1431, n. IV, ubi habetur dicta Bulla. — [2] Cod. *Cristopherus de Varusio.*

rum iuxta illud Iohannis[1]: *In peccatis natus es totus, et tu doces nos?* Haec igitur videri incitamenta zeli, quae moverunt contentionem cum aliis, quae non modicum auxisse prosecutiones factas pro provisionibus habendis, ad quas habendas necesse erat dicere causas, quae sunt transgressiones regulae, et gravamina plurima illata, nec non et prosecutio reformationis generalis Ordinis, quam maiores ipsius nimis formidabant.

Secundo supponebant et dicebant, quod ipsi non intenderent contendere pro his, quae forent eis et aliis supererogationis, sed pro his, quae sunt de necessitate salutis voventibus regulam Fratrum Minorum, in quibus ipsi vellent firmiter stare, Domino concedente et sancta Ecclesia coadiuvante; de aliis autem, quae non sunt de necessitate salutis, volunt esse in libertate sua, sicut et alii, et ea facere vel omittere, nisi aliud fuerit ordinatum.

Tertio supposuerunt, quod qui minus faciunt vel servant, quam ipsi intenderent, scilicet quae sunt de necessitate salutis, non forent in via salutis, nisi resipiscerent, et vitam praetendentem Religionem arctissimam, quae non ducit in viam salutis, non deberi sic ab Ecclesia indifferenter tolerari, propter periculum tot animarum, quae decipiuntur, et quia occupant loca bonorum.

Quarto requirebant et supplicabant, quod fieret informatio super modo vivendi utrorumque et collatio de modo vivendi ad regulam et declarationes Apostolicas; et si sic hoc fieret, credere dicebant, quod reperirentur in magis diverso modo vivendi, quam quaecumque diversae Religiones observatae; et quod in communitate non servaretur unum praeceptum regulae, in qua sunt XXIII praecepta sub poena peccati mortalis, immo quod pluribus modis unumquodque transgrederetur manifeste et publice et per parvos et magnos; reperiretur nihilominus, quod ipsi, licet servarent necessaria, tamen adhuc longe nimis distarent a vita beati Francisci et primorum Fratrum. Propter quod gravissimum esse, ipsos facere vel permittere directe vel indirecte, vitam suam relaxari per dispensationes vel conformitates et huiusmodi.

Quinto sequi ex hoc dicebant, quod non possunt simul commorari vel eodem regimine regi, sicut nec illi, qui sunt diversarum Religionum, cum magis differrent in vita; nec professionem vel aequam obligationem regulae quoad rem et veritatem aliquid facere, cum regula non observata nihil sit nisi charta scripta, nec illam scripturam dici proprie regulam, cum, si omnes huiusmodi scripturae perderentur, non tamen regula perderetur, sed regulam potius esse dicendam vitam, quae regulat et dirigit vitam, cum et scriptura non sit propter se, sed propter opus; quod patet ex textu regulae[2] dicentis: « Vita et regula Minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare etc., et promittentes vitam istam et regulam semper observare ». Ex quo posse videri, qui debent dici regulam profitentes vel Fratres Minores, et unde debeant nominari a scriptura vel charta vel a vita et a vera professione cum intentione servandi.

Sexto inferebant ex praedictis, quod non oportet, utrosque regi per non Observantes, vel per Observantes, aut hos per hos, et alios per alios.

Quod autem Observantes non debeant per alios regi, multipliciter probabant:

---

[1] Cap. 9, 34.

[2] Cap. I.

1.° Quia esse quasi contra naturam dicebant, ut caput sit inferius membris et diversis[1], et quod vita pastoris infima respectu ovium.

2.° Quia est contra regulam, quae praecipit, nedum transgressores, sed etiam non sufficientes deponi et alios eligi.

3.° Quia non Observans Praelatus nesciret sibi dissimiles bene regere, cum etiam Christus voluerit in Ecclesia, quae est quasi corpus homogeneum, per omnia fratribus assimilari, quanto magis Praelatus in Religione, quae est quasi corpus unigeneum[2], debet experiri necessitates in se, ut per hoc discat aliis veram ministrationem (alias misericordiam) dispensare. Nam *qui non est expertus*, qualia scit? Eccli. XXXIV[3].

4.° Quia quidquid facit, videtur aliis praecipere, quia oves pastorem sequuntur.

5.° Quia non nisi verecunde auderet alium reprehendere de hoc, quod ipse facit.

6.° Quia erubesceret, si renueret fratribus concedere quae agit, et ipsos sic relaxaret.

7.° Quia si negat huiusmodi concedere, vel reprehendit, non communiter sine murmure recipitur eius correctio, nec efficaciam videtur posse habere.

8.° Quia non sufficit Praelato, ut non impediat a bono, vel quod non trahat ad malum, sicut per praedicta facit, sed etiam, si his omnibus malis careret, dico, quod immo requiritur maxime in Religione, quod perfectiorem et arctiorem vitam ducat, quam alii, propter alios *custodiens vias duras*[4], et quod tam exemplo quam verbo vigilet attente super gregem suum, et ut, cum emiserit oves suas, ante eas vadat et oves sequantur; alioquin necesse est, Religionem relaxari et collabi tum propter inclinationem ad sensualia, tum propter mundum et circumstantem carnem urgentes et tentationes innumeras et fortissimas, quae multo plus urgent in Religione bene observata, quam in saeculo vel alias, sicut dicunt doctores, et exempla multa probant. Ex quibus relinqui dicebant, quod Observantes per sibi similes debeant regi, vel per perfectiores. Per quos autem alii debeant regi, ipsi viderent, quia Observanti esset nimis difficile regere non observatae Religionis, sicut beato Benedicto, monasterium.

Septimo advertendum dicebant, quod ipsi, licet forent multi numero, tamen pauca loca haberent, quia alii occuparent loca, et pluries ipsos expulerunt violenter de aliquibus locis, eis per concilium sacrum assignatis, nec sex loca antiqua, quae debebantur eis dari secundum ordinationem sacri concilii, dederunt eis, et quod propter multitudinem suam Fratres communitatis semper volunt habere Generalem Ministrum de parte sua et vita, quem si viderint favere ipsis, multum libenter vellent eum deponere. Nec aliqui Fratres de Observantia habent vocem aliquam in electione Ministri Generalis.

Item octavo, in electione etiam Ministrorum Provincialium communiter non haberent vocem, sed tantum Discreti conventuum communitatis. Et si etiam aliqui haberent vocem de Observantia, nunquam praevalerent, quia proceditur secundum pluralitatem vocum in electionibus istis, et propter hoc fieri, quod nunquam aliquis de Observantia eligitur in Ministrum, vel Custodem, licet dicerent aliquos ita praecel-

---

[1] Scil. membris non eiusdem naturae. — [2] Cod. *uniogeneum*.

[3] Vers. 10: Qui non est expertus, pauca recognoscit. — Cod. exhibet falso *XXXVIII* pro *XXXIV*. — [4] Alluditur ad Psalm. 16, 5: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

lentes, quod non sunt in orbe famosiores. Unde satis durum esse et incongruum, quod ipsi semper haberent praeficere et dare Praelatos, quales vellent ipsis Observantibus, tum propter rationes superiores respectu Praelati, tum quia ipsi aemuli et adversarii ipsorum, tum quia communiter vivunt secundum rei veritatem, ita quod [1] secundum statuta pauci reperirentur eligentes et electi, quin forent privati voce passiva et activa et omnibus actibus legitimis, quia etiam recipiendo pecuniam, hanc poenam incurrerent etiam pro prima vice et carceri deberent mancipari — probatur etiam hoc per statuta nova — tum quia communiter eligunt illum, qui eis favebit et Observantibus adversabitur. Et quod ipsi Conventuales quandoque fecerunt ipsos iurare in electione, quod ipsos Observantes ad modum aliorum reducerent, sicut magister Angelus de Senis, antepenultimus Generalis Minister, fecit, et super hoc dispensationem diceretur accepisse a Papa. Et licet secundum rei veritatem Ministri semper deberent esse de Observantia, tamen fuerunt contenti habere Vicarios et etiam Ministris subdi in multis et magnis, licet non in omnibus, cum per quaedam intenderent eos destruere. Et mirum dicebant, quod displiceret Conventualibus, eos habere Vicarios et tamen adhuc subdi ipsis, scilicet de eorum modo vivendi, cum tamen, sicut esse deberet, si Observantibus subderentur, valde displiceret eis subdi Observantibus et de eorum modo vivendi, de quo tamen darent eis optionem, ut fieret, sicut sacro concilio et eis videretur, videlicet si nollent, eos habere Vicarios, quod haberent Ministros de suis, et ipsi Conventuales haberent Vicarios, cum non possint per eundem regi; aut si per unum regi foret necesse, quod talis esset, qualis vult regula, scilicet idoneus et regulam servans.

Nono ad obiecta respondendo, videlicet ad hoc primo, quo dicebatur, quod Observantes non haberent magistros in theologia nec vellent studere etc.; dicebant, quod studere vellent et desiderarent, sed conqueri de hoc merito deberent, quod ipsi de communitate non tantum volunt habere Ministros de modo suo vivendi, immo omnes conventus, in quibus habet Ordo studium generale, vellent ipsi habere et nullum Observantibus dare, nec ipsi vellent permittere, quod ibi promoverentur ad studia, sed promotiones darent illis de sua vita. Sed et propter innumerabiles dissolutiones, quae multo adhuc amplius vigent in conventibus studiorum generalium, sicut Parisius testatur locus, qui dicitur infernus, propter inhonestates tacendas, ne aures audientium tinnire contingeret, et propter exactiones pecuniarias ampliores quam apud saeculares, multaque alia tacenda; dicebant, se cum puritate regulae non posse ibi studere. Super quo supplicabant per concilium provideri, secundum quod videretur, non propter gradus adipiscendos, propter quos in communitate miranda est et incredibilis ambitio, sed propter scientiam acquirendam, sicut tempore Alexandri de Hales, Bonaventurae et Scoti fieri solitum erat.

Secundo, de obedientia, quo dicebatur, quod non obedirent Ministris, responderunt, quod, si bene videretur, sicut solis verbis gloriantur Conventuales, et eorum obiectio verbalis esset. Vocare enim ipsos eos Ministros, quos ipsi eligunt, qui eis similes sunt et favorabiles; sed ad rei veritatem illos dicendos esse Ministros, qui spiritum et vitam ministrant, qui rite Praelati et Ministri instituuntur. Dicebant enim, quod cum obedientia promittitur, non determinatur in voto obedientiae obedire Gu-

---

[1] Sic habet cod., excepta vocula *ita,* primitus; manus posterior adiunxit *ut* post *quia,* quae correctio non esset reiicienda, si cod. postea exhibuisset *et* pro *quod.*

lielmo vel Petro, sed Superiori recte instituto intelligitur illa obedientia exhiberi. Male enim eos arguere: Non obedit tali Gulielmo, vel Ministro: ergo est inobediens; sed bene arguerent: Non obedit Praelato, cui et in quibus debet obedire: ergo est inobediens. Modo autem se obedire asserebant secundum regulam Praelato eis rite assignato, obedire etiam nihilominus ipsis dictis Ministris in his, in quibus tenerentur. Haec et multa alia, quae causa vitandae prolixitatis omitto, responderunt ipsi Fratres in concilio Basileensi, et porrectae fuerunt pro ipsis in credentia litterae Caroli, christianissimi regis Francorum.

Patres autem concilii, negotio discusso, praedicto anno MCCCCXXXV in mense Octobri confirmaverunt decreta et statuta ac ordinata per sacrum concilium Constantiense, volueruntque, quod huiusmodi in suo robore, pleno vigore et firmitate, maxime quoad Provincias Franciae, Burgundiae et Turoniae, persistere deberent, donec et quousque per eos, aut generale concilium aliud super hoc ordinaretur, decernentes et statuentes, quod decreta et constitutiones huiusmodi interim inviolabiliter observarentur, sicut ex decreto eiusdem concilii super hoc edito clarius haberi potest.

Eodem anno concessit Minister Generalis, Basileae existens, gratiam sequentem fratri Alberto Puchelbach de Norimberga:

In Christo sibi carissimo fratri Alberto Puchelbach Provinciae Argentinae frater Gulielmus de Casali, sacrae theologiae professor et totius Ordini Fratrum Minorum Generalis Minister et servus, salutem et pacem.

Cupiens te in Domino consolari, infrascriptas gratias tenore praesentium tibi duxi concedendas. Primo, quod unum eligere possis fratrem nostri Ordinis, qui te semel in mense absolvere valeat ab omnibus peccatis tuis in foro conscientiae, in quantum auctoritas mei officii se extendit. Secundo, quod eleemosynis tibi factis et fiendis uti valeas et infra Ordinem distribuere, ut tuae videbitur discretioni. Vale in Christo etc.

Datum Basileae, XIII. Ianuarii MCCCCXXXV.

Iste frater Albertus post XI annos reformationi conventus Norimbergensis operam dedit, sicut infra patebit.

Anno Domini 1436 capitulum provinciale Argentinae.

Eodem anno, die iovis, prima mensis Martii, in concilio Basileensi lata est sententia definitiva per reverendissimum patrem dominum Ludovicum, tituli sanctae Caeciliae Cardinalem Arelatensem, iudicem et commissarium in causa fidei specialiter ab ipsa Basileensi synodo deputatum contra fratres et sorores sancti Augustini sub vocabulo *sancti Salvatoris*, secundum consuetudines et instituta sanctae Brigittae viventes, qua sententia prohibiti et prohibitae sunt praedicare seu dogmatizare indulgentias ad instar illarum, quae sunt in basilica sancti Petri ad Vincula de Urbe, vel ad instar Portiunculae, sic per eos [1] nuncupatas, sive quasvis alias, de quibus legitime doceri non potest; et liber coelestium revelationum sanctae Brigittae sub modificatione theologorum debeat intelligi, et quod confessiones audiant peregrinorum iuxta formam cap. *Dudum, de Sepulturis*, et excommunicatos vitent iuxta formam iuris, ut matricibus ecclesiis se conforment, sub poena carceris et aliis poenis,

---

[1] Cod. *eas*.

quae pro maioribus culpis solent imponi. Et hanc sententiam confirmavit eadem synodus in Bulla, quae incipit: «Venerabilibus Swerinensi et Lubicensi Episcopis ac dilecto filio Ecclesiae Praeposito monasterii sancti Georgii Stadensis» etc.

Eodem anno [1] Bononiae in pleno consistorio transtulit dominus Eugenius Papa concilium Basileense, quod ante probaverat, Ferrariam, quod diceret, Graecos cum Ecclesia Romana in fide conventuros eundem locum sibi delegisse. Patres autem concilii Basileensis dicebant, quod secundum decreta concilii Constantiensis, Basileae renovata, concilium universale legitime congregatum potestatem immediate a Christo haberet et maius esse Papa; et quod idcirco Papa illud sine eius consensu nec transferre nec dissolvere posset. Unde instabant precibus et pollicitationibus apud Graecos, ut, omisso Eugenio, ad se proficiscerentur. Neque hoc contenti, sed et abrogaturos se Eugenium praedicabant, nisi et ipse quoque eo proficisceretur. Substitit aliquando Eugenius animi dubius, quid potissimum decerneret; tandem misit illuc ambasiatores suos, inter quos fuit caput Iohannes Francisci, iurisconsultus patritiusque eques, qui eius causam tueretur. Quos patres concilii nolebant ad praesidentiam admittere nisi cum certis collegis, a concilio ipso deputatis.

Anno Domini 1437 [2], cum Sigismundus imperator, rex Hungariae et Bohemiae, Pragae diu moratus infirmaretur, iussit, se ad Hungariam duci. Cumque venisset ad oppidum Moraviae, quod Znaima [3] dicitur, spiritum coelo emisit [4], perductusque est ad Budam, civitatem Hungariae, et ibidem honorifice sepultus; in cuius sepulcro continentur hi versus:

Caesar et imperium tuus en ego! Roma sacratum
Rexi non ense, sed pietatis ope.
Pontificem Summum feci, tribus spretis, unum.
Lustravi mundum, schisma necando iniquum.
Teucros oppressi et barbaras gentes excussi.
Ampla dominia contulit manus mea.
Et sunt Hungaria, mea regna Bohemia
Plura, pace Sigismundus, hic requiesco pius.
Ac iter in Znaima mihi mors praeclusit amara.
Cum Graeco catholico transeo fine bono.
Anno milleno quater centum ter decem adde
Ac septem mensis Decembris dieque una.

Regnaverat autem annis XXV regnum Romanorum [5], et fuit magnus benefactor Fratrum Minorum. Mortuo Sigismundo imperatore, a quo concilium Basileense augmentum habuerat, incepit dominus Cardinalis [6] sanctae Crucis concilium Ferrariense

---

[1] Auctor errat in calculo; non 1436, sed 1437, 8 Sept. quae sequuntur facta sunt. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1437, n. I, Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 110, et Dr. H. Brück p. 432.

[2] Iuxta Wadding., l. c. ad an. 1437, n. XXX, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 92, celebrata sunt 18 Maii 1437 Tolosae comitia generalia.

[3] Id est Znaim ad fluviolum « Thaua » situm.

[4] 9 Decembris.

[5] Scil. ab an. 1412-1437.

[6] Scil. Nicolaus Albergatus, Ordinis Carthusianorum. Sed concilium incepit 8 Ianuarii 1438. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1438, n. I. seq.

nomine Papae Eugenii, dissoluto et translato, quantum in eo fuit, concilio Basileensi [1].

Anno Domini 1438 congregatis electoribus imperii in Francofurto, die XVIII. mensis Martii electus est in regem Romanorum Albertus, dux Austriae, gener Sigismundi imperatoris, cui adhuc viventi in regno Hungariae anno Domini 1437, et mortuo in regno Bohemiae hoc anno 1438 successerat, et regnavit duobus annis.

Albertus rex Romanorum regnavit annis duobus.

Eodem anno Basileense concilium ab Eugenio translatum in sessione XXXI. edidit decretum suspensionis domini Eugenii Papae tam a spiritualibus quam temporalibus administrandis iuribus papatus, quod diceret eum contumacem et Ecclesiam scandalizantem. Eugenius autem de Bononia ad Ferrariam profectus, venientibus Imperatore [2] Graecorum, Patriarcha [3] Constantinopolitano et Episcopis Graecis, ibidem concilium celebravit. Concilium autem Basileense post irritationem ab Eugenio factam non desistebat a prosecutione coepti, sed sollicite invitabat Graecos, ut ad se proficiscerentur. Praevaluit tamen auctoritas Eugenii cum suasionibus plurimorum, ut Graeci Ferrariam accederent, unionem cum Ecclesia facturi. Disputatum fuit ergo de articulis cum Graecis, sed nihil perfectum est propter schisma subortum.

Concilium Ferrariense et Florentinum.

Eodem anno obiit frater Iodocus de Langenberg, Minister Provincialis Provinciae Argentinae, et ipso anno in festo S. Iohannis Baptistae [4] in capitulo, celebrato in Villinga, electus est in Ministrum eiusdem Provinciae frater Conradus Boemle [5], de conventu Esslingensi. Hic edidit quosdam tractatus per Adventum Domini de incarnatione Christi, et tenuit sequenti anno capitulum in Reutlinga et rexit Provinciam XI annis.

Frater Conradus Boemle Minister Provincialis Superioris Alamanniae annis XI.

Eodem anno institutus est sanctus Bernardinus [6] a Ministro Generali Vicarius super devota loca in Provincia Tusciae, et frater Nicolaus de Auximo Vicarius devotorum locorum Provinciae sancti Angeli. Sub vicariatu autem sancti Bernardini eius ferventissimis praedicationibus, optimis moribus et exemplis multiplicata sunt loca et numerus Fratrum de Observantia valde, tam in eadem Provincia quam in aliis Provinciis intra et extra Italiam. Item, etiam moniales Ordinis et primae regulae sanctae Clarae et reformata loca et conventus sororum Ordinis eiusdem Sanctae de secunda regula, maxime postquam de Tuscia profectus est Venetias, praedicando et discurrendo per omnes principaliores civitates Lombardiae. Adauctus est etiam numerus Fratrum et sororum de poenitentia sancti Francisci in

---

[1] Notandum, quod tunc fuerunt duae synodi sicut antea duo Pontifices; sed concilium Ferrariense solum gaudebat vera et legitima auctoritate, dum Basileense esset conciliabulum sine capite.

[2] Scil. Iohannes VII. Paläologus.

[3] Nomine Iosephus. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1438, n. I. seq., et Dr. H. Brück, l. c. p. 491.

[4] 24 Iunii. — Cod. *Villingen* pro *Villinga,* et paulo inferius *Reutlingen* pro *Reutlinga.*

[5] Wadding., l. c. ad an. 1438, n. XXVI. habet: Conradus Bomlini.

[6] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1438, n. V, et de fr. Nicolao de Auximo (cod. semper *Ausmo;* est Osimo, oppidum Marchiae Anconitanae) ibid. ad an. 1427, n. XII-XV, 1438, n. XXI, 1439, n. LVII, 1440, n. IX.

tantum, quod beati Bernardini gloriosis laborum fructibus fides catholica per totam Italiam censeatur renovata.

Anno Domini 1439 celebravit frater Conradus Boemle, Minister Provincialis, capitulum in Reutlinga die V. mensis Iulii, in quo capitulo condidit statuta, quae incipiunt: «Quoniam autem evangelicae arboris, quam Christus opere ac doctrina plantavit, fructibus spiritualibus atque saluberrimis cooperatur, quando vitiorum, exstirpatis zizaniis, coelestis virtutum plantatio in agro Religionis bonis moribus colitur atque nutritur, pro plantandis et nutriendis virtutibus ego frater Conradus Boemle, Fratrum Minorum Provinciae Superioris Alamanniae Minister et servus, una cum Definitoribus praesentis capituli anno Domini MCCCCXXXIX, quinta die mensis Iulii Reutlingae celebrati, subscriptas ordinationes statuo, statutas firmiter observare praecipio, sub poena inobedientiae contumacis ipsis transgressoribus irrevocabiliter imponenda» etc.; et continent haec statuta VI paragraphos.

Eodem anno [1] institutus fuit sanctus Bernardinus ex dispositione domini Eugenii Papae a Ministro Generali totius Ordinis, fratre Gulielmo de Casali, Vicarius Generalis super omnes Fratres de Observantia, per totam Italiam constitutos; quam institutionem confirmavit dominus Eugenius Papa litteris Apostolicis. Requisitus autem tandem a Ministro Generali, ut resignaret litteras Apostolicas, quas habebat, ne posset in regimine observantiae a quoquam impediri, humiliter resignavit litteras et sigillum domino Papae Romae, et nunquam violavit votum obedientiae et sanctae observantiae, rexitque familiam prudentissime iuxta magnam gratiam a Domino sibi datam.

Eodem anno confirmavit Minister Generalis declarationes, quas fecit frater Nicolaus de Auximo, tunc Vicarius Provinciae sancti Angeli, ut inferius continetur [2].

Eodem anno, pridie nonas Iulii [3], pontificatus sui anno IX, Florentiae definivit dominus Eugenius Papa, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi et regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis universalium conciliorum et in sacris canonibus continetur. Renovavit insuper ordinem traditum a canonibus ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus Antiochenus et quintus Ierosolymitanus, salvis privilegiis omnibus et iuribus eorum.

Eodem anno, VII. kalendas Iulii [4], in sessione XXXIV. concilii Basileensis editum est decretum de depositione Eugenii IV, et X. die eiusdem mensis depositus est.

Eodem anno in sessione XXXVI. definitum est, quod opinio asserens, Virginem

---

[1] Secundum Wadding., l. c. 1438, n. V, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 92, et ut ex litteris patris Generalis (datis Senis 22 Iulii 1438) et litteris, quibus Papa S. Bernardinum Vicarium institutum approbat 1438 (kldis (1) Septembris, pontificatus an. octavo) clare apparet, institutus est 1438.

[2] Ad an. 1440.

[3] 6 Iulii.

[4] 25 Iunii; cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 112 seq.

gloriosam ex singulari gratia Dei nunquam contraxisse labem originalis peccati, est consona fidei, cultui ecclesiastico, sacrae Scripturae et rectae rationi, et ab omnibus fore tenendam et nulli licere in contrarium docere vel praedicare, decrevit ipsa synodus in eadem sessione Basileae, XV. kalendas Octobris [1].

Eodem anno, die XVII. mensis Novembris, deputati ex nationibus a sacro concilio Basileensi ad eligendum pontificem novum cum Cardinalibus conclave ingressi, elegerunt in papam Amadaeum, ducem Subaudiae, et nominaverunt eum Felicem, et oritur schisma, quod fuit continuatum usque ad annum Domini MCCCCXLVIII.

Dominus Felix papa V. electus a concilio Basileensi, tandem cessit Nicolao.

Hoc quoque anno instituit concilium Basileense Praepositum sancti Marci prope Rubeacum, et Priorem Carthusiae prope Friburgum, ac Guardianum conventus Fratrum Minorum de Rubeaco, domorum Basileensis et Constantiensis dioecesum, Visitatores ac correctores monasterii in Alspach Ordinis sanctae Clarae, Basileensis dioecesis, ita quod ista institutio post quinque annos a tempore, quo visitationibus officium impendere et exercere inciperent, exspiraret.

Instituit etiam idem concilium eodem anno, X. kalendas Ianuarii [2], venerabilem Episcopum Ratisbonensem, et cantorem Ecclesiae Wormatiensis, ac Priorem domus Carthusiae prope Friburgum Constantiensis dioecesis, ut visitarent et corrigerent ac reformarent per Provinciam Argentinensem monasteria Fratrum Minorum, quae reformationis praesidio indigere prospexissent. Bulla dictae institutionis incipiebat: « Plantatum in agro dominico sacrum Fratrum Minorum Ordinem, ut uberes undique fructus producat » etc.

Eodem anno circa festum [3] Simonis et Iudae obiit in Hungaria dominus Albertus, Romanorum, Hungariae et Bohemiae rex, cum solum duobus annis regnasset, et reliquit uxorem suam impraegnatam; ut nonnulli ferunt intoxicatus, alii autem dicunt profluvio ventris.

Anno Domini 1440, in Cathedrae S. Petri [4] festo electus est in regem Romanorum, dominus Fridericus, dux Austriae et Carinthiae et comes Tyroli, et diu distulit coronari propter schisma. Tandem, facta unione, coronatus est a Nicolao V. tempore Iubilaei.

Fridericus tertius imperator regnavit annis LIII [5].

Eodem anno, subortis quibusdam dubiis inter Fratres, misit sanctus Bernardinus ipsis Fratribus praedictas declarationes fratris Nicolai de Auximo, inclusas in suis litteris talis tenoris [6]:

In Christo sibi carissimis Fratribus omnibus locorum devotorum Ordinis Mino-

---

[1] 17 Septembris; attamen dicta definitio, quamvis in se verissima esset, nunquam considerata fuit tamquam decisio fidei habens vim credendi obligatoriam, quia non erat definitio universalis concilii legitime uniti. Notissimum est, ex Bulla Pii. PP. IX, data 8 Dec. 1854 illam sententiam fide tenendam. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1439, n. XLVII. ab Ecclesia declaratam esse.

[2] 23 Decembris.

[3] Quod est 28 Octobris. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1439, n. XLV. Secundum Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 115, Albertus vel Albrechtus II. obiit 5 Nov.

[4] Celebratur 18 Ianuarii vel 22 Februarii. Secundum Wadding., l. c. ad an. 1440, n. I. electus est III. kldas Aprilis (30 Martii), et iuxta Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 115: 2 Februarii.

[5] Ita recte cod., regnavit enim ab an. 1440-1493. Manus posterior correxit *XLIII*.

[6] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1440, n. IX, et De Gubernatis l. c. tom. III. p. 93.

rum totius Italiae, sub mea cura commissis, frater Bernardinus de Senis eiusdem Ordinis ac dictorum locorum, reverendissimi patris Ministri Generalis Vicarius et Commissarius, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Volens mihi commissorum saluti quoad speculationem veritatis et in omnibus iuxta possibilitatem providere, notum facio, quod [1] per fratrem Nicolaum de Auximo eiusdem Ordinis, ac quondam Vicarium locorum devotorum Provinciae sancti Angeli et nunc eorundem locorum Commissarium reverendissimi patris Generalis, de mandato eiusdem ac de voluntate [2] domini nostri Papae, ut patet per litteras reverendissimi patris Generalis, factae fuerunt quaedam declarationes, quae multa disputatione et examinatione et ponderositate examinatae fuerunt per reverendissimum patrem Generalem et per venerabilem fratrem Iohannem de Capistrano et alios multos et etiam per me, quae sunt huiusmodi, videlicet:

In primis, quod Fratres Minores non tenentur ex eorum professione ad alia consilia vel praecepta evangelica ultra alios Christianos praeter illa [3], quae in regula specialiter et expresse ponuntur praecipiendo, vel inhibendo, vel [4] sub aequipollentibus verbis, nominatim a Clemente V. in sua declaratione expressis [5], ut patet in primo § dictae declarationis Clementis [6], et declaratione Nicolai III. [7] et Martini V. Et propterea [8] Fratres non tenentur ad illud evangelicum [9]: *Nihil tuleritis in via.*

Item secundo, Fratres ex sua professione non tenentur ad alium arctum usum rerum, quam qui in regula particulariter exprimitur eo modo, quo exprimitur, ut [10] satis patet per Clementem V. in sua declaratione § *Ex praemissis;* quinimmo, ut patet in declaratione Nicolai III, ibi; *Porro,* secundum regulam et veritatem omnimodam moderatus usus rerum ad vitae sustentationem et officiorum sui status exsecutionem, praeterquam de pecunia, concessus est Fratribus.

Item, quod superfluitas vel curiositas non debet discerni respectu necessitatis arctae seu usus arcti quoad [11] statum Fratrum Minorum, sed moderati [12], cum usus moderatus non potest dici superfluus vel curiosus et per consequens vitiosus, immo secundum regulam et omnimodam veritatem omnino licitus [13], ut patet ex praeallegato dicto Nicolai [14]. Et quia moderatio dicti usus debet attendi secundum qualitatem [15] personarum et varietatem temporum et locorum conditiones [16] et alias occurrentes circumstantias, superfluitas et curiositas non [17] potest faciliter discerni: propterea per subditos non debet iudicari nec potest, sed per Ministros et Custodes, vel

---

[1] Wadd. et De Gub.: saluti quoad scrupulos mentis modis omnibus iuxta potestatem providere, notum sit, quod; [2] mandato et voluntate; [3] Christ. praeterquam ad illa; [4] ponuntur praecipientia, vel inhibitoria, vel.

[5] Cod. *expressa.*

[6] In Clem. de verb. sign. c. *Exivi.*

[7] Decret. 6. de verb. signif. *Exiit.* — De Martino cfr. supra pag. 289, nota 1.

[8] Wadd. et De Gub. falso *praeterea.*

[9] Luc. 9, 3.

[10] Wadd. et De Gub.: particulariter exprimitur, ut; [11] necessitatis certae seu usus certi quoad; [12] Min., scilicet moderati; [13] veritatem licitus; [14] praeall. domino Nicolao.

[15] Cod. *quantitatem.*

[16] Quam voculam, quae in cod. deest, ex Wadd. adiecimus.

[17] Wadd. et De Gub.: circumst., terminus superfluitatis et curiositatis non.

eos, quibus ab ipsis committitur, qui de talibus super eorum conscientiam[1] debent discrete[2] iudicare, ut patet ex declaratione domini Nicolai, ibi: *Insuper*, et § *Quamquam*.

Item, quod si in locis etiam sint manifestae superfluitates vel curiositates, ex[3] eis non vitiantur nisi solum eas introducentes vel consentientes, vel si ad officium eorum pertinet et possunt, vel quicumque alii, si commode possunt, legitime non resistentes, et non alii, qui dictis rebus utuntur ob aliquam necessitatem, vel scandali evitationem. Et propterea Clemens V, licet decreverit, aedificia nimis sumptuosa non convenire statui Fratrum Minorum, tamen praecepit sub poena excommunicationis, quod dicta loca Fratres non relinquerent absque Sedis Apostolicae licentia speciali. Et ideo existentia[4] curiositatis vel superfluitatis non est sufficiens causa, propter quam Fratres debeant recedere a loco, nisi affuerit de illis, propter quod regula non potest spiritualiter[5] observari secundum declarationem Martini V, videlicet quando loco annexa est proprietas, sive cura animarum, baptizandi et parochialia agendi, vel[6] si Fratres morantur in loco contra voluntatem domini loci, vel propter[7] penuriam rerum necessariarum oportet Fratres facere congregationes et quaestus inhonestos contra puritatem regulae et usum generalem Ordinis, vel propter inhonestam societatem vel importabilem Fratribus praesertim rudibus et infirmis, vel propter similia; quod *simile*, cum sit indeterminatum, relinquitur iudicio Praelatorum. Extrav. *de Officio delegati*, cap. *de Causis*[8].

Item quinto, quod in regula usus carnium in loco vel alibi Fratribus non prohibetur, licet non deceat nisi moderatus et discretus.

Item sexto, quod uti calicibus et patenis argenteis, dummodo non nimis excessivae magnitudinis[9] sint et pretiositatis, non repugnat regulae, immo satis convenit, si[10] possunt haberi ad vitandum immunditiam et pericula erga sacratissimam Eucharistiam.

Item septimo, quod in omnibus dubiis, de quibus subditi non possunt indubitanter declarare, tenentur[11] stare iudicio Praelatorum suorum et obedientiae, XXIII.[12] q. I. cap. *Quid culpatur*. Et propterea contrarium agentes sunt transgressores obedientiae et digne a suis Superioribus censura ecclesiastica et alia decenti poena castigentur[13].

Has igitur declarationes reverendissimus pater Generalis confirmavit in hunc modum, videlicet: Supradictas declarationes et determinationes per praefatum Vicarium

---

[1] Wadd. et De Gub.: conscientias; [2] districte; [3] quod in locis, si sit magna superfluitas vel curiositas, ex.

[4] Wadd.: excedentia, et De Gub.: excedens; [5] nisi fuerint de illis aliqua, propter quae non posset regula spiritualiter.

[6] Wadd.: animarum, baptizando, seu alia parochialia faciendo (De Gub.: faciendi) vel.

[7] Wadd. cum De Gub.: vel quando propter.

[8] Cap. IV, lib. I. tit. 29.

[9] Wadd. et De Gub.: quod pretiositas in calicibus... dum non nimiae et excessivae; [10] quod; [11] dubiis, quae possunt indubitanter declarari, subditi tenentur.

[12] Ita recte; cod. (Causa) *XXIV*, et Wadding. cum De Gub.: et obedire, *II*. q.

[13] Cod. *castigantur*.

et Commissarium meum, fratrem Nicolaum de Auximo, factas et definitas[1] tamquam veras et catholicas et declarationibus Summorum Pontificum conformes nostrisque sacris Institutis consentaneas[2] approbo et de multorum venerabilium patrum consilio confirmo[3], mandans suprascriptis et aliis quibuscumque nostri Ordinis Fratribus, ut[4] his quieti esse debeant nec aliquid innovare praesumant, sub poena excommunicationis latae sententiae et incarcerationis; quam, praemissa trina monitione canonica, omnes transgredientes incurrant ipso facto. In cuius rei testimonium solitis signis Ordinis manu propria ac sigillo Ordinis suprascripta roborari volui, in conventu Pistorii, anno Domini MCCCCXXXIX, die II. Decembris. Propterea et ego idem Bernardinus omnes praefatas declarationes et determinationes, per praedictum Vicarium et Commissarium, fratrem Nicolaum de Auximo, factas, tamquam veras etc., ut supra Minister mandavit. Item, mando omnibus Praelatis mihi commissis, ut praefatas declarationes eorum subditis intelligibiliter saepe et per sanctam obedientiam publicare debeant, ne periculosam incurrant ignorantiam. Valete in Christo Iesu et orate pro me.

Datum apud sanctum Damianum de Assisio, anno Domini MCCCCXL, Iulii die ultimo.

Eodem anno fuit capitulum provinciale in Argentina.

Hoc anno ostendit reverendissimus pater dominus Iulianus, tituli sanctae Sabinae Cardinalis sancti Angeli, qui ad tempus in concilio Basileensi praesederat, fratri Nicolao de Auximo Constitutionem quandam in concilio Constantiensi factam et Basileae innovatam, approbatam ab Eugenio, quod sacerdotes concubinarii non debent vitari in divinis, nisi fuerint excommunicati denuntiati. Vide in Pisanella[5], titulo clericus III. § II, quia eandem Summam ipse frater Nicolaus compegit.

Eodem anno in sessione XL, XIII. kalendas Martii[6], definivit synodus Basileensis, quod omnes Christiani tenerentur obedire Felici papae, a concilio electo, et sic obediebant ei citramontani, videlicet Germani, Gallici etc.

Et ipso anno in sessione XLII. ordinavit concilium de provisione eiusdem papae Felicis.

Anno Domini 1441 capitulum provinciale in Esslinga.

Eodem anno inchoata est solemnis tabula pro choro Fratrum Minorum in Norimberga.

Item, concilium Basileense renovavit festum Visitationis Mariae, olim institutum per Urbanum Papam VI.

Anno Domini 1442, dominica quarta post Pascha[7], fuit capitulum provinciale in Argentina, in quo ordinatum est per omnes patres Provinciae, in eodem capitulo existentes:

---

[1] Pro quo Wadd. et De Gub.: dictas.

[2] Wadd. et De Gub.: nostrisque Instit. satis consent.; [3] et confirmo; [4] mandans quibuscumque Fratribus sub mea cura commissis, ut.

[5] Rectius dicitur, ut Nicolaus ipse hoc opus nominat (cfr. prima editio, impressa Venetiis per Franciscum de Heilbrun, 1474, in fine) *Supplementum* Summae Magistrutiae seu Pisanae (cfr. infra p. 310) a fr. Bartholomaeo (de Pisis) a S. Concordio Ord. Praed. exaratae. Cfr. Wadding., Scriptores p. 263, et Sbaralea, l. c. p. 551.

[6] 15 Februarii; secundum Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 114, sessio 40. erat 26 Febr.

[7] 29 Aprilis.

Primo, quod nullus ex tunc Minister deberet a fratre Ordinis, maxime nostrae Provinciae, recipere munus pecuniarium, aut iocale aureum vel argenteum, etiam sponte oblatum, intellige: ratione promotionis.

Item, quod Minister existens faceret exsecutionem de statutis inferius notatis, maxime quoad Praelatos, et omnibus viis et modis studeret eos a munerum receptione cohibere.

Item, quod lectorum baccalaureorum, sive etiam Discreti Discretorum et Custodis Custodum ad generale capitulum et studentium extra Provinciam mittendorum electiones fierent ex tunc perpetuo in capitulis secundum modum antiquum nostrae Provinciae.

Item, quod nullus studens Argentinensis haberetur pro studente, nec aliquis de studio Argentinensi promoveretur, nec pro primo nec pro secundo studio admitteretur, nisi examinatus foret secundum antiquam consuetudinem Provinciae nostrae.

Item, quod Minister nullum patrem assignaret alicui Custodiae in Custodem nisi de voluntate et consensu patrum eiusdem Custodiae, qui, si haberent aliquem valentem, deberent ipsum Ministro et Definitoribus praesentare.

Item, quod Minister nullo modo promoveret aliquem per saltum, nec in promotionibus unam Custodiam alteri praeferret, sed indifferenter promoveret fratres humiles et bene morigeratos.

Item, quod Minister teneretur aequaliter defendere omnes patres Provinciae communiter et disiunctim, nec pateretur, aliquem iniuste vexari, et quod si ipse Minister causam haberet personalem contra aliquem patrem, eundem solum in capitulo conveniat coram patribus, qui causam huiusmodi habeant examinare et diiudicare.

Item, quod ultra provisionem consuetam, scilicet duos florenos, a quolibet conventu non reciperet deinceps Minister quicumque, et quod modus addendi Ministro quatuor florenos a quolibet conventu, quando infra annum transitum faciebat per Provinciam, esset ei penitus interdictus. Nolebant tamen per hoc illam consuetudinem de quatuor florenis Ministro et suae societati dandis a Custodibus pro bono anno quomodolibet impedire.

Item, quod Minister teneret modum antiquum tenendi capitula provincialia magna sive parva, videlicet quod semper in fine cuiuslibet capituli assignaretur locus futuri capituli, et quoad hoc etiam celebraretur capitulum; tamen quod non contingeret illud prolongare ultra festum sancti Iohannis Baptistae.

Item, ne conventus fratrum gravarentur ratione Clarissarum, ordinaverunt et provisionem fecerunt, quod tempore visitationis monasteriorum, durante ipsa visitatione, monasteria Clarissarum tenerentur in expensis reverendo patri Ministro cum societate, equis et familia.

Insuper, quod, ubi esset monasterium a conventu nimis distans et praecipue extra viam ad conventus nostros, sicut est monasterium in Valduna, teneretur idem monasterium ducere et reducere Ministrum et suam totam comitivam in expensis propriis usque in locum, unde exivit. Et si redderent se difficiles dominae monasteriorum, possent et deberent Guardiani revocare ad conventum confessorem et socium usque ad solutionem.

Item, quod ultra statuta papalia et generalia tenerentur firmissime statuta bonae memoriae patris Iohannis Leonis ab omnibus fratribus.

Item, statuta reverendi patris Ministri tunc existentis, facta Reutlingae et Esslin-

gae, similiter ad litteram servarentur, nec sit cura, si unum pluries mandetur, quia quod saepius prohibetur, strictius praecipitur.

Item, ex speciali omnium patrum definitione avisatum est, quod singuli conventus statim et citius quo fieri posset, expropriarentur quoad immobilia, scilicet census et redditus, secundum Bullam Martini V, ita quod amodo non esset procurator censuum seu collector, conservator et dispensator ipsorum Frater Ordinis, sed haberetur procurator saecularis, et quod nullo modo fratres irent ad forum piscium et macellum.

Item, quod conventus semper undique esset clausus, nec fratres haberent pro libito facultatem exeundi et intrandi portam conventus, nec pateretur transitus saecularium per conventus, ubi sine scandalo et periculo fieri posset, et clauderentur dormitoria modo antiquo.

Item, quod habitus nigri et blavei vitarentur, et quod Custodes invigilarent, ut aequalitas habituum in colore griseo haberetur, prout foret possibile.

Item, exsecutores huiusmodi essent generaliter Custodes in suis Custodiis, specialiter autem, ubi essent patres, ponerentur exsecutores ad hoc patres magis idonei, negligentibus poena imponeretur.

Item, quod nullo unquam tempore introducerentur aut intrare permitterentur mulieres, cuiuscumque conditionis existant, nisi essent adeo magnae et nobiles, et ut in statutis alias concessum est.

Item, fratres non faciant convivia seu societates saecularium in cellis.

Item, discursus inutiles vitentur.

Item, avisatum et conclusum est per omnes patres, quod in singulis conventibus fratres tenerent communitatem in prandiis et in coenis, ita quod omnes comederent simul et haberent lectionem secundum statuta [1] Benedicti XII.

Eodem anno obiit reverendus pater frater Laurentius, quondam Custos Bavariae et Rheni, solemnis praedicator Provinciae.

Anno Domini 1443, defuncto [2] magistro Gulielmo de Casali, Generali Ministro, anno sui generalatus XII, Eugenius Papa, volens iterum reformationem Ordinis aggredi, instituit Vicarium Ordinis fratrem Albertum de Sarthiano, magnae sanctitatis et scientiae virum regularisque observantiae zelantissimum, concessisque ei quibusdam facultatibus per Bullas [3] Apostolicas, capitulum generale eodem anno Paduae [4] celebrari iussit, intendens et sperans, quod idem frater Albertus in eodem capitulo in Generalem Ministrum elegeretur. Congregato autem capitulo generali totius Ordinis, tam Conventualium quam de Observantia, cum in ipso capitulo dictae facultates legerentur, Conventuales clamabant: « Libertas, libertas ». Et tumultum facientes, ipsum fratrem

Frater Albertus de Sarthiano Vicarius totius Ordinis Minorum.

---

[1] Cap. IV. — Cfr. De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 29.

[2] 2 Februarii 1442, Florentiae, ut exhibet Wadding., l. c. ad an. 1442, n. I, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 184 et tom. III. p. 94.

[3] Datae sunt Florentiae XV kldas Augusti (18 Iulii) 1442, anno pontificatus XII. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1442, n. V.

[4] Cfr. Wadding., l. c. 1443, n. III, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 94. Capitulo generali interfuerunt bis mille Fratrum.

Albertum de Sarthiano, Vicarium totius Ordinis, arrepta ei capsula Bullarum, de loco capituli vi ad extra conclavium portaverunt. Clamante autem eo, quod essent excommunicati, nihilominus ad electionem procedentes, elegerunt fratrem Antonium de Rusconibus, sacrae theologiae magistrum, Ministrum Provinciae Mediolani, et eo electo, utraque pars, tam Fratrum de Observantia quam Conventualium, Senas ad Eugenii Papae praesentiam venerunt. Qui, visa Conventualium rebellione, voluit dare familiae Fratrum de Observantia pro se Ministrum Generalem, sed Fratribus familiae ultramontanae hoc recusantibus, ne fieret omnimoda divisio Ordinis, suasit ipsi Ministro Generali electo et confirmato ipse Pontifex Eugenius, quatenus, considerata multitudine Fratrum et diversitate vitae, pro bono regimine et gubernatione ac manutenentia et augmento omnium et singulorum, praesentium et futurorum, institueret duos Vicarios Generales, unum in cismontanis et alterum in ultramontanis partibus super omnes Fratres de Observantia cum plenaria potestate. Qui Minister, communicato consilio cum pluribus Ministris et magistris Ordinis, instituit reverendos patres fratres Vicarios Generales cum plenaria potestate litteris sequentis tenoris:

Frater Antonius de Rusconibus XXXIII. Minister Generalis Minorum Fratrum.

Frater Iohannes de Mauberto[1] Vicarius Generalis familiae citramontanae de Observantia.

Frater Iohannes de Capistrano Vicarius Generalis ultramontanus Fratrum Minorum de Observantia.

In Christo sibi carissimo fratri Iohanni de Mauberto Ordinis Minorum, Provinciae Franciae, frater Antonius de Rusconibus, sacrae theologiae magister ac totius eiusdem Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Cum pridem, V. videlicet idus Iulii[2], sanctissimus dominus noster Eugenius Papa IV, de salute et conservatione Fratrum in debita obedientia ac regulari quam voverunt observantia considerans, mihi, cum mandare posset, sua benignitate suaserit, assistentibus sibi reverendissimis presbyteris[3] sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, videlicet Tarentino[4], Cumano[5], Morinensi[6] et Firmano[7], nec non reverendo patre domino Iohanne Siculo[8], Abbate sancti Pauli de Urbe, et quampluribus reverendis Ministris ac venerabilibus sanctae theologiae magistris et aliis probatissimis Fratribus dicti Ordinis, quatenus, considerata multitudine Fratrum et diversitate vi-

---

[1] Vel Iohannes Maubertus.

[2] 11 Iulii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1443, n. V, ubi habetur Bulla eadem et quidem integra ad fr. Iohannem de Capistrano directa.

[3] Wadding. patribus.

[4] Scil. Iohannes Taliacotius de Pontibus seu Ursinus, Neapolitanus, Archiepisc. Tarentinus, Episc. Cardin. Praenestinus.

[5] Scil. Gerardus Landrianus de Capitaneis, natione Italus, Card. S. Mariae Transtyberim, cognominatus Card. Comensis, et ab Aenea Sylvio Cumanus. Cfr. Ciac. sub Eugenio IV. n. XII.

[6] Scil. Iohannes Iuvenis Gallus, Episc. Morin., Picardus, Card. S. Praxedis.

[7] Scil. Dominicus Capranica, Episc. Firman., Card. S. Crucis in Ierusalem.

[8] Ita recte, ut videri potest apud Wadding., l. c., et Ciac. sub Eugenio IV. n. XXVI. Ioh. Siculus erat patria Messanensis et monachus Congregationis S. Iustinae Patavii, 1446 titulo S. Sabinae Cardinalis creatus est. — Cod. habet *Sicube* pro *Siculo*.

tae, pro [1] bono regimine ac gubernatione ac manutenentia [2] et augmento omnium et singulorum, praesentium et futurorum, in conventibus, domibus vel locis devotis eiusdem Ordinis, qui *de Observantia* nuncupantur, praesertim in partibus ultramontanis commorantium, Vicarium unum Generalem instituere cum plenaria potestate, facultate et auctoritate in omnibus Provinciis ultramontanis, ad quod [3] generalatus officii, cui indignus praefectus sum, auctoritas se extendit, et ad te nomine proprio expresso oculum mentis suae direxerit; hinc est, quod ego, ut teneor, suasionem huiusmodi et omnem aliam suae Sanctitatis pro mandato accipiens cupiensque mandatis Apostolicis obedire, ac etiam inspecta tuae vitae sinceritate, morum gravitate, sufficientia multa, prudentia circumspecta, discretione praecipua, ferventi caritate ad bonam Ordinis reformationem, in commissis fidelitate, in exsequendis promptitudine, in regendis ac ad meliorem frugem reducendis Fratribus aptitudine, tua denique multiplici probitate, quibus omnibus te insigniter decoravit Altissimus, nihilominus confisus in Domino, communicato etiam consilio cum plerisque Ministris ac sacrae Paginae professoribus et aliis probis nostri Ordinis Fratribus, qui reverenter hoc sanctum Sanctitatis domini nostri propositum laudarunt et institutioni de te fiendae consensum praebuerunt: te meum Vicarium Generalem in omnibus et singulis Provinciis et Vicariis et earum conventibus ac locis partium ultramontanarum super omnes *Fratres de Observantia* nuncupatos, praesentes et futuros, usque ad proximum capitulum generale instituo et institutum denuntio per praesentes, committens tibi plenarie vices meas et dans tibi liberam auctoritatem ac potestatem, ac omnimodam facultatem meam super omnes et singulos dictos Fratres, in praefatis ultramontanis partibus commorantes et commoraturos, tam in capitibus quam in membris, visitandi, publice et private vocandi, citandi et requirendi etc., sicut in Bulla Constantiensis concilii et Eugeniana continetur, usque ibi. Tu vero tam diligenter, tam provide et sollicite ac vigilanter studeas praefatum vicariatus officium exercere, ut praeter aeternae vitae praemia valeas apud Sedem Apostolicam, me et totum Ordinem merito commendari. Vale in Domino Iesu et ora pro me.

Datum Senis, XIII. mensis Iulii, anno Domini MCCCCXLIII.

Consimiles litteras dedit fratri Iohanni de Capistrano super Fratres ultramontanos, in observantia regulari viventes.

Hanc provisionem et institutionem confirmavit dominus Eugenius Papa IV. eodem anno in kalendis Augusti litteris Apostolicis [4], quae incipiunt: « Fratrum Ordinis Minorum in vinea Domini Sabaoth Altissimo iugiter famulantium » etc.

Tempore illo, vigente adhuc concilio Basileensi, reformatus est conventus Basileensis auctoritate eiusdem concilii, instanter procurante ac laborante venerando patre fratre Leonardo Meyer, Guardiano eiusdem conventus, viro utique provido et circumspecto et omni discretione ac honestate decorato et zelatore regularis vitae, qui multum insudavit, donec reformatio, et quod difficilius fuit, expropriatio praedicti conventus ad effectum devenit, propter multos aemulos, et praesertim Felice papa V. Conventualibus astante, qui eos, vix et difficulter amotos, reponere volebat. Habebat autem idem venerabilis pater Leonardus quosdam reverendos dominos Car-

---

[1] Wadd.: diversitate virorum pro; [2] manutentione; [3] quam.

[4] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1443, n. VII, ubi habentur Litterae Apostolicae integrae.

dinales sibi favorabiles, et praecipue sanctae memoriae dominum Ludovicum, tituli sanctae Caeciliae Arelatensem, quorum auxilio reformatio, Deo auctore, hodie perseverat.

Eodem anno reformatus est etiam conventus Pforzhemensis feria secunda post Octavas sancti Francisci, volente ac iubente atque procurante illustrissimo principe domino Iacobo, marchione Badensi ac comite Spanheimensi [1], per venerabilem patrem fratrem Nicolaum Caroli, Guardianum conventus Heidelbergensis, subdelegatum Commissarium a venerabili et circumspecto viro domino Wisperto [2] de Franckenstein, doctore decretorum ac cantore Ecclesiae Wormatiensis, reformatore monasteriorum Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Argentinensis a concilio Basileensi deputato, constitutum, coadiuvante et nomine dicti principis exsequente nobili viro domino Paulo Lauterman de Ertringen [3], advocato tunc temporis in Pforzhemia [4], et ab censibus et redditibus plenarie expropriatus, et fuerunt ipsi census et redditus pauperum usibus in hospitali in Pforzhemia assignati, ut ibidem fiant Missae et vigiliae anniversariae, sicut in litteris desuper confectis plenius continetur.

Eodem anno intravit frater Richardus de Kirchberg Observantiam in conventu Heidelbergensi.

Anno Domini 1444, die XXI. mensis Martii, instituit praedictus venerabilis dominus Wispertus, decretorum doctor ac cantor Ecclesiae Wormatiensis, reformator a concilio Basileensi anno MCCCCXXXIX cum certis collegis sub ista clausula: quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios etc., specialiter deputatus, venerabiles ac Religiosos patres fratres Nicolaum Caroli, Guardianum Heidelbergensem, et Nicolaum Dieppach, conventualem conventus Basileensis, Ordinis Minorum, Commissarios cum plena potestate ad reformandum conventus Ordinis et Provinciae praedictae, dans eis litteras super hoc sub sigillo suo.

Eodem anno [5], XX. die Maii, in vigilia Ascensionis Domini nostri Iesu Christi sub primis Vesperis, dum cantaretur in choro antiphona: « Pater, manifestavi nomen tuum hominibus », in civitate Aquilà in conventu sancti Francisci reddidit sanctus Bernardinus Christo animam suam et feliciter exspiravit, aetatis suae anno LXIV, cum fuisset in saeculo XXII annos, reliquum temporis in sancta Religione vixit, XL annis praedicando verbum Dei in tota Italia.

Eodem anno complevit frater Nicolaus de Auximo Ordinis nostri apud locum sanctae Mariae de Angelis prope Mediolanum *Supplementum Summae Pisanae* [6], et illud et omnia alia opuscula per eum compilata compilandave iudicio et correctioni sanctae Ecclesiae submisit. Hunc fratrem Nicolaum de Auximo notat frater Robertus de Licio [7] in tractatu de divina caritate, sermo IV, conclusione prima, dicens: « Frater Nicolaus, de Auximo dictus, ex Provincia Marchiae, homo scrupulosus valde in

---

[1] Vel de Spanheim, sive rectius Sponheim; qui erat illo tempore comitatus Germaniae, cuius pars anterior dicta ad marchionem Badensem pertinebat.

[2] Forte idem est ac Wigbertus.

[3] Ita cod., probabiliter pro *Ertingen*, quae est civitas Würtembergae ad fluvium Danubium sita.

[4] Cod. hic et deinde *Pfortzem.*

[5] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1444, n. I.

[6] Cfr. supra pag. 305, nota 5.

[7] De hoc celeberrimo viro et praedicatore cfr. Wadding., l. c. 1449, n. XX, XXIX-XXXI.

suo libello, quem *Quadriga* voluit nominari, in tractatu de Confessione dicit in summa ista verba: ‘ Apparet, non esse eum vere contritum nec veram egisse poenitentiam, qui brevi spatio perseveraverit in bono et recidivaverit,. Sed non est curandum, quia nemo in omnibus perfectus, et bonus interdum dormitat Homerus ». Scribit de fratre Nicolao ipso de Auximo frater Christophorus de Varisio in Expositione regulae nostrae, quod fuerit vir quidem sanctitate et devotione praecipuus ac in iurium facultate eruditissimus, et quod, cum post plurium opusculorum compilationem regna coelica introisset, eius membra tamquam membra puerilia ducebantur, ad eius puritatem et vitae innocentiam demonstrandam.

Eodem anno completa est tabula sumptuosa in choro Fratrum Minorum Norimbergae.

Frater Mathias Döring minister generalis sub schismate.

Anno Domini 1443 fuit minister generalis[1] frater Mathias Döring, sacrae theologiae doctor, in obedientia papae Felicis, id est in partibus citramontanis, quia Antonius de Rusconibus adhaerebat Eugenio Papae, quem concilium Basileense deposuerat, sicut ex litteris sequentibus eiusdem concilii habetur.

Eodem anno ad supplicationem Abbatissae et conventus sororum sanctae Clarae in Alspach commisit concilium Basileense fratri Nicolao Caroli Custodi curam dicti monasterii in Alspach, concessa ei facultate, quae in sequentibus litteris continentur faciendi.

Sacrosancta generalis synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repraesentans, ad perpetuam rei memoriam.

Ut in aeternae beatitudinis amatricibus, quae habitu sacrae Religionis assumpto, uni viro, Christo Domino, se voto celebri desponsarunt, valeat in his, quae zelum respiciunt animarum, iuxta votum proficere quies mentis, ac inter eas regularis observantia stabiliri, tanto propensioribus illas convenit attollere gratiis et earum pia confovere proposita, quanto sexus feminei fragilitas ad ferendum eiusdem Religionis propositum auxilio dignoscitur indigere. Sane, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum Ecclesiae filiarum Margaritae Abbatissae et conventus monasterii in Alspach Ordinis sanctae Clarae, Basileensis dioecesis, petitio continebat, quod ipsae nuper per certos viros religiosos et devotos Ordinis Fratrum Minorum de laxioris vitae semitis sunt ad disciplinae ac observantiae regularium dicti Ordinis sanctae Clarae normam operosa cum diligentia, Deo propitiante, salubriter reductae, nec non continuis virtutum in incrementis sub alicuius dicti Ordinis Fratrum Minorum viri probati, qui eis disciplinae et observantiae huiusmodi vias suae conversationis exemplo demonstret, felici directione per amplius reduci et in eisdem disciplina et observantia firmius stabiliri desiderant tempore procedente. Quare pro parte Abbatissae et conventus praedictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro serenatione conscientiarum suarum nec non felici augmento pariter et stabilimento refor-

---

[1] Id est, ut iam diximus, pseudominister, quia electus erat a fratribus ad haerentibus conciliabulo, cuius potestas erat nulla tam confirmandi Generalem verum Ministrum quam deponendi Eugenium Papam verum. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1443, n. IX, qui citans « Chronica antiqua » — sunt igitur alia ac chronica XXIV Generalium — affirmat, ut supra pag. 288, nota 3. iam indicatum est, an. 1443 Germanos, qui adhaererent Felici antepapae, *Bernae* apud Helvetios dictum Mathiam elegisse, et eum sex annos in pseudopraefectura stetisse; quod rectum est.

mationis huiusmodi dilecto Ecclesiae filio, Nicolao Caroli, Custodi inpraesentiarum Custodiae Fratrum Minorum in Provincia Argentinensi, per dilectum Ecclesiae filium, Mathiam Döring, ministrum generalem, secundum morem Ordinis Fratrum Minorum huiusmodi noviter instituto, ipsiusque Nicolai successoribus Custodibus eiusdem Ordinis Fratrum Minorum de Observantia approbatis pro tempore existentibus, cui etiam, ut praefatae Abbatissa et conventus asserunt, Fratres sibi subditos per eundem generalem ministrum memorati Ordinis Fratrum Minorum concessa fore dignoscitur, quam ipse Provincialis Minister in dicta Provincia, de qua etiam praefatum monasterium existit, habere consuevit visitandi, corrigendi et reformandi dictum monasterium, nec non et confessorem et fratres sibi socios idoneos et maturos in vita et moribus ac regulari observantia, ut praefertur, approbatos eis deputandi et constituendi facultatem concedere de benignitate universalis Ecclesiae dignaremur. Nos itaque, salutiferum reductionis et reformationis opus huiusmodi in Domino plurimum commendantes ac cupientes, ut illud et personae dicti monasterii, ne a recepta iam disciplinae norma retrorsum convertantur, ope nostra felicioribus proficiant successibus, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, Nicolao eiusque successoribus Custodibus praefatis dictae Custodiae, qui pro tempore fuerint, praedictos confessorem et fratres praefatis Abbatissae et conventui, quoties opus fuerit, sine tamen praeiudicio iurisdictionis ordinariae Provincialis Ministri eiusdem Provinciae etiam pro tempore existentis, deputandi et constituendi, ipsasque Abbatissam et conventum ac dictum earum[1] monasterium visitandi et inibi inquirendi, nec non damnosa et inutilia corrigendi ac etiam reformandi, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi ac omnia alia et singula faciendi, quae idem Nicolaus suique successores Custodes visitationis, inquisitionis, correctionis et reformationis officio viderint indigere, prout iuxta regularia dictorum Fratrum Minorum et sanctae Clarae Ordinum constitutiones et instituta, nec non indulta a Sede Apostolica ipsis gratiose concessa, faciendum fuerit, auctoritate universalis Ecclesiae tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, ac statutis et consuetudinibus monasterii et Ordinum praedictorum quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica quomodolibet indultum existat, quod interdici, suspendi ac excommunicari non possit, per litteras non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Basileae, XIV. kalendas Aprilis[2], anno quo supra.

Eodem anno confirmavit et renovavit illustrissimus princeps dominus Fridericus III, rex Romanorum, omnia privilegia et immunitates monasterii Ordinis sanctae Clarae in Norimberga, a suis praedecessoribus regibus et Imperatoribus Romanorum eidem monasterio concessa et concessas etc.

Eodem tempore, cum Ministri Provinciales fratres quatuor conventuum iam tunc reformatorum, videlicet Basileensis, Heidelbergensis, Rubeacensis et Pforzhemensis, nonnunquam mutarent ad libitum, unde reformationis profectus et fratrum conscien-

---

[1] Cod. incongrue *eorum*.

[2] 19 Martii 1445.

tiae turbabantur, eorundem conventuum fratres sacro concilio Basileensi suam humiliter supplicationem porrexerunt, quatenus eis super hoc, sicut in capitulis concordatis, quae sequuntur, continetur, ipsa sancta synodus de remedio opportuno providere dignaretur. Quorum supplicationibus inclinata, synodus ipsa eadem capitula confirmavit litteris talis tenoris, ut sequitur:

Sacrosancta generalis synodus Basileensis in Spiritu sancto etc., ad futuram rei memoriam.

Tradita nobis desuper universalis dispensationis auctoritas, rerum quoque temporum et personarum circumstantiae nos admonent ad hoc promptis affectibus promovendum concurrere, ut Religio quaelibet in pulcritudine pacis et amoenitate quietis successum parturiat optatum et, fructu salutis propagato, felicia suscipiat incrementa. Unde dum non sine grandi mentis amaritudine contuemur, subortam proh dolor! his temporibus in Dei Ecclesia divisionem, dumque etiam in sacra Ordinis Fratrum Minorum Religione ac inter illius professores super observantia regulari Ordinis praedicti a multis retro temporibus diversitatis noxiae differentiam perdurasse, ac illam occasione divisionis supradictae periculosius invalescere posse considerantes, ea non immerito favoribus prosequimur impigris et operosae sollicitudinis studiis [1] solidari cupimus, quae ad profectum salutis animarum ac concordiam professorum eorundem processisse noscuntur, ut iidem professores nullum internae pacis excidium nullumque Religionis perferant detrimentum, sed tanto cultui divino et salutis operibus in antea plenius insistant, quanto super hoc ampliori fuerint nostrae benignitatis munere dotati. Sane pro parte dilectorum Ecclesiae filiorum Andreae de Malvenda, magistri in theologia, Vicarii Generalis, ac Nicolai Caroli Custodis, nec non Basileensis, Rubeacensis, Heidelbergensis et Pforzhemensis, Wormatiensis et Spirensis dioecesum, infra Provinciam Argentinensem seu Superioris Alamanniae secundum morem praefati Ordinis dicto Custodi subiectorum Fratrum domorum, nuper fuit nobis humiliter supplicatum, ut pro feliciori ipsorum in disciplina et observantia regularibus praedicti Ordinis directione, pariter et divini cultus augmento quaedam ordinationes et capitula super hoc concordata, ut illibata consistant, de benignitate universalis Ecclesiae confirmare aliasque desuper ipsis pie consulere dignaremur. Quorum quidem capitulorum et ordinationum tenor est talis:

Primo, quod fratres Discreti conventuum de stricta observantia Ordinis Fratrum Minorum, infra Provinciam Argentinensem contentorum, scilicet Basileensis, Rubeacensis, Heidelbergensis, Pforzhemensis et aliorum, quos in posterum ad dictam observantiam, Deo auxiliante, contigerit reduci, possint eligere in Custodem iuxta formam statutorum dicti Ordinis ante capitulum provinciale seu congregationem dictae Provinciae in eorundem Fratrum capitulo custodiali ex se ipsis, vel aliis eiusdem observantiae, fratrem aliquem ad hoc regimen idoneum et aptum praesentandum, ut moris est, Ministro vel Vicario, ubi Minister in Provincia non haberetur, in capitulo provinciali seu congregatione, quem electum dictus Minister vel Vicarius et Definitores dicti capituli seu congregationis confirmare teneantur [2], nisi aliquod canonicum

---

[1] Hoc verbum, quod coniectando apposuimus, vel aliud huiusmodi, adiungendum est, cuius loco cod. exhibet spatium vacuum.

[2] Cod. hic *teneatur*, deinde aliquanto inferius *debeat*, sed postea *possint;* quamobrem eum correximus.

obsistat impedimentum, quod ante dissolutionem saepe dicti capituli seu congregationis debeant et possint legitime probari. Quodsi legitime probatum non fuerit, et ipsum praedicti confirmare renuerint, ipso facto auctoritate Ministri Generalis dicti Ordinis, vel Vicarii eiusdem Ordinis censeatur et sit confirmatus.

Ubi vero capitulum provinciale aut congregationem in dicta Provincia singulis annis non contigerit celebrari, nihilominus possit dictum capitulum custodiale celebrari et Custos eligi, si expedierit, iuxta formam superius praetactam praesentandus saepe dicto Ministro Provinciali, aut Vicario in eius absentia, quem electum dictus Minister, seu Vicarius infra sex vel octo dies teneatur confirmare, nisi infra idem tempus aliquod canonicum impedimentum contra eundem electum legitime fuerit probatum. Si vero, transacto termino assignato non aliquo legitime probato, praedictus Minister, vel Vicarius confirmare ipsum in Custodem renuit, ipso facto auctoritate Generalis Ministri saepe dicti Ordinis, vel Vicarii eiusdem Ordinis censeatur confirmatus.

Si vero dictum Custodem post praedictum capitulum provinciale aut congregationem mori seu cedere aut deponi contigerit, Guardianus, vel eius Vicarius in absentia ipsius Guardiani illius conventus aut loci, in quo talia praedicta fieri contigerit, convocet capitulum custodiale citius quo commode poterit fieri, pro electione futuri Custodis, praedictis Ministro vel Vicario praesentandi et ab eisdem confirmandi, modo et forma superius habitis. Qui dictus Guardianus, vel Vicarius a tempore vel die mortis seu cessionis aut depositionis praefati Custodis sit Vicarius in ipsa Custodia cum eadem facultate et potestate dicti Custodis usque ad confirmationem ipsius electi in Custodem factam, secundum modum et formam superius expressam. Ubi vero contigerit, dictum Custodem mori extra locum vel conventum, tunc Guardianus, vel eius Vicarius in absentia sui vicinioris conventus ipsius Custodiae possit et valeat omnia praedicta facere.

Insuper, ipse Custos per se vel per alium ad capitulum provinciale dictae Provinciae seu congregationem convenire teneatur cum tabula Definitionis sui capituli custodialis, quam dictum capitulum aut congregatio confirmare teneatur, prius habita diligenti examinatione iuxta formam statutorum dicti Ordinis. Quodsi facere renuerit, ipso facto auctoritate saepe dictorum Generalis Ministri, seu Vicarii Ordinis censeatur confirmatus. Si autem contingat, praefatum Custodem seu ipsos fratres saepe dictae Custodiae celebrationem dicti capituli provincialis seu congregationis dictae Provinciae legitime ignorare, vel alias impediri a praefato accessu ad saepe dictum capitulum seu congregationem, possint et debeant habere recursum ad praefatum Ministrum, vel Vicarium in omnibus et pro omnibus, pro quibus ad dictum capitulum seu congregationem accedendum erat, modo et forma superius habitis. Et ex nunc auctoritate dictorum Generalis Ministri praedicti Ordinis, vel Vicarii eiusdem Ordinis talis Custodia et ipse Custos in dicta Provincia ut ordinaria et ordinarius habeatur.

Item, quod ipse Custos praedictam Custodiam sibi commissam auctoritate saepe dictorum Generalis Ministri, vel Vicarii dicti Ordinis regere possit et valeat, providendo Fratribus, conventibus et locis eiusdem Custodiae in omnibus et per omnia, in quibus et per quae dictus Minister Provincialis regere potest et providere Fratribus, conventibus et locis dicti Ordinis in dicta Provincia, secundum regulam et statuta dicti Ordinis et indulta Sedis Apostolicae.

Item, quod nullus frater ab ipsa Custodia seu conventibus aut locis eisdem removeri possit, nec aliquis dictae observantiae non conformis ad eam vel eas mitti per Ministrum dictae Provinciae, vel Vicarium, vel aliquem ipsis inferiorem, ad morandum sine ipsius Custodis et fratrum Discretorum vel maioris partis eorundem dictorum conventuum seu locorum beneplacito et assensu.

Item, quod dictus Custos, vel Vicarius, deficiente ipso Custode, pro tempore existens possit recipere fratres praefati Ordinis, undecumque propter frugem melioris vitae declinantes ad ipsos. Fratres vero praedictae Provinciae, licentia petita, licet non obtenta, ab ipsis saepe dicto Ministro, vel Vicario praefatae Provinciae, dum legitime ipsi Custodi constet, et alias non sint gravibus criminibus apud suos Praelatos notorie et legitime delati; ceteros vero fratres cum litteris suorum Superiorum, et praemissa legitima absolutione, si eosdem contigerit venire a parte contraria obedientiae sacri concilii Basileensis et sanctissimi domini nostri Felicis eiusque successorum canonice intrantium, de qua constet legitime.

Item, dictus Minister Provincialis, vel Vicarius in absentia sui, dum voluerit visitare praedictam Custodiam seu conventus aut loca eiusdem, possit punire et corrigere, quae corrigenda et punienda fuerint ac invenerit, tam in capite quam in membris, cum consilio et consensu Discretorum praefatorum conventuum vel locorum aut maioris partis eorundem.

Item, praefatus Custos fratribus dictae Custodiae, euntibus per Provinciam praedictam vel extra, concedere possit, quod, quando eosdem contigerit in civitatibus vel oppidis esse in ipsorum transitu, in quibus sunt conventus et loca, possint et valeant ad domos amicorum spiritualium seu benefactorum declinare.

Item, quod ipse praefatus Custos, vel Vicarius, deficiente Custode, possit recipere a saeculo fugientes bonae famae et honestae vitae ac alios idoneos pro fratribus laicis, tres aut quatuor ab uno custodiali capitulo usque ad aliud, et non plures.

Item, quod praedicta ordinatio tamdiu suffragetur dictis Fratribus et conventibus ac locis saepe dictae observantiae praenominatae Provinciae, quamdiu sint et perstiterint in obedientia praefati concilii Basileensis ac sanctissimi domini Felicis papae V. eiusque successorum canonice intrantium.

Nos igitur, qui actibus intenti salubribus et operibus expositi[1], pietatis summis desideramus affectibus, Ordinem praefatum et illius professores in prosperitatum successibus dirigi, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationes et capitula praedicta et in eis contenta, quae per certos ad hoc a nobis deputatos diligenter examinari ac praesentibus inseri fecimus, rata habentes et grata ea omnia et singula auctoritate universalis Ecclesiae tenore praesentium confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, decernentes, ea vim et robur in omnibus obtinere et ab his, quos concernent, inviolabiliter observari deberi, non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus praefati Ordinis ac domorum illius, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis contrariis quibuscumque.

Datum Basileae, XVI. kalendas Ianuarii[2], anno a Nativitate Domini MCCCCXLV.

Ab hoc ergo tempore istis ordinationibus est observantia stabilita in praedictis

---

[1] Ita cod., fortasse legendum est *expositis*. — [2] 17 Decembris.

conventibus, et fixa radice, celerius succrescens, ramos suos longe lateque extendit, mirae suavitatis odorem spirans.

Anno Domini 1446, audito sanctissimus dominus Papa Eugenius IV, quod in domo Fratrum Minorum oppidi Norimbergensis, quae inter alias domos partium Alamanniae ac Bavariae solemnibus et sumptuosis aedificiis exstructa exstat, nulla regularis observantia vigeret, quodque cultus divinus negligeretur, nec esset spes emendae, nisi sua Sanctitas eandem domum regimini Fratrum de Observantia subiiceret, concessit et mandavit magistro civium, scabinis [1] et consulibus ac proconsulibus etc. dicti oppidi, hoc ipsum supplicantibus, in Bulla, quae incipit: *Ex Apostolicae servitutis officio*, quod ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus in praefata domo regularis observantia fiat et servetur, et ipsa domus per Fratres de Observantia iuxta eorum ritus et mores, statuta ac consuetudines ac privilegia, eis desuper etiam a Sede Apostolica concessa, regatur et gubernetur, nec non Generali citramontano et Provinciae Argentinensis Provinciali, Vicariis Ordinis et observantiae praedictae pro tempore existentibus, in omnibus et per omnia sit subiecta. Quae omnia sequenti anno exsecutioni demandata sunt.

Eodem anno in festo sanctae Gertrudis [2] virginis reformatus est conventus Fratrum Minorum Tübingensis, procurante generoso comite, domino Ludovico de Würtemberga et eius illustrissima coniuge, domina Mechtilde, filia illustrissimi principis domini quondam Ludovici, comitis Palatini Rheni, de quo superius [3] mentio habita est, exsequente vero venerabili patre fratre Nicolao Caroli, Guardiano conventus Heidelbergensis et Custode ac Commissario subdelegato auctoritate sacri concilii Basileensis, ut supra [4] dictum est.

Item, misit dominus Eugenius Papa dominum Thomam, Episcopum tunc Bononiensem, qui ei in pontificatu successit, dominum Iohannem, Hispanum, et fratrem Iohannem de Capistrano, peritissimos viros et in agibilibus expertos, ad partes citramontanas, ut inducerent principes, tam spirituales quam saeculares, ad sibi obediendum; Iohannem autem de Capistrano primo ad ducem Mediolanensem, generum Felicis papae V, deinde ad reges Franciae et Aragoniae et ducem Burgundiae, quibus ipse frater Iohannes de Capistrano tam efficaciter suasit, ut omnes praefati reges et principes insaniam Amadaei, qui Felix dicebatur, detestati, in nullo se ei obtemperaturos promitterent. Quapropter ipse Felix et ei adhaerentes omnimodam opportunitatem exquirebant, qua eum aut de terra expellere aut eradicare valerent; sed tamen protectus a Deo, salvus ad Eugenium venit. Venerunt autem cum ceteris legatis et post eos oratores principum ad Curiam et ipsi domino Eugenio Papae ex parte dominorum suorum obedientiam et reverentiam exhibuerunt, eum indubitatum Pontificem Romanum cognoscentes.

Eodem anno, die XXII. mensis Iunii, ordinavit dominus Eugenius per secundam Bullam [5], quae incipit: *Ut sacra Ordinis Minorum Religio* etc., provisiones, ut de

---

[1] Scabini sunt proprie iidem ac iudices vel assessores iurati.

[2] 15 Novembris.

[3] Pag. 283.

[4] Pag. 312.

[5] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1446, n. 1, ubi haec gravis Bulla habetur integra. — Hoc anno 1446 (Wadding., l. c. n. III, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 107) Generalis Minister Antonius

triennio in triennium eligantur duo similes Vicarii Generales per electionem canonicam, iuxta quod fuit etiam in concilio Constantiensi quoad familiam nostram ordinatum. Et quievit familia sub ista provisione XIV annis.

Eodem quoque anno, X. kalendas Ianuarii [1], edidit idem dominus Eugenius Bullam aliam, quae incipit: *Vacantibus sub Religionis observantiae studio* etc., in qua mandat, Vicarios Provinciales in omnibus et per omnia eligi et deputari, sicut eliguntur Ministri Provinciales, et habetur haec Bulla sub plumbo Norimbergae in praetorio dominorum.

Eodem anno et mense mandavit idem dominus Eugenius, ut de singulis Provinciis convocati ad capitulum generale Vicarii Provinciales ordinarent statuta, quibus Fratres reducerentur ad unum modum vivendi, cuius mandati [2] tenor sequitur in haec verba:

Eugenius Episcopus, servus etc., Iohanni de Mauberto Ordinis Minorum, qui dicuntur *de Observantia regulari*, partium ultramontanarum Vicario, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cupimus, et quantum nobis fuerit ex alto concessum, intendimus omnia facere, per quae Fratres tuae commissi curae multos messis manipulos in horreum dominicum perferant [3]. Volumus itaque et mandamus tibi, ut, convocatis ad te omnibus Vicariis tibi subiectis aliisque tui Ordinis Fratribus, de quibus tibi videbitur, ac Vicariis antedictis, in locum per te ipsum deputandum, sed idoneum et tolerabilem omnibus, a quibus sic congregatis Vicariis et Fratribus Apostolica auctoritate volumus atque concedimus omnia posse fieri et ordinari pro gubernatione Fratrum, conventuum, domorum, locorum et eremitoriorum tuae Vicariae subiectorum, quae Generalis Minister tui Ordinis cum generali capitulo, tam de iure quam de consuetudine et ex forma privilegiorum posse facere consuevit. In primis autem volumus, tales a vobis ordinationes fieri, per quas omnes Fratres quorumcumque locorum et quarumcumque Vicariarum atque Provinciarum tui officii ad unum eundemque vivendi modum, quantum fieri potest, reducantur, tam circa habitus gestationem quam circa Fratrum receptionem et alia quomodolibet occurrentia. Nam ut id facere possitis, consuetudines, statuta, ordinationes qualitercumque factas, ac etiam privilegia a Sede Apostolica concessa, etiam si talia forent, de quibus habenda esset mentio specialis, in quantum nostrae voluntati supradictae adversentur, auctoritate praedicta tenore praesentium revocamus, declarantes, nostrae intentionis esse, Fratres dicti Ordinis de Observantia ad nullas teneri culpas atque censuras, quae [4] in eiusdem Ordinis statutis sive ordinationibus, tam Apostolicis quam generalibus, continentur, sed solummodo teneri et obligari poenis per Superiores suos impositis. Futurae au-

---

de Rusconibus comitia generalia celebravit ad Montempessulanum, quibus interfuerunt Fratres Conventuales, et Generalis Vicarius Iohannes de Capistrano tenuit capitula Romae in conventu Aracoelitano pro Fratribus Observantibus, et electus est Vicarius Generalis fr. Iacobus de Primaditiis Bononiensis, quem Generalis Minister quidem noluit confirmare, sed Papa ex plenitudine potestatis Vicarium declaravit (cfr. Bulla apud Wadding., l. c. n. V.).

[1] 23 Decembris. — Bulla aliquanto inferius citata habetur apud Wadding., l. c. ad an. 1446, n. VII.

[2] Quod videsis apud Wadding., l. c. 1446, n. VIII.

[3] Wadd.: proferant; [4] atque offensas, quae.

tem de qua supra diximus congregationi vestrae concedimus facultatem ordinandi et declarandi, in quibus locis et Provinciis Fratres debeant ieiunia regulae in cibis quadragesimalibus observare, et in quibus debeant patriae[1] consuetudines imitari vel aliter se habere.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCXLVI, X.[2] kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno XVI.

Anno Domini 1447, septimo kalendas Martii[3] obiit Eugenius Papa IV, pontificatus sui anno XVI, sepultusque est in basilica sancti Petri sepulcro marmoreo, versibus pluribus adornato. Et eodem anno, pridie nonas Martii[4], electus est dominus Thomas[5] Sarzanus, Cardinalis Bononiensis, et Nicolaus V. vocatus est, seditque annis octo. Hic statim post suam consecrationem misit Generali Vicario citramontano Breve talis tenoris:

Nicolaus Papa V. sedit annis VIII.

Nicolaus Papa V. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia experientia teste cognovimus, magnos ac uberrimos esse animarum fructus, quos laudabilis vita Fratrum tui Ordinis in horreum dominicum quotidie cumulat, cupimus atque intendimus, quantum nobis ex alto permittitur, praedictis Fratribus opportunos praebere favores, quo in suae regulae puritate, prout hactenus fecerunt, se valeant conservare, neque ipsa in re aliquid detrahemus de ardore et zelo, quem bonae memoriae Eugenium IV, praedecessorem nostrum, novimus habuisse. Quare devotioni tuae committimus et mandamus, ut, omnibus vicariatus tui Provinciarum Vicariis aliisque Fratribus, qui videbuntur idonei in locum, quem duxeris deputandum, congregatis, auctoritate nostra et vigore officii tibi commissi illa omnia facias, ordines, disponas, reformes et iubeas cum maioris partis congregatorum voluntate, quae ad bonum regimen, vivendi conformitatem et integram regulae vestrae observantiam et ad melius quietiusque Domino famulandum necessaria ac utilia videbuntur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XXVII. Aprilis MCCCCXLVII.

Eodem anno et in festo Translationis[6] beatissimi Patris nostri Francisci reformatus est conventus Fratrum Minorum in Norimberga hoc ordine. Nam quia anno praeterito dominus Eugenius Papa IV. Bullam reformationis concesserat, ipso iam defuncto, et electo domino Nicolao V, cum adhuc vigeret concilium Basileense, usi consilio fratris Alberti Puchelpach[7], Guardiani eiusdem conventus, domini civitatis, miserunt Heidelbergam ad venerabilem patrem fratrem Nicolaum Caroli, Custodem et reformatorem conventuum Fratrum Minorum Provinciae Argentinensis, subdelegatum auctoritate sacri concilii Basileensis a domino Wisperto de Franckenstein, cantore ecclesiae Wormatiensis; qui assumptis XIII Fratribus de diversis conventibus et pro magna parte de conventu Heidelbergensi, venerunt Norimbergam in duobus curri-

---

[1] Wadding.: primae.

[2] 23 Decembris, secundum Wadding. datum est XVI. kalendas Ian. (17 Decembris).

[3] 23 Februarii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1447, n. V. VI.

[4] 6 Martii; ita etiam Ciaconius; secundum Andream Victorelli, cui consentit Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 120: 8 Martii.

[5] Parentucelli dictus, ex oppido Sarzana, Episcopus Bononiensis.

[6] 25 Maii.

[7] Cod. hic *Puhelbach* et infra *Püchellbach.*

bus, a dominis civitatis eis missis, et hoc ordine processerunt. In primis, fratribus omnibus et Guardiano eiusdem conventus in loco refectorii aestivalis insimul congregatis et convocatis, in praesentia reverendi patris et domini, domini Georgii, Abbatis monasterii sancti Aegidii Ordinis sancti Benedicti, ac venerabilium dominorum Conradi Konhofer, omnium facultatum doctore, et Henrici Leubinck, legum doctore in decretis licentiato, ac sanctorum Laurentii et Sebaldi parochialium ecclesiarum rectorum, nec non providorum et circumspectorum virorum Caroli Holtzschuer [1], Bertholdi Nutzell, Nicolai Muffell, Mathiae Ebner et Conradi Baumgartner, seniorum aliorumque quamplurimorum tam Religiosorum et litteratorum quam saecularium dicti oppidi multitudine, publice in medium produxit dictus pater Nicolaus Caroli Custos litteras suae subdelegatae commissionis sub sigillo praedicti domini Wisperti de Franckenstein etc., reformatoris Ordinis Minorum per Provinciam Argentinensem a sacro concilio instituti, ipsasque per magistrum Henricum Gerung, notarium publicum, publice expresse alta et intelligibili voce legi fecit. Quibus litteris lectis, idem venerabilis pater Nicolaus Caroli in reformationis negotio auctoritate sibi commissa humiliter procedere volens, breve verbum exhortatorium fecit, ipsos exhortando, quatenus reformationis huiusmodi executionem caritative et humiliter in se recipere vellent, promittens eis, quod cum omni pietate et mansuetudine, quantum regula et instituta sancti Patris Francisci paterentur, accedentes tractare vellet. Si qui vero ad praesens ad huiusmodi reformationem suscipiendam a Deo inspirati non forent, eos pie ad alia loca ire permittere paratus esset. Post hoc, invocato sanctae Trinitatis nomine, ad reformationis negotium procedens, in primis fratrem Albertum Puchelpach, Guardianum saepe dicti conventus, requisivit et hortatus est, ut officium guardianatus in manus ipsius resignaret; quod ille statim humiliter fecit, fuitque ipsa resignatio huiusmodi auctoritate saepe dicta ab eo admissa. Deinde idem fecit apud fratres Ulricum Auracher [2], Viceguardianum, fratrem Hermannum Glaser, magistrum novitiorum et iuvenum professorum. Similiter requisivit fratrem Leornardum Tenninger, lectorem et praedicatorem ad populum, quatenus a praedicatione ad vulgum abstinere vellet; verum si accedere ad reformationem Deus ei inspiraret, nihil apud eum circa officium lectoriae immutare intenderet. Qui mox libere respondit, se a praedicatione ad vulgum abstinere paratum fore. Et ceteris officiis resignatis, clavibus ac privilegiis traditis, quasi omnes patres et fratres observantiae se subdiderunt.

Et tunc de reformatis et observantibus Fratribus, vita et moribus commendatis Officiales instituerunt. Et primo fratrem Hermannum de Bamberga in officium guardianatus substituerunt. Officium viceguardianatus una cum officio magistri novitiorum et iuvenum professorum iniunxerunt fratri Henrico de Heilbrunna; officium vero tertiani [3] fratri Iohanni Schenck. Redditus et proventus domus supradictae, pro anniversariis Missis et aliis divinis in officiis eidem domui a Christifidelibus donatos, cum iuxta canonicas sanctiones ac instituta sancti Patris nostri Francisci, qui summo suae professores regulae affectu mentis in paupertate vivere ac ab affectu et desiderio terrenorum totaliter abstractos esse desiderabat, apud Fratres Ordinis Minorum

---

[1] Cod. hic *Holltschuher* (cfr. supra pag. 222, nota 4.) et deinde *Pertholdi... Pawmgartner*.

[2] Cod. *Awracher*.

[3] Ita cod. probabiliter pro *tertii* (i. e. praedicatoris), vel *tertium* scil. officium praedicatoris.

remanere licite non possent, sed ab eisdem prorsus alienari et in alios pios usus converti deberent, in persona magistri Friderici Obsers, pro tunc provisoris novi hospitalis dicti oppidi Norimbergae praesentis et recipientis in plenum et perfectum dominium et possessionem ipsius novi hospitalis pro pauperibus et miserabilibus personis, ibidem sustentandis et alendis, ac capellae ipsius hospitalis reformatione per traditionem litterarum et registrorum desuper confectorum perpetuis temporibus auctoritate Diocesani et potestate eis specialiter concessa transtulerunt et converterunt. Sororibus sanctae Clarae, sub obedientia Ministri adhuc existentibus, suas partes in dictis redditibus contulerunt, irritato contractu de XXII florenis, fratribus pro Missa conventuali annuatim a sororibus praedictis dandis, ut supra [1] dictum est.

Acta sunt haec anno Domini MCCCCXLVIII, indictione X, synodo Basileensi durante, die iovis, XXV. Maii inter meridiei et Vesperarum horas eiusdem diei, praesentibus ibidem venerabilibus dominis Ulrico Horant, novi hospitalis custode, Michaele Meynel praedicatore, Iodoco Tetzel, altarista in sancti Sebaldi, iuratis magistris, et Petro Camerer in sancti Laurentii Ecclesiis, praedictis altarista et procuratore testibus ad praemissa vocatis et rogatis.

Sequenti mense venerunt litterae ad consulatum Norimbergensem a Friderico, rege Romanorum, mandante, ut omnes adhaererent obedientiae domini Nicolai Papae V, concilio Basileensi cum suo pontifice relicto; statimque qui sequebantur partes concilii recesserunt de oppido dicto.

Eodem anno mutatus est frater Richardus de Kirchberg ad conventum Pforzhemensem, cum quatuor annis iam in Observantia fuisset.

Igitur reformato conventu Norimbergensi, Fratres iam nihil praeter divina cogitabant, alii psallendo, alii libros relegendo, alii praedicando verbum Dei, et populum christianum exemplo vitae verboque doctrinae ac intercessione devotissima iugiter a vitiis revocando et ad virtutes alliciendo, adeo quod, si quis tunc illum statum atque illam Fratrum vitam inspiceret, qua tunc vivebant, qui prioris corruptelae fastidia meminerat, existimaret, velut ex loco profano sacerrimum Dei templum subito tamquam fulgur emicuisse. Eorum itaque vividis exemplis plurimi honesti cives et litterati viri incitati ad mundi contemptum, spretis honoribus, divitiis et deliciis, in dicto conventu habitum sanctae Religionis assumpserunt. Inter quos fuit notabilis et providus vir dominus Petrus Rietter, civis Norimbergensis, avus domini Petri Rietter noviter defuncti, cuius uxor domina Barbara de Seckendorf post reformationem conventus Ordinis sanctae Clarae eundem conventum et Ordinem intravit, sicut maritus eius Ordinem sancti Francisci intraverat. Item, frater magister Iohannes Lindler, postea Vicarius Provincialis, frater Iohannes Spiegel, frater Iohannes Sartoris de Mittua [2], oppido Misnae, et alii multi usque ad numerum 200 usque ad tempora nostra, hoc est annum Domini 1508.

Frater Iacobus de Primaditiis Vicarius Generalis ultramontanus.

Eodem anno fuit capitulum generale in Italia ad sanctam Mariam de Angelis, in quo fuit electus in Vicarium Generalem familiae ultramontanae frater Iacobus de Primaditiis [3].

---

1 Pag. 222, nota 4.

2 Cod. *Mittwa*, forte nunc vocatur Mittweida.

3 Ita cod., recte *Primatiis;* secundum Wadding., l. c. ad an. 1446, n. III. IV. (cfr. supra pag. 316, nota 5.) erat electus 1446, et dicto anno (1447) mense Iulii convocavit Vicarios Italos ad conven-

Ipso etiam anno in capitulo Heilbrunnensi [1] fecit frater Conradus Boemle, Minister Provincialis, statuta pro reformatione generali Provinciae, ex quibus sunt sequentia: Et quia nemo potest duobus simul intendere, vult et mandat reverendus Pater et firmiter praecipit cum patribus Definitoribus et capitulo universo, quod Guardiani conventuum et locorum in Provincia solum spiritualibus insistant nec aliquo modo se intromittant de censibus et redditibus, oblationibus aliisque obventionibus quibuscumque et etiam procurationibus, sed in quolibet conventu vel loco Provinciae habeatur unus providus, probus et honestus procurator saecularis vel spiritualis secundum ordinationem Custodis vel seniorum fratrum conventuum singulorum. Qui procurator de scitu et voluntate Guardianorum et Praesidentium necessaria procurare habeat, et non aliter. Guardiani vero, si secus fecerint, intromittendo se de temporalibus contra nostram prohibitionem, ipso facto sint suspensi a suis officiis et careant provisione.

Item, quicumque fratrum secreta et infirma fratrum personis, extra nostrum Ordinem existentibus, revelaverit, vel fratres apud easdem infamaverit, statim carceri mancipetur.

Item, quicumque frater ludos cum taxillis pro pecunia commiserit, iuxta statuta incarceretur. Similiter prohibemus omnes ludos inhonestos.

Item, nullus ex fratribus invitet aliquam personam saecularem ad prandium vel ad coenam sine licentia sui Guardiani. Nec faciant convivia in cellis cum saecularibus.

Item, tempore refectionis habeatur lectio mensae in singulis conventibus, et in conventibus principalioribus continuetur lectio usque ad finem refectionis.

Item, fratres tempore calido et sicco utantur soleis, nec licentientur ad civitatem nisi soleati.

Item, fratres nullo modo accedant ad monasteria Clarissarum nec ipsis loquantur in cratis vel rota, nisi habeant licentiam reverendi patris Ministri, vel Visitatoris in scriptis. Qui contravenerint, mittantur extra suos conventus confusibiliter per Custodes.

Item, cum reverendus pater Minister et omnes patres sinceram habeant intentionem totam Provinciam reformandi, et singulos conventus intendant reducere ad observantiam communitatis servandam — quod tamen repente fieri non potest, sed successive, divina auxiliante gratia — omnino proponit ideo de praesenti reverendus pater Minister cum Definitoribus liberam et omnem facultatem atque auctoritatem Custodibus virtute praesentis Constitutionis, tribuit, dat et communicat inducendi huiusmodi communitatem salubrem in omni loco fratrum, ubi dispositionem ad hoc inveniunt.

Item, omnia alia pro regulari observantia necessaria Custodes disponant iuxta statuta noviter edita in capitulo generali, in Montepessulano celebrato [2], in quibus reducti sumus ad observantiam statutorum papalium Benedicti XII, et ad Constitutiones generales Gulielmi Farinerii, cum certis articulis et additamentis salubribus ordinationum capituli generalis Montispessulani. Et ut hoc praesens statutum pro ini-

---

tum S. Mariae Angelorum, et edidit quasdam ordinationes, quas videsis apud De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 108.

[1] Cod. hic *Haylbrunnen* (Heilbron in Württemberga).

[2] Anno 1446. — Cfr. De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 107, ubi habentur statuta memorata.

tio reformationis sinceriter conceptum inviolabiliter observetur, et ne ignorantia horum statutorum sit causa transgressionis, et fratres recipiant velamen excusationis, mandat reverendus pater Minister, quod in singulis conventibus hoc statutum habeatur ac in quolibet mense semel coram fratribus congregatis intelligibiliter legatur. — Glossa: Ita semper, quod Minister et patres nullo modo regulam vel statuta servent, sed in libertate sui vivant etc.!

Hoc anno commissae sunt sorores Ordinis sanctae Clarae in Gnadenthal curae venerandi patris Nicolai Caroli, Custodis, iuxta formam, sororibus eiusdem Ordinis in Alspach concessam. Sed Felix papa volebat earum reformationem impedire, donec matronae, habentes inibi filias et consanguineas, ipsum flexis genibus deprecarunt.

Eodem anno datae sunt per copiam ex conventu sancti Audomari [1] litterae privilegiorum sanctissimi domini, quondam Eugenii Papae IV, sub sigillo Generalis Vicarii, Iohannis de Mauberto.

Eodem anno, id est MCCCCXLVII, sexta die Martii, obiit soror Coleta [2], reformatrix Ordinis sanctae Clarae in inferioribus partibus [3], aetatis suae anno sexagesimo sexto. Haec primum sub cura Patrum de Observantia cum suis sororibus in primae regulae sanctae Clarae observantia vivens, persuasa a nonnullis non recte sapientibus, quod earum obedientia non esset regularis, quia Ministro non obedirent, sicut tenerentur, muliebri levitate usa, subtraxit se regimini Patrum de Observantia cum Fratribus sibi et suis servientibus et novum vivendi modum sub obedientia Ministri adinvenit, et ab ea dicti sunt *Fratres et sorores Coletani.* Ipsa, dum viveret, in propria persona venit ad Papam et ad libitum postulata obtinuit et semper in magna libertate vixit; requiescat in pace [4].

Anno Domini 1448 contigerunt sacrae Observantiae plurima mala. Primo recessit frater Richardus de Kirchberg de conventu Pforzhemensi, et veniens post Pentecosten in Pfullingam, factus confessor sororum sanctae Clarae nondum reformatarum, ibidem permansit. Et eodem mense apostataverunt Guardianus et Viceguardianus eiusdem conventus Pforzhemensis, qui olim monachi Ordinis Cisterciensis fuerant; quos excommunicavit frater Nicolaus Caroli in his scriptis:

Nos Nicolaus Caroli, domorum seu conventuum Ordinis Fratrum Minorum per Provinciam Superioris Alamanniae, iuxta morem Ordinis auctoritate universalis Ecclesiae Visitator et reformator subdelegatus, nec non Custos Fratrum eiusdem Ordinis de Observantia per eandem Provinciam, universis Christifidelibus mandatis nostris in hac parte, immo verius universalis Ecclesiae, firmiter obedire.

Cum contradictores seu impedimenta praestantes sanctae reformationi, appellatione postposita, censuris ecclesiasticis coercere habeamus, prout in mandato nostrae subdelegationis plenius continetur; hinc est, quod fratres Nicolaum Helwici de Weissenburgo [5] et Theobaldum Hingstetter, aliquando monachos Ordinis Cisterciensis mo-

---

[1] Id est Saint-Omer (lat. Fanum S. Audomari, qui Sanctus hanc civitatem an. 660 fundavit, vel Audomaropolis) in Gallia (Artois).

[2] De qua videsis Wadding., l. c. ad an. 1446, n. III. seqq. et 1447, n. XLI. seqq.

[3] Ita habet cod., sed probabiliter excidit aliqua vocula, fortasse *Germaniae.* Constat enim (cfr. Wadding., l. c. ad an. 1446, n. VIII.) a Coleta multa monasteria in diversis regionibus Germaniae (i. e. Belgii, Hollandiae), Franciae, Burgundiae, Sabaudiae esse reformata et exstructa.

[4] Anno 1807 a Pio Papa VII. in canonem Sanctorum relata est. — Parum religiose de hac sanctissima virgine auctor loquitur. — [5] Cod. *Wyssenburg,* est Weissenburg, oppidum Alsatiae.

nasteriorum Mulbrunnensis [1] et in Alba, nunc autem post completum annum probationis sponte et non coacte in memorato Minorum Fratrum Ordine legitime professos, propter ipsorum latentem et temerariam fugam ac apostasiam, dimissionem quoque praelationis et officiorum, quibus in conventu Pforzhemensi Ordinis Minorum memorati praefecti fuerant, nec non et propter contumacem rebellionem et contemptum eorundem, quae omnia et singula non modica impedimenta sanctae reformationi praestare videntur, excommunicamus in his scriptis et ipsos ac eorum quemlibet excommunicatos seu excommunicatum denuntiamus, mandantes omnibus et singulis Christicolis, cuiuscumque status aut conditionis fuerint, auctoritate universalis Ecclesiae supradicta, quatenus ipsos et eorum quemlibet ut excommunicatos seu excommunicatum devitent ac devitet, donec et tamdiu quousque a sententia excommunicationis, sic in eos et eorum quemlibet fulminata, absolutus vel absoluti, ad gremium sanctae matris Ecclesiae revertantur, mandantes nihilominus sub poena excommunicationis, quatenus nullus haec nostra mandata, praesentem sententiam continentia, temerarie deponere praesumat.

Datum in conventu Fratrum Ordinis Minorum Pforzhemensi, anno Domini MCCCCXLVIII, die V. kalendas Februarii [2], officii nostri sub sigillo praesentibus subimpresso.

Venerant post reformationem conventus Pforzhemensis multi diversarum Religionum Religiosi ad Ordinem, inter quos fuit quidam doctor, nomine Helwigus, qui in Ordine perseveravit et praedicator existens in Rubeaco obiit, et duo praedicti de Ordine Cisterciensi, qui abierunt retrorsum etc.

Eodem tempore post festum Purificationis beatae Mariae, hieme asperius saeviente, delatae sunt litterae ad venerabilem patrem Nicolaum Caroli, Custodem, quibus requirebatur, ut mox post earum lectionem concito Basileam properaret, eo quod Fratres Conventuales pro recuperatione conventus eiusdem civitatis litem movissent et apud Felicem pontificem instarent. Qui statim, socio assumpto, die noctuque ambulans, festinabat ibidem comparere. Cumque in superioribus partibus Alsatiae nocte quadam in nivibus et glacialibus aquis — contra quae incommoda tybias straminibus supra calligulas, ah pietas! circumligaverant — iuxta villam Meienheim prope paludes et fluvium, qui vulgariter *Illae* [3] dicitur, oberrantes, periculo submersionis ob tenebras noctis et ignorantiam fluvii proximi essent, subito audiunt vocem vocantis in aëre et dicentis: *Yr gondt nitt recht;* erratis a via recta! Qua voce audita, substiterunt aliquantulum attoniti, neminem videntes. Deinde cepta regione pergentes, rursus eandem vocem audiunt: *Yr gondt nitt recht.* Tuncque et ipsi clamantes interrogabant, quisnam adesset eos vocans: *Wer ist da?* Et cum nemo responderet, in hoc verbo rursus procedentes, tertio vocem insonare audiunt: *Gondt hinder euch;* pergite in regionem oppositam! Quibus illi exterriti verbis, retrocesserunt veneruntque casu in villam Meienheim, distantem uno milliari ab oppido Rubeaco [4], a cuius villae incolis didicerunt, quod, ubi progressi fuissent, incurrissent abyssales

---

[1] Id est Malbrun, vel Maubrun in Gallia.
[2] 28 Ianuarii.
[3] Id est theut. « Ill ».
[4] Cod. *Rufach.*

eiusdem fluvii profunditates, e quibus eos nemo mortalium eripere valuisset, intellexeruntque, quod, ex quo in tanto periculo eis constitutis humanum subsidium defuit, misisset Deus Angelum suum, cuius ministerio in tantis casibus praeservati fuissent.

Gaudio proinde repleti, Dominum, qui suis servis semper in necessitatibus subvenit, ne pereant, in recepto beneficio collaudantes, mane sequentis diei versus Basileam pergunt. Quo dum pervenissent, intellexerunt, quomodo venerabilis frater Leonardus Meyer coram consistorio cum quodam infami Conventuali certabat, obiiciendo ei levitatem et infamem vitam eius. Felix autem papa favebat parti Conventualium et Observantibus resistebat. Cumque res iniuste ageretur, ut etiam saeculares de suppositis ipsius concilii scandalizarentur, pauperes Fratres contra iustitiam opprimi; quidam miles dolorem celare non valens, surrexit, stansque in ianuis palatii alta voce substomachando dixit: *O Gott, du bist ein rechterer richter* [1] *!* Quam vocem cum audisset ipse Felix papa, interrogavit, quidnam significaret. Cui astantes responderunt, quod invocaret divinam iustitiam et clamaret, Deum iustum esse iudicem, addentes, quod homines contra ipsos conspirarent. Tunc statim omnes surrexerunt et causam, quam inique egerant, indeterminatam reliquerunt, Domino terrorem eis incutiente.

Pater autem Nicolaus Caroli, informatis patribus concilii et dominis civitatis, etsi difficulter, obtinuit tamen dilationem. Interea venit fama, velle regem Romanorum, omnes omnino adhaerere obedientiae Nicolai V, veri et indubitati Pontificis, et ipsos Basileae desistere a celebratione concilii. Tunc timentes Felix papa et ceteri de concilio, quia salvus conductus ad iussum regis de cetero eis non servaretur, die XVI. Maii sessionem XLV. et ultimam celebraverunt, in qua decreverunt, aliud concilium Lugduni celebrandum etc., sicut in hoc decreto continetur:

Sacrosancta generalis synodus Basileensis etc., ad perpetuam rei memoriam. Desideravit Ezechias rex, ut fieret pax et veritas in diebus suis, et nos desiderio desideravimus, ut pax et unio Ecclesiae in diebus nostris hoc sacro durante concilio Basileensi daretur. Verum cum ex plurimis impedimentis, quae dietim ingeruntur et in futurum succrescere possent, formidetur, ne pax et unio huiusmodi desideratae in hac civitate Basileensi fieri, aut actus conciliales libere exerceri valeant, volentes propterea casibus futuris providere, ac ut fides et auctoritas generalium conciliorum, universalem Ecclesiam repraesentantium, illibatae permaneant, quodque unio et pax vera Ecclesiae dentur, nec non ut continuetur celebratio generalium conciliorum; attento quod iam sanctissimus dominus Felix papa V, praevidens necessitatis casum, pro futuro concilio nominavit inclytam civitatem Lugdunensem in partibus Galliarum, in hocque satisfaciendo decretis sacrorum Constantiensis et Basileensis huius generalium conciliorum, dictam civitatem Lugdunensem, quam experientia docente generalium synodorum hactenus in ea celebratarum accommodam ac idoneam reputamus, tenore praesentium in nomine sanctae et individuae Trinitatis pro futuro proximo celebrando concilio nominamus, deputamus et assignamus. Cumque immineant urgentissimae causae, ut brevi fiat alterius generalis concilii celebratio, propterea statuimus et ordinavimus, ut infra triennium a dato praesentium computandum generale concilium in praefata civitate Lugdunensi celebretur, decernentes, quod Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati seu quicumque alii, qui ad generalia concilia de iure vel consuetudine convenire debent, in triennio praemisso ad dictum

---

[1] Id est: Deus, tu es iustior iudex.

locum accedere teneantur, dummodo post dissolutionem huius concilii hoc vel alio in loco continuari restat unus annus ante huiusmodi triennii finem. Volumus etiam et specialiter concedimus, quod praedictum terminum futuri celebrandi concilii abbreviare valeat praefatus papa Felix. Per praemissa autem, etsi recte inspicientibus aliud videri non debeat, ad maiorem tamen veritatis manifestationem declaramus, quod non intendimus neque volumus, hoc sacrum generale concilium Basileense dissolvere, aut dissolutum quomodolibet censendum esse, quin immo in hoc loco continuandum fore et continuari debere, dum tamen integra et plena libertas atque securitas nec non salvus conductus per inclytam civitatem Basileensem nobis et eidem synodo concessi serventur illaesi; adiicientes, quod si aliquod fieret impedimentum, quominus in hac civitate Basileensi iuxta ritum consuetum actus conciliares libere exerceri possent, aut libertas seu securitas et salvus conductus huiusmodi non servarentur, quibus casibus seu eorum aliquo, quod Deus avertat, advenientibus, super quo stari volumus arbitrio seu attestationi dilectissimorum Cardinalium et venerabilium Episcoporum aliorumque dilectorum Ecclesiae filiorum, per nos hodie deputatorum, aut maioris partis eorum pro tempore praesentium cum subscriptione eorum in desuper conficiendo publico instrumento et sigillis eorundem muniendo, ex tunc prout ex nunc et ex nunc prout ex tunc, hanc sanctam synodum pro ipsius continuatione ab hac civitate Basileensi ad civitatem Lausannensem eiusque uti provinciae Bisuntinensis [1] locum habilem, tutum et idoneum ad generalis concilii celebrationem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti tenore praesentium transferimus ac translatum esse decernimus cum eisdem modis, formis, qualitatibus et ordinationibus, cum quibus in hoc loco Basileensi continuata fuit et stat de praesenti.

Datum Basileae in nostra publica sessione, in ecclesia maiori Basileensi solemniter celebrata, XVII. kalendas Iunii [2], anno a Nativitate Domini MCCCCXLVIII.

Haec sessio fuit XLV. et ultima concilii Basileensis.

Eodem anno fuit capitulum custodiale in conventu Ratisbonensi propter nimios excessus fratrum conventus Ingolstadiensis [3] per venerabilem patrem fratrem Leonardum, Custodem Bavariae, celebratum, in quo condidit statuta pro eodem conventu Ingolstadiensi incipientia:

In Christo sibi carissimis fratribus, fratri Iohanni Guardiano ceterisque universis fratribus conventus Ingolstadiensis Ordinis Fratrum Minorum, frater Leonardus, Custos et servus Fratrum Ordinis eiusdem per Bavariam, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Inter ceteras sollicitudinum curas, quibus multipliciter mens mea ex officio et onere mihi Dei iudicio, licet occulto, commisso distrahitur, istud maxime perturbat animum meum, cum audire me contingit, in quibusdam locis tepescere et decrescere fervorem religiositatis, et fratres postponere devotionem, Ordinis sui disciplinam, per illicita defluere, se ipsos negligere, ceteros videntes et audientes scandalizare, et ad similia facienda provocare et animare. Et quia specialiter fratres conventus Ingolstadiensis iam dicti sunt in pluribus huiusmodi negligentes ac vitiosi notati et a fide

---

[1] Id est Besançon in Gallia.

[2] 16 Maii.

[3] Cod. hic et deinde *Ingolstattensis*.

dignis incusati et in tantum divulgati — quod tamen dolenter refero — quod ad aures reverendissimi patris et domini nostri gloriosissimi Episcopi Eistadiensis [1] fama excessuum et enormitatum pervenit, ex quibus iam dictus gratiosissimus dominus et pater provocatus ac conturbatus, suos per certos ac honorabiles nuntios et sua certa scripta pluries intimare ac me ceterosque patres ac Praelatos instigare curavit, ut huiusmodi excessus et delicta arceantur et fratres ad meliorem votorum et Ordinis sui observantiam astringantur, ne in suis pravitatibus et voti fractionibus persistentes, suisque Superioribus obedire aspernentes ac contemnentes, populumque Dei patule scandalizantes, baculum correctionis sentiant alienum, qui ausu temerario ac improbo contemnunt proprium.

Ne igitur facilitas veniae huiusmodi impudice delinquentibus ausum temerarie delinquendi praebeat, ordinavi statuta infrascripta iuxta intentionem et commissionem reverendi patris nostri Ministri, ex consensu quoque et beneplacito Definitorum capituli provincialis nuperrime celebrati et auctoritate eius plena:

Regula de divino officio.
Regula de inutili discursu fratrum.
Regula de inutili discursu vago et vano fratrum.
Regula de clausura.
Regula de ingressu mulierum.
Regula de revelantibus secreta fratrum.
Regula de procuratore.
Regula de correctione delinquentium etc.

Eodem anno, tertio kalendas Iulii [2], innovavit, approbavit et confirmavit dominus Nicolaus Papa V. in Bulla sua, quae incipit: *Provisionis nostrae debet provenire subsidio* etc., Bullam et Constitutionem domini Eugenii Papae IV, quae incipit: *Gregis nobis crediti*, in qua declarat, quod Fratres Ordinum Mendicantium, praesentati Episcopis, iuxta formam Clementinam, cap. *Dudum*, *de Sepulturis*, possunt confessiones audire confiteri sibi volentium, poenitentias iniungere et absolvere libere eosdem.

Anno Domini 1449 dedit dominus Nicolaus Papa V. quoddam Breve ad Fratres nostrae familiae citramontanae in capitulo generali Florentiae congregandos [3], cuius tenor talis est:

Nicolaus Papa V. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cupientes, vos vitam continuare regularem et a vobis vestrisque huiusmodi Fratribus aequiori modo, quo fieri potest, regulam vestram observari, pro nostra quam

---

[1] Cod. *Eystettensis*.

[2] 29 Iunii.

[3] Secundum Wadding., l. c. ad an. 1449, n. XV, Iacobus Primaditius, Vicarius Generalis Observantium vocavit ad congregationem generalem praecipuos suae familiae patres ad conventum Nemoris de Mugello, ab urbe Florentia non longe distantem, et 18 Maii (secundum Marianum et Marcum Ulys. sub festo Pentecostes) Iohannes Capistranus secundo Vicarius electus est. Electione facta, Capistranus adiit Pontificem Spoleti morantem; et relatis, quae in Comitiis acta erant, misit Nicolaus V. litteras ad Generalem Ministrum (alium tamen tenorem exhibent, ut dictae), datas 23 Maii, pontif. an. III. Capistranus tunc abiit Florentiam, ubi fr. Antonius, Min. Gen., capitulum generale Conventualium infra memoratum in coenobio S. Crucis pro festo Pentecostes (1 Iun.) tenendum indixerat.

erga Ordinem vestrum gerimus caritate, vos specialiter hortamur in Domino, ut bono tam doctrinae quam vitae exemplo sub uno vestro Generalis Ministri Vicario ceterisque Ministrorum Provincialium Vicariis laudabiliter in pace ac regulari uniformitate vivatis; et ut etiam pauperes sorores sanctae Clarae vobis commissae, praesertim quae in observantia constitutae inclusae sunt, ita religiose vivere enitantur et in omni bono proficere studeant, quod per passionem Domini nostri Iesu Christi, vestris accedentibus meritis, ad vitam pervenire valeatis aeternam. Quod profecto si feceritis, rem omnipotenti Deo admodum acceptam et vestrae Religioni convenientem et commodam et nobis ipsis gratissimam facietis.

Datum Spoleti sub annulo piscatoris, die XXIII. Maii, pontificatus nostri anno tertio.

Hoc Breve portavit venerabilis pater Iohannis de Capistrano Fratribus in capitulo supradicto congregatis.

Eodem anno fuit capitulum generale Fratrum de Observantia utriusque familiae Florentiae, et ibidem etiam capitulum generale Fratrum Conventualium celebratum, in quo capitulo confirmavit Minister Generalis, frater Antonius de Rusconibus, electos Vicarios Generales de Observantia litteris [1] tenoris sequentis, singulis datis:

In Christo sibi carissimo fratri Iohanni de Mauberto Provinciae Franciae frater Antonius de Rusconibus de Cunis, sacrae theologiae magister ac totius Ordinis Minorum Generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Cum in congregatione Fratrum, qui *de Observantia* vulgariter nuncupantur, in certo loco [2] celebrata, fueris per Fratres in eorum Vicarium in ultramontanis partibus reelectus, quam electionem ut confirmarem, per quosdam venerabiles fratres ad me specialiter missos fui in persona omnium antedictorum humiliter et reverenter requisitus; ego itaque, ad quem spectat subditorum merita ponderare, electionem ipsam de te mihi carissimo filio factam, rite, canonice et iuridice celebratam, de consilio tamen omnium patrum Ministrorum multorumque aliorum Vocalium in praesenti capitulo generali, Florentiae celebrato anno Domini MCCCCXLIX, die II. Iunii, existentium, accepto, approbo atque confirmo, tibi vices meas atque omnimodam potestatem ac facultatem committo, sicut in aliis litteris, prius in Montepessulano datis et confectis, plenius continetur, quas per praesentes litteras de verbo ad verbum volo habere et habeo pro sufficienter expressis et liquide declaratis. Et ut tibi cedat ad meritum, mando tibi ad meritum [3] obedientiae salutaris, quatenus ipsam electionem in eorum Vicarium et pastorem, ut praemittitur, rite iuridiceque de te factam, omni contradictione semota, humiliter reverenterque suscipias susceptamque cum omni diligentia studeas exercere secundum gratiam a Domino tibi datam; iniungens insuper omnibus et singulis Fratribus de Observantia vulgariter nuncupatis, cuiuscumque conditionis et gradus existant, tuo regimini commissis, ut tibi, vero Vicario meo, per eandem obedientiam salutarem teneantur firmiter obedire, exhortans te in Domino, ut ita sollicite circa eorum regimen te habeas et caritative, quod ad saepe

---

[1] Cfr. Wadding., l. c. 1449, n. XIX, ubi habentur eaedem litterae ad Iohannem de Capistrano directae.

[2] Apud Wadding.: in loco Nemoris de Musseto celebrata.

[3] Verba: mando tibi ad meritum, quae per errorem scriptoris in cod. excidisse videntur, sed certo supplenda sunt, adiecimus ex Waddingo.

dictorum Fratrum tua institutio cedat profectum animarumque salutem et Religionis augmentum, quos tibi teque illis in Domino recommendo. Vale in Christo Iesu et ora pro me.

Datum Florentiae tempore nostri generalis capituli inibi celebrati anno et die, quibus supra.

Eodem anno obiit frater Conradus Boemle, Minister Provinciae Argentinensis, et electus est in conventu Reutlingensi in Ministrum Iohannes Gneip [1], de conventu Esslingensi. Hic tenuit aliqua capitula, quae tamen omnia non intendo prosequi, nisi interdum, propter causam promotionis observantiae, vel causam specialis utilitatis.

Frater Iohannes Gneip Minister Superioris Alamanniae, doctor.

Hoc anno cernens Nicolaus Papa, totam Italiam ad bella concitari, auctoritatem suam saepe interposuit, ut pax componeretur, quo sequenti anno libere omnibus ex tota Europa ad Iubilaeum venire liceret. Instabat enim quinquagesimus annus, quo Iubilaeus de more indicebatur, creavitque sex Cardinales. Interim compulit Fridericus, rex Romanorum, Nicolao Pontifice instante, Felicem V, ut se pontificatu abdicaret, quod cerneret, tam diurnum schisma Ecclesiae perniciosum esse. Usus tamen hac benignitate erga Amadaeum Nicolaus est, ut eum Cardinalem Episcopum Sabinensem et Legatum Germaniae crearet, ne omnino sine dignitate viveret. Venerunt et in potestatem Nicolai Pontificis Cardinales illi, quos Amadaeus creaverat. Hac vero concordia adeo laetatus est non solum Clerus omnis, verum etiam populus Romanus, ut in sequenti nocte eius diei, quo haec audita sunt, cum faculis per Urbem in equis incederent clamantes: « Vivat Nicolaus Papa » etc. Pontifex autem, ne ingratus erga Deum tanti beneficii videretur, supplicationes admodum celebres cum populo et Clero Vaticano habuit. Idem fecerunt et reliqui populi Italiae, a perniciosa seditione Ecclesiam Dei liberatam cernentes. Insuper, approbavit ipse Pontifex omnia acta et gesta in concilio Basileensi in Bulla, quae incipit: « Ut pax, qua nihil desiderabilius, in Ecclesia universali amplissime diffundatur et perduret » etc. Datum Spoleti, anno ut supra, XIV. kalendas Iulii [2] etc.

Eodem anno, cum multi de fratribus senioribus conventus Norimbergensis iam reformati anhelarent sequenti anno propter Iubilaeum ire Romam, Superiores discursus consulte praecavere volentes, supplicaverunt Pontifici Nicolao, ut eisdem fratribus gratias Iubilaei domi concederet. Quibus assentiens, certam formam ipse Pontifex, qua eas gratias consequerentur, ut Brevi sequenti continetur, praescripsit:

Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, universis fratribus domus Fratrum Minorum oppidi Norimbergensis, Bambergensis dioecesis, in praesentiarum existentibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrae Religionis, sub qua devotum exhibetis Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, per quae saluti animarum consulitur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum, ut aliquem idoneum discretum presbyterum saecularem, vel Religiosum, in vestrum possitis eligere confessorem, qui, confessionibus vestris diligenter auditis, in casibus Sedi Apostolicae reservatis, semel dumtaxat, ab

---

[1] Cod. modo *Gneypp*, modo *Gneyp*, forte rectius Kneip vel Kneipp.

[2] 18 Iunii.

omnibus et singulis peccatis per vos commissis, debitam vobis absolutionem impendat et iniungat poenitentiam salutarem, nec non ipse confessor, per vos communiter vel divisim eligendus, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis, in sinceritate fidei, unitate sanctae Romanae Ecclesiae ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, auctoritate Apostolica concedere valeat, ita tamen quod idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio imponenda, eam per vos, si supervixeritis, vel per alios, si tunc forte transieritis, faciendam iniungat, quam vos, vel illi facere teneanimi, ut praefertur; et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeretis, quoad illa praedicta remissio vobis nullatenus suffragetur, et insuper, per unum annum a tempore, quo praesens nostra concessio ad vestram pervenerit notitiam, computandum, singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante, ieiunetis; quod si praedictis feriis ex praecepto Ecclesiae, regulari observantia [1], iniuncta poenitentia, voto vel alias ieiunare teneamini, una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum non sitis astricti, ieiunetis; et si in dicto anno, vel aliqua eius parte essetis legitime impediti, anno sequenti, vel alias quamprimum poteritis, huiusmodi ieiunium supplete; porro, si forsitan alias praelibatum ieiunium in toto vel in parte, quandocumque commode adimplere nequiveritis, eo casu confessor praedictus ieiunium ipsum in alia pietatis opera commutare possit, quae vos pari modo adimplere teneamini, alioquin praesens nostra concessio quoad plenariam remissionem huiusmodi dumtaxat nullius sit roboris vel momenti : devotioni vestrae auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et voluntatis infringere etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Domini MCCCCXLIX, XIII. kalendas Ianuarii [2], pontificatus nostri anno II.

Anno Domini 1450 Iubilaeus Romae celebratur, et tanta multitudo populi Romam venit, quanta nunquam antea.

Item, in principio huius anni prohibuit venerabilis pater Nicolaus Caroli fratribus conventuum iam reformatorum, ut nullum inferiorem Generali Ministro, qui non esset de gremio fratris Iohannis de Mauberto, Vicarii Generalis, ad visitationem suorum conventuum admitterent. Ita :

In Christo sibi carissimis Guardianis ceterisque omnibus et singulis fratribus conventuum Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum, infra Provinciam Argentinensem constitutorum, Heidelbergensis, Basileensis, Rubeacensis, Pforzhemensis, Tübingensis et Norimbergensis, frater Nicolaus Caroli, eorundem fratrum et conventuum Custos et Vicarius reverendi patris Ministri Provincialis praefatae Provinciae, salutem etc.

Tenore praesentium vobis omnibus et singulis Praesidentibus et subditis per praesentes mandans, praecipio in virtute sancti Spiritus, quatenus, tamdiu et quousque

---

[1] Quod apud Fratres Minores accidit, cum ex regula feriis sextis ieiunare teneantur.

[2] 20 Decembris.

aliud a me in mandatis receperitis, nullum omnino inferiorem reverendissimo patre Ministro Generali totius Ordinis, et qui non est de gremio reverendi patris fratris Iohannis de Mauberto, Vicarii nostri Generalis cismontani, ut Visitatorem quoquomodo suscipere et admittere debeatis. Cuius praecepti sinceram intentionem benigne recipiatis et nihilominus ipsum, sicut tenemini, fideliter custodiatis. Valete in Domino semper etc.

Datum in Rubeacensis conventus terminis, anno etc., officii mei sub sigillo etc., frater Nicolaus, Custos et Vicarius.

Hoc tempore factus est venerabilis pater frater Nicolaus Caroli Vicarius *primus* in hac Provincia Argentinensi iuxta formam provisionis domini Eugenii Papae IV, qui ante solum Custos Fratrum de Observantia fuerat. Causa fuit schisma in Ecclesia, qua adhaerentes concilio et papae Felici non patiebantur, quemquam auctoritate Eugenii IV, seu successoris eius, Nicolai V, fungi et econtra; et postea neutralitas, qua principes electores utrisque Pontificibus et etiam concilio ad tempus obedientiam subtraxerant. Sed sublato iam schismate et pace in Ecclesia firmata, de cetero usi sunt Patres sacrae Observantiae privilegio memorato domini Eugenii Papae IV. de modo constituendi Vicarios Generales et Provinciales etc., qui antea solum auctoritate concilii Basileensis quoad Provinciam nostram Argentinensem ut Custodes regebant.

Frater Nicolaus Caroli primus Vicarius Provinciae Argentinensis super Fratres Observantiae.

Eodem anno, in die sancto Pentecostes [1], quando maior concursus populi ex omnibus mundi regionibus propter Iubilaeum Romae fuit, canonizavit dominus Nicolaus Papa V. sanctum Bernardinum de Senis, olim Vicarium Generalem super Fratres de Observantia in ultramontanis partibus commorantes, de consensu Cardinalium et omnium Praelatorum in Curia existentium.

Eodem anno, dominica *Iubilate* [2], celebravit Nicolaus Caroli, Vicarius Provincialis, *primum capitulum provinciale* in Basilea, in quo sunt ista ordinata: Quod fratres omnes informarentur de illa Decretali, quae habetur in Clementinis [3] *de Privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. *Religiosi.*

Item, forma absolutionis a confessoribus observanda. Primo, imposita poenitentia, dicat confessor: *Misereatur tui* etc.; absolutio: Dominus noster Iesus Christus per suam piissimam misericordiam et per merita suae sacratissimae passionis te absolvat et gratiam suam tibi infundat, et ego auctoritate ipsius, qua fungor, absolvo te a vinculo excommunicationis minoris, si necesse est, et restituo te communioni fidelium et Sacramentis Ecclesiae. Iterum, eadem auctoritate ego absolvo te a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Eodem anno, in die Pentecostes, fuit Romae capitulum generale, in quo electus est secundum quosdam in Ministrum Generalem [4] frater Angelus de Perusio, magister in theologia. Et in eodem capitulo confirmati fuerunt in officiis Vicarii frater Iohannes de Capistrano et frater Iohannes de Mauberto.

Frater Angelus de Perusio XXXIII. Minister Generalis Minorum, magister theologiae.

Anno Domini 1451, post felicem et Deo gratissimam sancti

---

[1] 24 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1450, n. I. seqq. Romae tunc erant circa 3800 Fratres Minores, secundum alios 5000.

[2] Dominica III. post Pascha, quae erat die 26 Aprilis. — [3] Libr. V. tit. VIII. cap. I.

[4] Revera ita est. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1450, n. X. Generali Ministro, Antonio de Ru-

Bernardini canonizationem, in anno praeterito et Iubilaeo per Nicolaum Papam, ut dictum est, celebratam, frater Iohannes de Capistrano [1], cum fungeretur vicariatus officio, ad partes Lombardiae et Marchiae Tarvisinae se transtulit et in omnibus civitatibus, quas visitabat, ex divina benignitate et meritis beati Bernardini et beati Patris sanctitate stupendissima miracula monstrabantur, quorum rumor et novitas cum omni admiratione delata est ad consiliarios Friderici, regis Romanorum — inter quos fuit Aeneas Sylvius, postea Papa Pius II. dictus — qui cum Nicolao Pontifice et magistratibus civitatum Italiae de transitu Friderici regis in Italiam, tum ut coronam imperii acciperet, tum ut Leonoram, regis Lusitaniae filiam, Alphonsi de Neapoli neptem, in uxorem duceret, transigebant. Qui cum beatum Iohannem de Capistrano plurimorum vocibus commendatum accepissent utpote virum doctum et apostolicae vitae sectatorem, litteras Nicolai Pontificis ad eum impetrant, quibus illi iter in Austriam ad praesentiam Friderici regis mandatur. Quod cum Pater beatus intellexisset, interrogavit fratrem Michaelem de Prussia, laicum socium suum, dicens: « Tudesco [2], quid tu consulis, quia Alamanni desiderant, ut pergamus in Alamanniam »? Frater autem, qui sciebat negotium, quippe qui milites et nobiles Alamannos super miraculis, per beatum Patrem cum reliquiis sancti Bernardini factis, allocutus, audierat eos dicentes: « Utinam talis iste vir esset nobiscum, in Austria essemus beati et omne malum a terra nostra averteretur »; dixit: « Pater, pergatis in nomine Domini, quia magnum fructum ibi facietis ».

Nicolaus autem Papa scripsit beato Patri, ut, celebrato festo Paschae [3], versus Alamanniam iter suum ad praesentiam serenissimi regis Romanorum dirigeret, quas litteras Legati Caesaris mox ad beatum Patrem misere. Ipsi autem ex Urbe redeuntes, Senis, Florentiae, Bononiae, Ferrariae Venetiisque cum principibus ac magistratibus urbium de transitu Caesaris ad Romam transegerunt. Caesar autem, praemisso duce Alberto, fratre suo, cum parte copiarum, regem Hungariae et Bohemiae, Ladislaum, secum ducens, anno MCCCCLII kalendis Ianuarii, intravit Italiam atque apud Venzonum [4], quod est primum Italiae oppidum, Venetorum patritios obviam habuit; deinde venit Ferrariam, demum Bononiam, et tunc occurrit ei Bessarion, Legatus Apostolicus et Graecus, cum quo multa de orientali Ecclesia contulit.

Eodem anno [5] obiit frater Iohannes de Mauberto, Vicarius Generalis cismontanus, cum visitaret Provinciam Franciae, et sepultus est in conventu Athensi [6] iuxta altare, et rexit familiam auctoritate Apostolica frater Theodoricus Aurigae, Vicarius Provinciae Franciae.

---

sconibus in festo S. Laurentii (10 Augusti) 1449 Florentiae defuncto, instituit Nicolaus Papa fr. Angelum Serpetrum Vicarium Ordinis, qui vicaria potestate usque ad proxima comitia, quae erant supradicta, gubernaret (Vide apud Wadding., l. c. ad an. 1449, n. XVII.).

[1] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1451, n. I. seqq.

[2] Ita cod. pro Tedesco.

[3] 25 Aprilis. — Cfr. Wadding., l. c. n. VI; ibi habentur litterae papales.

[4] Cod. *Ventzonum*, est italice Venzone.

[5] Scil. 1451. Secundum Wadding., l. c. ad an. 1450, n. X. et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 111, mortuus est 24 Augusti 1450. Cfr. etiam Wadding., l. c. ad an. 1451, n. XLIX.

[6] Cod. *Attensi;* est latine Athum, vulgo Ath dictum, oppidum Belgae in provincia Hannonia (Hainaut, theut. Hennegau).

Eodem anno MCCCCLI, in festo Pentecostes [1], fuit capitulum generale Fratrum de Observantia cismontanorum Barcinone [2], provinciae Aragoniae, in conventu beatae Mariae de Iesu celebratum per reverendum patrem fratrem Theodoricum Aurigae, Vicarium Provinciae Franciae, et vacante generalatu [3], auctoritate Apostolica praesidentem, in quo capitulo fuit ipse frater Theodoricus electus in Vicarium Generalem cismontanum super Fratres de Observantia, et nihilominus exercebat officium Generalis Vicarii etiam ante suam confirmationem, non ratione electionis, sed specialis ordinationis ac indulti Apostolici, eo modo et vigore, quo primo exercebat.

Frater Theodoricus Aurigae Vicarius Generalis cismontanus Fratrum de Observantia.

In capitulo generali dicto factae sunt Constitutiones, quas hodie habemus, quae incipiunt: «Quoniam dicit Dominus per Prophetam [4], esse *bonum et iucundum habitare fratres in unum*, placuit divinae» etc., continentes IX rubricas, ad quarum Constitutionum observantiam, postposita multitudine statutorum tam papalium quam Ordinis, citra tamen cuiuslibet peccati vinculum, solum sub poenis in eis taxatis auctoritate Apostolica, sunt Fratres obligati. In hoc capitulo inter cetera ordinatum fuit [5], quod de sancto Bernardino fiat XX. die Maii festum maius duplex cum Octava semiduplici, et quod festa infra Octavam occurrentia celebrentur, et fiat [6] de Communi, quousque auctoritate Apostolica aliud officium fuerit assignatum; et fiat commemoratio de ipso Sancto in Vesperis et Matutinis post commemorationem de sancto Ludovico. Cetera in eodem capitulo ordinata et responsiones ad dubia, quoniam in schedulis ubique reperiuntur, pertranseo.

Eodem anno fuit capitulum generale Conventualium in Divione [7], Provinciae Burgundiae, in quo electus est secundum alios Minister Generalis magister Angelus de Perusio. Et forte propter schisma bis fuit electus primo Romae ab Italis, deinde, facta unione, a toto Ordine in Divione.

Frater Angelus de Perusio XXXIII. Minister Generalis Minorum.

Eodem anno Domini MCCCCLI, dominica *Cantate* [8], capitulum provinciale in Argentina per reverendum patrem fratrem Iohannem Gneip, Ministrum Provincialem [9], in quo condidit statuta pro suis fratribus multum stricta, cum esset factus Vicarius Commissarius Ministri Generalis per Provinciam suam. Statutorum autem eorundem prologus talis est:

In Christo sibi carissimis Fratribus Ordinis Minorum, per Provinciam Superioris Alamanniae ubilibet constitutis, frater Iohannes, sacrae Paginae professor eiusdem

---

[1] 13 Iunii; festum Paschatis erat 25 Aprilis. Cfr. Wadding., l. c. an. 1451, n. XLVIII, ubi tamen dicit *23* Iunii pro *13* Iunii.

[2] Cod. *Barsinone*, est latine Barcino, hispanice Barcelona.

[3] Auctor errat. Angelus Serpetri erat Minister Generalis et rexit Ordinem usque ad an. 1453, quo 20 Augusti Perusii obiit. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1453, n. XXV, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 111. — [4] Psalm. 132, 1.

[5] Cfr. de hoc De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 224.

[6] Scil. officium de S. Bernardino.

[7] Cod. semper *Digione;* est enim latine Divio, gallice Diion. Cfr. supra pag. 330, nota 4.

[8] Id est dominica IV. post Pascha, quae erat 23 Maii.

[9] Supple: celebratum fuit, quae verba in cod. excidisse videntur.

Ordinis, per dictam Provinciam Minister et servus ac reverendissimi in Christo patris fratris Angeli de Perusio, in eadem facultate doctoris eximii, totius dicti Ordinis Generalis Ministri, per eandem Vicarius et Commissarius Generalis, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Cum secundum Apostolum [1] *oporteat testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt,* ut sicut ante oculos eius, qui secretorum cognitor est cordium, irreprehensibiles fore cupimus, sic in conspectibus hominum vita et moribus irreprehensibiliter incedamus. Nam revera necesse est, ut apud mundum, qui secundum faciem iudicat, nos taliter studeamus ostendere, ut conscientiae nostrae veritati et opera nostra vero iudicio valeant respondere. Huius profecto rei occasione animum meum movente, infrascriptas ordinationes de concordi consilio et assensu Definitorum ceterorumque patrum Provinciae in capitulo super dominicam *Cantate* anno Domini MCCCCLI, Argentinae celebrato, congregatorum, decrevi, ab omnibus Fratribus, cuiuscumque conditionis, promotionis aut status existant, inviolabiliter observari etc.

Eodem anno venit ad Norimbergam reverendissimus dominus et pater dominus Nicolaus de Cusa [2], tituli sancti Petri ad Vincula presbyter Cardinalis, Legatus Sedis Apostolicae per Germaniam, apud quem insteterunt domini civitatis Norimbergensis, quatenus omnibus incolis dicti oppidi Norimbergensis plenariam remissionem concedere dignaretur, qui per visitationes ecclesiarum, abstinentias seu eleemosynas, seu etiam competentem contributionem ad pias causas iuxta moderationem eiusdem reverendissimi domini Legati, ac alias per veras contritiones et confessiones tantae gratiae capaces se facerent; adiicientes, quod firmiter sperarent, sanctissimum dominum Nicolaum Papam V. ipsi domino Legato plenam potestatem etiam talem indulgentiam dandi, ubi cum devotione peteretur, attenta pietate Pontificis, concessisse, maxime cum annus Iubilaeus esset consummatus, ac dignum foret aliis, qui in Iubilaeo Romam accedere non potuissent, et cum libenter accessissent, si potuissent, misericordiam fieri; subiungentes, quod de illis contributionibus ad pias causas ipse dominus Legatus libere posset ad quemcumque usum pium ordinare. Ad quae finaliter post crebras instantias devotione praesentium et personaliter postulantium ductus, capta prius informatione, quod haec concessio ad maximam Christifidelium consolationem, animarum salutem et Ecclesiae aedificationem cederet, cum Dei timore respondit, quod ad laudem Dei, dicti oppidi incolarum consolationem et animarum ipsorum salutem pro tunc huic supplicationi quoad dictum oppidum annuere vellet, hoc modo videlicet, quod omnes incolae dicti oppidi Norimbergensis, qui hoc anno confessi et contriti ecclesias sanctorum Sebaldi et Laurentii parochiales, ac ecclesiam monasterii sancti Aegidii, ecclesiam sancti Iacobi, nec non hospitale novum dicti oppidi omni die semel per XXIV dies devote visitaverint et in qualibet visitatione tali XL *Pater* dicerent: X pro defunctis, X pro universali Ecclesia et Papa, X pro rege Romanorum et communitate, et X pro peccatis suis, atque per VII ferias sextas ieiunarent, et per VII ferias quartas a carnibus abstinerent, et ad pias causas medietatem expensarum, quas fecissent, si limina Apostolorum accessissent, reponerent ad loca ad hoc Norimbergae deputata, indulgentiam omnium suorum pec-

---

[1] Epist. I. Tim. 3, 7, (in cod. deest vocula *bonum*), et deinde alluditur ad Apoc. 2, 23.
[2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1451, n. LI, ubi chronica Saxonica citat.

catorum consequerentur. Voluit etiam, quod, quantum quisque pro medietate expensarum contribueret, conscientiae contribuentis deberet esse remissum, et quod pauperes, qui parum aut nihil haberent ad contribuendum, non minus indulgentias consequerentur, dummodo praescriptam poenitentiam perficerent. Item, quod cum infirmis, dictas ecclesias visitare non potentibus, confessor eorum desuper dispensare et visitationes in aliud opus pium commutare posset. Item, quod sacerdotes, diaconi, subdiaconi saeculares, qui praedictam indulgentiam consequi volebant, omnia praemissa facere tenerentur, et cum hoc sacerdotes XII Missas, diaconi et subdiaconi IV Psalteria legere tenerentur. Si ob certos defectus hoc implere non possent, confessor immutare haberet. Religiosae personae in monasteriis suis manendo, maius altare visitare, ecclesiam monasterii eorum circuire XXX vicibus intus vel extra, ieiunare, orare, Missas et Psalteria legere, ut praefertur, tenerentur.

Deinde ad Bambergam progressus, idem reverendissimus dominus Legatus ultima die Aprilis dedit mandatum, quod omnes Religiosi regularem observantiam infra annum inciperent quarumcumque Religionum sive exemptarum sive non, alioquin privati essent omni privilegio et gratiis a Sede Apostolica eis indultis. Insuper, ad quamcumque dignitatem forent ineligibiles, si post lapsum duorum annorum, a dato huiusmodi mandati enumerandorum, essent negligentes et hoc per dioecesim Bambergensem.

Eodem anno MCCCCLI iturus ad Alamanniam frater Iohannes de Capistrano, XII fratres itineris sui socios, Christum imitatus, elegit. Fuerunt hi: venerandus pater Gabriel de Verona, frater Hieronymus de Mediolano, frater Nicolaus de Fara — hi tres fuerunt postea Vicarii Provinciarum — frater Petrus de Supronio, frater Bernardus de Mutina, frater Valentinus de Tuscia [1], frater Christophorus de Varisio, qui scripsit Legendam de ipso Patre et scripsit super regulam, magnus iurista: hi omnes praedicti fuerunt sacerdotes; frater Bernardus de Neapoli, frater Paulus de Ferraria, frater Iohannes de Camplo, frater Michael de Prussia [2] et frater Iohannes de Austria, et hi fuerunt laici.

Ex his sociis Patris duo infirmitate detenti, videlicet frater Christophorus et frater Valentinus, remanserunt in Italia. Sed frater Christophorus, receptis duabus obedientiis, ut eum sequeretur, postquam convaluit, secutus est eum et eum in Znaima Moraviae praedicantem invenit. Frater Michael post biennium remansit Norimbergae usque ad mortem.

Cum his igitur beatus Pater ex missione Apostolica Theutoniam ingressus, per Carinthiam et Styriam venit in Austriam. Cui sacerdotes et plebes cum Sanctorum reliquiis obviaverunt eumque velut Apostolicae Sedis Legatum et Dei nuntium susceperunt. Et quasi vel Petrus vel Paulus vel alius Apostolorum illac iter faceret, omnes accolae montium descendere, Iohanni occurrere, vestimentorum eius fimbrias avide contigere, aegrotos et male habentes ante pedes eius attulere; e quibus plerosque sanitati redditos compertum fuit, ab ultima die Maii, qua venit ad Novam Civitatem [3],

---

[1] Hunc fratrem omittit Wadding., l. c. ad an. 1451, n. VII, cuius loco exhibet Ambrosium Aquilanum, laicum.

[2] Cfr. supra pag. 331. Wadding. eum erronee vocat Michaelem Perusinum.

[3] Id est: Vienna-Nova Civitas (theut. Wien-Neustadt) in Austria.

usque ad VI. diem Iulii, ibidem commorante illustrissimo principe domino Friderico, Romanorum rege, et semper manifeste et in conspectu populi.

In primis Barbara de Nova Civitate, uxor Iohannis, campanarii regis, caeca ab utroque oculo decem annis, signo crucis accepto et tactis oculis eius, visum clarum recuperavit.

Agnes Schmertzenbach per VI annos surda, adeo ut nullo pacto audire posset, nisi magnis clamoribus vocaretur, signata et tactis auribus manibus Patris, auditum mirifice est consecuta.

Catharina, uxor Stephani de villa prope Novam Civitatem, quae dicitur *Herdus*, surda per XX annos, signata, auditum optimum est adepta.

Margarita, uxor Georgii carnificis, clauda per XV annos, signata, quamprimum, dimisso baculo, per se incessit libere et expedite.

Iohannes de Naterstarff[1], claudus per X annos et ultra immobilis, cum per mensem et dimidium et quatuor diebus cum baculo incessisset, ita ut nullo pacto posset sine eo incedere, signo crucis accepto a Patre beato et praecepto de ambulando, quamprimum baculum dimisit et liber factus est a sua infirmitate.

Christina, uxor Lamberti de Vienna, carpentarii facientis mensas, clauda per XXX dies, signata, per se libera incessit.

Iohannes de Snatis erat XXX annorum, claudus per V annos, ita ut sine baculo ambulare non posset, signatus, per se ambulavit, dimisso baculo.

Anna, filia Simonis de civitate Ferrer (?), muta et surda a nativitate, signo crucis accepto, loquelam et auditum mirifice est consecuta, ita quod quidquid ei proponeretur, et audiret et diceret.

Margarita, Georgii filia, non valens levare manus ad caput per mensem, signata, quamprimum eas expeditissime ad caput posuit, ac si nunquam malum habuisset.

Elisabetha de sancto Laurentio, contracta una manu et toto brachio per XV menses, adeo ut ea uti non posset, signata, quamprimum mirifice liberata est.

Andreas de sancto Vito prope Viennam, surdus per XXX annos, signatus, auditum est consecutus, ac si nunquam huiusmodi auditus defectum passus esset.

Paulus de Merstendorff, claudus a nativitate a latere sinistro, signatus, baculo quo proficiscebatur dimisso, mirifice per se incessit.

Michael adolescens, ductus a Margarita, uxore Conradi de Nova Civitate, claudus ab uno latere toto tempore vitae suae, signatus, per se liber incessit.

Margarita, uxor Ulrici de Nova Civitate, immobilis pedibus et brachiis per V annos, adeo ut neque ambulare neque erigere brachiis se posset, statim ut signata exstitit, ab utraque infirmitate mirifice liberata propriis pedibus domum rediit.

Catharina, uxor Andreae, apothecarii de Nova Civitate, contracta pedibus per annum et omnino immobilis, portata per duas mulieres ad Patrem et ab eodem signata, quamprimum exstitit liberata ac ad propria suis pedibus remeavit.

Iohannes, filius Petri, corrigiatoris de sancto Polton[2], aetatis annorum XXIII, caecus a nativitate ab uno oculo, scilicet dextro, signatus et tacto oculo, statim visum mirifice est consecutus, omnes colores discernendo.

---

[1] Probabiliter rectius: Naderstorf.

[2] Ita est de oppido S. Hippolyti, theut. St. Pölten in Austria.

Item, praeter istos liberavit de diversis aegritudinibus in Nova Civitate XLVIII, quos ego oculis propriis liberari conspexi, quae miracula nimis longum esset scribere: *Aeneas*[1].

Moratus est autem in Nova Civitate diebus aliquot, viam Domini praedicans mortalesque omnes ad poenitentiam vocans. Interea magna miraculorum fama Viennam opplevit, advenisse sanctum virum, Dei apostolum, qui morbos pellat, qui viam Dei in veritate doceat, qui pecuniam spernat, honores fugiat, abstinentia vivat. Concurrunt tumultuantes ad eum plebes, nec se tamdiu victuras putant, donec hominem visere queant. Maiores natu et principes civitatis ad eum legantur[2], qui eum Viennam adducunt. Timebant enim, ne vel retro in Italiam cederet, vel in Hungariam alio itinere, posthabita Vienna, proficisceretur, quam rem sibi iacturae magnae probrique loco ducebant. Invitatus beatus Iohannes Viennam nona die Iunii petit; tantus undique motus populi fit, tantus concursus, ut nulla capax multitudinis platea inveniatur, quacumque transitus illi est; viri et mulieres impetum faciunt premere alter alterum, intueri virum, lacrymas laetitiae devotionisque mittere, levare in coelum manus, benedicere venienti, laudare mittentem, tangere, osculari qui prope sunt, vestimenta, veluti de coelo missum et Angelum Dei respicere.

Apud Minores deinde sui Ordinis, non suae vitae Fratres, exceptus est, ibi cibaria sibi suisque comitibus publicitus ministrata sunt. Vitam in hunc modum apud Viennenses duxit: vestitus dormire, ante lucem surgere, Matutinum, Laudes, Primam et Tertiam orare, Divina exinde celebrare, hisque peractis, sermonem ad populum latine pronuntiare. Post hoc interpres, quae dicta sunt ab eo, quantum capax est, exponere populo. Tres aut amplius horae labi, priusquam fiat interpretatio loco sublimi apud Carmelitas in foro, unde sermocinaretur, ambone exstructo; nam capi alibi multitudo non potuit[3].

Finito sermone, ad coenobium sui Ordinis reverti, ac Sexta et Nona completis, infirmos visere, diu apud eos morari, manus omnibus imponere, birretum sancti Bernardini et cruorem, quem illi mortuo e naribus fluxisse ferunt, singulis aegrotantibus admovere, quos raro infra quingentos fuisse constat, precari supplex pro omnibus; exinde coenare, demum his, qui se accedunt, audientiam praebere, mox Vesperas dicere. Hisque completis, ad aegrotos reverti atque cum his usque ad noctem se exercere; tumque demum, Completorio et aliis dilectis precibus expletis, corpus quieti dare, minimum esse quod somno indulgeret, nihil ad revisendos sacrae Scripturae codices pauxillum furari temporis. Sic homo quasi coelestem vitam in terris agere, immaculatam absque sorde, absque peccato, quamvis nonnulli gloriosum hominem iactatoremque sui ex rumoribus accepisse mercedem dicerent, quibus placere magis quam Deo studeret. — Sed sunt iniqui iudices, qui non in melius, quae occulta sunt, interpretantur, quando quae patent omnia bona vident. Cur virum calumnientur, qui longam vitam in paupertate duxit, qui multos annos docendo plebes absumpsit, in abstinentia, in laboribus, in humilitate perseverans ac opera verbis aequans, qui nihil huius mundi concupivit, qui nulli fuit iniurius, sed secundum hoc vivere suis cultoribus ipse reliquit. Parva fuerit merces tantis laboribus humana laus. Stultus

---

[1] Sylvius Piccolomini. — [2] Cod. male *leguntur*.

[3] Vide de hoc et sequentibus Iohannem Cochlaeum, de rebus Hussitarum, lib. X, et Wadding., l. c. ad an. 1451, n. XVI.

est, qui propter rumusculos hominum suum corpus affligit suumque gremium fraudat. Ego sanctum et iustum hominem, qui calcavit avaritiam, libidinem subegit, honores saeculi fugit, qui contra iniuriam atque iram patientiam obiecit, qui fovendis pauperibus studiosum se praebuit, qui nullum superbiae fomitem ostendit, sola fiducia futurorum teneri arbitror retributionemque thesauri coelestis exspectare ac cum Apostolo [1] dicere: *Gloria nostra haec est: testimonium conscientiae nostrae*, et de cetero *reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Indicavit autem haec perpetua hominis Dei laetitia, quem nemo moestum videt, sed vultu semper eodem. Sciebat enim mortali se culpa liberum ac bonis operibus intentum, exspectabat *dissolvi et esse cum Christo* [2].

Quodsi mundi gloriam quaereret, sciret, se Deo non esse acceptum, videreturque saepe tristior, conscientiae stimulis actus. Nam qui laudes sectantur humanas ex alieno pendentes arbitrio, saepe decepti moerent. Soli sunt servi Dei, qui perpetua quiete et animi tranquillitate fruuntur. Qualem esse beatum Iohannem minime dubitaverim, quem pusillum corpore Viennae vidimus, aetate senecta, annos, ut ipse aiebat, quinque et sexaginta natum, siccum, aridum, exhaustum, sola cute nervisque et ossibus compactum, laetum tamen et in labore fortem, sine intermissione singulis diebus praedicantem, altas atque profundas materias absolventem, doctis ac rudibus satisfacientem auribus, mentes demulcentem, ad foedus quo voluit impellentem. Ad cuius sermonem dietim XX et XXX hominum millia conveniebant, maiorique ipsum attentione, quamvis non intelligerent, quam interpretem audiebant, cum mos illi esset totum sermonem latinis verbis pronuntiare, deinde locum interpretanti facere. Ad id, postquam novum sui Ordinis coenobium erexit, in Moraviam profectus est, multos Hussitarum ab errore revocavit. Hunc et Caesar cupide audivit multisque sermonibus eius interfuit ac vestimentis eum sacerdotalibus donatum dimisit. — Haec Aeneas Sylvius.

Cum enim beatus Pater Viennam venisset et vidisset, quod multi magistri baccalaurei et studentes Viennensis Universitatis sui cuperent esse discipuli, coepit cogitare magnum lucrum animarum, ampliationem divini cultus et honorem [3] Ordinis futurum, si aliquis locus de Observantia inibi erigeretur. Allocutus igitur super ipsa re serenissimum regem Romanorum, Fridericum tertium, et cives Viennenses, post multa loca sibi ostensa placuit ei locus sancti Theobaldi, in quo olim feminae religiosae, et tunc sorores tertii Ordinis sancti Francisci habitabant, quem fultus auctoritate Apostolica suscepit, translatis illis sororibus cum omnibus suis possessionibus ad alium locum intra civitatem, anno MCCCCLI, penultima die Iulii. In eo ergo loco notabiles litterati et nobiles personae Ordinem ingressi sunt, inter quos fuit baro quidam de Bohemia, Wenceslaus de Wolfstain, qui cum rege Hungariae ac Bohemiae, Ladislao, Viennae existens, celebrato prius hastiludio, mundo valefecit et ibidem Ordinem ingressus Franciscusque vocatus, magnum zelum Ordinis habuit et in vita ostendit corpus suum castigando et multum in spirituali disciplina proficiendo. Cuius frater coeperat Fratribus aedificare locum in castro suo, quem tamen Fratres propter haereticorum Hussitarum incursum recipere noluerunt. Hoc ergo fundamento regularis Observantia in Austria aedificata, deinde ad Bohemiam et Poloniam extensa est.

---

[1] II. Cor. 1, 12, et locus sequens est II. Timoth. 4, 18, in quo testimonio cod. pro *in illa die* habet *in illum diem.*

[2] Philip. 1, 23. — [3] Cod. exhibet superflue *et* post *honorem,* quod delevimus.

Infrascripta miracula Viennae gesta sunt IX. Iunii, die mercurii:

Fridericus Schreiber de Constantia in XV septimanis se movere sine duobus servis et ferulis non potuit; accepto signo crucis, dimisit omnia auxilia et ad ecclesiam ivit salvus et sanus.

Anna, uxor Michaelis de Vienna, aetatis XL annorum, surda per XX annos, signata, mirifice auditum est consecuta.

Catharina, uxor Michaelis Fieroth, Viennensis, paralytica per sex annos et sex menses, adeo ut per se ambulare non posset aliquo pacto, portata in sede et a Patre praeceptum suscipiens, ut surgeret in nomine Iesu Christi benedicti, statim surrexit ac per se libera incessit.

Anna, uxor Conradi Ulnatoris de Vienna, XII annis caeca, signata, statim illuminata est, ut omnes colores mirifice discerneret.

Catharina, uxor magistri Nicolai, chirurgici Viennensis, XL annorum, per VII hebdomadas immobilis et destituta viribus, portata in una cathedra, signata per Patrem, per se incessit libera, relicta cathedra, domum pedibus propriis ivit, ac si nunquam malum habuisset.

Conradus de Norimberga, Ordinis Fratrum sancti Augustini, podagrosus, qui iacuit super ambitum, signatus, statim dimisso baculo, per se expeditissime incessit et prae gaudio magno sanitatis adeptae osculatus est terram coram omnibus nobis.

Andreas Fellsperger, famulus domini Arnoldi, cantoris regis Romanorum, caecus duobus annis in oculo dextro, signatus, statim visum recuperavit peroptime, ac si eo nunquam privatus fuisset.

Agnes, uxor Conradi Schwinfurterin, nobilis Viennensis, aetatis XXIV annorum, immobilis penitus IX hebdomadis, delata in sede per famulos, quamprimum ut audivit praeceptum, ut surgeret et ambularet in nomine Iesu, subito surrexit ac per se incessit mirabiliter, omnibus admirantibus et stupescentibus, dimissa sede, quae adhuc pendet in ecclesia Fratrum Viennae.

Philippus, sacerdos plebanus in villa, quae dicitur Emesfeld, contractus omnibus membris, adeo ut omnino per se esset immobilis XIV annis, delatus ad Patrem, accepta benedictione et audito praecepto de ambulando, statim surrexit et ambulavit; erat circa LX annos.

Castellanus domini de Schwamburg, tribus annis immobilis, ita ut sine baculo ambulare non posset, signatus, relicto baculo, exstitit liberatus.

Blasius, famulus Angrefelder Viennae, adolescens, mutus a nativitate, tacta eius lingua tactisque auribus, statim incepit loqui et quidquid sibi proponebatur, audiebat et perfecte effabatur.

Anna, uxor domini Ulrici de quadam villa prope Viennam, clauda XVIII annis, signata, statim dimisit baculum et per se incessit sine eo.

Nicolaus Stremel de Lembach, sita in Austria, surdus X annis, accepta benedictione, statim auditum recuperavit.

Margarita, vicina nostra prope conventum, clauda per octo annos graviter, ita ut sine duabus ferulis incedere non valuerit, signata per Patrem, sine sustentaculo mirifice ambulavit.

In vigilia Petri et Pauli daemoniacam liberavit in ambitu Fratrum Minorum, et post Completorium iterum unum.

Item, filiam cuiusdam mulieris de Wellss bene illuminavit, habentem in aetate X annos, et IV caecam.

Item dominam de Liechtenstein bene erexit.

Praeter ista fecit adhuc alia miracula, numero CCCXLVI, usque ad festum Petri et Pauli, quae causa brevitatis hic omittuntur.

Margarita de sancto Hippolyto, clauda sex annis, ita ut non potuerit[1] ambulare nisi reptando manibus et pedibus super terram, signata, surrexit et libere incessit sine claudicatione.

Item, eiusdem filiae soror, in lecto X annis continue iacens, curvas manus et pedes habens, accepta benedictione et praecepto de ambulando, protinus pergebat, ac si nunquam malum habuisset.

Die Commemorationis sancti Pauli[2] rusticus quidam trans Danubium, vagus et discolus, vesana mente dixit: « Si istius Fratris opera sunt vera, habeo hic canem antiquum, caecum iam tribus annis; si ipsum illuminaverit, quod videam, et me de post visu privaverit, tunc omnia credam vera, quae dicuntur fieri Viennae ». Qui astabant, increpabant eum, ut taceret; ipse vero multo magis optabat. Statim fuit canis illuminatus et saltabat et latrabat prae gaudio, rustico illo et omnibus astantibus suis oculis cernentibus. Eadem hora rusticus ille caecus factus est et Viennam fuit adductus, ut coram omnibus fateretur, in cuius praesentia fuit magister civium Bontlustaschler et quamplurimi alii[3].

Alius quidam, habens honestam uxorem diu passam in lecto, qui derisorie dixit: « Vade et tu ad mirabilia, quae fiunt Viennae per illum Fratrem et cum sana facta fueris, ego tui loco lectum tuum custodiam ». Gavisa mulier de sermone viri sui, gaudenter se disposuit ad Patrem beatum, ad quem dum venit et signata fuit, sana domum rediit et virum suum in lecto suo decubantem invenit, prae dolore mirabiliter eiulantem et clamantem. Quem illa increpans et ad poenitendum inducens, Viennam adduxit; ubi coram omni multitudine gestae rei seriem confessus et genibus Patris pro venia advolutus, pristinae sanitati est restitutus.

Elisabetha, virgo XXII annorum, adeo per duos annos contracta in lecto iacens, quod nec ferulis nec sustentaculis quibuslibet aut quocumque auxilio pergere poterat, portata de nova structura ad Patrem, accepta benedictione his verbis[4]: *Super aegros manus* etc., statim surrexit puella et incessit, ac si nihil mali passa fuisset.

Iohannes Honer, civis Viennensis, vir LXVIII annorum, bene litteratus, quondam pedellus facultatis artium, claudus XXX annis, adeo quod vix ferulis incedere valebat, accepta benedictione et munitus signo sanctae crucis, acceptisque ei[5] baculis a Patre, libere abiit sine auxilio quocumque et adhuc adeo sanus est, sicut adolescens XX annorum.

Item, in die sancti Kiliani[6] illuminavit filiam cuiusdam mulieris de Vienna, quae caeca nata fuerat et Anna dicebatur, XII annorum; quae sine indicatione ac ductione accessit ad altare sancti Bernardini, dicens: « Iste Sanctus est beatus Bernardinus, et ego do me ei et diebus vitae meae volo ei servire in uno monasterio ». Quam suscepit regina etc.

---

[1] Cod. *potuit.*

[2] Die 30 Iunii.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1451, n. XV.

[4] Marc. 16, 18.

[5] Ita cod., forte rectius eius. — [6] 8 Iulii.

Eodem anno, in die sanctorum Gervasii et Protasii [1], in concilio Magdeburgensi reverendus pater dominus Iohannes, Episcopus Merseburgensis, suam humiliter porrexit supplicationem ad reverendum in Christo patrem dominum Nicolaum de Cusa, Legatum Sedis Apostolicae, quatenus dignaretur incolis suae dioecesis et civitatis Iubilaeum impertiri. Qui per omnem modum, sicut Norimbergae, est impertitus.

Item, eodem anno, dominica [2] post festum S. Martini, celebravit dominus Theodoricus, Archiepiscopus Moguntinus, synodum provincialem, in qua inter cetera fuit statutum super reformatione monasteriorum et personarum Religiosarum, et acceptavit Bullam domini Nicolai V. sub poenis [3] in ea contentis contra praesumptores.

Item, frater Richardus Kirchberg venit Norimbergam.

Anno Domini 1452, die IX. mensis Martii, suscepit dominus Nicolaus Papa V. dominum Fridericum, regem Romanorum, ad sanctum Petrum et eodem in loco, XVIII. eiusdem mensis, donavit eum imperatoria corona.

Eodem anno, V. kalendas Maii [4], commisit dominus Nicolaus Papa V. Vicario Fratrum Minorum de Observantia, Provinciae Argentinae, pro tempore existenti et suis successoribus sorores Ordinis sanctae Clarae in Norimberga, ita quod de cetero nullus nisi dictus Vicarius curam, regimen, administrationem, visitationem et correctionem, tam in capite quam in membris, in spiritualibus eis impendat, in Bulla, quae incipit: *Super gregem dominicum* etc.

Eodem anno et mense impetratae sunt indulgentiae pro monasteriis Fratrum Minorum et sororum sanctae Clarae in Norimberga in certis festivitatibus, et quando cantatur *Salve Regina*, et cum pulsatur mane et sero ad *Ave Maria*, pro his qui interfuerint, centum dierum a X Cardinalibus; quas indulgentias confirmavit dominus Antonius, Episcopus Bambergensis.

Eodem anno, dominica *Iubilate* [5], fuit capitulum provinciale celebratum in conventu Pforzhemensi per venerabilem patrem fratrem Nicolaum Caroli, Vicarium Provincialem super Fratres de Observantia, ubi fuit declaratum, quod secunda et tertia feria post festa Resurrectionis et Pentecostes habeantur pro minoribus duplicibus, quemadmodum in Ordinario tam Romano quam Ordinis contineri bene intuenti patet.

Eodem etiam anno, prima die Augusti, celebratum fuit capitulum provinciale Conventualium per Ministrum Iohannem Gneip in Heilbrunna, ubi fuerunt acceptata per omnes doctores et Vocales eiusdem capituli statuta et ordinata per Ministrum Generalem, Angelum de Perusio etc., et nulla fuerunt servata; ideo reformatio eorum vacua permansit, quia mali non corriguntur solis verbis.

Frater Iohannes, de Austria ad Moraviam profectus, multos Hussitarum ab errore revocavit et erexit monasteria in Brunna [6] et Olomutio, et recepit litteras Iohannis de Rokycana [7] haeretici, cui respondit tam litteris quam tractatibus; sed quia obstinatus erat, eum corrigere non potuit. Deinde venit evangelizando ad Bavariam, Ratisbonam, et divertit ad Ambergam, ubi auctoritate Apostolica monasterio suscepto,

---

[1] 19 Iunii.

[2] Quae erat XXII. post Pentecosten, 14 Novembris.

[3] Cod. *poena*. — Paulo inferius cod. habet solum *Kirch.* pro *Kirchberg;* cfr. infra p. 349.

[4] 27 Aprilis. — [5] Est III. post Pascha, quae erat 30 Aprilis.

[6] Id est theut. Brünn; Olomutium, pro quo cod. *Olmutz,* est Olmütz.

[7] Vel Iohannes Rokycana; cod. *Rukizano.*

dante ad hoc fundum Iohanne Pachman, cive Ambergensi, venit ad Egram. Postea vocatus venit ad dominum Iohannem, Episcopum Eistadiensem, et ex hinc divertit ad inclytam civitatem Norimbergam, ubi solemniter a Clero et populo susceptus, ad conventum Fratrum sui Ordinis, ante quinquennium tunc reformatum, declinavit. Ubi eundem laborem ob populi informationem per omnem modum superius Viennae recitatum habuit, multasque curiositates et vanitates mundi tam ludorum quam vehiculorum suis sermonibus exuri fecit, fratre Nicolao Eyffler sermones eius interpretante, et plurima miracula operatus est. Et in vigilia [1] sancti Iacobi Apostoli intravit idem venerabilis Pater monasterium sororum Ordinis sanctae Clarae in Norimberga, et cum eo venerabilis pater frater Nicolaus Caroli, Vicarius Provincialis, frater Albertus Puchelpach, Guardianus Norimbergensis, et frater Iohannes Gur, pro tunc socius confessoris, et alii sui socii, nec non aliqui honesti cives, inter quos fuit dominus Nicolaus Muffell, tutor ipsarum sororum, et ceteri. Et congregatis omnibus sororibus in refectorio, fecit collationem, sumpto themate: *Vovete et reddite Domino, Deo vestro* [2], hortans omnes sorores ad perseverantiam regularis observantiae, et ut imitentur primiceriam matrem suam, sanctam Claram, et candidum virginum evangelicarum coetum, quae fatuitatem lenocinantis mundi prudentis consilii imitatione spreverunt, et oleum laetitiae de bonorum operum fructu expressum in vasis suae conscientiae addiderunt; quae lampades animarum suarum igne Spiritus sancti incendentes, exierunt obviam sponso et sponsae, fatuisque virginibus circa laudes mundanorum inutiliter occupatis, sponso veniente, quae paratae erant, felix epithalamium [3] canentes, intraverunt cum eo ad nuptias, ubi epulentur *et exultent in conspectu Dei et delectentur in laetitia* [4]. Aliis quoque verbis multis hortatus est sorores, quae Vicarius Provincialis interpretatus est. Finita collatione, imposuit beatus Pater singulis sororibus reliquias sancti Bernardini, ex quibus aliquae sorores consecutae sunt sanitatem ob merita Sancti, propter ipsarum devotionem. Lustratis deinde omnibus monasterii locis, et benedictione sororibus data [5], cum gaudio remeavit ad sua consueta exercitia in conventum Fratrum. Tandem ex Norimberga migravit ad Bambergam ad dominum Antonium, Episcopum Bambergensem, cum quo familiaritate contracta, divertit ad Provinciam Misnae venitque in Lipsiam [6], et praedicavit ibi et fecit multa signa.

Interim contulit se reverendus pater frater Nicolaus Caroli, Vicarius Provincialis, frater Albertus Puchelbach, Guardianus Norimbergensis, frater Nicolaus Eyffler, frater Conradus et frater Wigandus, omnes fratres Norimbergenses, ad Ambergam et in vigilia [7] sancti Bartholomaei Apostoli receperunt ibidem conventum iuxta commissionem beati patris Iohannis de Capistrano, anno MCCCCLII, et ex tunc semper morati sunt ibidem Fratres, et pulcrum conventum aedificaverunt et profecerunt multum in observantia regulari.

---

1 24 Iulii. — Pro *Puchelbach* cod. hic et deinde *Puhelbach*.

2 Psalm. 75, 12.

3 Id est sacer hymnus in nuptiis cani solitus, quasi iuxta aut super thalamum.

4 Psalm. 67, 4.

5 Haec vocula desideratur in cod.

6 Cod. *Leyptz* et infra *Liptz*.

7 23 Augusti.

Beatus autem pater Iohannes de Capistrano tantum fructum fecit in civitate Lipsia praedicando, quod multos magistros et studentes, numero LX, ad Ordinem recepit, e quibus XXXIV per venerabilem patrem fratrem Christophorum de Varisio ad conventum Norimbergensem per Bambergam, datis ad Episcopum litteris, transmisit. Et Norimbergae manserunt X, videlicet frater Iohannes Xantes, frater Iohannes Gratia, frater Rufinus etc.; reliqui transmissi sunt Viennam ad conventum sancti Theobaldi. Inter quos fuerunt frater Cherubinus Saxo et frater Aegidius de Salice, qui postea fuit Guardianus in Cosla [1], et demum ante divisionem trium Provinciarum rediit ad istam Provinciam et multis annis fuit confessor Clarissarum et Norimbergae obiit.

Cum dictis autem novitiis misit reverendus Pater litteras ad venerabilem patrem fratrem Albertum Puchelbach, Guardianum Norimbergensem, tenoris sequentis:

Reverende in Christo pater, gratiam salutarem et pacem in Domino sempiternam.

Cupiens familiam vestram augmentare, quemadmodum pollicitus fueram, per fratrem Christophorum, socium meum, nonnullos novitios, iuvenes quidem bonae indolis et competentis litteraturae, ad Religionem aptissimos, nullo penitus defectu impeditos, ad vos dirigo, quibus, rogo, velitis aliquem bonum et devotum praeceptorem constituere, ut in eorum novitiatu bonum suscipiant fundamentum et principium. Nam si religiosissime fuerint enutriti, non solum sibi, sed et aliis proficere possunt, animaborque ego ad alios mittendum. Siquidem aliter factum fuerit, quod absit, opus mihi erit de remedio opportuno providere; propterea, quia nollem eis videri mendax, qui mores nostrae Religionis eis praedicavi et extuli. Ea de re vos oro et in Domino obtestor, ut infrascriptam normam observari faciatis, quam communiter totus fervor familiae observat et tenet.

Placet mihi, quod novitii discant cantare, magis tamen placeret, ut discerent plorare et orationi vacare: quia quotidie cantare parit vobis Fratrum penuriam, mentem vagam deducit et adeo tempus consumit, ut nullus vestrum evadere possit in officio praedicandi clarus et peritus; propter quod magna sequitur animarum iactura. Ideo debetis restringere ipsos cantus vestros ad Missam solum et officium vespertinum.

Item, quod magister saepenumero hortetur novitios suos doceatque meditari passionem Christi, propriam miseriam, diem mortis, infernales poenas, propria peccata perpetrata et gloriam eis promissam.

Item, quod novitii bis saltem in hebdomada confiteantur, revelando malas phantasias et cogitationes, ut tentati ad vomitum non redeant [2].

Item, quod singulis diebus faciant coronam Virginis Mariae cum VII meditationibus, sicut VII sunt partes ipsius coronae, et cum genuflexione, dum dicunt *Iesus*. Prima meditatio est, quando Angelus Gabriel salutavit Virginem Mariam; secunda, quando Christus natus est; tertia, quando praesentavit Virgo Maria eum in templum; quarta, quando Christus discessit a Matre et accessit ad celebrandam coenam cum discipulis; quinta, quando Virgo Maria ploravit Filium suum ante crucem; sexta, quando Christus fuit positus in sepulcro; septima, quando Christus surrexit a mortuis et apparuit Matri suae, ut pie credunt doctores; ita tamen quod, in quacumque istarum meditationum mens rapitur, firma persistat et non ulterius procedat.

---

[1] Ita cod., probabiliter pro *Goslaria*, theut. Goslar.

[2] Alluditur ad Prov. 26, 11, et II. Petri 2, 22.

Item, quod nullus fratrum audeat mortificare novitios praeter Praelatos, et quidquid magister eos edocet, ipse primo faciat.

Item, quod nullus fratrum sit tantae temeritatis et praesumptionis, ut novitios ac etiam alios fratres audeat disciplinare, sed ipsimet faciant. Nam nullo pacto frater disciplinari debet, nisi sit incorrigibilis feceritque aliquod magnum delictum. Alias dixi vobis, nescio tamen, utrum sitis in hoc emendati. Nec dicatis, quia consuetudo antiqua est vestra; quia consuetudo mala et irreligiosa et, quod maius est, periculosa, ne ducat in peccatum mortale, est radicitus evellenda exstirpandaque. Ideo onero conscientiam vestram, qui locum praelationis tenetis; immo si non providebitis pro novitiis, remittantur, cum nolim ipsis scandalo esse et oculos divinae maiestatis offendere.

Item, quod disciplina fiat secunda, quarta et sexta feria, sicut eis praedicatum est generaliter.

Item, quod introductio saecularium personarum ad mensam sicut diabolus evitetur. Si quidam saeculares scandalizarentur, dicite, quia ego dixi et scripsi vobis. Nec dicatis, quia iam est hoc ad consuetudinem introductum: quia est quid irreligiosum, conventuale et saeculare. Nec dicatis, quia pietantias perdemus, quas saeculares deferunt; quia melius est, ut comederetis panem et cepe, quam saeculares vobiscum comedentes permittere cum regiis cibariis. Si quidam saeculares veniunt, paretur eis cibus in domo deputata pro forensibus. Praeter Fratres nostros et alios Religiosos venientes nullum debetis admittere in refectorio, aut forte, si esset aliquis magnus Praelatus, de quo esset magnum scandalum, si non acceptaretur. Fugite, fratres, saecularium consortium et amate solitudinem. Credite mihi, quanto magis saeculares fugietis, sicut dicebat beatus Pater noster Franciscus, tanto magis ipsi vos devotione et caritate amplectentur. Nunc autem, videntes vos comedentes, putant vos eis similes homines. Quando autem vestrae praesentiae penuriam habebunt, putabunt vos Angelos venientque multi ad vos, et florebit familia ipsa vestra.

Item, quod novitii nullo modo portent tunicas albas, quia iam Conventuales non aliud deferunt; conveniuntque praeterea nobiscum in colore concordare. Et sicut in actibus interioribus, ita et in exterioribus a Conventualibus differatis.

Item, quod instituatur novitiis una hora pro oratione mentali, ut discant se ipsos cognoscere, ut possint cognoscere Deum. Illud iterum atque iterum replicans, quod saeculares nullo modo in mensa Fratrum comedant, et quod novitii a nemine disciplinentur, sed ipsimet se disciplinent, et quod coronam et alias devotas orationes faciant quotidie. Quae omnia si observata fuerint, una cum aliis necessariis familia vestra decorabitur dilatabiturque numero et virtutibus. Vos itaque hi eritis, quales esse debent veri imitatores pauperis Francisci, facietisque mihi rem gratissimam et Deo acceptissimam, si consilia mea non despicietis fidelissima. Verus enim amor nescit tacere nec adulatione uti. Rogans etiam vos, ut velitis esse contenti [1] in his, qui vobis nomine meo assignabuntur nec alios impedire, mittatisque quamprimum ad me duos fratres idoneos propter aliqua expedientia ad commoditatem loci Ambergensis. Assignabo enim eis quosdam pretiosos libros pro eodem loco deputatos, in libraria quamprimum catenandos, iuxta voluntatem donatoris. Mittatis etiam mihi, si placet,

---

[1] Cod. *contentus.*

per eosdem fratres aliquas bonas candelas; quodque ut faciatis, etiam atque etiam rogo. Fratri Christophoro praefato [1], socio meo fidelissimo, in omnibus meo nomine explicandis fidem indubiam adhibere dignemini, sicut mihi ipsi, commendans vobis illum una cum aliis Viennam profecturis sicut animam meam. Et si opportunum fuerit, mittatis secum duos fratres usque ad Ratisbonam. Valete in Domino et pro me orate.

Datum in Lipsia, XV. Novembris 1452.

Frater Iohannes de Capistrano, coadiutor vester etc. Manu propria etc.

Reliquos autem XXVI, et XI novitios, quos idem venerabilis Pater in Gorlitio [2] induit, secum ad magnificam civitatem Vratislaviam, metropolim Silesiae, adduxit, et ibidem locum sancti Bernardini recipiens, illic fecit, eos in omni regulari disciplina erudiri.

Anno Domini 1453 fuit capitulum provinciale Fratrum de Observantia celebratum in conventu Tübingensi per venerabilem patrem fratrem Nicolaum Caroli, Vicarium Provincialem. Ubi fuit declaratum, quod *Kyrie eleison paschale* cantetur a festo Paschae usque ad festum sanctae Trinitatis exclusive in omnibus dominicis, solemnibus, semiduplicibus et duplicibus. Et ut *Gloria in excelsis* per idem tempus cantetur secundum exigentiam Ordinarii Romani. Sed postea Monachii fuit ordinatum, ut *Gloria* cantetur de semiduplici maiori.

Eodem anno MCCCCLIII [3] celebratum fuit capitulum generale Fratrum Conventualium Perusii per magistrum Angelum de Perusio, Generalem Ministrum. Qui frater Angelus de Perusio, mota quaestione coram domino Nicolao Papa V, intentavit [4] infringere Bullam provisionis domini Eugenii Papae IV. Fratribus de Observantia concessam. Commisit autem dominus Papa Nicolaus V. negotium hoc quatuor Cardinalibus et plus quam XXX doctoribus examinandum. Scripserunt tunc ad negotium Fratrum de Observantia dominus Fridericus imperator et plurimi principes et Praelati ipsi Summo Pontifici litteras; e quibus dominus Aeneas Sylvius, Episcopus Senensis imperialisque secretarius, sequentes litteras [5] ad Dominicum, Cardinalem Firmanum, Protectorem Ordinis Minorum, dedit:

Aeneas, Episcopus Senensis, Dominico, Cardinali Firmano, salutem plurimam dicit.

Quamvis, scribente Caesare ac negotia Fratrum beati Francisci de Observantia commendante, modestius fuerit, me silere; quia tamen ob memoriam divi Bernardini, conterranei mei, huic familiae singulariter afficior, nequeo me comprimere, cogor assistere sanctae familiae, neque mea patrocinia his negare queo, qui non me solum, sed omnes Christifideles suis orationibus ac piis operibus adiutant [6]. Utinam esset in me auxilii copia, et aliquid posset patrocinium meum, profecto nihil his Dei servis denegarem. Nam etsi sum ipse peccator et iniquitate circumdatus, diligo tamen eos, quorum vitam castam mundamque video, quia, quanto minus est in me

---

[1] Cod. habet *me fato* pro *praefato*, sed certo est error scriptoris.

[2] Cod. *Gorlitz* et paulo superius *Leyptz* pro *Lipsia*.

[3] 20 Maii, ut dicit Wadding., l. c. ad an. 1453, n. XXV; cfr. etiam De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 186 et tom. III. p. 111.

[4] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1453, n. XXXII.

[5] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1455, n. XLII.

[6] Wadd.: adiuvant.

virtutis, tanto eos iuvare attentius debeo, quorum probitas in aperto est, ut, si nequeam meis actibus Deo placere, horum saltem commendationibus reddar acceptus. Sicut enim pavidi ac pusillanimes in proelio saeculari milites fortium virorum virtute salvantur, ita et in beati Petri navicula prudentes et animosi nautae vecordes atque ignavos servant remiges. Facit hoc Religio beati Francisci, quae apud Observantes habetur. Haec enim veluti lectissima militum manus undique Christianorum lustrat exercitum, nunc istam, nunc illam partem tuetur, arcet insidias, impetum frangit hostium, semper armata, semper in vigilia, semper in negotio, nobis ut otium pariat. Scimus, quantum sub Bernardino Senensi, iam supernae Ierusalem cive [1], haec Religio Ecclesiae catholicae profuerit, quantumque modo sub fratre Iohanne de Capistrano utilitatis attulerit. Et quid haec Religio aliud agit, quam quae iubere novimus Evangelium? Sentes ac tribulos ex agro dominico divellit, semen bonum seminat, zizaniam et lolium sarculo veritatis praescidit, exterminat avaritiam, pellit libidines, fulminat illecebras, voluptates strangulat, ambitiones et odia fugat, ignaviae et secordiae stimulum adigit, et aperiens in Ecclesia diebus singulis os suum, poenitentiam suadet et viam Domini in veritate docet. Haec sunt opera Fratrum, qui *de Observantia* nuncupantur. Nescio, cui haec non placeant! Credo, quae non sunt omnino praecisa ab Ecclesia membra, omnibus horum gratam esse conversationem [2]. Nam et Romani Praesules quamplurima huic familiae privilegia contulerunt, quibus ab infestatione [3] hostium perseveraret illaesa. Sed audio, novissimis diebus nonnihil suggestum esse beatissimo Patri nostro Nicolao V. adversus huiusmodi sanctam sacramque Congregationem. Fertur enim, Sanctitatem suam litteras Eugenii, praedecessoris sui, quae in favorem horum de Observantia Fratrum emanaverant, seu revocasse seu suspendisse; quod minime fecisset, nisi, ut aiunt, sinistre de conversationibus horum Fratrum fuisset instructus. Perniciosa res est lingua fallax et subdola multumque damni saepe in communi affert; sed magna vis veritatis, quae contra omnium insidias facile ipsam emergit. Vita horum Fratrum in aperto est: *Non potest abscondi civitas supra montem posita* [4]. Est haec familia quasi *lucerna ardens supra candelabrum*, quae domum Domini, hoc est Ecclesiam, miro splendore irradiat. Venit adversus eam princeps huius mundi et nihil habet in illa: *Fundata est domus supra firmam petram* [5]. Nihil est, quod in eam valeant aquilones. At quamvis credatur haec coelestis Imperatoris sustentata manu, neque timeat versutias serpentinas, cupit tamen eius consilio confoveri [6], qui locum magni Dei tenet in terris. Nam etsi domus ipsa dirui, sive [7] demergi beati Francisci navicula nequeat, possunt tamen ex inquilinis, sive ex nautis nonnulli periclitari, neque omnino tuta est, nisi Apostolicae Sedis praesidio muniatur.

---

[1] Wadd. falso *Curiae* pro *cive*.

[2] Verba: Nec me dubium habet, quin sancta Sedes Apostolica iis Christi militibus afficiatur, quae apud Wadd. post *conversationem* leguntur, in cod. excidisse videntur.

[3] Wadd.: infestationibus.

[4] Matth. 5, 14. 15.

[5] Matth. 7, 25.

[6] Wadd.: eius auxilio communiri.

[7] Wadd.: si.

Meum nihil est de alto iudicio sacri senatus censere, aut de prima Sede quidquam dicere, cuius opera iudicare in terris mortalium nemo potest; non tamen errare me putaverim, si apud dignationem tuam[1] animi mei secreta aperuerim, et quid ex usu crediderim, sapientiae tuae[2] palam fecerim. Nam et hoc iurasse memini me facturum, cum sacris pontificalibus initiarer. Ego, ut aperte loquar cum[3] tua dignitate, vehementer timeo, ne novitas haec scandalum pariat, si Fratres de Observantia ad Conventuales migrare permittantur. Hoc enim in primis non intelligo licitum esse. *Vovete et reddite*[4], scriptum scimus. Servanda sunt quae sanae mentis promittunt puberes. Claudenda est porta, quae ducit ad interitum, aperienda, quae monstrat vitam. Sunt praeterea, ut fama est, supra viginti millia Fratrum, qui de Observantia dicuntur. Tota Christianitas his plena est; non est leve, tantam offendere multitudinem, incautum est, cum his contendere. Quodsi dicatur, multo plures esse Conventuales, doctrinam horum perspicaciorem videri, praedicationes quoque in omnibus urbibus audiri; nihil moveor. Parum prodest sermo, cui vita contraria est. Neque scientia sine sapientia proficit. Monasteria Conventualium comminui ac ruere cernimus, Observantium augentur et florent. His principum aures patent, neque Pontifices alii, aut alii Praelati his adversantur. Nihil enim ab his parochialium iura laeduntur; subsidio plebanis, non oneri sunt. Conventuales autem nunc offertoria recipiunt[5], nunc de iure sepulcrali contendunt, ob quas res acceptiores omni populo sunt Observantes quam Conventuales. Taceo de vita dispari, quae ipso nomine designatur. Mihi profecto non videtur expediens, Romanum Pontificem hanc familiam contristare debere.

Et quoniam tua dignatio veritati favere ac divertere scandala pro sua virili consuevit, praesumpsi hoc tibi scribere. Intelliges[6] ex his litteris Caesaris animum, eis utile[7] censeo provideri. Frater Iohannes homo Dei est, populi Germaniae quasi prophetam eum habent. Posset, cum vellet, elevato digito, magnam turbam facere. Sentio ex his, qui penes eum sunt, aegre sibi esse quod de Bulla Eugenii fertur; sed homo sapiens, spem vultu simulat, premit altum corde dolorem, quamvis scio constantiam eius immobilem, neque timendum esse, quae semper Apostolicae Sedis dignitatem ac eminentiam praedicavit retrocedere linguam. Decet tamen Summi Pontificis providentiam his benefacere eosque consolari, qui de Romana Ecclesia sunt bene meriti, qualem esse hunc Iohannem cum suis Fratribus nemo, qui sapiat, inficias ibit. Haec bona venia dixisse voluerim. Tua[8] dignatio quae libera voce dico in partem accipiat meliorem meque suo more commendatum habeat.

Ex Nova Civitate, die XI. Ianuarii[9].

Scripsit etiam beatus pater Iohannes de Capistrano, significans, convalescere haereses Hussitarum et Graecorum, et Ecclesiae grandia pericula ex Turcis imminere; contra hos decertandum.

Discusso autem negotio Fratrum de Observantia et Conventualium per quatuor Cardinales et plus quam XXX doctores, decrevit Pontifex Nicolaus, omnia privilegia

---

[1] Wadd.: vestram; [2] vestrae.

[3] Hoc verbum in cod. desideratur. — Pro *tua* Wadd. *vestra*.

[4] Psalm. 75, 12.

[5] Wadd.: cupiunt; [6] quoniam vestra dignatio protectionem Ordinis Minorum in se suscepit, praesumpsi haec sibi scribere. Intelligetis ex; [7] animum eius. Utile; [8] Vestra.

[9] Wadd.: die X. Iun. 1455.

Fratribus de Observantia concessa in suo robore permanere debere, sententia excommunicationis contra fugitivos tantummodo suspensa; ex qua suspensione multa scandala venerunt. Fratrem autem Iohannem de Capistrano instituit generalem inquisitorem haereticorum per totum mundum, sicut et Calixtus, suus successor, fecit.

Frater Iohannes de civitate Vratislaviensi eodem anno, vocatus per serenissimum regem Poloniae, Casimirum [1], ac reverendissimum patrem dominum Sbigneum [2], Cardinalem sanctae Romanae Ecclesiae ac Episcopum Cracoviensem, venit Cracoviam, die II. Septembris et recepit ibidem locum sancti Bernardini, per dictum Cardinalem sibi oblatum, cum solemni processione Clerique ac populi gaudio immenso. In quo loco locavit quos ad Ordinem receperat magistros et baccalaureos et studentes, numero C et XXX. Et in eadem civitate benedixit nuptias regis dicti et coniugis suae, reginae Elisabethae, sororis Ladislai, regis Bohemiae et Hungariae, ex iussione dicti Cardinalis et Episcoporum ibidem praesentium, quia rex a nullo alio voluit benedici quam a Patre beato.

Frater Iohannes Quifteber [4], Vicarius Generalis familiae citramontanae.

Anno Domini 1454 celebratum fuit capitulum generale Fratrum Minorum de Observantia citramontanorum in conventu Basileensi Provinciae Argentinae, in festo Pentecostes [3], per reverendum patrem fratrem Theodoricum Aurigae, Vicarium Generalem; in quo fuit electus in Vicarium Generalem frater Iohannes Quifteber, pro tunc Vicarius Provinciae. In eodem capitulo ordinatum est:

Primo, quod Provinciales Vicarii cum suis capitulis possent ordinare, quod commemoratio Sanctorum Ordinis nostri fieret sub antiphona: *En vernant rutila* etc., in Provinciis, ubi eadem antiphona apud Conventuales decantatur.

Item, pronuntiatio Martyrologii in festo sancti Bernardini hoc modo dicatur: « In Aquila civitate » etc.

Item, quod secundum declarationes papales et Ordinis instituta in nullo nostrorum conventuum veteri vel novo quaecumque curiositas vel superfluitas in ornamentis, iocalibus et organis seu consimilibus de cetero procuretur per aliquem, sub poena amotionis confusibilis de conventu, licet in quibusdam antiquis conventibus, de communitate ad nos translatis, ubi talia sine gravi scandalo amoveri non possunt, eorum usus, parcus tamen, et quanto rarior fieri potest, ut peius evitetur, ad tempus possit tolerari.

Item, quod Fratres Conventuales, volentes nostro aggregari consortio, probentur plus vel minus infra annum secundum qualitatem personarum iuxta Vicariorum Provincialium discretionem cum consilio Discretorum.

Item, quod Vicarii Provinciales compellant fratres suos servare omni tempore silentium in dormitorio et illis in locis, in quibus hactenus laudabiliter consuevit observari.

---

[1] Cod. *Kazimirum.*

[2] Sbigneus, Olesnicius dictus, erat Polonus et Card. Ss. Aquiliae et Priscae († 1455 prima Aprilis). — Cod. habet *Spitigneum.*

[3] 9 Iunii.

[4] Cod. hic habet *Quifftteber,* in textu *Quifteber*, infra ad an. 1457 *Quiefdeber;* Wadding. et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 111: Quiesdeber.

Item, concessum est Vicariis Provincialibus et eorum Commissariis, quatenus sine suarum provincialium congregationum assensu possint per se ipsos fratres suos, quos ipsi suspenderunt sive privaverunt, ad officia Ordinis relevare.

Item, alia multa ibidem ordinata sunt, quae undique in conventibus habentur, quae causa brevitatis hic silentio pertranseo. Vide in tabula Definitionis eiusdem capituli.

Eodem anno et tempore, finito capitulo generali, fuit ibidem etiam capitulum provinciale, cuius capituli tabula est talis:

In nomine Domini. Amen. Sequitur tabula Definitionis seu ordinationis capituli seu congregationis vicarialis Fratrum Minorum, de Observantia vulgariter nuncupatorum infra Provinciam Argentinensem, per reverendum patrem fratrem Nicolaum Caroli, Vicarium Provincialem ac Custodem eorundem Fratrum Provinciaeque praenominatae, in conventu Basileensi, feria III.[1] post festum Trinitatis sub anno Domini MCCCCLIV celebrati.

1. In conventu Basileensi Guardianus et Vicarius, ut prius; praedicans frater Nicolaus Eyffler; tertianus frater Iohannes ad Rosam; magister iuvenum professorum et novitiorum frater Ulricus Fogt.

2. In conventu Heidelbergensi Guardianus et Viceguardianus, ut prius; praedicantes ordinarii per vices in conventu frater Nicolaus Dieppach et frater Adam Cuspidis; magister iuvenum professorum et novitiorum, ut prius.

3. In conventu Norimbergensi Guardianus, ut prius; Viceguardianus et magister iuvenum professorum frater Iohannes Funck; praedicans frater Paulus Guller; praedicans concurrens frater Martinus Welau[2]; tertianus, ut prius; magister novitiorum frater Iohannes Bechlinger.

4. In conventu Rubeacensi a guardianatu absolvitur frater Iohannes Lor[3] et instituitur Visitator et Commissarius super eundem conventum Rubeacensem et monasterium monialium in Alspach, ut communius et frequentius in eodem monasterio sororum commoratur. Electio vero et institutio Guardiani, successoris sui, relinquitur eidem conventui et Vicario Provinciali; Viceguardianus et praedicans frater Iohannes Doleatoris, ut prius; magister iuvenum professorum et novitiorum frater Iohannes Rethaber.

5. In conventu Pforzhemensi Guardianus, ut prius; Viceguardianus frater Iohannes Gotting; praedicantes ordinarii per vices, ut prius; magister iuvenum professorum frater Iohannes Schieber; magister novitiorum frater Iohannes Gogling.

6. In conventu Tübingensi a guardianatu absolvitur frater Iohannes Bogner et Viceguardianus in eodem conventu ordinatur, et pro eo frater Iohannes Gutthans ibidem Guardianus instituitur; praedicans, ut prius; magister iuvenum professorum et novitiorum, ut prius.

7. In conventu Ambergensi frater Iohannes Gleser Guardianus instituitur — et fuit primus Guardianus ibidem, prius erant Praesidentes solum — praedicans et magister iuvenum professorum frater Nicolaus Kirstan de Mettuedis.

---

[1] Quae erat die 18 Iunii. — [2] Cod. semper *Welaw*.

[3] Infra ad an. 1455 vocatur Ioh. de Lare; probabile est, quod erat patria ex civitate Lahr (Lohr) in Badena.

8. In eremitorio Fremersberg a praesidentia absolvitur frater Ulricus Stricher, et loco eius instituitur frater Iohannes Codau [1].

Item, confessor monasterii Alspach, ut prius, et pro tertio sacerdote ibidem frater Georgius Kress.

Item, confessor monasterii Vallis Gratiae, ut prius; socius eiusdem frater Petrus Grununge.

Item, confessor dominarum in Norimberga, ut prius; socius eiusdem frater Erhardus Reiger.

Item, socius reverendi patris Vicarii Provincialis, ut prius.

Item, quia in aliquibus conventibus laudabiliter introductum est, ut certis diebus in hebdomada recipiantur communiter disciplinae, volumus, quod in eisdem conventibus istud de cetero fiat et servetur. Nullus tamen frater particularis ad ipsas disciplinas recipiendas cogatur invitus. Concedimus quoque, ut etiam in aliis huius Provinciae locis seu conventibus, ubi hactenus istud fieri non consuevit, quoties et quando maior pars in hoc consenserit, possit et debeat iste modus laudabilis, ita tamen, quod nullus particulariter ad istud cogatur, utiliter introduci.

Item, si quae sint dubia nobis transmissa per conventus, ad ipsa in speciali per schedulas respondebitur.

Item, locus sequentis capituli seu congregationis vicarialis erit in conventu Heidelbergensi, anno Domini MCCCCLV, in dominica *Iubilate* [2] post Pascha.

Item, Definitores praesentis capitularis congregationis fuerunt frater Leonardus Meyer, frater Simon Baylon, frater Paulus Goller et frater Martinus Welau.

Item, numerus fratrum defunctorum duo: in conventu Heidelbergensi frater Iohannes Pistoris, et in Norimberga unus in leprosorio.

Eodem anno in festo sancti Viti [3] obiit Norimbergae frater Richardus Kirchberg, qui multos libros scripsit et collegit.

Frater Iacobus de Mozzanica XXXIV. Minister Generalis Minorum, magister theologiae.

Eodem anno MCCCCLIV [4] fuit generale capitulum Fratrum Conventualium Bononiae, in quo fuit electus XXXIV. Generalis Minister Ordinis Minorum frater Iacobus [5] de Mozzanica, magister theologiae, qui super omnes suos antecessores Fratribus de Observantia fuit molestus. Huic humiliter scripsit venerabilis pater Iohannes de Capistrano, obsecrans, ne Fratres Observantiae indebite vexaret, alioquin non esset diu victurus; cuius monita irrisit ipse Generalis et sub Calixto tentavit evertere Observantiae statum.

Anno Domini 1455, XI. die mensis Aprilis, locatus est primus lapis pro structura conventus Ambergensis versus aquam, ubi modo est domus infirmorum contiguata, per illustrissimum principem dominum Fridericum, ducem Bavariae et comitem Palatinum Rheni; super quem lapidem obtulit pro structura conventus idem princeps centum florenos auri Rhenenses.

---

[1] Cod. *Codaw* et *Strycher* pro *Stricher*.

[2] Dominica III. post Pascha, quae erat dicto anno die 24 Aprilis.

[3] 15 Iunii.

[4] 7 Iunii, ut dicit Wadding., l. c. ad an. 1454, n. XXX. seq.

[5] Basolinus dictus. — Cod. semper habet *Mosanica*.

Eodem anno, dominica *Iubilate*[1], fuit capitulum Fratrum de Observantia in Provincia Argentinensi in conventu Heidelbergensi, ubi institutus est in Vicarium Provincialem venerandus pater frater Iohannes de Lare, venerabili patre Nicolao Caroli absoluto et in Basilea Guardiano instituto.

Frater Iohannes de Lare Vicarius Provincialis Argentinensis Provinciae.

Ibidem ordinatum est, ut antiphona: *Salve sancte Pater*[2], de sancto Francisco ad Vesperas, et antiphona: *Sancte Francisce*, ad Matutinum pro commemoratione recipiatur. Cetera ibi ordinata habentur in libro Ambergensi.

Eodem anno, XXV. die Martii, obiit dominus Nicolaus Papa V. et sepultus est in ecclesia sancti Petri Romae. Post cuius celebritatem exsequiarum Cardinales in palatio conclave ingressi, elegerunt dominum Alphonsum, cognomento Borgia, Cardinalem Aragonensem, VI. idus Aprilis[3], et Calixtus III. nominatur. Qui statim, ut pontificatum iniit, edidit Bullam[4] tenoris sequentis:

Calixtus Papa III.

Calixtus, Episcopus etc., ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea libenter, per quae dissensiones et scandala evitentur et honesta petentium desideria impleantur, nec non pias preces cum ex devotionis fervore provenire conspicimus, adhibitionis gratiam libenter admittimus. Sane[5] pro parte dilectorum filiorum, nobilium virorum Alberti, ducis Austriae, et Alberti, ducis Bavariae, et quamplurimorum principum, dominorum et civium multarum civitatum, nec[6] non Praedicatorum, Minorum et aliorum Mendicantium Ordinum Priorum, Guardianorum ac Fratrum eorundem Ordinum, nobis[7] nuper exhibita petitio continebat, quod nonnulli ecclesiarum parochialium rectores homines[8] et Fratres Mendicantes praedictos molestare et inquietare praesumant asserentes, quod quilibet ipsorum hominum parochialium semel[9] in anno eisdem rectoribus sub poena peccati mortalis confiteri teneantur; propter quod qui Fratri Mendicanti, et non rectori parochialis ecclesiae est confessus, Eucharistiae Sacramento privetur, in maximum hominum[10] scandalum pariter et detrimentum. Quare pro parte ducum, principum et dominorum, nec non civium praefatorum, Priorum[11] et Guardianorum et Fratrum praedictorum asserentium, quod nisi per Sedem Apostolicam de remedio provideatur opportuno, plura[12] scandala verisimiliter subsequentur, nobis humiliter fuit supplicatum, quatenus ad omne dubium tollendum super privilegiis, eisdem Fratribus Mendicantibus concessis, pro ipsorum hominum devotione ipsi Fratres Ordinum Mendicantium omnium

---

[1] Cfr. supra pag. 349, nota 2. et pag. 348, nota 3.

[2] Quae antiphona in honorem sancti Francisci habetur, sicut et sequens, in Breviario Romano-Seraphico inter Commemorationes communes, seu suffragia Sanctorum, quae sequuntur post Vesperas in sabbato.

[3] 8 Aprilis.

[4] Cfr. Wadding., l. c. tom. VI, Regestum Pontificium Calixti III. n. XII, ubi exhibet quasi eandem Bullam. — In principio Bullae cod. habet bis *libenter*, quod semel superfluere videtur.

[5] Wadding.: ea libenter intendimus etc. Sane; [6] Bavariae ac communitatis et hominum Argentin. nec; [7] Fratrum domorum in civitate Argentina consistentium nobis; [8] rectores dictae civitatis homines; [9] quilibet hominum Argentin. semel; [10] maximum dictorum hominum; [11] ducum, communitatis et hominum, nec non Priorum; [12] opportuno in partibus illis plura.

utriusque sexus personarum confessiones, eisdem [1] rectoribus minime requisitis, libere audire et licite possint indulgere, discernere (alias decernere [2]) ac declarare et alias super his opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui, quantum cum Deo possumus, libenter dissensionibus et scandalis obviamus, praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, qui super his per Clementinam, quae incipit: *Dudum, de Sepulturis* [3], salubriter providerunt, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut praefati Fratres Mendicantes omnium et singularum utriusque sexus personarum confessiones audire [4], antedictis rectoribus minime requisitis [5], praefatos Mendicantes adire et ipsis confiteri et poenitentiam salutarem ab eisdem suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium iuxta tenorem dictae Clementinae indulgemus; quodque ob hoc praedicti ecclesiarum parochialium rectores eisdem personis Eucharistiam et alia Sacramenta ecclesiastica denegare nequeant, harum serie decernimus; nec non si praefatae personae eisdem Fratribus Mendicantibus confessae fuerint, peccata dictis Fratribus confessa non amplius praedictis parochialibus rectoribus confiteri teneantur, eadem auctoritate iuxta canonem Clementis declaramus, mandantes praefatis ecclesiarum parochialium rectoribus, ne, sub poena excommunicationis, concessioni, decreto, declarationi huiusmodi contradicere, seu contra praemissa quomodolibet attentare praesumant. In contrarium quomodolibet facientes etc., non obstantibus quibuscumque [6]. Nulli etc.

Datum Romae, anno Incarnationis dominicae MCCCCLV, pridie nonas Martii [7], pontificatus nostri anno primo.

Haec Bulla habetur Argentinae sub plumbo in conventu Minorum.

Hoc anno coepit magister Iacobus de Mozzanica, Generalis Minister Minorum, Fratres eiusdem Ordinis de Observantia valde molestare, nisus infirmare provisionem Bullae Eugenianae. Cuius importunitate motus, Pontifex Calixtus III. edidit Bullam IV. nonas Februarii [8], quae incipit: *Illius cuius in pace factus est locus* etc., per quam Eugenianam suspendit et aliqua alia servanda ordinavit, qnae tamen servata non sunt quoad voces activas, Observantibus in capitulis concessas.

---

[1] Wadding: personarum in civitate et dioecesi Argentinensi consistentium confessionem eisdem.

[2] Ita Wadding.

[3] Libr. III. tit. VII. cap. II.

[4] Verba: confessiones audire, quorum loco cod. habet *homines* (manus posterior correxit *hominum)*, tenore textus id exigente, apposuimus. — Wadding. habet ita: inclinati, ut praedicti Fratres... personarum in civitate et dioecesi Argentinensi consistentium confessiones, dictis rectoribus minime requisitis, audire, praedictos Mendicantes etc.

[5] Diploma tam in cod. quam apud Wadding., ut ex dictis apparet, corruptum est: aut hic post *requisitis* supplendum est: *et omnes et singulae utriusque sexus personae,* aut pro voce sequente *praefatos* legendum est *praefatae* (scil. personae).

[6] Wadding.: obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

[7] 6 Martii. — Aliam huiusmodi Bullam Calixti III. ex an. 1456 datam, et ad Spirenses et S. Petri Praepositos ac thesaurarium maioris Basileensis Ecclesiarum directam, exhibet Wadding. ibidem n. XVII.

[8] 2 Februarii. — Bullam videsis integram apud Wadding., l. c. ad an. 1456, n. CXXIX.

Eodem anno fuit capitulum generale familiae ultramontanae Fratrum Minorum de Observantia Bononiae[1] celebratum, in quo electus est in Vicarium Generalem eiusdem familiae frater Baptista[2] de Levanto, quem noluit Minister Generalis, magister Iacobus de Mozzanica, confirmare; ideo triduo post petitam confirmationem elapso, scribebat se Vicarium auctoritate Apostolica, vigore Bullae Eugenianae et sacrorum conciliorum Constantiensis et Basileensis.

Frater Baptista de Levanto Vicarius Generalis ultramontanus.

Hic frater Baptista vidit tunicam Christi inconsutilem, quae est quasi coloris birretini. Hic significavit patri Iohanni de Capistrano molestias, quas Minister Generalis Fratribus de Observantia inferebat.

Eodem anno, XII. kalendas Maii[3], dedit Calixtus litteras, quibus voluit, quod, quamvis litterae et facultas concessae tam per dominum Nicolaum Papam V. quam dominum Nicolaum de Cusa, Cardinalem sancti Petri ad Vincula, tunc Legatum Apostolicae Sedis ad Germaniam, reverendis dominis Episcopis Gottfrido Herbipolensi et Antonio Bambergensi, reformandi et visitandi monasteria et conventus diversorum Ordinum et maxime Mendicantium etc., in quibus nulla vigebat observantia regularis, interveniente morte domini Nicolai Papae V, effectum debitum non essent consecutae, nihilominus debite exsequerentur, et inter illa domus et conventus Fratrum Minorum et sororum Ordinis sanctae Clarae, Herbipolensis et Bambergensis dioecesis, et reducerentur ad Ordinis regularem observantiam ad instar et prout in conventibus eorundem Ordinum oppidi Norimbergae servatur, et subiicerentur Vicario Provinciae Argentinae.

Eodem anno fuit synodus provincialis Moguntinensis provinciae in oppido Asciburgio[4], Moguntinensis dioecesis, celebrata in die sanctorum Viti et Modesti[5] per reverendum patrem dominum Theodoricum, Archiepiscopum Moguntinensem, adversus quaedam perniciosissima dogmata praedicata in Argentina per fratrem Henricum Bicheler[6] (collis) Ordinis Minorum, de grege Conventualium non reformatorum, videlicet:

Quod excommunicationis sententia non animam, sed corpus solum liget, sitque ad terrorem dumtaxat inventa.

Quod sacerdos beneficiatus pro aliis quam sui beneficii fundatoribus orare vel officia divina peragere sic, ut eis prosit, non possit nec debeat.

Quod clericus saecularis, sicuti Religiosus, habere propria non possit neque debeat.

Quod, proh foedum! sanctimonialis professa, si carnis tentatione et humana fragilitate victa, castitatem servare nollet, minoris culpae et facilioris veniae esset, si cum Religioso quam cum saeculari delinqueret.

Quae doctrina fuit per synodum reprobata ut erronea et similis doctrinae Wiclef et Huss. Dictos autem articulos erroneos, per dictum fratrem praedicatos Argentinae,

---

[1] Vel potius in conventu S. Pauli extra Bononiam, 25 Maii. Cfr. Wadding., l. c. ad 1455, n. LXXIX, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 112.

[2] Tagliacarne de Levanto (vel Lepanto, cod. *Lavanto,* italice Levanto), Provinciae Genuensis.

[3] 20 Maii.

[4] Cod. *Aschenburg*, est theut. Aschaffenburg, civitas Bavariae.

[5] 15 Iunii.

[6] Ita cod., fortasse rectius legendum est Büchler.

obtulit se reverendus pater frater Iohannes Gneip, Minister Provinciae Argentinae, per se ipsum, qui melior ad hoc foret, Argentinae publice in ambone velle revocare et retractare, et hoc spopondit in synodo, per modum videlicet alicuius declarationis, qua assereret, dictos articulos erroneos revocare.

Item, in eadem synodo fuerunt domino Archiepiscopo praesentatae Bullae electionis domini Calixti Papae III, in quibus desiderabat sua Sanctitas, indici orationes et processiones, ut Dominus Deus sibi manum adiutricem porrigeret ad exstirpationem haeresum et supplantationem atrocissimi Turci etc.; quod sancta synodus eadem fecit.

Eodem anno MCCCCLV, volens dominus Nicolaus de Cusa, Cardinalis sancti Petri ad Vincula, Episcopus Brixinensis [1], auctoritate Apostolica sibi concessa reformare conventum sororum Ordinis sanctae Clarae [2] suae civitatis Brixinii [3], cum nullum coenobium dicti Ordinis in Provincia Austriae, ad quam dictum monasterium pertinebat, reformatum habebatur — sed nec hodie habetur — per quod idem monasterium reformari posset, misit pro sororibus ad reverendum patrem Provincialem Vicarium Provinciae Argentinae et venerandum patrem Albertum Puchelbach, Guardianum conventus Norimbergensis, cum quo in legatione familiaritatem contraxerat. Igitur XV. kalendas Octobris [4] eiusdem anni missae sunt in sancta obedientia ex mandato Apostolico ad Brixinium quinque sorores Ordinis sanctae Clarae de Norimberga in expensis dicti domini Cardinalis, cooperantibus et adiuvantibus domino Nicolao Muffell, cive Norimbergensi ac sororum tutore, et venerabilibus patribus, fratre Iohanne Lar, Vicario Provinciali, et fratre Alberto praedicto; e quibus sororibus facta est una Abbatissa, quae rediit post quadriennium cum una socia ad conventum Norimbergensem, et tunc creata est tertia ex eis Abbatissa.

Anno Domini 1456, magistro Iacobo de Mozzanica, Generali Ministro, dominum Calixtum Papam molestante, edidit [5] secundam Bullam contra provisionem Eugenianam, qua praecepit, primam, quam praeterito anno ediderat, observari, suspensa Eugeniana, et Fratribus de Observantia Ministris subiectis. Quae Bulla incipit: *Conditor orbis, qui gregem dominicum de laqueo servitutis eripuit* etc. Huius suspensionis et ordinationis fama ad Fratres de Observantia delata, cum ex eis se gravatos contra Deum et iustitiam sentirent, per se et suos Summum Pontificem Calixtum melius informaverunt. Scripsit pro ea re ad eundem Pontificem venerabilis pater Iohannes de Capistrano litteras, ex quibus sunt sequentia: « Nostrae observantiae zelator ille ferventissimus, quem vestrae Sanctitati amabilem bene recolo, scilicet magister et dominus frater Alvarus, in libro, quem edidit *de Planctu Ecclesiae* tempore Iohannis XXII, contra quem Generalis, qui tunc erat nostri Ordinis, magister Michael de Caesena, multas haereses adinvenit, et quantum in se fuit, totum Minorum Ordinem contra obedientiam sanctae Sedis Apostolicae rebellare voluit — non praesumo docere Minervam, sed pro excusatione meae conscientiae humili et omnimoda reverentia ad vestrae Sanctitatis memoriam revoco — dicit, ubi tractat de obedientia regulari: ‚Non agit, inquit, contra obedientiam, qui a vita et conversatione carnali

---

[1] Id est Brixinium, theut. Brixen in Tyroli.
[2] Quae vocula desideratur in cod.
[3] Cod. *Brixniae.*
[4] 17 Septembris. — [5] Scil. Calixtus.

et societate Fratrum praevaricatorum regulae recedit, ut Christo perfectius obediat et serviat. Omnia enim ad hoc agimus, ut cor mundum Deo exhibeamus'. Unde beatus Benedictus recessit ab illis malis monachis et habitavit *secum*, ut dicit beatus Gregorius in II. libro Dialogorum [1], et habetur VII. q. I: *Adversitas* [2] § *Si vir... Sic beatus Benedictus ;* et XXII. q. IV: *Si aliquid* [3] I. et II, et c. *Non solum* [4], et c. *Incommutabilis* [5], et c. *Magnae* [6], et c. *Non omnia* [7], et c. *Lefinitio incauta* [8] *;* et XI. q. III: *Non enim semper* [9] *;* verba Augustini dicentis: ‚Non enim semper malum est non obedire praecepto. Cum enim dominus temporalis iubet, quae Deo sunt contraria, tunc ei obediendum non est'. Sic certe evitandum est periculum conscientiae, ne incurramus illud Psalmistae [10]: *Et cum perverso perverteris.* Quodsi in monasterio vel Religione est praevaricatio communis regulae vel professionis, et illa professione non invenitur arctior, ad quam possit quis recurrere, petita licentia, licet non obtenta, licitum est auctoritate propria, immo auctoritate iuris, inde recedere et ire ubi possit suam regulam observare; patet in c. *Licet* [11], *de Regularibus et transeuntibus ad Religionem.* Et hoc etiam ideo licet, quia ex istorum morbidorum consortio inficiuntur et reliqui, ut in c. *Recolentes* [12], in principio, *de Statu monachorum ;* et expressius XXIV. [13] q. III. c. *Resecandae.*

Ex his et similibus iuribus dictum fuit in concilio Constantiensi de consensu et bona concordia Ministri Generalis Ordinis Minorum, fratris Antonii de Pereto, et aliorum Ministrorum et magistrorum tunc praesentium, quod qui volebant strictius vivere in observantia regulari Ordinis sancti Francisci, sine impedimento et molestia aliqua se ipsos regerent sub uno Vicario, per eosdem electo, a Generali Ministro confirmato, alias intelligeretur confirmatus auctoritate sacri concilii et sanctae Sedis Apostolicae; quod decretum Fratres ultramontani servant cum Bulla sacri concilii, et postmodum Martinus V. approbavit per suas authenticas litteras Apostolicas. Deinde, sacrum concilium Basileense, dum sub obedientia Eugenii consistebat, idem decretum confirmavit et sanctissimus Martinus V, et Eugenius idem decretum confirmans per speciales litteras suas, extendit et ampliavit ac de novo instituit decretum, sub quo vivimus et vivere intendimus, Domino concedente et vestra Sanctitate iustissima annuente, tamquam melius informata, in perpetua observantia regulari, quam Altissimo vovimus, et vota emissa usque ad mortem et sanguinis effusionem intendimus fideliter observare. Nec credimus. cum iustitia nos posse cogi ad recedendum a praefatis decretis, nisi contra Deum, contra iustitiam, contra sacra concilia et contra determinationes sacrorum Summorum Pontificum praefatorum tantam violentiam pateremur; quod tamen mihi omnino impossibile suadetur, ut sub pallio vestrae Sanctitatis aliquam iniustitiam pateremur. Quid enim dicerent populi christiani, cum perciperent, pauperes Christi servos, sua vota Deo reddere

---

1 Cap. III.
2 Can. XLVIII; § citatus, qui est 6, non incipit: *Si vir*, sed: *Ecce elongavi fugiens.*
3 Can. VI. — 4 Can. VII. — 5 Can. IX. — 6 Can. X. — 7 Can. XII. — 8 Can. XVII.
9 Can. CXII.
10 Psalm. 17, 29.
11 Decret. Greg. lib. III. tit. XXXI. cap. XVIII.
12 Decret. Greg. lib. III. tit. XXXV. cap. III.
13 Ita recte, cod. habet *XLV ;* et est can. XVI.

intendentes, ab his, qui eos protegere debent, persecutionem et violentiam sustinere? Quid reges et principes, tam ecclesiastici quam temporales, ceterique domini, quorum aliqui libenter exspectant causas audire aliquas, ex quibus aliquo simulato vel fucato colore a sanctae Romanae Ecclesiae obedientia resilirent[1], quam ubique praedico a cunctis Christicolis fideliter observandam, quin immo et omnes infideles, si aeternam optarent salutem, sub iugo obedientiae sacrosanctae Romanae Ecclesiae vivere tenentur?

Quare, Pater sanctissime, dignemini considerare, quam favorabiliter, quam pie quamque affectuose iura nostra proclamant et intonant praesidia observantiae regularis, quam nostri aemuli, propriae salutis immemores, abhorrent audire per aliquem nominari. Unde et nobis solebant impingere, ubi hoc vocabulum *Observantia* invenire potuimus, cum tamen in primo capitulo regulae nostrae in principio attestatur: *Regula et vita* etc., *sanctum Evangelium observare;* et in secundo capitulo: *et si haec omnia credant et velint ea fideliter confiteri et usque in finem firmiter observare;* et in decimo capitulo describitur bina vice *observare;* et in ultimo capitulo: *sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.* Nonne etiam in pluribus locis hoc vocabulum habemus in Decretalibus? ut in primo libro[2] de Summa Trinitate in fide catholica, c. *Damnamus,* et in c. *Relatum*[3], *Ne Clerici vel monachi,* ubi dicitur: ,Relatum est, quod monachi de H. saeculariter vivunt et alios exemplo suo corrumpunt. Ideo mandamus, quatenus eos ad observantiam regulae, appellatione remota, compellas, vel si tibi restiterint ausu temerario, eis eiectis, Fratres alterius Ordinis — si non potest praescriptum monasterium in suo Ordine reformari — in illud inducas, ut labores impiorum iusti edant, et illi tandem rubore confusi, ad sui Ordinis observantiam revertantur' — certe hac de causa nostri Conventuales nunquam voluerunt reformari neque volunt cum effectu, quamvis forte verbaliter se sic offerant; ideo per felicis recordationis Eugenium et Nicolaum, praedecessores vestros, constricti fuimus sub obedientiae vinculo quamplures conventus recipere et sub regulari observantia reformare, quos etiam ad praesens gratia Dei tenemus et laudabiliter gubernamus cum maxima populorum acceptatione et consolatione spirituali nec non et augmento christianae religionis — et plura loca iuris similia, quae brevitatis causa pro praesenti omitto ».

Haec de Epistola Iohannis de Capistrano.

Scripserunt etiam ad eundem Pontificem inter ceteros principes Alamanniae illustrissimi duces Bavariae, Ludovicus de Landishuto[4], Otto de Novo Foro[5]; item, Albertus, dux Austriae, frater Friderici imperatoris; item, Albertus et frater eius Iohannes, marchiones Brandenburgenses etc. Item, dominus Episcopus Herbipolensis, dominus Episcopus Frisingensis, et Bambergensis, cuius talia fuerunt scripta:

Beatissime Pater et piissime domine! Post pedum oscula beatorum supplici instantique prece per priores litteras meas supplicavi Sanctitati vestrae pro reformatione unius monasterii mei, in quo Fratres Conventuales Minorum ob incorrigibilem

---

[1] Cod. *resilerent.*

[2] Tit. I. cap. II.

[3] Decret. Greg. lib. III. tit. L. cap. VII.

[4] Cod. *Lantzhutt.*

[5] Id est theut. Neumarkt, civitas Bavariae.

vitam malam suam et a me et a populo meo amplius sustineri non possunt. Iterata igitur prece, per has secundas meas identidem et peto et precor. Quotidie enim, beatissime Pater, instat populus, ut regulares introducantur, et propterea, ne scandalum aliquod grande oriri habeat in populo, qui nullo modo discursus et cetera non religiosa horum Conventualium sustinere vult, supplico humillime, ut Bullas dicti conventus reformatorias in forma mihi concedere dignetur de gratia speciali. Ceterum, si eadem Sanctitas vestra de vita horum Conventualium esset veridice informata, nedum illis pateretur his de Observantia dominari, sicut allegant, per Beatitudinem vestram definitum fuisse anno elapso, verum etiam a Missis et ab omnibus Ecclesiae officiis tamquam animabus christiani populi penitus noxios, iustitia et honestate favente, privaret. Et propterea, ne populi habeant ad murmurationes trahi, quod malis auxilia contra bonos ab Apostolica impendantur Sede, oro ex intimis cordis mei, ut Observantes Fratres dicti Ordinis Minorum, qui apud quosque, et principes et populos, maximi aestimantur, commissos habeat, ita ut videant omnes, clementiam Sanctitatis vestrae bonis favere et malis contra probos non praestare praesidia. Paratus.

Alia eiusdem:

Beatissime Pater! Grande donum impertita est mihi Sanctitas vestra, dum supplicationi meae reformandi conventus Ordinis Minorum dioecesis meae, in quo Conventualium illecebram impudicamque vitam amplius sustinere non poteram, se benignam praestitit; de quo immortales Beatitudini vestrae gratias ago, maxime cum ex huiusmodi reformatione ultra bonam Sanctitatis vestrae famam, quae pro tali re ab omnibus commendatur, sit animarum salus et laus Dei plurimum affutura. Sed si grande mihi donum pro hac re dederit Sanctitas vestra, certe maximum sit mihi datura, si ceteris conventualibus conventibus reformatis, tale silentium eisdem imponat Conventualibus, ut Observantibus non dominentur, inquietudinem non inferant atque turbationem; quod fiet, cum a Sanctitate vestra iura et Apostolica Eugenii decreta, ipsis Minorum Observantibus concessa, quae suspensa dicuntur, gratiosius confirmentur. Quodsi fecerit vestra Beatitudo, magnum et apud Deum et apud quoscumque mundi populos et principes laudis et commendationis coronam sibi adepturam fore cognoscat. Paratus etc.

Insignis autem civitas Norimberga ita ad Pontificem scripsit:

Beatissime Pater etc. Experti et diutissime quidem Conventualium Fratrum Ordinis, maxime Minorum, oppidi nostri flagitiosam incorrigibilemque vitam, placuit sanctae memoriae Eugenio IV, praedecessori vestro, qui bonis Religiosis semper favit, eisdem Conventualibus expulsis de conventu isto, Observantes ipsius Ordinis Fratres per Apostolicas Bullas immitti, quod executioni traditum et sancte petitum a nobis sanctiusque indultum fuisse, ab omnibus Alamanniae et principibus et populis summe exstitit commendatum. Nam quamvis modernis temporibus multorum machinationes et guerras perpessi simus, ab omnibus tamen, victore Deo, eorum evasimus precibus — sic enim certo tenemus — servorum Dei, qui professionem et vota servantes illaesa, pro salute nostra hic apud nos Altissimum deprecantur, quo fit, ut in tantum sit hic populus noster his pauperculis affectus Fratribus pro eorum laudabili vita, moribus et exemplo, ut tunc inhabitatum hoc oppidum derelinquant, cum viderint, non observantes Conventuales huic Minorum conventui et eiusdem Observantibus Fratribus dominari. Quamobrem cum saepe dicti Conventuales Fratres maioritatem nuper quaerant exerceantque super eosdem pauperes Observantes, allegantes, Sancti-

tatem vestram eorundem regimini subiecisse, Bullasque quasdam, ab ipso domino Eugenio Observantibus concessas, suspendisse; ideo omni qua possumus efficacia eidem Sanctitati vestrae humiliter supplicamus, ut vel potius eosdem Conventuales obedientiae Observantium submittentes, ut christiano populo sanctum exemplum praebeant, ut a vitiis quiescant, ut se emendent, ut se salvent, aut ipsorum Observantium decreta et gratias approbet et confirmet, ne mali, Apostolica cessante provisione, bonis praesint et dominentur. Et quamquam certissimum teneamus, Sanctitatem vestram ipsis Conventualibus non favere, qui gressus suos non dirigentes in bonum, apud omnes odibiles sunt, attamen si illorum inquietudini silentium ponat praefata Sanctitas vestra, si hos pauperes Observantes, qui certe fidei christianae speculum sunt, aperte defenset, palam protegat publiceque eorum paci, ut decet, provideat, maximam laudem bonitatis ac rectitudinis apud universum mundum sibi adipiscetur, et nobis ipsis ad maximum donum singulariter ascribemus. Dominus Sanctitatem vestram ad vota felicitet. — Ex Norimberga.

Alia ad Cardinalem, vel advocatum in Curia, eiusdem civitatis.

Reverendissime Pater etc. Per introclusa exempla litterarum, quas ad Summum Pontificem damus, desiderium nostrum et cor vestra reverenda Paternitas poterit intueri. Eandem igitur Paternitatem vestram hortamur et obnixe rogamus, ut, si unquam rem nobis et populo nostro gratissimam sit actura, quae semper nobis fautrix esse solet et in cunctis adiutrix, hoc in negotio nobis efficiat, ita ut, praesentatis litteris nostris, manu propria, si fieri possit, haec Bullarum expetita confirmatio favore, prudentia sollicitudine reverendae Paternitatis a domino nostro uberius consequatur (sic)[1]. Id enim Fratres illi de Aracoeli de Urbe simili modo sollicitant, quos poterit vestra Paternitas et alloqui et commonere. Monstret, rogamus, praefata Paternitas vestra, preces has nostras apud eandem haud transire immunes, et ultra solitum erimus vobis maiori devotione devincti quam[2] exsolvere, cum casus eveniat utilis, fideli mente promptissimi sumus. Parati etc.

Alberti, marchionis Brandenburgensis:

Beatissime Pater! Tanta est cordialissima et vera apud Sanctitatem vestram fides mea, grata benevolentia fidelisque servitus, ut in dies magis avidus fiam pedes vestrae Sanctitatis personaliter osculari. Sed quotidie crescunt curae, crescunt et occurrentium suspiciones occupationesque, quibus impediar Urbem pro desiderio petere et me vestrae Sanctitati facere viciniorem. Sed post expugnationem Turci, circa quam ardentius anhelo, dispositus personaliter expeditionem hanc aggredi, ibidem pro fidei christianae defensione vel victurus vel moriturus, sicuti per avisamenta ex dieta Francofordiensi potuit eadem vestra Beatitudo uberius intellexisse, dabit Deus in clementia sua, me posse desiderium prosequi et vestrae Sanctitatis beatissimos pedes amplecti, quamquam talis semper vel praesens vel absens erga Sanctitatem vestram sim, desiderantissimus semper mandatis vestris obsequi et rem Beatitudini vestrae gratam posse pro mea parvitate efficere. Nunc autem mihi cura haec est et cordi meo adeo fixa, ut maiori hac non cupiam a vestra Beatitudine benignitate sua praesentialiter obtinere. Conventuales enim Fratres Ordinis sancti Francisci, certe apud nos non secundum suam professionem recte viventes, superioritatis imperium contra pauperes dicti Ordinis Fratres de Observantia praeter solitum

---

[1] Recte legeretur: concedatur. — [2] Supple: possumus vel poterimus.

exercent et haec dictis Observantibus impedimenta irrogant ob suspensionem quandam, quam allegant a Sanctitate vestra factam fuisse anno elapso proxime, cuiusdam excommunicationis Apostolicae et Bullarum dictis Observantibus concessarum per dominum Eugenium IV; quibus Bullis et excommunicatione in suo subsistentibus robore, si Conventuales huiusmodi vitam non emendabant suam, saltem non poterant paci horum Observantium, ut faciunt, insidiari. Quamobrem, cum certissimum teneam, Sanctitatem vestram mala informatione dictam suspendisse excommunicationem et Bullas, sed neque mentis esse Apostolicae, ut qui non bene vivant, bene viventibus dominentur et praesint, ex intimis cordis precor, ut, si aliquid gratum vestra Sanctitas sua benignitate sit isto tempore mihi datura, hoc efficere dignetur, Bullas videlicet dictorum Observantium Minorum gratiosius confirmare, sed et ipsis Conventualibus talem dare correptionem, ut se emendent, ut hos pauperes Observantes, qui bonitate sua ab omnibus diliguntur et defenduntur, in sua pace dimittant. Quae si mihi faciat eadem Sanctitas vestra, in paucis — verum fatear — pro impenso mihi excellentissimo munere a praetacta Sanctitate vestra certissimum congratulabor, pedibus sanctissimis cuius me semper commendo humillime.

Item, illustrissimus marchio Brandenburgensis, Iohannes, frater Alberti dicti, ita ad Summum Pontificem scripsit:

Beatissime Pater etc. Multis persuasionibus, multis verbis possem rem hanc vestrae Sanctitati deducere. Sed quanto eadem ipsa res mihi magis est cordi et honorem famamque bonam vestrae Sanctitatis pro non religiosa vita, quam Conventuales Ordinis Minorum apud nos servant, tangit, tanto paucioribus utar, eandem Sanctitatem vestram strictissime et humillime rogans, ut pro honore Dei, pro decore Apostolicae Sedis, pro salute populorum, de quibus vestra Beatitudo rationem reddere obligatur, proque iustitia et iure, velit hos Minorum Conventuales reformare et iura atque decreta Fratrum Observantium dicti Ordinis, quae suspensa dicuntur, confirmare et validare, cum hi Conventuales apud fere quoscumque in malis aestimati sint; at contra ipsi Observantes in tanta omnium dilectione sunt positi, ut debitores efficiant quoslibet pro eorundem quiete et pace favorabiliter operari. Paratus etc.

Illustrissimus etiam princeps dominus Albertus, dux Austriae et Styriae, frater Friderici imperatoris, magnifice in favorem Observantium scripsit, Summum Pontificem obsecrans, quatenus, emendatis Conventualibus, decreta Eugenii ipsis de Observantia concessa clementissime confirmare dignaretur.

Porro, Fratres de Observantia in Galliis constituti accipientes, decreta provisionis suae a Calixto Pontifice suspensa, praecipue Provincia Turoniae, solemniter appellationem interposuerunt ad eundem Pontificem minus bene informatum, melius informandum. Cuius appellationis libellus sequitur:

In nomine Domini. Amen.

Si constet, beatum Apostolum Paulum, patientiae ac omnium virtutum doctorem et speculum, se et in se religionem catholicam a potestate gravari sentientem, principem mundanum, sed ministrum quendam coelestis auxilii, cuius est oppressos relevare, iuste appellasse, sane licitum esse debet, concussis Minoribus quantamcumque professis regulam, ad veri Dei non solum cultorem, sed et in terris Vicarium reclamare. Et ob hoc sacrum appellationis remedium exstitit a sanctis Patribus, inspirante Deo, salubriter institutum, quatenus innocentes violentati, aut iniuste alias gravati, seu

per verisimile formidantes gravari de proximo, possint reclamare, ne quis contra rationem valeat aut possit in suo iure alium rationabiliter perturbare, sed magis liceat unicuique in iudicio et extra ius suum libere prosequi et defendere. Hinc est, quod ego frater Gulielmus Pickardi Ordinis Minorum, tam Ecclesiae quam Apostolicae Sedis auctoritate Ministri Provincialis Turoniae eiusdem Ordinis super Fratres de Observantia vulgariter nuncupatos, in eadem Provincia degentes, Vicarius, non solum meo nomine, verum etiam conventuum omnium et Fratrum meo regimini auctoritate, qua supra, commissorum, nec non aliorum quorumcumque saepe dicti Ordinis nostri, nobis in hac parte adhaerentium aut adhaesurorum, coram vobis notario publico et persona authentica dico et propono ea quae sequuntur, per modum appellationis seu reclamationis:

Primo, quod omnis Christianus tenetur de necessitate salutis suae obedire et obtemperare decretis et mandatis sanctis sacrorum generalium conciliorum sanctae matris Ecclesiae, extra quam et eius obedientiam nulli salus animae est possibilis; quam quidem sanctam Ecclesiam sacra praedicta generalia concilia repraesentant.

Item, quod unusquisque, volens animam suam salvare, tenetur non solum vota rationabilia, quae Deo promisit, pro posse reddere et observare, verum etiam inconvenientibus quibuscumque ipsum in hoc praepedientibus mediis possibilibus obviare. Quamobrem patres nostri praedecessores, priores huiusmodi Observantiae sequaces et imitatores, prudenter attendentes, quod ex praecepto regulae possunt et debent et tenentur recurrere ad suos Ministros, ubi et in casu, quo non possent regulam spiritualiter observare et subsidium quaerere, ad Ministros suis temporibus existentes refugium habuerunt pariter et auxilium humiliter petierunt nec obtinere potuerunt.

Insuper, quilibet Religiosus, si in observatione pura suae regulae promissae fuerit per quemcumque hominem sive suae sive alterius Religionis vel aliunde impeditus verbo vel exemplo, ne ad purum vota Deo promissa possit bono modo Deo reddere, licite potest ad Papam, vel ad concilium generale humiliter et devote recurrere, quatenus valeat obtinere remedium, per quod possit vota sua recte et pure Deo reddere seu persolvere cum salute animae suae.

Rursus, praedicti Fratres et conventus de Mirabello [1] ab omni et tanto tempore, inspirante Deo et adiuvante, semper consueverunt pure et sincere vivere secundum puram et veram observantiam suae regulae promissae, tam illi qui de praesenti sunt, quam illi qui de praeterito steterunt.

Praeterea, olim sanctissimum et venerabilissimum concilium generale Constantiense, audita fama et comperta sanctitate vitae et purae regularis observantiae, quae in ipso conventu Mirabelli et aliis similibus circumadiacentibus, sicut in conventu de Lavalle [2] Guidonis, Cenomanensis dioecesis. et ceteris, qui de Observantia communiter nuncupantur, vigebat et vigere consueverat, ex una [3], et ex alia parte auditis et compertis impedimentis variis, quae per Ministros et Custodes ipsius Ordinis, qui aliter quam praedicti Fratres de Observantia vivunt et vivere consueverunt, eisdem verbis et exemplis, proh pudor! inferebantur, ordinavit et statuit idem sacrum concilium Constantiense multum solemniter et cum deliberatione maxima pro meliori et

[1] Id est Mirabel, civitas Galliae.
[2] Id est Vallis Guidonis, vel gallice Laval (Laval-Guyon). — [3] Scil. parte.

perfectiori perseverantia dictae Observantiae in praenominatis conventibus vigentis, ut praemissum est, ne ceteri praetacti ipsos impedientes deinceps impedire valerent, certum statutum et decretum solemnissimum et solemniter in plena sessione publicatum, sicut plenius per litteras eiusdem sacri concilii Constantiensis cunctis apparere potest, iuxta quod decretum et statutum secundum illius de verbo ad verbum tenorem ex tunc in antea dicti Fratres et conventus vivere consueverunt.

Ulterius, in decreto quodam, quod incipit *Frequens*, edito in praedicto concilio Constantiensi, continetur, quod quilibet, quacumque auctoritate fulgeat, sive papali sive imperiali sive regali, tenetur decretis generalis concilii, factis et editis in favorem reformationis Ecclesiae tam in capite quam in membris — cuiusmodi decretorum est praelibatum decretum datum et factum in favorem reformationis praedictorum Fratrum de Observantia — obedire. Propter quod dominus noster Papa, salvo suae Sanctitatis honore, non debet ipsum decretum destruere sive laedere in praeiudicium et gravamen pauperum Fratrum Observatorum, non vocatorum neque auditorum, et in periculum non modicum animarum suarum, sed potius eos monere, inducere et fovere ad sui status iuxta sacri decreti et suorum praedecessorum sanctiones observantiam regularem.

Item, in dicto decreto pro bona perseverantia huius sanctae Observantiae in dicto conventu de Mirabello et aliis similibus cavetur expresse, quod ipsum decretum in suo robore manebit, donec aliud super hoc per concilium generale fuerit ordinatum. Ex quo sequitur, quod idem sanctissimus dominus noster non debet passim et indifferenter inclinari ad destructionem et laesionem qualemcumque huius decreti, in sacri generalis concilii, universalem Ecclesiam repraesentantis, vilipendium et contemptum. Attamen dominus Papa Calixtus modernus dedit certas Bullas, ut dicitur, virtute quarum ordinat et statuit, quod dictus conventus de Mirabello et alii consimiles aliter vivant, quam in praefato decreto Constantiensi continetur, aut alias exeant dictum conventum Mirabelli et alios, sub poena excommunicationis; quod fieri non potest pluribus de causis:

1.ª Quia, ut praedicitur, per ipsum decretum prohibetur.

2.ª Quia hoc fieri non posset sine gravi scandalo, ut tam sancta observantia ipsi conventus priventur sine causa.

3.ª Quia fieret in grave praeiudicium dominorum temporalium, qui praedictos conventus ob hanc causam fundarunt et aedificarunt, quatenus in ipsis sancta regula pure observetur, sicut et nunc observatur.

Praeterea, Ministri et alii Fratres, qui non de hac Observantia adeo scandalose et contra regulam suam vivunt, quod cum ipsis praedicti Fratres de Observantia nullo modo possent vivere sine [1] periculo damnationis animarum suarum propter multas transgressiones ipsius sanctae regulae, quas committunt palam et publice ipsi Ministri et eorum complices sive similes, prout etiam a fide dignis sacrae theologiae praeclaris professoribus et aliis pluribus, propter suae regulae transgressionem sub Ministris ad praedictam Observantia confugientibus, exstitit revelatum.

Item, in saepe dicta regula [2] expresse continetur, quod Fratribus universis eius-

---

[1] Cod. *seu*.

[2] Cap. IV.

dem Ordinis praecipitur, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel interpositam personam. Sed huiusmodi sanctae regulae praecepto in contemptum deducto, ipsi Ministri et alii sibi similes recipiunt et recipi faciunt oblationes pecuniales, quod quidem facere non possunt sine peccato mortali, prout clarissime constat per declarationes Apostolicas super regulam factas, quae incipiunt *Exiit* et *Exivi de paradiso*, libro VII. in Clementinis. Verum licet pecuniae possint dari et exponi pro necessitatibus fratrum huius Ordinis certis modis, qui plenius in praefatis declarationibus continentur, tamen huiusmodi oblationes pecuniales nullo quovismodo possunt trahi in exemplum, sicut ceteri modi in dictis declarationibus contenti. Ratio est, quia pecuniae huiusmodi, quae conceduntur pro necessitatibus Fratrum, semper remanent in dominio dantium et concedentium ipsas pecunias, donec et quousque pecuniae huiusmodi exstiterint conversae in necessitatibus Fratrum, pro quibus conceduntur, et sic per ipsarum pecuniarum concessionem dicti Fratres non possunt dici recepisse pecunias, sed solum illa eis necessaria, pro quibus pecuniae ipsae traditae sunt. Sed secus est et multum differens istud a receptione praedictarum oblationum pecunialium, quia offerentes tales oblationes nihil penitus sibi reservant seu retinent in dictis oblationibus, et sic ipso facto ex tunc dominium ipsarum oblationum transit in dominium Fratrum, per quod dominium manifeste sunt receptores pecuniarum, et in hoc peccant mortaliter. Et quia huiusmodi oblationes pecuniales communiter recipiunt et recipi faciunt assidue, potest dici, quod assidue et continue peccant mortaliter et sunt in peccatis mortalibus, nec super hoc formant sibi conscientiam, quod est aliquo modo sapere haeresim.

Insuper, in regula [1] continetur, quod Fratres non debent equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur; cuius contrarium manifeste et communiter faciunt.

Item, qui necessitate coguntur, possunt portare calceamenta [2]; ex quo sequitur, quod sine necessitate cogente non debent ea portare, cum tamen communitur contrarium facere non verentur.

Praeterea, Fratres omnes vestimentis vilibus induantur secundum regulam [3], quae vilitas secundum praedictas declarationes debet attendi in pretio, colore et materia, ut in ipsis reluceat asperitas, vilitas et paupertas ad imitationem antiquorum patrum. Sed communiter non formidant indui pannis caris et pretiosis; ex quorum exemplo sequitur grave damnum in populo Dei, quoniam, si huiusmodi paupertatem et vilitatem secundum praeceptum et intentionem regulae servassent, per hoc multos pauperes consolarentur in suis pauperrimis vestimentis et multos curiosos divites converterent ad poenitentiam de curiositate et pretiositate suorum vestimentorum, prout communiter faciunt praedicti Fratres de Observantia. Nam multi nobiles viri in saeculo propter sanctitatem, quam attendunt et considerant in praedictis Fratribus de Observantia vigere, relicto saeculo, provocantur sacrum consilium sancti Evangelii imitari, relinquere mundum et ad hanc sanctam Observantiam se convetere, adimplendo quae Christus dicit [4]: *Vade et vende omnia, quae habes et da pauperibus*

[1] Cap. III.
[2] Cap. II.
[3] Ibid.
[4] Matth. 19, 21.

et sequere me; quod sub cura et regimine ipsorum Ministrorum ipsius Ordinis nullo modo fieri potest propter dissolutiones et vanitates mundanas, quae sub ipsis regnant. Etenim sub ipsis Ministris conventus existentes populantur et replentur infantibus parvulis, non capacibus sanctitatis et orationis et apostolicae perfectionis, sed magis ipsi infantes vanitates seniorum Fratrum, a quibus recipiuntur et cum quibus vivunt, provocantur et nituntur imitari. Qua de re vita, quae sub ipsis Ministris regnat, de die in diem in peius corruit; tamen inter Fratres huiusmodi de Observantia tales iuvenes et infantes nullo modo recipiuntur, sed magis homines adulti rationisque capaces, sicut Christus parvulos inter suos Apostolos minime recepit, quamvis aliqui parvuli inter eos fuissent, non ad perfectionem vitae servandam, sed magis ad eis serviendum, sicut de illis legitur, quod Iesus advocans parvulum dixit[1]: *Nisi quis se humiliaverit sicut parvulus iste* etc. Ex quo luce clarius constat, quod si dicti conventus et loca, in quibus perfectio vitae iuxta sanctam regulam et sub manibus ipsorum, sicut praefertur, indisciplinate viventium supponerentur et traderentur, sanctitas et devotio, quae pro nunc Dei gratia in ipsis conventibus viget ad honorem Dei et salutem animarum Christianorum, statim corrumperetur et destrueretur. Quodsi omnia praemissa et plura alia ad hanc perfectionem vitae et regulae pertinentia domino nostro Papae insinuarentur, nunquam ordinaret neque statueret, quod praedicti conventus, Fratres et loca in manibus ipsorum Ministrorum, destructa praelibata sanctitate et observantia, traderentur et supponerentur, sed magis per contrarium statueret, quod alii conventus, in quibus huiusmodi observantia et sanctitas non observatur, quantum fieri posset, ad similem vitam et sanctitatem reformarentur et converterentur.

Item, felicis recordationis dominus Martinus et dominus Eugenius, Spiritu sancto inspirati, dederunt Bullas suas sive litteras Apostolicas in favorem Observantiae praelibatae et quasi conformes saepe dicti concilii Constantiensis, prout plenius in ipsis litteris dictorum Romanorum Pontificum apparere potest, et dominus Papa Nicolaus V. ultime defunctus confirmavit.

Insuper, sub cura et regimine ipsorum Ministrorum sancta Observantia nullo modo durare et perseverare posset, quod sic probatur: quia, cum tot et tantos conventus habeant sub cura et sub se, ipsa Observantia in sua puritate non viguit, nec adhuc viget, sed proh dolor! de peiore in peius quotidie deterioratur.

Item, in statutis, editis in capitulo Assisii[2], quae observare tenentur, et secundum quae vivunt habendo depositarium, cavetur, quod Ministri, si permittant recipere pecunias, vel denarios, vel equitare, vel calceamenta portare extra casum necessitatis, ipso facto, auctoritate Apostolica non revocata, sunt suspensi et depositi, et fit per consequens, cum vivatur communiter in Ordine contra regulam et illa statuta, Ministris permittentibus hoc fieri, quod non sunt Ministri in Ordine, quia sunt depositi, et Fratres, sub manu ipsorum Ministrorum commanentes et viventes, sunt sine Praelato et sine obedientia, cum veraciter non habeant Ministros. Secus de Fratribus degentibus et vere manentibus sub Vicariis, auctoritatem a sacris conciliis generalibus et a Summis Pontificibus habentibus super Fratres de Observantia nuncupatos. Tandem constat, quod, vidente Sara, Isaac cum Ismaele in domo Abraham

---

[1] Matth. 18, 4.

[2] Cfr. supra pag. 187, nota 3.

sine salutis suae dispendio indivisibile non potuit tenere consortium, tangentem picem necesse est coinquinari ab ea [1]; et cum hoc, si modicum fermenti totam massam corrumpit, a fortiori multum fermenti modicam massam.

Nihilominus suprascriptis et aliis quampluribus rationibus loco et tempore declarandis non obstantibus, timens ex coniecturis et verisimilibus minis et comminationibus aliisque iudiciis iustis et probabilibus, mihi ex fide dignorum relatione et plurimorum assertione et aliis de novo et proxime denudatis, vim et violentiam nobis inferri, censuras, excommunicationes, interdicta seu gravamina alia in et contra nos quomodocumque aut undecumque publicari aut fulminari virtute nonnullarum Bullarum, a dicto domino nostro Papa Calixto, nobis non vocatis nec auditis, ut dicitur, subreptitie, malitiose, dolose ac fraudulenter impetratarum ac obtentarum per procuratorem seu officiales, Praelatos subditosve aut alios quoscumque fautores suos, complices et adhaerentes Ordinis antedicti Minorum, in irritationem et parvipendium sacrorum generalium conciliorum, Ecclesiam catholicam repraesentantium, et contemptum Apostolicarum sanctionum, insuper in periculum animarum nostrarum et praeiudicium corporumque nostrorum distractionem, vexationem, simul et detrimentum atque populi christiani et totius regni grave scandalum: idcirco ego, frater Gulielmus Pickardi, auctoritatibus praetactis super eosdem Fratres de Observantia Vicarius constitutus, nomine meo et, ut praefertur, omnium et singulorum conventuum, locorum atque Fratrum mihi adhaerentium et in futurum adhaerere volentium, attendens consultius fore ante tempus occurrere, quam, illato iam dispendio et subsecuto praeiudicio, remedium quaerere et medelam; volens et futuro promptoque periculo via iuris obviare, ab ipso domino nostro Papa minus bene consulto, cassatione, ordinatione, fulminatione, censura et excommunicatione seu interdicto, aut alia nostri concessione facta seu fienda, data seu [2] danda, et ab exsecutore seu exsecutoribus praedictorum ad ipsum sanctissimum dominum nostrum Papam Calixtum, melius informandum et plenius consulendum, et insuper, ad sacrum Ecclesiae concilium generale, proxime celebrandum et in Spiritu sancto legitime congregandum, in his scriptis cum omni humilitate et reverentia provoco et appello pro me et omnibus aliis, mihi in hac parte adhaerere volentibus, cum protestatione de addendo, corrigendo et minuendo in praesenti appellatione, quidquid fuerit addendum, minuendum et corrigendum loco et tempore opportunis. Item, cum protestatione, quod omnia et singula in ea contenta iudicio et determinationi ipsius sanctissimi domini nostri Papae suppono, nihil pertinaciter asserere intendens. Protestamur insuper, quod non intendimus ad omnia et singula praemissa probanda nos astringere, sed ad ea dumtaxat, quae de iure sufficere possunt et debent. Et etiam protestamur, quod nihil de praemissis dicere intendimus in iniuriam seu laesionem cuiuscumque, sed tantum quantum potest nobis et veritati et iustitiae nostrae deservire, submittendo me et omnes mihi subditos et adhaerere volentes protectioni et tuitioni ipsius sanctissimi domini nostri Papae et determinationi sacri concilii generalis proxime celebrandi, apostolos cum omni instantia, si quis possit mihi eos dare, p tendo et requirendo; de et super quibus omnibus et singulis praemissis peto a vobis notario publico unum vel plura instrumentum vel instrumenta mihi confici atque dari.

---

[1] Alluditur ad Eccli. 13, 1: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; et deinde ad I. Cor. 5, 6.

[2] Quae vocula desideratur in cod. —

Circa hanc appellationem advertendum est, quod, licet ipsa interposita sit ad futurum generale concilium proxime celebrandum, et rationabiliter, tamen, quia postea in concilio seu dieta Mantuana, anno Domini MCCCCLIX, per Pium Papam II. decretum est et statutum, quod omnes, qui deinceps a Summo Pontifice ad futurum, ut dicunt, concilium et ad id quod nusquam est, appellare praesumpserint, quacumque dignitate ecclesiastica vel saeculari, etiam episcopali vel regali, praefulgeat, cum haec temeritas sit diabolica, de haeresi vehementer suspecta, quae non nisi latebras et pertinacias in suis damnatis actibus quaerit, fugiens veri pastoris et Domini nostri Iesu Christi Vicarii, cui omnis fidelis tenetur, obedientiam et reverentiam, excommunicationis sententiam cum omnibus adhaerentibus, fautoribus et defensoribus et receptoribus et quomodolibet consentientibus, sive actibus illis damnatis ut notariis vel testibus interessentibus, ipso facto incurrunt, a qua non nisi per Summum Pontificem absolvi possunt, nec non laesae maiestatis et haeresis crimina et poenas eo ipso incidunt incidisseque declarantur. Ideo nemo eam in hoc imitetur, ne praedictas poenas incidat, quia tempore, quo facta est, hoc statutum nondum fuit factum, nec adhuc prohibitum erat ad futurum concilium a Papa appellare. Ad Summum autem Pontificem melius informandum potest licite ab eius sententiis appellari.

Eodem anno, in mense Iulii, cum beatus pater Iohannes de Capistrano cum tribus navibus descenderet ad succurrendum castro Nandoralbensi [1], quod Belgrad slavonice dicitur, a Turcis de proximo obsidendo, prae paucitate cruce signatorum valde tristis reddebatur. Celebrante ergo eo quodam mane in oppido Salankemen [2], visa est ei quaedam sagitta coelitus emissa super altare in secunda memoria, in qua litteris aureis scriptum erat: « Ne timeas Iohannes, securus descende et constans esto, quia in virtute crucis victoriam reportabis » [3]. Ex quo valde exhilaratus, omnia cruce insignivit. Miserat ei crucem rubeam Papa Calixtus, quam suscepit de manu Cardinalis sancti Angeli, Apostolicae Sedis Legati. Cum autem ad succurrendum praedicto castro navigio descenderet, obscuratur aër, flant venti, turbatur Danubius cum pluvia tam densissima, ut unus alterum in navi minime videret, et tanta tempestas secuta est, ut ipse coactus sit descendere in terram. Navibus autem terrae applicatis, subito facta est tranquillitas in flumine, et mox ascenderunt Turci cum ingenti vi navium, occupantes locum unde Patrem tempestas repulerat. Unde dubium non est, Deum omnipotentem istam tempestatem excitasse in flumine, ne servus suus et Christiani cum eo existentes ex inopinato inciderent saevissimorum Turcorum manus.

Turci igitur invadebant oppida, devastabant villas, populum christianum ab-

---

[1] Vel Nandor Alba (seu Alba Graeca sive Bulgarica, lat. Singidinum dictum, theut. etiam Griechisch Weissenburg), civitas ad Danubium sita. — Pro *Belgrad* cod. *Belligrad.* — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1456, n. XXXVIII. seqq.

[2] Ita recte, codex habet *Selechelen;* Salankemen vel Slankemen est oppidum ad ripas Danubii situm. Secundum Wadding., l. c. n. XLIII. Sancto evenerunt quae narrantur, in oppido « Petra Varradini » i. e. theut. Peterwardein, ut narrat fr. Iohannes de Talleacotio, socius Ioh. Capistrani, in litteris ad fr. Iacobum de Marchia directis.

[3] In auctoritate allegata sic habetur: Ne timeas, Iohannes, sed securus, ut coepisti, descende ac propera, quia in virtute nominis mei et sanctissimae crucis victoriam de Turcis obtinebis.

ducentes velut pecora mactabant. Danubium et Savum [1] navibus bene munitis occupabant, omnia velut locustae cooperientes, et praedictum castrum obsidione cingebant opinantes, quod, illo habito, totam Hungariam, immo totam Christianitatem occuparent. Christiani autem, licet sine comparatione Turcis pauciores — quorum dux erat strenuissimus baro Iohannes [2] Voyvoda, gubernator regni Hungariae — in Deo spem ponentes et in meritis beati Iohannis de Capistrano confidentes, ad resistendum Turcis ad Patrem eundem confugiunt promittentes, se in omnibus eius consiliis velle acquiescere. Cum autem Pater beatus ad castrum praedictum venisset, ascendit superiora castri et circumquaque respiciens, vidit Turcorum multitudinem in terrestri solo CXX millia expeditorum ad pugnam. In Danubio prospicit LXIV magnas naves, exceptis minoribus, viditque CCC machinas cum ceteris bellorum instrumentis. Sero facto, inspiciens castra inimicorum, intuetur innumeram multitudinem luminarium. Unusquisque enim eorum faculam ardentem in manu gestabat. Flexis in terram genibus, auxilium Dei pro victoria postulabat dicens: «Obsecro, Domine, confundatur audacia et praesumptio inimicorum tuorum, qui fidem tui unigeniti Filii destruere nituntur». Mane facto, Turci bombardis in muros castri proiiciunt, quod muri paulatim ruebant, et iam inimici ad introitum se praeparabant. Quod videns Pater, voce magna hoc nomen *Iesus* invocabat et ceteros ad clamandum incitabat. Deinde cum fervore maximo beatus Pater cepit baculum suum, in quo signum T apparebat, et post se vocans cruce signatos, portam castri aperiri iussit. Castellanus vero de turri castri prospiciens Turcorum multitudinem et non intelligens mysterium Dei, clamabat: «Non exeatis, Pater, quia omnes erimus filii mortis».

Interea Iohannes Voyvoda, gubernator, navale bellum cum hostibus agebat, cuius strenuitate, Deo auxiliante, Turcorum naves aliquae submersae, aliquae combustae, aliquae captae sunt. Exiens autem Pater castrum cum paucis cruce signatis, tamquam alter Iosue praecedebat clamans, quantum potuit: *Iesus*. Cumque deficeret voce, dicebat sociis suis, qui cum eo erant: «O fratres, clamate, iuvate me». Interim sagittae et lapides a Turcis proiectae circa caput Patris volitabant, sed nihil ei [3] nocebant. In virtute igitur nominis *Iesu* hostes in fugam sunt versi, quos Christiani persequentes, innumeros ex eis occiderunt, alios fugaverunt, alios captivos duxerunt. Sed et Mahumet [4], imperator eorum, vulneratus, vix evasit. Quidam ex Turcis captivi, dum interrogarentur, cur in fugam versi sunt, cum fuissent tam potentes; responderunt, quia aër plenus vocibus clamantibus *Iesus* videbatur. Habita est haec victoria de Turcis in virtute nominis *Iesu* anno MCCCCLVI, in die beatae Mariae Magdalenae [5].

Refert Calixtus Papa in Bulla institutionis festi Transfigurationis Domini [6], fuisse tunc interfecta XL millia Turcorum, et totidem in fugam versa, se mutuo trucidasse, castra incensa, machinas et instrumenta bellica omnia aqua et terra dirupta. Hac

---

[1] Cod. falso *Samum;* est enim fluvius Sava vel Sau.

[2] Ioh. de Hunyad.

[3] Cod. *eum.*

[4] Cod. *Machumeth.*

[5] 22 Iulii.

[6] Celebratur 6 Augusti. — Cfr. Wadding., l. c. 1456, n. LXXI.

clade perterritus, Turcus Constantinopolim se propere recepit. Actum tunc de crudelissimo genere fuisset, si christiani principes, omissis intestinis bellis, tantam victoriam terra marique prosecuti fuissent, quemadmodum Calixtus monebat.

De hac miraculosa victoria Christianorum et eam praecedentibus signis est sequens epistola beati Iohannis de Capistrano.

Universis titulo christianae militiae insignitis clarescat mira Dei clementia atque ineffabilia magnalia, quae nostris temporibus coruscare vidimus et sensimus, dum per nos miseros et peccatores indignos de tuenda vita fidei catholicae in plagis orientalibus de Turcis et paganis per bellum triumphale semel coronata est mater Ecclesia. Vestram affectuosam devotionem cupimus non latere, quod XVI. die mensis Iulii ab Incarnatione Domini anno MCCCCLVI, penes castrum, vulgariter nuncupatum *griechisch Weissenburg* [1], infra horam sextam et septimam diei ante meridiem apparuit stella magna et ceteras praefulgens in omni claritate, non in firmamento, sicut ceterae stellae, sed proxima terrae. Haec stella habuit supra se crucem lucidam et ineffabili magnitudine decoratam. Nos vero de visione stellae huiusmodi gavisi sumus gaudio magno valde, non tamen de visione stellae, sicut de visione crucis super stellam, intelligentes, divinum auxilium nobis subvenire. Ac deinde persolvimus laudes et gratiarum actiones Deo, qui non deserit sperantes in se, et pariter nos omnes, devotis cum gemitibus Deo committentes in ipsius nomine et adiutorio invocato, aggressi sumus proelium contra Turcos hora quasi octava ante meridiem, decantantes illud responsorium [2]: *Tua est potentia* etc., ac deinde responsorium: *Christi Virgo dulcissima*, et tertium [3]: *Circumdederunt me viri* etc.

Interea autem ipsi inimici crucis Christi, pagani et Turci, pugnaverunt pro castro memorato et quasi omnes vicerunt omnes Christianos, qui tunc temporis in castro fuerunt. Nos ergo appropinquantes eis, videlicet Turcis, nobis in cantu nostro deliraverunt. Et non mirum, quia ubi nostrum unus fuit, ibi fuerunt eorum quingenti. Et sic, divina favente gratia, impegimus in eos. At illi quasi mortui coram nobis corruerunt, nec unus superfuit eorum, qui egressi fuerunt ad pugnam. Haec videntes qui remanserunt in castris Turcorum, fugam inierunt, relinquentes ibi omnia armamenta, quae adduxerant. Nos vero persequentes multos occidimus ad spatium quatuor milliariorum. Praeterea, nos tanto labore ac proelio fatigati per totam diem ab hora octava ante meridiem usque post horam noctis eiusdem diei, reversi sumus in tabernacula nostra, referentes et decantantes Deo gratiarum actiones secundum multitudinem miserationum suarum, qui nobis praebuit suum divinum auxilium, dicentes pariter: *Cantemus Domino; gloriose enim* [4] etc.

---

[1] Cod. *kryechischen Weyssenburg.*

[2] Habetur in Breviario dominica I. Octobris ad VI. lectionem et sonat: Tua est potentia, tuum regnum, Domine: tu es super omnes gentes. Da pacem, Domine, in diebus nostris. Creator omnium Deus, terribilis et fortis, iustus et misericors.

[3] Habetur in Breviario dominica in Palmis ad IX. lectionem et sonat: Circumdederunt me viri mendaces, sine causa flagellis caeciderunt me. Sed tu Domine defensor, vindica me. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adiuvet.

[4] Exod. 15, 21; continuat ibi: magnificatus est, et equum et ascensorem eius deiecit in mare. Cfr. etiam Breviarium, dominica IV. Quadragesimae, ubi habentur illa verba ut responsorium ad III. lectionem.

Sequenti autem die collegimus armamenta et defendicula. Innotescat devotioni vestrae, quod quinque classes navium cum armis diversis et cum auro et argento ibi reliquerunt, quando fugam arripuerunt. Plus ibi aurum et argentum reperimus, quam vobis scribere valemus; quod tamen pro communi bono et necessitate omnium nostrum praesentium et adhuc futurorum Christianorum servamus in castro praelibato. Et cadavera mortuorum infidelium per continuos quatuor dies traximus et proiecimus in fluvium dictum Danubium. Corpora vero sanctorum, qui in hoc proelio diem clauserunt extremum, debita cum devotione simul et veneratione collegimus et cum hymnis et laudibus digne ea in ecclesia sancti Michaelis tumulavimus. Porro, stella superius memorata cum cruce super castra nostra per totam diem et noctem stetit et, motis nobis, haec stella nobiscum mota est, nobis nocturnis horis lumen indeficiens praebens, quousque remeavimus ad tabernacula nostra.

Sed et dominus magnificus et baro, strenuissimus Voyvodianus (sic)[1] piae devotionis et sinceritatis affectu accensus, plurimum turbabatur de sanctis, qui hoc in bello sunt interempti, non tamen caesi lanceis aut gladiis aut iacti sagittis, sed pro maiori parte conculcati ab equis et camelis. Proxima nocte sequentis diei apparuit antedicto domino visio tali modo. Apparuit ei unus sacerdos, legens Missam, et cum pervenisset ad *Kyrie eleison*, inceperunt statim singuli transire ad Offertorium, et cum quilibet offerret, signavit eum sacerdos signo crucis, et statim qui[2] fuit signatus, habuit locum et sedem in altari, ubi etiam statim resedit. Et cum sacerdos, legens Missam, pervenerat ad *Sanctus*, advenit unus potissimus rex cum regina et cum magno apparatu ministrorum, qui praedictos sedentes in altari honorifice suscipientes, cum ipsis super altare sederunt. Et finita Missa, rex et regina surgentes, omnes alios secum surgere fecerunt, hisque dixit rex[3]: « *Venite benedicti Patris mei* » etc., et sic una cum ipsis disparuerunt. Surgens autem de mane praefatus dominus baro, coepit parvitati meae pandere hanc visionem, quaerens a me eius interpretationem. Cui respondi formula sub tali: Sacerdos, qui legit Missam, est Summus Pontifex, Christi Vicarius, qui habet potestatem ligandi atque solvendi, qui ex nimio fervore fidei orthodoxae misit Legatos et Cardinales in diversis mundi partibus, dantes et praedicantes remissionem peccatorum omnibus, qui pugnaverunt, aut ad hoc manus porrexerunt adiutrices secundum facultatem suam. Qui hanc praedicationem ipsorum aure cordis susceperunt et sua pia vota obtulerunt Domino, scilicet semetipsos personaliter transferentes, aut alios suis sumptibus miserunt; hi sunt, quos Dominatio vestra vidit ad Offertorium ire. Et tunc sanctissimus pater et dominus Calixtus Papa modernus per suos Legatos et eorum subcommissarios hos munivit signo sanctae crucis. Et hi modo ob catholicae fidei amorem decertaverunt usque ad divisionem spiritus et animae, et pro nunc ab ipso Domino nostro Iesu Christo et gloriosissima eius Genitrice, Virgine Maria, suscepti sunt ad aethereum thalamum, in quo cum ceteris Sanctis gaudent et laetantur sine fine, coronati aeterna beatitudine. Et post hoc suscepit dominus saepe fatus laetitiam magnam cum coronatione sanctorum et mortuus est.

Praesertim tamen numerus sanctorum, quos Dei Filius Christus vocavit ad suam gloriam in hoc proelio, fuerunt tria millia virorum et XLIII viri. Numerus vero ini-

---

[1] Recte legeretur *Voyvoda*.

[2] Haec vox, certo supplenda, abest a cod.

[3] Matth. 25, 34.

micorum crucis Christi agnitus non est nobis, et ideo certum numerum non ponimus, ne falsum pro vero astruere videamur. Verumtamen ad LX millia, vel paulo plus eorum fuisse affirmamus, nosque adhuc superesse XIII millia virorum.

Scriptum et datum prope castrum superius nominatum, XXI. mensis Iulii, anno quo supra. Universorum Christifidelium inutiles servi, licet oratores fidelissimi, frater Iohannes de Capistrano, Ordinis Minorum, ceterique fideles cum eo existentes, bellatores Christi paratissimi [1] etc.

Eodem etiam anno, decimo Kalendas Aprilis [2], innovavit, approbavit et confirmavit dominus Papa Calixtus litteras suorum praedecessorum, videlicet domini Nicolai Papae V. et domini Eugenii IV, super audientia confessionum a Fratribus Mendicantibus editas, et damnavit errores circa hoc per quosdam assertos, in Bulla [3], quae incipit: « Inter cetera, quae nostrae pastorali curae competunt, ea ipsa etiam proculdubio potissima decernimus » etc., in qua Bulla inseruntur litterae domini Nicolai V. et domini Eugenii IV, super ea re editae de verbo ad verbum. Compescuit etiam Gulielmum Niveti [4], rectorem Universitatis Parisiensis, asserentem litteras domini Nicolai V. memoratas de falso plurimum suspectas et status hierarchici in Ecclesia turbativas vel scandalosas et sacris canonibus adversantes, mandans, eas et singula in eis et litteris domini Eugenii IV. contenta sub censuris et poenis taxatis servari, quodque dictus rector quatuor Ordinum Mendicantium Fratres, pro eo quod determinationi Ecclesiae in materia fidei renuntiare noluerunt, resecaverat et privaverat iniuste, irritum decernens, si secus quidquam fuerit quoquo modo attentatum.

Item, concessit omnibus Fratribus et omnibus Christifidelibus, cum devotione ante pietatis imaginem genibus flexis et extensis manibus in crucis modum subscriptas orationes dicentibus, toties quoties illas sic dixerint, XX millia (?) annorum indulgentias et plures centenas. Oratio:

O Domine Iesu Christe, adoro te in cruce pendentem et spineam coronam etc.

O Domine Iesu Christe, adoro te in cruce vulneratum, felle et aceto potatum etc.

O Domine Iesu Christe, adoro te in sepulcro positum, myrrha et aroma etc.

Deinde dicantur quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria* genibus flexis et manibus extensis, ut dictum est.

Haec quidam Frater Minor, Summo Pontifici familiarissimus, impetravit et misit Fratribus, specialiter Vicario Austriae, qui ostendit mihi litteram sibi missam, et credo, quod Papa dederit Bullam desuper. Item, quilibet Frater dicat pro domino Apostolico, qui praefata nobis dedit, 12 coronas, vel 30 vicibus in Missa collectam [5]: *Deus omnium fidelium pastor*.

Item, gratiae concessae a sanctissimo domino nostro Calixto Papa III. ad supplicationem fratris Philippi de Massa [6], Ordinis Minorum de Observantia, die lunae, XXV.

---

[1] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1456, n. LXVI. seqq. — [2] 23 Martii.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1457, n. LXI, ubi habetur integra.

[4] Cfr. Caesar Bulaeus, Historia Universitatis Parisiensis, t. V. p. 602. — Wadding. habet falso *Riveti* pro *Niveti*.

[5] Habetur in Missali inter Orationes ad diversa, n. 4. — Vicarius Austriae erat fr. Gabriel Veronensis.

[6] De quo videsis Wadding., l. c. ad an. 1453, n. XXXIII. et 1459, n. XXXIX.

mensis Octobris MCCCCLVI, videlicet quod omnes Fratres et singuli praesentes Ordinis Minorum de Observantia nuncupati, per universum mundum degentes, possint sibi idoneum de familia nostra eligere confessorem, qui cum eisdem auctoritate Apostolica super omnibus et singulis irregularitatibus in Ordine incursis, ac suspensionibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, praeterquam ab homicidio manuali vel sua ope vel inductione perpetrato, semel tantum dispensare possint, et eosdem sic suspensos ad actus legitimos restituere, salvo si qui sint, qui a dictis actibus legitimis per suos Ordinis Praelatos fuissent suspensi, nec non eosdem semel in vita et mortis articulo praefata auctoritate Apostolica plenarie absolvere, cum poenitentia eiusdem fratris Philippi arbitrio ac confessoris huiusmodi assumendi [1] imponenda. Quam poenitentiam sic taxavit, videlicet quod quilibet sacerdos sexies collectam: *Deus omnium fidelium pastor* etc., et ter aliam collectam [2] dicat: *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo* etc., et uno die in pane et aqua ieiunet. Clerici vero similiter uno die ieiunent in pane et aqua et septem Psalmos poenitentiales cum litaniis et orationibus et aliis consuetis dicant. Laici autem dicant CCC *Pater noster* et totidem *Ave Maria* genuflexi atque similiter ieiunent, et haec secundum voluntatem sanctissimi domini nostri Papae ac eiusdem fratris Philippi dicantur. Reliquam vero poenitentiam confessor assumptus arbitrio suo imponat.

Beatissime Pater! Sanctitati vestrae humiliter supplicatur, quatenus omnes Fratres de Observantia, tam professi quam novitii, subditi Vicario Vicariorum ultramontano, possint se facere absolvi plenarie, semel dumtaxat in vita et semel in mortis articulo, imposita sibi poenitentia salutari per confessorem. — Placet.

Praescriptam gratiam concessit Papa Calixtus III, fratre Iohanne Mongin [3] supplicante, praesente fratre Hugone de Kerdiel, XIII. die mensis Iulii, in urbe Roma, in camera Apostolica, hora fere XXIV [4].

Item, gratiae concessae a Calixto Papa anno Domini MCCCCLVI, sexta die Iulii, Fratribus Minoribus de Observantia:

Primo, quod omnes Fratres possint auctoritate Apostolica eligere sibi confessorem de familia, qui eadem auctoritate Apostolica possit eos absolvere, semel tamen, ab omnibus et quibuscumque peccatis, censuris ecclesiasticis, a iure vel ab homine latis, irregularitatibus, etiam quomodocumque in saeculo incursis, suspensionibus, interdictis, simoniis et etiam aliis Sedi Apostolicae reservatis, ita quod ad sacerdotium inclusive possunt promoveri; et quod male absoluti per ignorantiam a sacerdotibus nostris, sint bene absoluti, ipsi Papae placet, excepto homicidio voluntario, quod non per viam iuris seu iustitiae ordinariae perpetratum sit, et praesentibus dumtaxat Fratribus, qui Religionem egredi non possunt.

Item, Fratres nostri, qui male baptizaverunt aliquos extra Ordinem, vel ante Ordinem constituti vel post, possint eadem auctoritate absolvi cum hoc, quod bene baptizent male baptizatos honesto modo, super hoc petita licentia Dioecesani.

---

[1] Cod. *assumenda*.

[2] Quae habetur inter orationes post litanias Omnium Sanctorum, quinto loco.

[3] Ita cod., Wadding., l. c. ad an. 1458, n. V, et De Gubernatis, l. c. t. III. p. 114 scribunt: Mogini. Cfr. infra ad an. 1458. — [4] Id est circa horam septimam post meridiem.

Item, Fratres praesentes, qui vel non dixerunt officium vel male dixerunt et debita ieiunia omiserunt, ex nunc sint absoluti, quod non teneantur praedicta reiterare, iniuncta eis poenitentia condigna a confessore familiae nostrae.

Ego frater Laurentius de Monte, pro tempore in Curia Romana Commissarius, testificor praesentes gratias a domino Papa Calixto concessas.

Eodem anno, XIV. mensis Iulii, commisit dominus Antonius, Episcopus Bambergensis, Vicario Provinciali Provinciae Argentinensis sorores tertii Ordinis beati Francisci, morantes in oppido Norimberga in platea Fratrum in domo, olim eis assignata a domina Catharina Pfintzing, Abbatissa monasterii sanctae Clarae in Norimberga, ut patet ex litteris eiusdem Episcopi hic inferius insertis:

Antonius, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Bambergensis, venerabili et Religioso patri Vicario Fratrum Ordinis Minorum de Observantia per Provinciam Superioris Alamanniae pro tempore existenti, salutem in Domino.

Pro personarum Religioni mundae et immaculatae deditarum statu salubriter dirigendo libenter impendimus nostrae sollicitudinis partes, quatenus in melius reformatae et provide gubernatae a noxiis resurgant, a dispendiis praeserventur et earum devotio continuum suscipiat incrementum. Cum itaque, sicut relatione fide dignorum accepimus, in oppido Norimberga nostrae dioecesis Bambergensis quaedam personae tertiae regulae sancti Francisci, quae et *Poenitentes* nominari solent, existant, quarum provisio in his, quae statum et profectum Religionis concernunt, hactenus ad conventum Fratrum Minorum praefati oppidi Norimbergae videbatur pertinere, inter quas tam ex temporis diuturnitate, de quo non sit memoria hominum, quam etiam ex more introducto consuetudo inolevit, quod eaedem personae ad probationem et professionem suae regulae recipiantur a Visitatoribus praefati Ordinis Minorum, qui ipsis pro tempore a Praelatis eiusdem Ordinis secundum dispositionem Sedis Apostolicae, et prout in eadem tertia regula providetur, consueverunt deputari, non obstante, quod regula ipsa tertia hoc faciendum committat Ministris sui status, quod propter defectum personarum maxime in praefatam consuetudinem creditur inolevisse, vos quoque, nimirum in hoc vestro zelantissimo Patri sancto Francisco concorditer agendo, ex zelo salutis animarum provocati, personis huiusmodi visitationis ac reformationis officium iuxta earundem desiderium impendere corde geratis.

Nos itaque piis vestris ac earundem personarum votis et desideriis annuentes, ut ad huiusmodi salutaris exsecutionem liberius procedere valeatis, vobis, Vicario praefato, vestrisque successoribus ordinariae auctoritatis praesidio decernimus concurrere, defectum huiusmodi eadem auctoritate nostra supplendo, ad remorsus conscientiarum hinc et inde removendum, Apostolicis nihilominus ordinationibus quoad officium visitationis eisdem personis impendendum auxilium praestando. Idcirco, ne per alicuius resistentiam aut indebitos conatus in huiusmodi salutari opere desinatis, vobis praefatas personas tertiae regulae, in praefato oppido Norimberga degentes, omnes et singulas, praesentes et futuras, etiam auctoritate nostra toties, quoties expedierit et indigere noveritis, in capitibus et membris per vos vel per alios Fratres vestri Ordinis, quos ad hoc discretos et idoneos duxeritis, iudicandi, visitandi et in his, quae statum, commodum et honorem concernunt, reformandi, corrigendi et emendandi, ad observantiam debitam inducendi et compellendi, statuta et ordinationes salubres eis et earum statui competentes, praecipue cum maior et sanior pars personarum earundem in his consentiat, faciendi, condendi, disponendi, exsequendi et

servari mandandi, instituendi et destituendi atque mutandi, personas quoque ibi ad probationem et professionem recipiendi, et alia, quae consuetudo hucusque in talibus introduxit et visa fuerint opportuna, faciendi, gerendi et exsequendi; et insuper, personarum earundem, ut earum devotionibus salubrius consulatur, confessiones, si et dum humiliter id petierint, audiendi et eis absolutionis debitae beneficium etiam in casibus, nobis specialiter reservatis, impendendi ac poenitentias in Domino salutares imponendi: auctoritate ordinaria tenore praesentium consensum impertimur, specialem et liberam in Domino concedimus facultatem, praesentibus usque ad revocationem nostram aut successorum nostrorum dumtaxat duraturis; nec praesentes litteras volumus cuicumque praescriptioni aut consuetudini titulum aut initium praebere posse, superioritate tamen et obedientia in eis debitis et consuetis nobis et successoribus nostris reservatis, ac ecclesiarum parochialium, quibus dictae personae subsunt, et earum rectorum, plebanorum et curatorum iuribus debitis semper salvis, quibus per praemissa nolumus in aliquo praeiudicare.

Datum Bambergae, XIV. die mensis Iulii, anno Domini MCCCCLVI, sub sigillo nostro praesentibus appenso etc.

De obitu Capistrani.

Igitur servus Christi, beatus Iohannes de Capistrano, post peractum bellum contra Turcum propter immensos labores, quos sustinuit, cum iam esset LXXI annorum, aegrotare coepit dixitque sociis: « Adhuc non sum certus, utrum hac aegritudine moriturus sim, sed tali die certificabor »; qua adveniente, dixit sociis suis, se esse moriturum. Et quia Fratres Hungari, qui tunc sub Generali Vicario cismontano erant, se difficiles reddebant in suscipiendo conventu in Illoca [1]; cum tamen haberent super hoc litteras Apostolicas, iussit se Pater ad eundem conventum deferri, dicens: « Postquam in illo moriar, Fratres de Observantia amplius conventum non dimittent ».

Delatus ergo ad praedictum locum, per plures dies valida fluxus aegritudine laboravit, ita ut nihil retinere posset. Quam infirmitatem patientissime, semper Deo gratias agens, sustinuit, nec unquam ab oratione vacans, divinum officium, usquequo potuit os aperire, persolvit. Postremo stipendia vitae flagitans, confiteri, novissime communicari, perungi et animam Deo committi voluit, non in stratu, non in mollibus, non in deliciis, sed in pavimento iacens; nihilominus, quasi ceteri, pro se ipso deprecans: *Sancta Maria, ora pro me, sancte Abraham, ora pro me*, et cetera referens cum reverentia, cunctis astantibus attentior, sic quod minus bene proferentem ac barbarizantem hebdomadarium saepius corriperet emendaretque. Superfuit post hoc per dies VII, uno dumtaxat ovi vitello ac tribus uvarum granis confotus. Sabbato itaque, quo etiam obiit beatus Franciscus, dum primum ad Vesperas daretur signum, perfectae mentis compos ac sensu vivax, socium nutu advocans auxilii ferendi gratia, sedere voluit, et inclinando [2] ad pectus eius titubans, caput suaviter, ore sensim aperto, inter ulnas ei exanime corpus reliquit. Obiit autem vir Dei anno

---

[1] Ita recte, cod. semper habet *Hwilack* (apud alios dicitur Huilok vel Wylak, Vylak, Villoeckium, Villacum); est enim *Illok*, oppidum prope Paterwardein ad fluvium Danubium situm; non autem est, ut aliqui moderni scripserunt, Villacum (Villach) in Carinthia. Cfr. P. Gaudentius, Beiträge zur Kirchengeschichte des XVI. und XVII. Iahrhunderts, Bd. I. (Bozen 1880) p. 441.

[2] Cod. certo ex errore scriptoris *inclinato* et paulo inferius vitiose *ulnus* pro *ulnas*.

Domini MCCCCLVI, die XXIII. Octobris, in oppido Illoca, regni Hungariae, sepultus [1].

Cetera de eius vita et sanctimonia et ceteris vide latius in Legenda eius, quam conscripsit frater Christophorus de Varisio et alii socii eius, frater Hieronymus et frater Nicolaus de Fara [2]. Qui socii eius scripserunt etiam sequentem epistolam de eius obitu ad reverendissimum dominum Cardinalem Senensem, Aeneam Sylvium, ex Vienna anno sequenti in principio anni.

Anno Domini 1457 scripserunt socii beati Iohannis de Capistrano de eius obitu ad reverendissimum dominum Aeneam Sylvium Cardinalem sequentem epistolam:

Reverendissime in Christo pater et domine, domine noster observantissime, humillimam commendationem cum omni officio parendi.

Petiit a nobis tabellarius praesentium lator, ut mandato vestrae reverendissimae Paternitatis obsequamur, quae de obitu venerabilis Patris nostri fratris Iohannis de Capistrano certior fieri cupiebat. At omnium iudicio longa dicendi materia brevi tabella componi, absque rerum nequit defectu. Verum ut vestrae reverendissimae Dominationis desiderio morem geramus, immo verius, ut pareamus pro nostro in eam officio et observantia, paucula quaedam de ipsius Patris nostri profectu exaramus [3].

Non enim fert tempus, non sinunt occupationes, non patitur longa series pigritanti calamo breviter explicare, quibus, quot quantisque laboribus praedictum Patrem nostrum suscitavit ardens pro fide desiderium, immensus pro christiana religione zelus totiusque fidei orthodoxae profectus, posteaquam et reverendissimus dominus Legatus et sanctissimus dominus noster sibi crucem in hostes crucis praedicandam commisere. Tot enim suis vehementibus praedicationibus contra Christi hostes evigilavit dormientes, ut sola hac proclamatione, in omnem fere terram diffusa, plerique hominum ad sumendam crucem convolarent, quodam divino incitati praesagio. Ecce, dum res magis magisque fervet, impetit castellum Nandoralbam, Hungariae regni clavem, nefandissimus Turcorum Imperator, maximo exercitu incredibilibusque bellicis rebus munitus, ut, eo potito [4], facilis ad ceteras orbis partes aditus sibi pateret. Commune christianae religionis et reipublicae excidium considerans timensque saluti populi Dei, praefatus Pater noster vitam penitus exposuit pro tuendo Christi Iesu nomine, quam saepissime publice denuntians populis: « Utinam omnis ruina omneque infortunium Christianis imminens super me caderet, et periculo capitis mei humanum genus, Christum Iesum in veritate sequens, salvum fieret »!

Exiliit [5] irrevocabilis ad martyrium spirans, gentium periculis obviaturus. Currit, clamat, vocat ad opem ferendam omnes: hos enim praesentia commonet [6], illos litteris advocat, hos denique nuntiis admonet, ne discrimini [7] tanto deficiant. Non eum aestus, non solis ardores, non tenebrae, non fames, non sitis, non somnus, non debilitas, non amicorum suasio a continuis discursibus celeberrimisque revocarunt

---

[1] Certo constat, quod sacra spolia Illocae non amplius existant, sed ubi nunc revera requiescant, non est qui sciat. Putantur autem a Turcis esse rapta et abducta atque in ecclesia quadam Schismaticorum sepulta.

[2] Cf. de dictis etiam litteras fr. Iohannis de Talliacotio, fr. Iacobo de Marchia missas, apud Wadding., l. c. ad an. 1456, n. LXXXIII.

[3] Omissis antecedentibus, Wadding., l. c. ad an. 1456, n. XCII. exhibet sequentia, quae, ut ibi dicit, exscripsit ex Matthaei Raderi S. I. « Bavaria sancta », qui transcripsit, ut etiam ibi dicitur, ex cod. msc. Minor. Monacen. — [4] Apud Wadding. male: petitio; [5] exilit; [6] commovet; [7] discrimine.

usquam. Ad castrum tandem multitudinem gentium congregavit, ubi adversus hostes prior cum tribus turmis egrediebatur, optans ibidem palmam martyrii prorsus consequi, quam diu quaesivit. At protector, clemens Deus noster, famulum suum protexit: hinc a circumflantibus sagittis, inde ab emissis iaculis, illinc a stridentibus machinis, istinc denique a variis bellorum telis, in Christianorum necem excusis.

Attende, quaeso, pater reverendissime, quis eius animi fervor fuerit! Etenim cum saepissime a sociis interpellaretur, ne in mortem rueret inter inimicorum cuneos, ad hanc rem aiebat: « Utinam hic pro Christo moriar! Quicumque, inquit, propter Christum Iesum mori parati sunt, me sequantur ». Post crebras tandem congressiones, post acerbam utrimque stragem, post castri diruptionem ad invocationem nominis *Iesu* ac ob preces servorum suorum divina pietas Christianis victoriam Teucrisque [1] conflictum coelitus proculdubio est dignata donare. Prostratis demum tergaque vertentibus Teucris, in Nandoralba Pater ipse moram traxit, ubi divina visitatione duplici morbo aegrotare coepit, febribus videlicet quotidianis et irrevocabili corporis fluxu. Voluit siquidem ipse Deus Optimus, ut breve sanguinis martyrium, quod maximopere cupierat, effugeret et diuturnis aegrotationibus tamquam aurum in fernace purgandus [2] probaretur. Quidnam dicam? Sustulit enim forti animo languidum, attenuatum et exile corpusculum illud, LXX et unum aetatis annos habens, a sexta Augusti usque ad XXIII. Octobris diem varia languorum genera, laudans semper, benedicens et glorificans Deum; « qui ob demerita mea, inquiens, me pie, longe minus quam mereor, caedit ». Augebat siquidem illum continua febris, insanabilis fluxus, moroydarum [3] gravedo, lapilli et arenarum passio, gravis ilium dolor femorumque fractura, ut miserando Dei servo probe praecinuisset vates Maro:

> Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
> Prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus
> Et labor, et dirae subit inclementia mortis.

Languebat igitur corpore, at spiritu et divina illustratione vigebat, qui etiam aegrotans in castris aut in bello, mori penitus affectabat. Cognoscens denique nonnunquam divino prorsus oraculo, hac eadem infirmitate oportere ipsum obdormire in Domino, saepius confessionibus invigilabat, sacratissimam suspirans ab imo pectore lacrymansque sumebat Eucharistiam, non in stratu, aut mollibus, sed in pavimento iacens. Postremoque sacra perungi voluit Unctione animamque Deo omnibus cum caerimoniis ac debitis solemnitatibus commendari, laetus et sensu vividus usque ad extremum perseverans spiritum. Adeo enim vigebat in languido corpusculo vivax sensus, ut penitus intentus devotis lectionibus ad animae commendationem, errantem in legendo sacerdotem saepenumero emendaret ac nobiscum semper elevatis ac plaudentibus manibus responderet: Sancta Maria, ora pro me, sancte Michael, ora pro me etc., devoto magnoque animo usque ad finem peragens.

Reddidit autem animam Creatori XXIII. Octobris circiter XXI. horam [4], dum ad

---

[1] Idem est ac *Turcisque*, quod verbum exhibet Wadding.

[2] Wadding.: purgandum.

[3] Probabiliter pro haemorhoidarum.

[4] Id est secundum computationem communem circa horam tertiam et dimidiam post meridiem.

Vesperas sabbati pulsaretur, ita suaviter et quiete, ac si studeret sopori paulatim se dare. Hic [1] autem lacrymas abunde effundebant Fratres, laudes eius virtutesque non mediocres commemorando. Aiebant enim: « Quanto bonus hic Pater studio Ecclesiam Dei tutatus est! Quam severe in hostes Ecclesiae procedebat! Quam laudabiliter per XL et ultra annos in observantia regulari perseveravit! Quanto zelo animas Deo lucrari satagebat, XXXIX annis verbum Dei indefesse disseminans! Quantae gloriae Ordini suo fuit, auxitque [2]! Quam mature et profunde singulas fere disciplinas tenuerit! Quanta vitae parsimonia vixerit! Quantis vigiliis, quantis orationibus, quantis studiis, quantis consiliis et divinis operibus incubuerit! Quanta gratia et divino munere claruerit! Quanto fervore ad martyrium cucurrerit! Quantis denique virtutibus eum Deus Optimus cum omnium admiratione donaverit! Postremo, quam Deo fuerit gratus, quamque hominibus acceptus! hi non desinebant praedicare.

Ad ecclesiam proinde delatum est corpus illud, per dies aliquot insepultum permanens, ita clarum, iucundum et quasi arridens, tractabile et flexibile per artus singulos, ac si gaudens viveret; quod videri illud operae pretium erat. Commota illico omnis est civitas, velut ad Apostolum ingenti cum devotione confluebant. Contestati sunt postea plurimi, variis languoribus languentes infirmos dona Dei et sanitatum munera per merita ipsius aut voto aut visitatione impetrasse. In arca lignea undecumque serata, clavibus quinque cum catenis clausa et sigillata, supra terram in conventu nostro observantiae regularis Sanctae Mariae de Illoca [3] iacet, ubi magnificus baro Nicolaus Voyvoda ornatum parat sepulcrum in quadam circumclusa capella [4].

Habet reverendissima Dominatio vestra, pater observantissime, a devotis et fidelibus servulis suis brevi compendio vitae modum transitusque finem piae memoriae Patris nostri, postquam cruciatam coepit denuntiare; quem vita laudabilem optimoque fine laudandum coelesti gloria cum Beatis perfrui, non ambigimus. De paucis multa excogitet singulare perspicaxque vestrae reverendissimae Dominationis ingenium, cui haec praegustanda damus in praesentiarum, suppleturi, duce Deo, congruo tempore praesentem defectum. Reverendissimam Dominationem vestram Christus Iesus felici aevo conservet. Si quid aemuli huic tanto viro impinxerint, detraxerint, vestra gravis, matura ac sincera aequitas iudicet. Nam et ipse Pater noster vivens haec retulit: « Multos post hoc calumniatores habebo, qui me mordere non desinent ». Sed Deus iustus iudex erit. Iterum feliciter valeat reverendissima Dominatio vestra, cui nos pauperculos Ordinemque nostrum humillime commendamus.

Ex Vienna, prima Ianuarii 1457, vestrae reverendissimae Paternitatis indigni servuli, licet fideles oratores, socii et collaborantes olim fratris Iohannis de Capistrano Ordinis Minorum de Observantia minimi, ad quaeque mandata promptissimi etc.

Frater Antonius de Montefalco Vicarius Generalis ultramontanus.

Eodem anno MCCCCLVII celebratum fuit capitulum generale Fratrum Minorum de Observantia ultramontanorum Mediolani per reverendum patrem fratrem Baptistam de Levanto, Vicarium Generalem; quo ibidem resignante, electus fuit in Vicarium Generalem reverendus pater frater Antonius de Montefalco, vivente adhuc Ministro Ge-

---

[1] Wadding.: Illic.

[2] Wadding.: auxitque Ordinem.

[3] Cod. iterum *Hwilack,* Wadding. *Vylak.*

[4] Sequentia Wadding. omisit.

nerali, fratre Iacobo de Mozzanica, iuxta formam [1] Eugenianae, non iuxta formam Calixtinae, ipso Calixto sciente et non contradicente.

Similiter eodem anno celebratum fuit capitulum generale Fratrum de Observantia familiae cismontanae in die Pentecostes [2] in conventu Fontinaci comitis, Provinciae Turoniae, per reverendum patrem fratrem Iohannem Quiefdeber, Vicarium Generalem; quo ibidem officio resignante, electus fuit in Vicarium Generalem reverendus pater frater Theodoricus Aurigae pro secunda vice; ex cuius capituli tabula Definitionum sunt sequentia:

Frater Theodoricus Aurigae Vicarius Generalis 2.ª vice cismontanus.

Cum principalis et quasi totalis causa multarum exorbitationum et relaxationum sit defectus sanctae orationis privatae et recollectionis internae, hortamur et obsecramus in Domino, ut Fratres omnes in singulis Provinciis per eorum Superiores ab exterioribus evagationibus et inutilibus occupationibus cum summo studio retrahantur, et ad interiora, quantum erit possibile, ut de Deo et spiritualibus ac de sui status sublimissima perfectione in bonitate sentiant, verbis et exemplis diligentissime reducantur, ut, divino officio devote et cum multa maturitate et diligentia persoluto, tempus etiam aliquod captent, in quo spiritum Domini et mentem beatissimi Patris nostri Francisci sibi imbibere valeant, Christi unctione et gratia se eis dulcius infundente.

Item, ordinatur, quod officia Vicariorum Provincialium ad plus de cetero non nisi ad triennium extendantur, ita quod in fine triennii, postquam huiusmodi Vicarii Provinciales fuerint instituti, non de eis, sed aliis electio celebretur. In qualibet tamen provinciali congregatione ipsi Vicarii Provinciales suo officio renuntient, quae renuntiatio, si Definitoribus capituli videbitur expedire, acceptari possit, et ad electionem aliorum canonice procedatur.

Item, ordinatur, quod recipiendi ad Ordinem secundum Evangelium et regulam ac sancti Patris nostri Francisci usum et practicam etiam ante induitionem se expropriare debeant de omnibus bonis suis, si tamen facere possint bono modo, ut habetur in Constitutionibus, usque ad haec verba: secundum ordinationem capituli generalis.

Item, omnes et praesertim Superiores diligenter attendant differentiam, secundum iura et quatuor magistros, inter denarios et pecuniam, quae duo in regula expresse prohibentur, ut scilicet nihil recipiant contra declarationem domini Nicolai III. causa distrahendi vel vendendi, et a commutationibus et aliis distractionibus periculosis et illicitis caveant diligenter. Idcirco nihil recipiant, nisi cuius usus est eis necessarius, cum, sicut nulla curiositas in aedificiis et aliis, ita nec ulla superfluitas in quibuscumque etiam parvis possit secundum declarationem Clementis Papae V. nostro statui convenire. Quocirca non debent Fratres procurare ea, quae apud eos interdum magis abundant, ut pisces et similia, ad dandum aliis conventibus et locis, aut

---

[1] Supple: Bullae, vel Constitutionis. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1457, n. LXVI. LVII, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 113.

[2] 6 Iunii; sed Wadding. l. c. an. 1457, n. LIII. dixit: feria III. Hebdomadae sanctae, 13 Aprilis; et refert, quod frater Iohannes Quiesdeber (cfr. supra pag. 347, nota 4.) capitulum in conventu *Fontiniaci comitis* (gallice Fontenay-le-Comte, lat. Fontanetum Comitis, civitas Pictaviae (Poitou), de conventus erectione videsis Wadding., l. c. ad an. 1414, n. XIV.) celebraverit, non autem, ut hic insinuatur, novus Vicarius Generalis electus sit, reservata rerum dispositione usque ad capitulum generale iuxta Bullas Calixtinas.

etiam personis extra Ordinem, a quibus alia, ut oleum et huiusmodi, in recompensam et quasi in solutionem recipiant ullo modo.

Item, cum exacta diligentia, ex quo periculum est in mora, expproprientur conventus omnes et loca, in quibus aliqua proprietas, ut in censibus et redditibus, domibus, vineis, alvearibus apum et huiusmodi, forsitan invenitur. Et nedum in talibus, sed etiam in vestibus, victualibus, libris, nec non et in his etiam, quae ad divinum cultum pertinent, ut in paramentis, vasis ecclesiasticis, picturis et aliis, sancta paupertas, utilitas et simplicitas luculenter appareant, prout ex nostra professione certius obligamur. Et caveant Fratres nedum ab exteriori proprietate, sed etiam ab interiori et intrinseca rerum quarumcumque proprietaria detentione, quando scilicet Fratres aliqui nollent libros vel res alias, suo usui concessas, alteri Fratri concedere vel non permittere nisi renitentes ac inviti huiusmodi a Praelatis auferri.

Eodem anno 1457, die XXV. Maii, impretravit frater Angelus de Vulseno [1] Ordinis Minorum, Commissarius Apostolicus super negotium cruciatae, a domino Calixto Papa III. gratiam plenariae remissionis et absolutionis semel in vita et semel in articulo mortis parentibus seu consanguineis cuiuslibet Fratrum Ordinis Minorum usque ad numerum quinarium.

Eodem anno [2] misit dominus Calixtus Papa III. ad Usum-Cassanum, Persarum et Armeniae principem, et ad regem Tartarorum fratrem Ludovicum Bononiensem, Ordinis sancti Francisci, cum multis et magnis muneribus, eos in Turcum excitans. Qui persuasu hominis magnas Turcis calamitates intulere et oratores suos, quos ad Calixtum miserant, ad Pium Pontificem destinaverunt [3].

Eodem etiam anno 1457 receptus est locus a Fratribus Minoribus apud sanctum Nicolaum in ripa Danubii, non longe ab oppido Kelheim, vulgariter *das Bruderloche*, Ratisbonensis dioecesis, in die sancti Ludovici Episcopi [4]. Quem locum aedificavit quidam de tertio Ordine, frater Antonius de Septem Castris, qui moratus est ad tempus ibidem cum Fratribus ut conversus, et venit ad Provinciam Austriae rogavitque ad Ordinem recipi. Receptus autem in loco, qui dicitur *Paradisus*, prope Viennam, occasione quadam contra Fratrem quendam sumpta, remissus fuit ad statum priorem, veniensque Pragam, acquisivit equum tempore Pauli Papae, bellaturus contra Turcum. Cumque solus equitaret ad Hungariam, incidit in manus sex latronum intendentium eum equo spoliare. Quibus cum se omnibus opponeret, occisus est ab eis; spero ut martyr. Praedictum autem locum habitaverunt Fratres usque ad annum Domini MCCCCLXXI, et tunc transtulerunt se ad montem sancti Michaelis prope oppidum praedictum.

Anno Domini 1458, mortuo [5] fratre Iacobo de Mozzanica, Ministro Generali,

---

[1] Ita cod.; rectius legeretur *Vulsinio;* est enim Vulsinium, italice Bolsena, civitas Tusciae. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1455, n. 84, 1459, n. X, 1461, n. III, ubi modo *de Bulseno*, modo *Bulsena*, modo *Bolsena*, modo *Vulsinensis* dicitur.

[2] Wadding., l. c. ad an. 1456, n. CXXVII. dicit: sub fine anni 1456. Cfr. Platina, in Calixt. III.

[3] Cod. *destinavit*, contra originale apud Platinam.

[4] 19 Augusti. — Cfr. Wadding., l. c. ad an 1459, n. LVII, 1469, n. XXX.

[5] Id est 9 Iulii 1457, ut exhibet Rodulphus ex epitaphio eius, anno aetatis suae 50. Marianus autem refert, eum 6 Iulii in Octava Ss. Apost. Petri et Pauli repentina morte obiisse, 40 annos natum. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1457, n. LVIII.

qui Fratres Observantiae multum molestaverat et ideo in matura morte repente sublatus fuerat, sicut ac beatus pater Iohannes de Capistrano praedixit [1], indictum fuit generale capitulum Romae celebrandum in sacro conventu de Aracoeli, XXI. Maii, in die Pentecostes, in quo convenerunt cum Conventualibus etiam Fratres de Observantia utriusque familiae et ambo Vicarii Generales. In quo capitulo Fratribus de Observantia voce activa, quam secundum Bullam Calixti habere debuerant, via facti denegata, electus fuit in Ministrum Generalem totius Ordinis frater Iacobus de Sarzuela [2], qui XXXV. numerum Ministrorum supplevit post beatissimum Patrem nostrum Franciscum. Qui statim iussit procedere ad electionem Vicariorum, ut omnia officia essent innovata. Hoc iussit etiam Protector Ordinis, Cardinalis sanctae Crucis [3]. Igitur frater Antonius de Montefalco, tenens capitulum cum suis Fratribus, resignavit officium, et in locum eius electus fuit in Vicarium Generalem ultramontanum pro secunda vice frater Baptista de Levanto iuxta formam provisionis Eugenii IV.

Frater Iacobus de Sarzuela XXXV. Minister Generalis Ordinis Minorum, electus Romae.

Frater Baptista de Levanto Vicarius Generalis ultramontanus, secunda vice.

Frater Theodoricus Aurigae [4], Vicarius Generalis cismontanus, habito capitulo cum suis patribus, qui pauci erant, resignavit etiam suo officio, et omnibus Fratribus cismontanis, qui tunc Romae erant, inter quos fuit frater noster Iohannes Stoltz, propter paucitatem Vocalium ad electionem admissis, elegerunt in Vicarium Generalem cismontanum reverendum patrem fratrem Iohannem Mongin, tunc Commissarium in Romana Curia. Quem statim praesentaverunt Protectori Dominico, Cardinali sanctae Crucis, et domino Roderico de Borgia [5], etiam Cardinali, nepoti Papae Calixti, qui nostris temporibus [6] fuit Papa Alexander VI, confirmandum; quem confirmavit ipse Protector Ordinis in praesentia Generalis Ministri in Vicarium cismontanum.

Frater Iohannes Mongin Vicarius Generalis cismontanus, electus Romae 1458.

Tunc etiam, supplicante praedicto fratre Angelo de Vulseno, concessit dominus Papa Calixtus universis Fratribus Ordinis Minorum, quod quilibet posset concedere tribus personis de parentibus vel consanguineis suis auctoritatem eligendi confessorem, qui eas absolvere ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, semel tantum in vita, et in mortis articulo plenariam remissionem auctoritate dicti domini Papae conferre posset.

Ex tabula dicti nostri generalis capituli, per reverendum patrem Theodoricum Aurigae, Vicarium Generalem cismontanum, celebrati, sunt sequentia:

---

[1] Cfr. supra pag. 349.

[2] Ita recte, ut patet ex diplomatibus authenticis, et etiam a Wadding. aliisque exhibetur. Cod. habet *Iacobus de Sariola*. Iacobus erat patria Catalaunus ac Minister Provincialis Provinciae Aragoniae; fr. Iacobo de Mozzanica mortuo, erat institutus Vicarius Generalis Ordinis; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1457, n. LXIX et 1458, n. V, qui tamen contra auctorem nostrum *19* Maii pro *21* Maii exhibet.

[3] Scil. Dominicus de Capranica.

[4] Wadding., l. c. ad an. 1457, n. LX. affirmat, tam Theodoricum quam Antonium obiisse 1457, et quidem hunc Romae in conventu Aracoelitano, illum ad urbem Aquilae.

[5] Ita recte, cod. *Rodorico Boria*.

[6] Scil. ab an. 1492-1503.

Primo, cum ex praecepto reverendissimi patris Ministri Generalis ipsiusque viva voce omnibus Ministris indictum sit sub poena privationis omnium officiorum Ordinis, ut regulam et declarationes cum Constitutionibus Ordinis, tam papalibus quam generalibus, faciant deinceps diligentissime Fratribus suis legi, ne ignorantia sit ipsis occasio delinquendi, ordinatur et praecipitur, ut circa eundem articulum Vicarii Provinciales, Guardiani et eorum Vicarii diligenter simili modo invigilent, ut ipsas declarationes et statutorum Ordinis abbreviationes, in congregatione Barcinonensi factas, prout in eisdem continetur, vicibus ac temporibus faciant Fratribus suis legi, ut nec ignorantia sit delinquendi occasio, nec ignorantia sit mater oblivionis.

Item, inhibetur, ne Fratres deinceps aliqua loca [1] seu eremitoria quoquomodo recipiant, etiam a quibuscumque oblata, nisi de scitu et licentia reverendi patris Vicarii Generalis, aut de consensu congregationis provincialis.

Item, cum a pluribus et etiam in ipsa Romana Curia hactenus et nunc maxime notati fuerimus de ignorantia affectata, ordinatur, quod Vicarii Provinciales, et maxime Guardiani, solliciti sint de instructione iuvenum in primitivis scientiis et sacra Pagina diligenti, prout in abbreviatione statutorum generalium exstitit ordinatum et etiam innovatum; praefatique Vicarii et Guardiani invigilent, ut ipsae lectiones et exercitia debite continuentur et observentur. Ac eodem modo solliciti sint, ut pro diversitate regionum atque locorum vestimentorum vilitas custodiatur tam in colore quam pretio, ne pro uniuscuiusque libitu de huiusmodi iudicetur, vanitatique aut curiositati aditus per horum increscentiam praeputetur.

Eodem anno in profesto sancti Iohannis ante Portam Latinam [2] obiit reverendus dominus, dominus Antonius de Rotenhan, Episcopus Bambergensis, et electus est in Episcopum dominus Georgius de Schaumberg etc.

Item, in die sancti Sixti [3], in quo festum Transfigurationis praeterito anno instituit [4], obiit Romae dominus Calixtus Papa III. centumque et quindecim millia nummorum aureorum reliquit, quos in usus bellicos contra Turcum congregaverat, et sepultus est in Vaticano etc.

Et dum Calixti funus celebraretur, moritur et Dominicus [5], Firmanus Cardinalis sanctae Crucis, Protector Ordinis Minorum, vir maturus et sapiens, sepeliturque in templo Minervae cum multis lacrymis.

Dominus Pius Papa II.

Eodem anno 1458, 13 kalendas Septembris [6], patrum omnium consensu Pontifex creatur dominus Aeneas Sylvius, Cardinalis Senensis, et Pius II. vocatur. Hic statim post suam coronationem dedit Ordini Protectorem dominum Bessarionem [7], Cardinalem Tusculanum, cui et nonnullis aliis, videlicet Galielmo [8], tituli sancti Martini in Montibus, Rothomagensi, ac Alano [9], tituli

---

[1] Quae vox abest a cod., sed certo supplenda est. — [2] 6 Maii. — Pro *Schaumberg* (cod. *Schawmberg*) rectius dicitur *Schaumburg;* cfr. P. Gams, l. c. p. 259.

[3] Vel Xysti, cuius festum est 6 Augusti.

[4] Scil. Calixtus.

[5] 19 kalendas Septembris (14 Augusti), secundum Wadding., l. c. ad an. 1458, n. XIV.

[6] 20 Augusti; Wadding., l. c. n. IX: 14 kalendas Sept. (21 Aug.).

[7] Bessarion erat Trapezuntius, Graecus, monachus S. Basilii, Archiepiscopus Nicaenus.

[8] Gulielmus de Estoutevilla erat Gallus, Normannus, Archiepiscopus Rothomagensis, et tempore creationis Pii II. Episcopus Cardinalis Portuensis et S. Rufinae.

[9] Alanus Coetivus erat Brito, Gallus, Archiepiscopus Avenionensis.

sanctae Praxedis Avenionensi, nec non Nicolao de Cusa, tituli sancti Petri ad Vincula, presbyteris Cardinalibus, et Angelo[1] Reatensi et Iohanni Barcinonensi Episcopis commisit, ut, partibus Conventualium et Observantium diligenter auditis et utrimque rationibus, iuribus et allegationibus intellectis, sibi referre curarent, quid de Eugenii ordinationibus et provisionibus et quid de litteris Calixti, sui antecessoris, esset sentiendum ac servandum pro pace et augmento Ordinis. Quibus diligentissime auditis, et relatione ad Papam facta, de consilio Cardinalium et Episcoporum antedictorum decrevit ipse sanctissimus Papa Pius, omnia privilegia, Fratribus de Observantia per Eugenium Papam IV. concessa, confirmanda et confirmavit, et Bullam Calixti suspendit in die Octavae[2] sancti Erancisci in Bulla sua, quae incipit: *Pro nostra ad beatum Franciscum devotione* etc.

Anno Domini 1459 celebravit Pius Papa II. generalem conventum Mantuae pro expeditione ducenda contra Turcos, ubi magnus aderat principum numerus et magna Legatorum vis. Ex tota enim Europa nulla natio seu gens fuit, quin aut principes aut Legatos illuc miserit. Ibidem porrigi fecit frater Segerus de Huntzlare[3], Commissarius in Romana Curia reverendi patris fratris Iohannis Mongin, Vicarii Generalis cismontani, domino Papae Pio supplicationem istam:

Beatissime Pater! Exponitur vestrae Sanctitati pro parte humilis eminentissimae Sanctitatis vestrae oratoris fratris Segeri, Vicarii Generalis ultramontani Ordinis Minorum de Observantia in vestrae Sanctitatis Curia Procuratoris et Commissarii, quod, licet non haesitet, Fratres Ordinum Mendicantium nova loca recipere non debere, sicut in iure, praecipue in VI.[4] per felicis recordationis Bonifacium VIII, vestrae Sanctitatis praedecessorem, expresse prohibitum est, timet tamen, quod quidam in partibus ultramontanis, a Curia Romana distantibus, de huiusmodi prohibitione minime avisati, sed pie in Domino moti et zelum animarum prae oculis habentes, licet non semper discrete, aliquando loca nova, Ordinario hoc permittente seu consentiente, quandoque per principes, quandoque per devotas personas oblata, ducti in conscientiis et Superiorum ac Ordinariorum huiusmodi licentiam concedentium seu permittentium penitus confidentes, receperunt. Verum, Pater sanctissime, cum nec hoc sufficiat, nec ignorantia iuris ipsos in hac parte totaliter excuset, licet ipsi Fratres zelum animarum et Dei honorem prae oculis habuerunt, sententiam tamen iuris, etiam ignoranter, prout dictus orator timet, incurrere potuerunt, quamquam nullo modo hoc in contemptum clavium attentaverunt. Cum vero iam dictus orator per continuam practicam, vestram Sanctitatem sequendo, amplius et amplius ad huiusmodi cognitionem perveniat, indubie sperans, neminem istorum in praeiudicium Apostolicae Sedis hoc fecisse nec scienter hoc facere velle, ne maius scandalum in populo et ipsis Fratribus desolatio oriatur; ad Vestrae Sanctitatis pedes recurrendum ac veniam et misericordiam postulandum omnino conclusit, ut dulcedo piissimi no-

---

[1] Angelus Capranica erat Romanus, frater Dominici, supradicti Cardinalis S. Crucis.

[2] 11 Octobris. — Bullam memoratam videsis apud Wadding, l. c. ad an. 1458, n. XIX.

[3] Infra (p. 385) cod. habet *Huntslare;* Fort. Hueber, Men. 19 Martii: *Seg. de Hundslario;* ibi etiam commemoratio fit fratrum supradictorum Richardi Kirchberg et Alberti Puchelbach, et eos vocat: Rich. de Kirchberga et Alb. de Puchelberga.

[4] Libr. V. tit. VI. De Excessibus Praelatorum et subditorum, Cap. Unic. Bonifacius octavus.

minis Vestrae Sanctitatis super ipsos diffusa ipsorum necessitati subveniat et eos a quibuscumque sententiis excommunicationis et etiam irregularitatis, si quas aliqui eorum minus avisati incurrerint, absolvat, et per suos Superiores posse absolvi, misericorditer concedat, defectus omnes supplendo et acta per eos in Dei laudem rectificando.

Quare pro parte talium pauperum Fratrum de Observantia Vicarii Generales ultramontani, qui aliquo modo directe vel indirecte huiusmodi sententiam excommunicationis, et per consequens irregularitatis ignoranter, et non in contemptum clavium, pro acceptatione huiusmodi locorum, antequam eis desuper auctoritas Apostolicae Sedis concessa fuit, incurrerunt, Ordinariis locorum et eorum Superioribus hoc pie concedentibus seu permittentibus, humiliter supplicatur, quatenus misericordiam magnam cum ipsis facientes dignemini, quod tales, si qui sint et ubi sint, per Vicarium Generalem, eorum Superiorem, aut ipsius in Romana Curia Commissarium, aut per alium ab altero eorundem deputandum, possint absolvi, et si necesse fuerit, ad ecclesiastica Sacramenta cum poenitentia salutari imponenda rehabilitari et super irregularitate, quam propterea, quia divinis se immiscuerunt, incurrerunt, dispensari, omnemque inhabilitationis seu infamiae maculam sive notam ,eadem occasione contractam, abolere, omnesque defectus tam iuris quam facti misericorditer supplere, salvo quod, si aliqui sint, qui confirmationem Apostolicae Sedis desuper nondum habuerint, citius quo fieri poterit absque scandalo populi, ad obtinendam possetenus laborabunt, ut sic de praeteritis absoluti et instructi ac avisati de futuris se verius custodiant et dulcedinem piissimi nominis Sanctitatis vestrae super se diffusam sentientes, pro eminentissima Sanctitate vestra ferventius orent ac in omnibus, per vestram Sanctitatem pro sancta matre Ecclesia et fide catholica eis commissis vel committendis, fidelissime laborent, concedere et indulgere de gratia speciali, Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, cum clausulis opportunis. — Fiat, ut petitur.

Et quod praesentis supplicationis vestrae Beatitudinis sola signatura sufficiat. Fiat.

Datum Mantuae, XVI. kalendas Augusti [1], anno primo.

Subdelegavit autem dictus reverendus pater Commissarius tres in ista Provincia Argentinensi, videlicet Guardianos conventuum Norimbergensis et Heidelbergensis, et fratrem Iacobum Mittelhuser, quibus dedit auctoritatem absolvendi — et cetera faciendi, quae in supplicatione praescripta continentur — illos Fratres, quos in ista Provincia sententias dictas incurrissent propter receptionem locorum novorum, quorum plurimos esse scire se dicebat.

Eodem anno 1459, in die sanctorum Martyrum Petri, Marcellini et Erasmi [2], reformatus est conventus Fratrum Minorum in Weissenburgo [3], per illustrissimum principem dominum Fridericum, comitem Palatinum Rheni, magnum benefactorem et fautorem Observantiae sacrae, auctoritate Apostolica.

Eodem etiam anno dedit dominus Papa Pius II. Breve sequens:

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

---

[1] 17 Iulii.

[2] 2 Iunii.

[3] Cod. *Wissenburg*, est theut. Weissenburg in Alsatia.

Ad ea libenter intendimus, quae ad rectam vivendi rationem ac verae Religionis augmentum fore conspicimus opportuna. Nuper siquidem fide dignorum relatione non sine magna displicentia percepimus, quod nonnulli aliquorum Ordinum Superiores seu Praelati ad tantam mentis alienationem pervenerunt, ut, qui Religionis augmento et subditorum suorum quiete gaudere more bonorum pastorum deberent, omni studio malignitatis eos, qui regulariter vivere cupiunt, perturbare et infestare multipliciter praesumant[1] ac Fratribus suis praecipiant, ut super iniuriis, dispendiis ac perturbationibus et impedimentis regularis vitae sub excommunicationis et aliis gravioribus poenis ad nullam extra suorum Ordinum obedientiam pro remedio et defensione recurrere possint aut valeant, quodque litterae aut Brevia Apostolica, a Sede praedicta emanantia, minime exsecutioni demandentur, nisi prius Generalibus eorum ostendantur, et eorum habeatur assensus.

Nos igitur praesumptorum huiusmodi temeritati providere volentes, omnia praemissa, cum exsecrabilia sint ac bono Religionis et obedientiae et reverentiae praefatae Sedis Apostolicae debitae inimica, tenore praesentium annullamus et decernimus, nullius existere roboris vel momenti, cassantes, revocantes et annullantes omnia statuta, super praemissis emanata, et sententias, a quibuscumque in contrarium latas, mandantes praedictorum Ordinum seu Religiosorum Superioribus huiusmodi, sub poena excommunicationis latae sententiae et privationis ab officiis eorum, ne amplius talia temeraria praecepta aut statuta facere seu procurare audeant, absolventes ad cautelam quoscumque Religiosos, qui ante praesentes nostras litteras praefatis statutis pro bono Religionis et manutenentia vitae regularis contravenerint, aut praeceptis huiusmodi temerariis non paruerint. Et insuper, nos omnibus et singulis Prioribus, Guardianis, Ministris et conventibus, regularem vitam sui Ordinis observantibus, ut, si qui eorum Superiores seu Praelati, aut alii quicumque eorum vitam regularem huiusmodi perturbaverint vel impedierint, ad Apostolicam Sedem praedictam pro praesidio et subsidio habendo et ad suorum Ordinum Protectores ac quascumque alias personas, quae secundum iuris ordinem eis ad manutentionem regularis vitae eiusque defensionem contra impedientes ac perturbantes praedictos prodesse poterunt, libere ac licite recurrere possint et valeant, plenam et liberam auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis et Ordinum praedictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque, etiam si de illis eorumque totis tenoribus praesentibus habenda foret mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae annullationis, revocationis, absolutionis, facultatis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis etc.

Datum Mantuae MCCCCLIX, quarto kalendas Septembris[2], pontificatus nostri anno primo.

B. de Brendis.
A. de Mantua.

Beatissime Pater! Nuper ad conservationem Religiosorum regulariter viventium per Sanctitatem vestram concessum est eis, ut Bullae et Brevia, ab Apostolica Sede

[1] Cod. *praesumunt* et deinde *praecipiunt*. — [2] 29 Augusti.

emanantia, suum consequantur effectum, etiam super hoc non habito consensu Generalium Ordinum, et quod super iniuriis aut dispendiis, quae inferuntur vitae regulari, possint Priores, Guardiani et Ministri et conventus ad Sedem Apostolicam et ad Protectores eorum habere refugium, et cetera, quae in dicto indulto plenius continentur, facere. Nunc vero quidam ex dictis Religiosis timentes in processu temporis posse vexari a maioribus suis, si eis de dicto indulto constiterit, cupientesque praeterea, sibi per Apostolicam Sedem de opportuno remedio provideri, eidem Sanctitati vestrae supplicant, quatenus harum concessione dignetur declarare atque discernere, eos aut singulum eorum virtute cuiuscumque praecepti aut sententiae, a suis maioribus emanandi [1], ad revelationem praedicti indulti non teneri . directe vel indirecte, si de talibus inquirantur. Si quam etiam poenam, aut sententiam etiam praesentis petitionis occasione incurrerunt aut incurrissent, misericorditer absolvere dignemini et de gratia speciali, iuribus, nec non Constitutionibus, ordinationibus, aut etiam gratiis Apostolicis, statutis et consuetudinibus huiusmodi Ordinum etiam iuramento etc. roboratis, vel aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, etiam si talia forent, quod de eis specialis mentio de verbo ad verbum fieri oporteret.

Fiat, ut petitur.

Et quod praesentis supplicationis sola signatura sufficiat absque aliarum litterarum Apostolicarum desuper confectione.

Datum Mantuae, XVII. kalendas Novembris [2], anno secundo.

Eodem anno obtinuit frater Zegerus, Guardianus conventus de Dixmuda [3], Morinensis dioecesis, in favorem miserabilium personarum, in dominio ducis Burgundiae consistentium, sequentes gratias a Summo Pontifice Pio II.

Pius Episcopus etc. Dilecto filio Zegero, Guardiano domus de Dixmuda Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, Morinensis dioecesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Merentur exactae tuae vitae studia et magni labores, quos in Ecclesiae Romanae pertulisti obsequiis, ut personam tuam sinceris affectibus prosequentes, illa tibi favorabiliter concedamus, per quae Christifidelium animarum saluti valeat provideri. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua humilis et devota petitio continebat, in civitatibus, terris, villis, oppidis atque locis, dominio dilecti filii, nobilis viri Philippi, ducis Burgundiae, nunc subiectis, sint quamplures pauperes, leprosi et infirmi ac aliae miserabiles personae, quibus gratiae et indulgentiae, per felicis recordationis Calixtum Papam III, praedecessorem nostrum, Christifidelibus in oppido Mechliniensi, Cameracensis dioecesis, sub certis modo et forma concessae, non solum perutiles forent, sed etiam necessariae, earum tamen participes fieri nequeunt, observatis in litteris Apostolicis desuper confectis contentis, cum eisdem miserabili-

---

[1] Scriptura codicis est *emanandis.*

[2] 16 Octobris.

[3] Ita recte; vel etiam Dicasmuta; cod. habet hic et deinde: *Duxmuda,* Wadding., l. c. ad 1459, n. XXXIV et XXXV: *Zegerius de Dismunda*, et ad an. 1464, n. XVII: *Zegerius Dixnundae.* Est enim Dixmuda oppidum Belgii in Flandria « Dixmuyden » dictum et ad fluvium Yseram (Yser) situm. Auctor cod. hic scripsit *Segerus* pro *Zegerus;* postea vero semper *Zegerus*, ideo hic correximus.

bus personis non subest facultas propter inopiam et paupertatem, nec potestas propter debilitatem et impotentiam: unde pie motus eis subvenire cupiens, diversis vicibus ab Apostolicis Nuntiis ceterisque Praelatis ac doctoribus nedum tempore praelibati Calixti, verum etiam a felicis recordationis Nicolao V, etiam praedecessore nostro, pro huiusmodi indulgentiis, in dicto oppido deputatis, commissiones caritative postulatas pro ipsis miserabilibus personis obtinuistis[1] eisque benigne in diversis praedictae dioecesis terris et locis servivistis. Unde experientia doctus, ipsarum miserabilium personarum necessitatem sciens et salutem affectans, nobis humiliter supplicasti, ut earundem animarum ac quarundam aliarum publicarum peccatricum ad Deum conversarum saluti providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui omnium animarum salutem supremis desideriis affectamus, ipsis miseris misericordiam facere cupientes, tuis devotis ac humilibus precibus in hac parte inclinati, tibi, postquam huiusmodi nostrae litterae Ordinario loci cum omni reverentia fuerint praesentatae et per eundem examinatae, quod per te aut alium confessorem regularem aut saecularem, ipsi Ordinario prius praesentatum et per eundem ad audiendas confessiones admissum, hinc ad triennium proxime futurum omnes et singulos pauperes, debiles, claudos, leprosos, paralyticos, caecos, captivos, senes et impotentes, nec non devotas personas, quae publice de infelici commercio corporis prius victum quaerentes, mundi blandimenta fugerunt et ad Deum seu ad regularem vitam conversae sunt, aut quas in hoc tempore converti continget, cum illis personis, quae earum curam gerunt, aut in communi vita cum ipsis Domino famulentur, in dicto tamen dominio constitutos, eorum ac omnium debilium pauperum ostiatim mendicantium confessionibus diligenter auditis, pro commissis, etiam si talia forent, propter quae merito Sedes Apostolica foret consulenda, semel dumtaxat in vita debitum absolutionis beneficium impendere et poenitentiam salutarem iniungere, nec non ipsis omnibus et singulis in sinceritate fidei, unitate sanctae Romanae Ecclesiae ac obedientia et devotione nostra et Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, quod confessor idoneus saecularis vel regularis in mortis articulo plenariam peccatorum remissionem, mediantibus certis orationibus pro statu universalis Ecclesiae, ipsis omnibus et singulis, super quo tuam et aliorum conscientias oneramus, imponendis, concedere valeas et valeant, tenore praesentium de Apostolica largitate indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis etc.

Datum Mantuae MCCCCLIX, kalendis Septembris, pontificatus nostri anno primo[2].

His temporibus fuerunt spectabiles et devoti viri in ista Provincia Argentinensi, videlicet frater Segerus de Huntslare[3], longo tempore Heidelbergae commoratus, postea Commissarius generalis in Romana Curia; frater Michael de Oram[4], confessor dominae Margaritae, ducissae Subaudiae, coniugis illustrissimi principis Ludovici, comitis Palatini etc., sepultus in conventu nostro Tübingensi; frater Ludovicus de Lovanio[5]

---

[1] Congruentius legeretur *obtinuisti* et deinde *servivisti*. — [2] Ita cod., sed revera erat *secundo*. Cfr. supra p. 378, nota 6.

[3] Cfr. supra pag. 379, et Fort. Hueber, Men. 19 Martii, ubi etiam inter alios Fratres de sequentibus sermo est.

[4] Probabiliter rectius: de Orano (oppido Italiae, quod vocatur Orano), ut etiam Hueber etc. exhibet in indice. — [5] Id est Loewen, oppidum Belgii; Hueber etc. dicit *Livonio*.

poenitentiarius domini Episcopi Bambergensis, etiam sepultus in Tübinga; et frater Iohannes de Caparia [1], beatus vir, unus de primis reformatoribus huius Provinciae Argentinensis, de Turonia adductis, Heidelbergae sepultus.

Eodem anno volens dominus Georgius, Episcopus Bambergensis reformare conventus et monasteria diversa suae dioecesis, imposuit quandam pensam et exactionem omnibus monasteriis suae dioecesis, et inter cetera monasterio Ordinis sanctae Clarae Norimbergae exempto et privilegiato imposuit certam summam sub poenis certis et censuris solvendam. Unde gravata Abbatissa, domina Clara Gundelfingerin [2], interposuit appellationem, die XXVII. mensis Novembris, his verbis:

Cum iuxta sacrorum canonum determinationem appellationis remedium ad praesidium et relevamen gravatorum iniuste seque gravari timentium sit salubriter indultum; hinc est, quod nos Clara etc. — Vide eam in alio libro a me scripto de verbo ad verbum.

Interim laborabat ipse dominus Episcopus pro Bulla reformationis apud Sedem Apostolicam et Pium Pontificem, qui concessit ei plenam reformandi facultatem in Bulla, quae incipit:

Pius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Georgio, Episcopo Bambergensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad ecclesiarium et monasteriorum ac locorum omnium ecclesiasticorum nec non personarum earundem, praesertim Religiosarum, statum et regimen salubriter dirigendum iuxta pastoralis officii debitum intendentes, ad reformationem et correctionem illorum, quae deformata dicuntur, partes Apostolicae sollicitudinis adhibemus etc.

Datum Mantuae, anno etc. MCCCCLIX, tertio idus Decembris [3], pontificatus nostri anno secundo.

Eodem etiam anno, idibus [4] Februarii, instante et supplicante Georgio, rege Bohemiae, ac communitate hominum oppidi novae Pilznae, scripsit Pius Papa domino Decano Ecclesiae Pragensis, ut reformaret conventum et domum Fratrum Minorum dicti oppidi novae Pilznae, eiectis Conventualibus, reformationi contradicentibus, et introductis Fratribus de Observantia, qui tunc extra dictum oppidum in domo quodam Iohannis Hladleonis existebant. Rescriptum sive littera Apostolica incipit:

Pius Episcopus etc. Dilecto filio Decano Ecclesiae Pragensis salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter ceteros Ordines in agro dominico plantatos sacrum Ordinem Minorum, *claris exigentibus meritis, gerentes in visceribus caritatis, ad ea vigilanter intendimus* ac opem et operam efficacem impertimur, per quae status eiusdem Ordinis ad divini nominis gloriam, exaltationem catholicae fidei, observantiam salutarem et salutem animarum prosperis semper affluat successibus, tranquillis foveatur eventibus ac votivis proficiat incrementis etc.

Datum Senis, anno MCCCCLIX, idibus Februarii, pontificatus nostri anno secundo [5].

Eodem anno in capitulo Argentinae congregati Fratres Conventuales, elegerunt in

---

[1] Cfr. supra pag. 256 et 283. — [2] Erat XLII. Abbatissa; cfr. Usserm., p. 444. — [3] 11 Decembris.
[4] Cod. habet hic et paulo inferius vitiose *idus* (13) Februarii. Cfr. supra pag. 288, nota 6.
[5] Ita cod., sed revera erat an. *primo,* cum Pius electus esset 1458, 20 Augusti.

Frater Henricus Karrer Minister Provinciae Argentinensis.

Ministrum Provincialem reverendum patrem Henricum Karrer, de conventu Villingensi Custodiae Laci. Hic multis annis praefuit Provinciae et satis modestum se praebuit Fratribus de Observantia.

Eodem similiter anno, in die sanctae Catharinae [1] virginis, ad instantiam cuiusdam sibi noti ac dilecti concessit dominus Papa Pius II. omnibus dicentibus pro salute animarum orationes, videlicet: « Salvete, vos omnes fideles animae » etc.; et: « Valete, vos omnes fideles animae, quae iacetis in terrae pulvere » etc.; Collectam [2]: *Respice, quaesumus, Domine*, centum dies indulgentiarum de iniunctis eis poenitentiis, toties quoties etc.

Anno Domini 1460, visitante conventum Norimbergensem reverendo patre fratre Iohanne de Lare, Vicario Provinciali, et ibidem circa festum Epiphaniae electa Abbatissa sanctae Clarae domina Margarita Ortlieben, vocatus est idem reverendus pater per reverendissimum dominum Georgium, Episcopum Bambergensem, ut iuxta concessionem Sedis Apostolicae reformaret conventum Bambergensem. Igitur VIII. die mensis Februarii reformatus est conventus Fratrum Minorum Bambergensis, cooperantibus domino Episcopo praedicto, venerabilibus patribus Iohanne de Lare, Vicario Provinciali, Alberto Puchelpach, Guardiano Norimbergensi, et Iohanne Gernar, Guardiano Bambergensi, adductis illuc Fratribus de Observantia de conventu Norimbergensi, Conventualibus inde amotis. Et nona sequenti eiusdem mensis reformatus est etiam conventus sororum Ordinis sanctae Clarae eiusdem civitatis Bambergensis, adductis illuc sororibus de Norimberga ex mandato Apostolico; quarum sunt ista nomina: Anna Tintnerin, quae ibidem facta est Abbatissa, Margarita Schelhornin, Elisabetha Lochnerin, Barbara Rietterin de Seckendorff, quondam uxor domini Petri Rietter, Ordinem Minorum ingressi, Elisabetha Meyerin, quae fuit soror servitialis, quae postea successive omnes ad suum conventum redierunt.

Hoc ipso anno receptus est a Fratribus de Observantia conventus beatae Mariae in nova Pilzna, Provinciae Bohemiae, quinto idus Maii [3], auctoritate Apostolica superius memorata, quem hodie inhabitant iidem Fratres.

Item, frater Gabriel de Verona, olim socius beati Iohannis de Capistrano, tunc Vicarius Provinciae Austriae et Poloniae, recepit eodem anno Pragae locum sancti Ambrosii, ubi quondam Ambrosiani habitaverant; in quo loco manserunt Fratres sex annis, postea cesserunt.

Eodem quoque anno MCCCCLX, pridie kalendas Martii [4], venit Norimbergam reverendissimus pater, dominus Bessarion, Cardinalis Nicaenus, Graecus, Legatus a latere ac Ordinum Fratrum Minorum et sororum sanctae Clarae Protector, qui in profesto sancti Georgii martyris [5] visitavit monasterium Ordinis sanctae Clarae eiusdem civitatis, praecedentibus ipsum duobus Episcopis et duobus doctoribus et tribus Fratribus Minoribus de Observantia cum domino Nicolao Muffell, tutore et provisore earundem sororum. Cui occurrerunt sorores infra septa monasterii in capella, can-

---

[1] 25 Novembris.

[2] Quam videsis in Breviario feria IV. maioris Hebdomadae ad Vesperas.

[3] 11 Maii. — Cfr. supra pag. 288, nota 6.

[4] 28 Februarii.

[5] 22 Aprilis.

cantantes antiphonam: *Salve sancte Pater*, quam prosequentes, processionaliter ad chorum pervenerunt, ubi idem Legatus morulam faciens, benedictionem sororibus imprecatus est. Deinde perspexit ac visitavit totum monasterium, et orationibus sororum se recommendans, ad earum supplicationem indulgentias ad capellam quandam in Altenburg, sub sororum et monasterii iurisdictione constitutam, largitus est.

Item, concessit, ut festum sanctae Mariae Magdalenae, olim monasterii patronae, sub ritu duplicis minoris perageretur.

Conquestae sunt etiam sorores de domino Episcopo Bambergensi, quod eis contra privilegia monasterii et Ordinis sui exactiones pecuniarias sub censuris ecclesiasticis inferret. Cui scripsit idem Legatus sequentes litteras.

Bessarion, miseratione divina Episcopus Tusculanus, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Apostolicae Sedis Legatus, nec non totius Ordinis Minorum et sanctae Clarae Protector et corrector a Sede Apostolica deputatus, reverendo in Christo patri, domino nostro Episcopo Bambergensi, salutem in Domino sempiternam.

Reverende in Christo pater, amice noster honorande! Conquestae sunt apud nos dilectae in Christo filiae, sorores Ordinis sanctae Clarae in Norimberga vestrae dioecesis, quarum nos curam gerimus, et quae immediate protectioni nostrae subiectae sunt, Paternitatem vestram contra omnia privilegia ipsarum et Ordinis praedicti certas exactiones pecuniarias sub censuris ecclesiasticis eis inferre. De quo certe valde miramur, nec possumus credere, id procedere de mente Paternitatis vestrae, cum sciat generalem excommunicationem per multos Summos Pontifices promulgatam in tales; sed potius credimus, hoc fortasse fieri ab aliquibus officialibus Paternitatis vestrae, non ultra considerantibus. Quapropter eandem Paternitatem vestram in Domino hortamur, ut nullo modo post haec patiatur, aliquod impedimentum dictis sororibus fieri, mandantes nihilominus omnibus et singulis officialibus et ceteris, ad quos quomodolibet spectat vel spectare poterit in futurum, auctoritate nostrae legationis et protectoratus officii, ne a dictis sororibus exactiones faciant, aut eas quomodolibet molestent aut inquietent, sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua per neminem nobis inferiorem possint absolvi.

Datum Norimbergae Bambergensis dioecesis, die XXI. Aprilis, anno Domini MCCCCLX; et nihilominus mandantes dictis sororibus sanctae Clarae sub eadem poena, quatenus pro exactione praedicta nihil solvant. Si quis autem se gravatum senserit, compareat, et ei ministrabitur iustitiae complementum.

N. Sypontinus.

His litteris visis, quietatus est ipse dominus Episcopus Bambergensis.

Eodem anno circa festum sancti Laurentii [1] fuit capitulum in Tübinga, et ibi facta est ordinatio, quod teneantur duae historiae [2], videlicet de Ss. Trinitate: *Sedenti super solium* etc., et de Corpore Christi: *Sacerdos in aeternum* etc., sicut modo tenemus.

---

[1] 10 Augusti.

[2] Historiae dicuntur Officii divini lectiones, desumptae ex libris historicis veteris Testamenti et aliis, quae in Ecclesia statis diebus recitantur, vel etiam totum officium. Cfr. Du Cange, Gloss.

Illis temporibus, cum reverendissimus pater et dominus, dominus Nicolaus de Cusa, tituli sancti Petri ad Vincula presbyter Cardinalis, Episcopus Brixinensis, vir omni doctrina clarus, Ecclesiae suae iura arctius vel acrius tueretur, capitur a Sigismundo, duce Austriae. Nam cum Cardinalis esset in arce Bruneck, in die Paschae [1] Sigismundus armatas militum acies congregavit et collocavit, machinas admovit et insultum fecit, oppidum cepit. Nec moratus, arcem quoque summa vi oppugnare aggressus est, in qua cum familia Cardinalis sese receperat. Pugnatum est aliquamdiu non parva contentione; sed persuasum est Cardinali, arcem diu non posse defendi. Intervenientibus mediatoribus, certis conditionibus conclusa est pax, in quibus nihil erat conventum, quod vel arx vel Cardinalis in potestatem Sigismundi devenirent. Et nihilominus, cum iussisset, pacem et securitatem publicari, claves arcis extorquens et munitiones, Cardinalem arctissima custodia servari iussit; sicque per aliquot dies cum summo probro et ignominia et omni contumeliarum genere Cardinalis in Sigismundi potestate retentus est, nec libertatem obtinere potuit, nisi remissis iniuriis, castro quodam Ecclesiae tradito, magno auri pondere soluto, restituto creditoribus chirographo, quampluribus aliis extortis conditionibus praeter eas, quibus pax antea fuerat publicata, omnibus denique Ecclesiae iuribus et privilegiis ereptis. Neque his contentus, sed iniquitatem iniquitati congeminans, cum sacerdotes, ob piaculum commissum iuri obedientes, a sacris abstinerent, non veritus est Cardinali necem denuntiare, nisi ad profanationem sacrorum illos compelleret. Temerarius atque infelix, qui talia gerens, nihilominus eius Ecclesiae protectorem se iactabat, cuius eversor inventus erat!

Quae omnia cum Pio Pontifici ordine renuntiata essent, mirum in modum horruit scelus, congelatum est illico pectus eius, et in stuporem fuit conversus, nec satis detestari aut abominari tam horribile nefas poterat, ut puta quia in sacerdotem, in pastorem, in Episcopum suum, in Cardinalem Ecclesiae Romanae, in excellens Apostolicae Sedis membrum violentas mittere manus Sigismundi temeritas non exhorruerit. Et quo tempore anni haec patrata sunt! Nempe in die Paschae, in die illa maxima et sanctissima, in die illa, qua victor mortis et inferni triumphator, Dominus, resurrexit; in die, qua Christiani singuli Redemptori gratias agunt et, expurgato veteri fermento, sacratissimo Corpori et Sanguini communicant; in die, qua nemo tam sceleratus est, tam impius, tam immanis, si modo Christianus est, qui non sacerdotibus sese subiiciat eosque summis prosequatur honoribus. Sed qua die suarum rectoribus animarum honori ceteri praecipue student, eo die Sigismundus suum sacerdotem invasit, cepit, in carcerem coniecit, inhonestavit, sprevit, turpiter habuit. Propter quod Papa diu anxius et admodum dubius, quid agendum esset, cum certissimus nuntius perpetrati sceleris notorium factum ad eum detulisset, et multi suaderent, ut puniretur pro sua temeritate; neque hac habita relatione, ad declarationem poenarum, ut res videbatur exigere, duxit festinandum, sed monere ipsum Sigismundum statuit per litteras suas in valvis Ecclesiae Senensis et in vicinis sibi locis affixas [2], cum tutus ad eum non pateret accessus, ut intra quinque et quadraginta dies Papae propria in persona compareret, causas ac rationes in medium adducturus, si quas haberet, propter quas adversus invasores Episcoporum et Cardinalium indictas et inflictas a iure poenas incidisse declarari non deberet.

---

[1] 13 Aprilis. — [2] Cod. vitiose *affixis*.

Paucis diebus ante terminum accessit Papam ex parte Sigismundi doctor quidam, ex Prussia oriundus, nomine Laurentius, qui audientia obtenta, bis a Papa coram Cardinalibus auditus est, neque alia novit, quam Sigismundum metu quodam iam ductum Cardinalem intercepisse, sed subeundi iudicii et veniae petendae nullum mandatum attulit Papae, nullam potestatem. Quibus ex causis ipsum doctorem, qui tam nudus venisset, arguit, et dominum suum, qui Papae verba dare putasset, acriter reprehendit. Sed procedente tempore Sigismundus factus contumax, a Papa appellavit. Videns Papa hominis obstinationem, interdictum in terras et dominium eius posuit.

Quod audiens Sigismundus, coepit hostiliter persequi omnes fautores Cardinalis, et qui interdictum servarunt, de terra expellere et praebendis privare, et monasteria, quae mandatis Apostolicis deferebant, valde molestare, inter quae monasterium sanctae Clarae in Brixinio [1], olim per eundem Cardinalem reformatum, multa incommoda passum est. Nam confessorem sororum dicti monasterii, virum venerabilem et devotum, patrem Nicolaum Helman [2] de Prussia, dictum vulgariter Nicolaus Preuss [3], captum in carcerem cuiusdam turris conclusit, ubi XIII hebdomadibus tetri carceris poenas expertus est. Quapropter compulsae sunt dictae sorores, eius immanes persecutiones non sustinentes ferre, de monasterio fugere et inire exilium. Unde venerunt ad terras illustrissimi domini Alberti, archiducis Austriae, germani Friderici imperatoris. Quas excepit summa cum laetitia illustrissima archiducissa domina Mechtildis, coniux dicti ducis Alberti, et eas primo in castrum Rotenberg [4], deinde in monasterium eiusdem Ordinis Pfullingae collocavit, quod monasterium tunc adeo desertum religiosa vita erat et deformatum, ut omnino a pristino Religionis statu, qui olim per nobiles dominas Irmelam et Mechtildem institutus ibidem est, exciderat. Nam vivente adhuc sancta Clara, anno Domini MCCL inchoatum est primum aedificari dictum monasterium Pfullingae in festo sancti Martini [5] a praedictis dominabus Irmela et Mechtilde; et anno Domini MCCLII in festo sancti Othmari [6] fuerunt sorores sanctae Clarae in illud introductae; et anno Domini MCCLXXVIII in festo sanctae Catharinae [7] intraverunt Ordinem ibidem dictae duae dominae; et anno Domini MCCCCLXII reformatum est, cum domina Dorothea Kolerin Abbatissa, cum suo conventu de Brixinio expulsa, illuc diverterat [8].

Anno Domini 1461 celebratum fuit capitulum generale Fratrum de Observantia in conventu Salmantino [9], Provinciae sancti Iacobi, in festo Pentecostes per reveren-

---

1 Cod. semper *Brixnia.*

2 De quo videsis Fort. Hueber, Men. 28 Septembris.

3 Id est Prussus vel Borussus, a patria sic dictus.

4 Ita cod. probabiliter pro Rottenburg, ubi archiducissa dicta residebat, et est in Württemberga, sicut etiam civitas « Pfullingen » paulo inferius memorata.

5 11 Novembris.

6 16 Novembris.

7 25 Novembris.

8 Cfr. P. Gaudentius, l. c. p. 359 seqq., et Conrad Rothenhäusler, Standhaftigkeit der altwürttembergischen Klosterfrauen im Reformations-Zeitalter (Stuttgart, 1884) pag. 17 seqq.

9 Id est Salmanticae (Salamanca) in Hispania. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1761, n. XVII, et « Memoriale Ordinis » in opere anonymo, impresso Salmanticae 1511, et comprehendente duos tracta-

dum patrem fratrem Iohannem Mongin, Vicarium Generalem; quo ibidem officio cedente, electus est eius successor reverendus pater frater Zegerus de Dixmuda[1]. Ex cuius capituli tabula sunt sequentia:

Frater Zegerus de Dixmuda Vicarius Generalis cismontanus.

Circa divinum officium quoad celebrationem festorum servetur Ordinarium, ne fiat abusio quoad festa localia celebranda, vel non celebranda; super quo iussi sunt Praelati invigilare.

Item, quod de festo Visitationis beatae Mariae Virginis fiant Octavae, sicut in eiusdem Nativitate; Octava Apostolorum celebretur die sua; de sancto Bernardino fiant Octavae, sicut de sancto Antonio; de utroque festo sanctae Crucis[2] fiat festum minus duplex; de Transfiguratione Domini festum maius duplex die VI. Augusti; de sancto Iosepho, XIX. die Martii festum solemne, fiat officium de Confessore non Pontifice; de quolibet festo commemorationis fiant novem lectiones more Romanae Curiae; et de sancta Anastasia, sicut in Ordinario missali continetur.

Caerimoniae generales Missae et totius divini officii ac declarationes Summorum Pontificum super regulam, nec non et Constitutiones Barcinone editae ab omnibus observentur, et quod, ubi ipsae Constitutiones minus sufficerent, recurratur ad alias Constitutiones Summorum Pontificum et Ordinis in his, in quibus prodesse possunt ad manutentionem regularis observantiae; et plura alia utilia[3].

Eodem etiam anno fuit generale capitulum familiae ultramontanae in loco Auximi, Provinciae sancti Angeli, in quo fuit electus in Vicarium Generalem reverendus pater frater Ludovicus de Vicentia[4].

Frater Ludovicus de Vicentia, Vicarius Generalis ultramontanus de Observantia.

Etiam in ipso anno Fratres Conventuales in Provincia Saxoniae, facta convocatione in die sancti Petri ad Vincula[5] in conventu Torgaviae, elegerunt in Ministrum XXIX. fratrem Nicolaum Kackman, sacrae theologiae doctorem, de Custodia Prussiae, qui praefuit Provinciae XVIII annis et celebravit haec capitula: MCCCCLXIII Hamburgi[6]; MCCCCLXVI Friburgi; et quia fuit ad tempus excommunicatus, non tenuit capitula usque ad annum Domini MCCCCLXXIII, et postea obiit in Vratislavia anno MCCCCLXXIX et recepit successorem etc.

Frater Nicolaus Kackman XXIX. Minister Provinciae Saxoniae, magister theologiae.

---

tus, in quorum secundo continentur declarationes super regulam Fr. Min. cum aliis ad Ordinem spectantibus, fol. 259. Ibi fol. 265 habentur etiam « Constitutiones generales Barcinonenses », vel « Abbreviatio Constitutionum tam papalium quam generalium », supra pag. 332 memoratae. — Festum Pentecostes erat 24 Maii.

[1] Cod. iterum *Duxmuda,* Wadding. eum vocat hic *Zeg. Dusclare de Dixmunda;* cfr. supra pag. 382, nota 3.

[2] Scil. Inventio (3 Maii) et Exaltatio (14 Sept.).

[3] Vide De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 117 (legit tamen falso *Legerus* pro *Zegerus*), ubi habentur aliae ordinationes, et p. 224.

[4] Vel de Vicetia (Vicenza in Italia). Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1461, n. XII. seqq., De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 118, et Chronologia etc, p. 125, ubi fuse habentur ordinationes in capitulo factae. — Secundum Wadding., l. c. n. XI, patres Conventuales hoc anno celebrabant capitulum generale Divione, in quo confirmatus est Min. Gen. Iacobus de Sarzuela.

[5] 1 Augusti. — Pro *Torgaviae* cod. *Torgaw* (Torgau).

[6] Cod. *Hamburg, Friburg* (Freiberg).

Anno Domini 1462, cum audisset dominus Papa Pius II, quod illustrissima archiducissa Austriae, soror domini Friderici, comitis Palatini, sorores Ordinis sanctae Clarae, de Brixinio pulsas, hospitio propter Deum recepisset, scripsit ad eius in bono confirmationem has litteras:

Dominae Mechtildi, archiducissae Austriae, Pius Papa II.

Dilecta in Christo filia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dulci caritate in visceribus Domini nobilitatem tuam complectimur et diligimus, quod assidue magis devotionis ac pietatis tuae nobis magnitudo commendatur publica illic venientium de tua probitate ac laude praedicatione, dum Spiritus sanctus in tua religiosa operans religiosa mente, dietim te in exhibitione operum misericordiae declarat esse solius Divinitatis amatricem. Et quod rarum est et ideo magis admirandum, non te avidius coepisse aiunt Deo gratissimam benignitatem exercere, quam ardentius in proposito Dei amabili perseverare. Merito igitur digna es bonorum omnium testimonio, quae iam frueris in huiusmodi fervore Sanctorum coeli contubernio. Lucet enim lux tua coram hominibus, ut communem misericordiarum Patrem, qui in coelis est, glorificare non cessent [1]. Petit Deus per Prophetam [2] ab hominibus misericordiam, qui bonorum nostrorum non indiget. Dedisti Deo quod petit, et ita dedisti ut petiit. Dabit et tibi quod petes. Tibi namque et tui similibus dicitur [3]: *Petite et dabitur vobis, pulsate et aperietur vobis.* Tibi aperti sunt thesauri vitae aeternae inaestimabiles. Oleum in tuis lampadibus nunquam sentiet diminutionis detrimentum. Cui enim obscurum est, dilectas in Christo filias, Abbatissam et sorores Clarissas, sancta virginitate et religione Deo famulantes, non ob aliud ex Brixinio pulsas esse, ubi nidum sibi fecerant sanctitatis, nisi ut religiosissimae ancillae Dei de nuditate, exilio ceterisque huius mundi nequam tribulationibus in tuo sinu collectae foverentur! Tu veluti nova Elisabetha matrem, sponsam, filiam Domini, non unam, sed multas, non de terra, sed de coelo missas, hospitio suscepisti et susceptas omni cum veneratione ut omnium mater nullius rei pateris indigere. Tu ut sancta Martha Salvatorem nunquam recessurum in hoc sanctarum mulierum coetu hospitaris. Sed quid opus est humanis ista verbis extollere et glorificare, quae Deum habent et in praesenti et in futuro saeculo retributorem! Nos tamen tuae nobilitati sumus affectuosissimi.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XI. Februarii MCCCCLXII, pontificatus nostri anno IV.

Abbatissae autem et sororibus, de Brixinio expulsis, sic scripsit:

Pius II. Dilectae in Christo filiae. Salutem et Apostolicam benedictionem.

Intelleximus ea, quae per Sigismundum, ex principibus Austriae inquietatis filium, et eius pestiferum errorum magistrum, Gregorium haeresiarcham, in contemptum Dei, fidei catholicae et clavium sanctae Ecclesiae contra vestrarum dilectionum innocentiam sceleratissime attentata et turpissime demum peracta sunt. Quae omnia, sicut pro parte sacrilegorum praedictorum sceleratissime ac spurcissime gesta sunt, in maximum scandalum eorum vituperiumque et damnationem, ita pro parte constantiae vestrae in Domini timore et fervore fundatae, omni laude ac honore dignissima exi-

---

[1] Alluditur ad Matth. 5, 16.

[2] Psalm. 15, 2.

[3] Matth. 7, 7.

stunt. Vicistis quidem in vestra tolerantia et Domini iuvantis virtute vos, dilectae sponsae Christi, furibundi tyranni persecutionem, et antiquum serpentem in membris suis dominantem vos, in membris Filii Dei manentes, gloriose conculcastis. Hoc est super aspidem et basiliscum ambulare et de leone rugiente et quem devoret quaerente triumphare [1]. Miserrimi vobis irae filii et perditionis vasa minas et terrores, quibus viros prius fregerant et diaboli catenis ligaverant in aeternam mortem et mundi huius etiam infamiam, intentabant. At vos non solum mitti in exilium praeelegistis, sed in omnem mortem potius quam a religiosae fidei constantia et sanctae Romanae Ecclesiae obedientia discedere, ex hoc utique praemia sanctorum Christi Martyrum in gloria immortali recepturae. Nam vicinis omnibus, non laicis, non idiotis solum, sed canonicis, sacerdotibus Religiosisque, et qui se volunt doctores summos censeri Brixinensis dioecesis, membris quidem, proh dolor! satanae, ne praecursoribus antichristi displicerent, fidem et iuramentum suum Deo praestitum vilissime transgredientibus, vos, et sexu debiles et aetatis robore non vigentes, in interitum tamen secum pessimo et damnatissimo exemplo trahere non potuerunt.

Quocirca tanto maiori gloria in hoc mundo fulgebitis et in futuro. Ipsi enim, qui ex vestra fortitudine se omni honore damnatos vident, nullam amplius excusationis causam valentes allegare, coram facie Dei et sanctae Ecclesiae comparere verecundabuntur, atque ita vestra generositas et virtus ubique magnificanda lux facta est omnibus, qui recte vivendi semitam non relinquunt. Nam quis audeat metu hominum malorum Deum et proprium honorem negligere, conspecto vigore vestrae probitatis! Toties virorum triumphatorem improborum diabolum hoc actu prostravistis, quot ille in suam redegit servitutem vasa aeternae captivitatis. Gaudete igitur et laetamini, fortissimae ancillae Christi, quia cum sponso vestro ac Domino malignum superastis. Perseverate usque in finem, demum cum sanctis Virginibus lucidas mansiones possessurae. Ceterum, ut intelligatis, nos vestra virtute magna esse laetitia perfusos, de thesauro meritorum Christi vos participes fieri optantes, cuilibet ex vobis atque ex dilectis benefacientibus vobis utriusque sexus, quos quaelibet vestrum usque ad numerum septenarium elegerit, ut confessor, quem elegeritis, vos ipsas et quamlibet electam a vobis, ut praefertur, personam confessam et contritam semel in vita et mortis articulo ab omnibus peccatis, etiam Apostolicae Sedi reservatis, absolvere et plenariam omnium peccatorum, auctoritate Apostolica, remissionem impendere possit, praesentium tenore concedimus facultatem.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XI. Februarii MCCCCLXII.

Hic Gregorius de Haimburg [2], de quo in praescriptis litteris facta est mentio, fuit homo scelestus, iurgiis ubivis intentus, lites et guerras disseminans; ideoque primum de Moguntia cum ignominia, adhuc tener annis, sed canus iniquitate, expulsus est. Deinde venit ad Athesim ad principem Sigismundum, et ab ineunte aetate avaritiae, idolorum servituti, deditus, excitavit commotionem dicti principis contra omnem cle-

---

[1] Cfr. Psalm. 90, 13.

[2] Cod. *Haymburg;* alias de *Heimburg;* erat Germanus, syndicus Norimbergensis, vir iuris peritus; de quo cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 111, 118 seq., et Fabricius, l. c. t. III. p. 286.

rum Brixinensis Ecclesiae et induxit eum in foveam inobedientiae deditque operam, ut fugarentur de terra pauperes sorores sanctae Clarae. Quapropter a Pio Papa II. excommunicatus et velut haeresiarcha damnatus, a sancta communione Ecclesiae excisus et traditus satanae, qui alios iniuste de terra expulerat, iuste tandem expulsus est et profugus factus, a terris Christifidelium ad haereticos fugit et a Georgio Podiebrad [1], haeretico invasore et occupatore regni Bohemiae, Pragam pecunia conductus est, propter quam Christum denuo tradere conatus est. Nam ipse tamquam desperatus et a patre mendacii, quem in suis artibus sequebatur, possessus et ad malitiam in laqueum fidelium animarum instructus, non cessabat Pragae cum haereticis adversus sanctam Dei Sedem Apostolicam et beati Petri Apostoli principatum latrare, haereticos confortando et ipsis appellationes contra Praelatos Ecclesiae formando. Scivit enim divinas humanasque scripturas profanare et omnium earum litterarum et scripturarum sensum in prava trahere.

Eundem pestiferum hominem excommunicavit postmodum Paulus Papa in Bulla *Iovis*, dicens: « Excommunicamus et anathematizamus damnatae haeresis defensorem, Gregorium de Haimburg, qui sicut alias iusto iudicio haereticus declarari promeruit, ita nunc quoque in Bohemiae regno petra scandali et lapis offensionis factus, dum post venditam animam turpis lucri gratia profanatori illi Georgio (alias Girsico) adesse non cessat, cornua in sacrosanctam Romanam Ecclesiam et Sedem Apostolicam, cunctorum fidelium matrem atque magistram, erigere et eius mandata contemnere atque canonicas censuras pertinaci spiritu perferre non veretur ».

Hunc etiam perniciosum hominem citavit, excommunicavit et excommunicatum denuntiavit venerandus pater Gabriel de Verona, olim socius beati Iohannis de Capistrano et Vicarius Austriae et Bohemiae, et postea Episcopus Agriensis [2], et demum Cardinalis Ss. Sergii et Bacchi, existens Commissarius et vicem gerens domini Rudolphi, Episcopi Lavantinensis [3], Apostolicae Sedis Legati ad Germaniam et Bohemiam. Unde ipse Gregorius adeo odiosus omnibus, etiam ipsis haereticis factus est, quia suis appellationibus effecerat, ut Christifideles contra eos arma sumerent, ut etiam de Praga fugere compulsus sit; venitque occulte et sine honore ad quoddam oppidum Misnae, Dresdam [4] nomine, ubi miseram animam triste exhalavit; utinam bene contritam! De praedicto homine haec praeoccupando dixi occasione persecutionis, quam praedictis sanctis virginibus iniuste excitavit.

Eodem anno MCCCCLXII dedit dominus Pius mandatum et Bullam, quod Fratres non debeant proficisci ad Terram Sanctam sine licentia Praelatorum, etiamsi habeant litteras Apostolicas. Bulla incipit: *Admonet nos suscepti.*

Eodem anno hortatur Papa Pius Philippum, ducem Burgundiae, ut Friderico, comiti Palatino, insistat, ut tres principes, videlicet Georgium, Episcopum Metensem, Carolum, marchionem Badensem, et Udalricum, comitem de Würltemberga, quos superiori aestate, rebus adverse gestis, in bello captivaverat, a captivitate dimittat. Et quia interdictum fuit positum in Heidelberga, et nemo Religiosorum hoc curabat

---

[1] Cod. *Georio Bodiebrat.*

[2] Id est Agria, theut. Erlau in Hungaria. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1475, n. XXIX.

[3] Cod. semper *Laventinensis;* est Lavantinum, theut. Lavant in Austria.

[4] Cod. *Dresin.*

vel servabat praeter Fratres nostros, ideo multi tam civium quam nobilium Fratribus adversabantur. Cum autem quidam aulici Fratres idcirco apud principem accusarent et dicerent, eos solos ei adversari observantia interdicti, et ideo merito expellendos, compescuit eos sapiens princeps dicens: « Si istos probos et sanctos viros expellerem, famam et fortunam meam perderem. Ego, inquit, spero de omnibus adversariis meis eorum orationibus victor evadere, voloque, ut semper eleemosynam habeant de Curia mea, ne fame pereant in urbe ista ». — Utinam tales principes tempora nostra ferrent, qui adulatorum impudentiam confutarent! Non utique sub tantis calamitatibus gemeret pauper etc.

Eodem anno porrexit domino Pio Papae II. reverendissimus dominus et pater, dominus Nicolaus de Cusa, tituli sancti Petri ad Vincula Cardinalis, pro Fratribus de Observantia Ordinis Minorum sequentem supplicationem:

Beatissime Pater! Cum Fratres Minores, in regulari observantia sub Vicario Generali ultramontano Domino famulantes, spirituales thesauros indulgentiarum dietim cumulare cupiant, humiliter a Sanctitate vestra, domino nostro, petunt, ut ipsi certas capellas et loca devota, in suis oratoriis et ecclesiis contenta, visitando, illas easdem indulgentias promereri valeant, quas personaliter visitando ecclesias, capellas, oratoria et altaria, in alma Urbe consistentia, etiam in diebus stationum promereri possent; attento quod per istam piam concessionem nulli praeiudicium inferetur, et a Fratribus multa materia evagationis nocivae auferetur, eisque occasio plurima occupationis sanctae conferetur; et extendatur [1] huiusmodi gratiae concessio ad sorores sanctae Clarae, in regulari observantia sub Generali Vicario ultramontano viventes. Et sufficiat sanctissimi domini nostri consensus, relatus per reverendissimum dominum Cardinalem sancti Petri ad Vincula.

Placet sanctissimo domino nostro, quamdiu in observantia fuerint, et quod septem Psalmos poenitentiales cum litania dicant in visitando loca per eos deputata. Et qui septem Psalmos nesciunt, dicant « Pater noster » secundum dispositionem Praelatorum suorum.

Ita est: Nicolaus, Cardinalis sancti Petri ad Vincula, 1462, IV. Martii. Manu propria.

Eodem anno, die ultima Martii, in publico consistorio respondit dominus Papa Pius oratoribus regis Bohemiae et exstinxit ac delevit *Compactata*, Bohemis per concilium Basileense concessa, dicens, communionem utriusque speciei de necessitate salutis non esse, nec obedientiam sibi factam pro obedientia habere velle nec reputare, donec rex regni Bohemiae, evulsis et exstirpatis erroribus universis, regnum Bohemiae ad unionem Romanae Ecclesiae reduxerit seque cum regno Ecclesiae catholicae in omnibus et per omnia conformaverit. Super quibus omnibus protestatus est dominus Antonius de Eugubio, procurator fiscalis eiusdem domini Papae.

Ipso anno, praedicante beato patre Iacobo de Marchia Ordinis Minorum de Observantia in civitate Brixia [2] in Italia et magnos per Quadragesimam fructus faciente, frater Iacobus de Brixia Ordinis Praedicatorum, Inquisitor haereticorum, forte gloriae eius invidens, inventa seu potius quaesita qualicumque occasione, quia vir bea-

---

[1] Cod. male *exstendantur*.

[2] Id est Brescia in Italia. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1462, n. I. seqq.

tus in die Paschae praedicaverat, « sanguinem Christi in passione Christi effusum Divinitati non fuisse unitum post effusionem » ; citavit eum, tamquam haereticum praedicasset, his litteris:

Nos, frater Iacobus de Brixia, sacrae Paginae professor Ordinis Praedicatorum ac haereticae pravitatis Inquisitor in Lombardia et Riparia [1] Ianuensi, fratri Iacobo de Marchia Ordinis Minorum prudentia [2] sectari.

Quia nobis relatu fide dignorum innotuit, quod post monitionem, qua tibi insinuavimus cum omni reverentia minus catholice dictum, « Divinitatem a sanguine Christi in cruce pendentis separatam [3] », hodie vero protervius id in populum spargere voluisti, id etiam quod per Ecclesiam determinatum est, contradictione dicti tui haereticum appellans; ideo tenore praesentium te requirimus et monemus primo, secundo, tertio et peremptorie, nihilominus tibi in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena mandamus, quatenus aut dictam tuam sententiam revoces ut erroneam et haereticam, antequam de hac civitate recedas, aut coram nobis de fide responsurus compareas cras in mane ante horam Tertiarum in conventu sancti Dominici in Brixia residentiae nostrae, assignantes tibi praedictum terminum pro primo, secundo, tertio et peremptorio termino, ac canonica monitione assignamus. Alioquin si haec mandata nostra, quod non credimus, contempseris, ex nunc prout ex tunc, praedicta trina canonica monitione praemissa, in et contra te praedictam excommunicationis sententiam auctoritate Apostolica, qua fungimur, ferimus in his scriptis et etiam promulgamus. In quorum fidem praesentes fieri iussimus et registrari nostrique sigilli impressione muniri, de quarum praesentatione relatione cuiuslibet [4] nuntii cum iuramento dabimus plenam fidem.

Datum Brixiae, die XX. Aprilis MCCCCLXII.

Sequentes conclusiones disputandas in eodem conventu sancti Dominici affixerunt:

Quaestio: Utrum sanguis Christi effusus fuerit Divinitati unitus.

Conclusio: Verbum divinum non est separatum a corpore nec ab anima in morte Christi.

Correlarium: In illo triduo eadem fuit hypostasis corporis et animae.

In passione Christi anima fuit separata a corpore, et Divinitas ab humanitate, sed non a partibus eius.

Correlarium: In illo triduo Christus non fuit homo, nec aliquis homo Deus.

Quod sanguis effusus in passione Christi pertineat ad veritatem humanae naturae, est mere et simpliciter de intentione sancti Thomae.

Correlarium: Totus sanguis effusus tempore passionis reassumptus est tempore resurrectionis secundum intentionem praefati Doctoris.

Secundum veritatem fidei catholicae est pars quaestionis affirmativa vera, videlicet quod sanguis Christi in passione Christi effusus fuit Divinitati unitus.

Correlarium: Ille sanguis effusus debuit adorari adoratione latriae.

Ex sententia autem Episcopi Brixiensis fuit causa ad Papam devoluta, cui scripsit beatus Iacobus de Marchia subsequentem epistolam:

---

[1] Cod. mendose *Ripperia*.

[2] Wadd.: prudentiam; [3] pendentis fuso fuisse separatam; [4] relationi cuilibet.

Beatissime Pater! Ad vestrorum pedum oscula beatorum. Cum in cunctis vitae meae calamitatibus, spe comite, vivam opem supernam in praesidium dñi exoptem, in praesenti mea tribulatione et Beatitudinis tuae ex totis cordis visceribus humiliter exoro iuvamen. Duos ex Quadragesima annos, prout e coelo concessum est, ad oves christianae pietatis hinc inde per Italiam extra circumlustrando praedicavi et divina gratia verbum Dei non — arbitror — fuit inane. In calce quidem meae senectutis, quando debueram pacata pace potiri, impetor pro haeretico. Praedicavi Brixiae hac in Quadragesima cum populi devotione ac in die Paschae dixi, quatuor fuisse in morte Christi separationes, videlicet sanguinis a corpore, animae a corpore, Divinitatis ab humanitate, Divinitatis a sanguine effuso; et ecce! magister Iacobus de Brixia Ordinis Praedicatorum, Inquisitor in Lombardia, haereticum me suis litteris acclamavit, coram se sub anathematis mucrone citavit, et per totam civitatem et adiacentia oppida et urbes tamquam reus haereseos diffamatus sum. Haec non est mea, sed doctorum catholicorum sententia, qui in omnibus collegiis publice leguntur, videlicet domini Francisci de Mairone, doctoris acutissimi ac illuminatissimi, domini Bonaventurae Cardinalis, Richardi de Mediavilla, in theologia et utriusque iuris peritissimi. Haec praedicata sunt a praedicatoribus pene universis, non solum nostri Ordinis, sed ab externis. Haec sunt disputata a magnis in theologia magistris, atque tandem determinatum est, sanguinem effusum a corpore Christi non esse cum Divinitate unitum post ipsam effusionem. Tamen subiicio me in his et in omnibus, quae praedicavi ac scripsi, sacrosanctae Ecclesiae iudicio et determinationi, quae, circumlatrantibus haereticorum turmis, palmam victoriae et culmen auctoritatis semper obtinuit, atque omnem egredientem ab ea sententiam ita veneror, ita amplector, ita praepositis opinionibus observo, tamquam Spiritu sancto illustrata sentirem oraculo emanare coelesti. Ex nutu reverendi domini Episcopi Brixiensis ad vestram Beatitudinem causa est devoluta, ac declaratum est ab eodem, me cum tot doctorum sententiis et fundamentis locutum non praedicasse haeresim. Sed quoniam ab Inquisitore allegata est quaedam particula[1], ut ipse asserebat, Extravagantis Clementis VI, quae non est inserta nec divulgata nec in forma debita prolata, et per consequens merito suspecta, de sententia praefati Episcopi Sanctitatis vestrae sententiam exspectamus.

Eminentissimae Sanctitatis vestrae servulus frater Iacobus de Marchia Ordinis Minorum.

Papa autem Pius, disputata materia ista in sui praesentia per doctissimos viros, statuit et ordinavit, quod nullus de cetero sub poena excommunicationis auderet damnare quamcumque opinionum praedictarum, cum utraque sustineri possit absque errore.

Hic frater Iacobus de Marchia ob vitae suae regularis meritum innumeris signis ante et post dormitionem corruscavit, rogavitque, dum adhuc vixit, saepe Dominum, ut auferret sibi gratis datam miraculorum gratiam, sed exaudiri non promeruit; sed

---

[1] Quae revera non exstat. Clemens de illa sententia nihil unquam definivit. Itaque non sine causa S. Iacobus se opposuit isti accusationi: « contradictione dicti tui haereticum appellas id quod per Ecclesiam determinatum est ». Nunquam enim ipse aliquid dixerat adversus contrarium sentientes, sed solum praedictam plurium sententiam protulerat eamque a foeda haeresis nota voluit esse indemnem. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1462, n. V, 1463, n. I. seqq., 1464, n. I-V.

usque ad senectam dono miraculorum non fraudatus, senio tandem confectus, male habentes, praesertim mulierculas, visitare recusabat, sed litterulas, nomine *Iesus* manu propria consignatas, languidis, quos digito Dei curandos praesenserat, transmisit et mox quacumque detinebantur infirmitate, curabantur. Claruit quoque spiritu prophetico. Nam Paulo II. Pontifici diem et horam captionis urbis Nigroponti ab immanissimis Turcis praedixit. Obiit anno Domini MCCCCLXXVI [1] sub Papa Sixto IV. in loco sanctae Crucis de Neapoli, ibique est sepultus.

Franciscus de Savona [2], artium et theologiae doctor, qui postea factus Summus Pontifex [3], Sixtus IV. nominatus est, zelo regularis observantiae et martyrii fervore succensus, recipi ad familiam ultramontanam Observantium mittique ad partes transmarinas, ut Agarenis evangelizaret, poposcit. Beatus Iacobus postulata dissuasit. Nam eum, ore prophetico, cito in Generalem Ministrum, in Cardinalem et ad summum apostolatus apicem sublimandum vaticinatus est. Collegam autem eius, etiam in theologia magistrum, ad familiam de Conventualitate susceptum, viderunt Fratres de Moravia in sacro conventu Araecoeli Domino gratum famulatum sub observantia regulari exhibentem.

Claruerunt etiam in Italia circa illa tempora in officio praedicandi optimi viri et devoti a tempore sancti Bernardini, videlicet Matthaeus de Sicilia, Antonius de Bitonto [4], Andreas de S. Geminiano [5], Iohannes de Prato [6], Iacobus de Donzellis de Bononia [7], Herculanus de Perusio [8], Franciscus de Trevio [9], Silvester de Senis, Antonius de Arimino, Michael de Mediolano [10], Bartholomaeus de Yano [11], Antonius de Vercellis, Seraphinus de Gaieta [12], Cherubinus de Spoleto [13], Franciscus de Spoleto [14], Hieronymus de Florentia, Dominicus de Gomessa [15], Iacobus de Gallio (?), Bernardinus

---

[1] Quarto (28 Nov.) Decembris. Benedictus Papa XIII. cum an. 1726 in Sanctorum numerum retulit. Cfr. de hoc praeclarissimo Sancto Wadding., l. c. ad an. 1416, n. II. seqq., 1452, n. XLI. XLII, 1453, n. XI. seq., 1457, n. IV. seqq., et Fort. Hueber, Men. 28 Nov.

[2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1464, n. XI. XII, 1468, n. XIII. 1471, n. I.

[3] Ab an. 1471-1484.

[4] Vel de Butunto; est enim Bitonto, oppidum regni Neapolitani. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1453, n. XXXIII, 1459, n. XXIV, et Fort. Hueber, l. c. 25 Sept.

[5] Wadding., l. c. ad an. 1455, n. XCIV. dicit erronee a S. Gemino; S. Geminus (ital. S. Gemini) est castellum Umbriae, dum S. Geminianus (ital. S. Gemignano) est pagus in Tuscia; cfr. Hueber, l. c. 26 Sept.

[6] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1455, n. LXXXVI.

[7] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1427, n. XVI.

[8] Vel potius de Plagario, agri Perusini oppido; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1427, n. XVI, 1435, n. LXVII, 1451, n. XLIII. seqq.

[9] Vel rectius Trebio (Trebia); est Trevi, civitas Umbriae; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1426, n. XI, ubi etiam sermo est de duobus seqq.

[10] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1468, n. VIII. seq.

[11] Vel Iano; cod. habet *Ayano;* est Giano, oppidum Umbriae; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1426, n. XVI.

[12] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1426, n. X.

[13] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1426, n. X, 1457, n. XXXIX, 1473, n. VII.

[14] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1426, n. XI.

[15] Probabiliter est Dom. de Genua, de quo Fort. Hueber 8 Dec.

de Feltro[1] et Bernardinus de Bustis[2], omnes in genere dicendi et praedicandi famosissimi et beati.

Eodem anno MCCCCLXII, dominica *Vocem iucunditatis*[3], fuit capitulum provinciale in conventu Bambergensi celebratum per venerabilem patrem fratrem Iohannem de Lare, Vicarium Provincialem; quo ibidem cedente, electus est in Vicarium Provincialem reverendus pater frater Iohannes Schieber[4] de Rheno. Ibidem sunt haec ordinata:

Frater Iohannes Schieber Vic arius Provincialis Provinciae Argentinensis.

Quod secundae Vesperae de Octava beatae Virginis Nativitatis fiant totaliter de Octava, sicut in Octava Epiphaniae.

Quod in festo sancti Martini Psalmi nocturnales dicantur de uno Martyre, sicut in antiphonario specifice continetur.

Quod Agnetis secundo simpliciter celebretur, salva tamen immobilitate, et in secundis Vesperis dicantur Psalmi de Communi Virginum.

Item, festa sanctarum Martyrum non virginum, puta Sabinae et Felicitatis, peragantur, sicut festa sanctarum Viduarum, dempto quod primum responsorium: *Veni, sponsa Christi*, non omittatur[5].

Festum vero sanctarum Perpetuae et Felicitatis fiat ut Virginum, donec per auctoritatem Superiorum aliter fuerit declaratum.

Item, si qua venerit infra Octavam Corporis Christi[6] de Sanctis Octava, fiat officium de Octava Corporis Christi cum commemoratione alterius Octavae.

Si festum simplex venerit in festo duplici Octavam habente, in qua festa occurrentia celebrantur, illud festum simplex post Octavam transferatur nec inter festa infra Octavam occurrentia computetur.

Festum decem millium Martyrum, nisi alicubi in populo celebre foret, tollatur.

De isto capitulo perrexit venerabilis pater frater Iohannes de Lare ad Athesim ad ducem Sigismundum ad liberandum de vinculis venerabilem patrem fratrem Nicolaum Preuss, confessorem Clarissarum in Brixinio. Qui cum ad Sigismundum venisset adhuc tunc excommunicatum, accepit ab eo multas calumniosas et verbales persecutiones propter Ecclesiam Brixinensem.

Eodem anno capta est Moguntia per Adolphum Episcopum; de quo sunt versus:

Moguntia doleas, aucta nunc dolore,
Quae quondam fueras, nimio decora decore,
Expulsis senibus, regnat non experta iuventus,
Cuius consiliis debiliter ruitura sis.
Millesimo quadringento ac sexagesimo bino,

---

[1] Vel de Feltria, ital. Feltre; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1456, n. 149. seqq.

[2] De quo cfr. Fort. Hueber, l. c. 8 Maii.

[3] Dominica V. post Pascha, quae erat 23 Maii.

[4] Cod. *Schyeber*.

[5] Ad marginem habetur, ut videtur, a manu posteriore additamentum sequens cum signis hunc locum respicientibus: « in fine Responsorialis indicatur ».

[6] Quae vox desideratur in cod.

Simonis et Iudae [1], nobilis Moguntia ruit.
Quae quondam floruit, nunc libertate luit.
Nobilis Adolphus, princeps Moguntiae Praesul,
Expulit hinc omnes cives clerumque, Iudaeos,
Sub manu potenti hanc subegit sibi.

Anno Domini 1463 impetravit venerabilis pater frater Zegerus, Vicarius Generalis cismontanus, gratias superius narratas, impetratas pro pauperibus et leprosis etc., in dominio ducis Burgundiae constitutis, ad aliud triennium prorogari et extendi ad omnes provincias, in quibus Fratres suae curae commissi degerent, Pontifice Summo Pio II. sequentes ei ad hoc litteras Apostolicas dante:

Pius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Zegero, Generali Vicario Fratrum beati Francisci de Observantia ultra montes, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eius vices in terris gerentes, qui, ut nos Dei filios faceret, filius ipse hominis esse voluit et, ut iacentem adhuc populum erigeret, sese ipse humiliavit, curandisque et sanandis nostris vulneribus vulnerari et ad nos liberandos ipse servire et mori, ut nobis immortalitatem exhiberet, sustinuit. Quotiescumque magna adeo eius misericordiae in nos munera mente revolvimus, intelligimus sedulo, a nobis esse providendum, quantum in nobis est, quatenus ex adeo magno redemptis nullus salutaris munificentiae expers remaneat, et eos quidem, quibus sexus fortis, vigor integer, valitudo robusta est et facultatum copia, Domino concedente, suppetit, ducturi ipsi in christiani nominis hostem, truculentum Mahumetum, Turcorum dominum, exercitum et Domini sacraria, Christianorum provincias, de eius servitute liberaturi, nuper per nostras litteras ad Domini nuptias et ad peccatorum suorum redemptionem, expositis eis pretiosissimis Romanae Ecclesiae thesauris, culparum indulgentiis et remissionibus, invitavimus; reliquos vero sive sexu fragiles, sive languoribus debiles, aut inopia laborantes, quorum spiritus ad operandum promptus et voluntas bene agendi cupida est, nec ipsi de Dei misericordia immuneratos transire intendebamus, et tuae devotionis pia pro eis supplicatione nuper admoniti, quod cum alias ad tuam instantiam eiusmodi hominibus in dominiis dilecti filii nobilis viri, ducis Burgundiae, constitutis, infrascripti tenoris litteras concesserimus, videlicet: Pius Episcopus etc., ut supra positae sunt [2], nuncque ad triennium elapsum, litteraeque ipsae effectu vacuatae esse noscantur, et sicut tua devotio asserit, per eiusmodi nostram concessionem conscientiis pacique et animarum saluti quamplurimorum ex dictis pauperibus et miserabilibus personis salubriter fuerit hactenus consultum, tuque pro tuo bene in domo Domini operandi zelo et pro caritate, quam habes ad eos seminis et fidei tuae domesticos, cupias, eandem nostram concessionem de speciali gratia ad aliud triennium, a die dato praesentium computandum, prorogari et confirmari, ac praeterea extendi ad omnes provincias, in quibus tu ratione tui officii in familias aliquas Fratrum superintendere habes aut habere in hoc tempore contigerit, asserens te sperare, quod inde, Domino concedente, fructus uberes, non solum in

---

[1] 28 Octobris.
[2] Pag. 382.

ipsorum pauperum et miserabilium personarum conscientiis, sed in universo populo, quem movebit nostra in eiusmodi personas pietas aut desiderium de universorum salute, ut ipsi in opera Dei promptiores fiant, proveniant, litteras nostras praefatas cum omnibus et singulis clausulis in eis contentis usque ad triennium, a dato praesentium computandum, auctoritate Apostolica tenore praesentium revalidamus [1], easdem earumque effectum ad omnes et singulas provincias, in quibus tu ratione officii vicariatus, quod nunc exerces, aliquem locum Fratrum tuae familiae gubernas, aut dicto triennio durante gubernabis, in quibus has aut illas nostras litteras seu harum transsumpta per legalem notarium subscripta et alicuius episcopalis Curiae, aut officii tui vicariatus generalis sigillo munita, per te aut a te, sicut in litteris praedictis ponitur, deputatos publicari contigerit, extendentes et easdem earumque transsumpta in provinciis omnibus praedictis, sicut hactenus in triennio elapso per dominia praefati ducis Burgundiae litterae praedictae valuerunt in omnibus et per omnia valere, et effectum sortiri volentes, tibique ac deputandis per te iuxta ipsarum litterarum formam aliisque quibuscumque personis auctoritatem et potestatem, in illis litteris traditam, denuo concedentes, praesentibus post triennium a die dato praesentium minime valituris.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXIII, pontificatus nostri anno VI.

QUOD VICARII NOSTRI SINT VERI MINISTRI NOSTRI IUXTA REGULAM [2].

Pius Episcopus etc. Dilectis filiis, Vicario Generali et universis Fratribus de Observantia nuncupatis Ordinis beati Francisci, in ultramontanis partibus constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Circa regularis observantiae professores sollicitudinis nostrae vices libenter impendimus, et ut eorum Religio salutarem fructum fecundius afferat, ipsique incrementis continuis laudabilius in Domino proficiant, dubietates omnes, per quas eorum mentes possint ambiguae reddi, eas praesertim, quae super concessis eis a Sede Apostolica gratiis et indultis, circa eorum modum vivendi ac salubrem regulae observantiam ordinatis, oriuntur, e medio tollimus et easdem Apostolicae declarationis luce illustramus. Cum itaque nuper acceperimus, fuisse aliquando nonnullos, qui in dubium ducerent, utrum vos, qui in professione regulae vestrae videmini obligati vivere sub obedientia Ministrorum Ordinis iuxta ipsius regulae a beato Francisco editae et per Sedem Apostolicam confirmatae et approbatae litteram, cum nunc ex concessione et determinatione Apostolica, praesertim felicis recordationis Eugenii IV. et Nicolai V. Romanorum Pontificum, nostrorum praedecessorum, et nostra, vestros Superiores *Vicarios* appelletis, non *Ministros,* regulae ipsius mandatum impleatis; an potius praeter illam agentes graviter et contra votum professionis, praesertim obedientiae delinquatis — unde factum sit, ut in conscientiis aliquorum ex vestris propterea aliquando scrupulus oriatur ex eorum sententia, qui Apostolicas praefatas determinationes non ad plenum intelligunt — volentes super huiusmodi ambiguitate

---

[1] Cod. *revalidimus.*

[2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1464, n. XVIII, ubi etiam habetur sequens Bulla.

vobis consulere et conscientiarum vestrarum quieti de benignitate Apostolica providere, omniumque mentes propterea de vestro statu ambiguas paternali affectu, quantum in nobis est, quietas reddere, et salubriter attendentes, quod, sicut sine Apostolicae Sedis auctoritate nulla regula seu modus religiose vivendi recte instituitur aut declaratur neque interpretari potest, ita in eiusdem arbitrio est et instituta, si velit [1] in melius commutare et, prout viventium in eis animarum saluti noverit conducere [2], suo arbitrio ordinationes novas ac determinationes instituere et Praelatorum eorundem vocabula ac denominationes immutare, alterare et interpretari, auctoritate Apostolica et ex certa nostra scientia interpretamur et declaramus, quod, cum Sedes praefata vestrae familiae de Observantia post Generalem totius Ordinis Ministrum Generalem et Provincialem Vicarios Ministrorum loco certis, piis et sanctis respectibus esse voluerit et decreverit, Vicarii ipsi, qui vobis praesunt et quibus vos ex debito professionis vestrae praedictae obeditis, veri et indubitati vestri Ministri et tales, quales beatus Franciscus regulam praefatam condens, fore [3] intendebat, sunt et perpetuo erunt, quoadusque Apostolica Sedes, in cuius arbitrio consistit, aliud alio tunc respectu ordinare statuerit, differentes a Ministris praedictis solo nomine, et id ex praemissa determinatione Apostolica, quam ipsi quoque praesentium tenore ex simili auctoritate et scientia ratam et gratam habentes, confirmamus et approbamus, vosque, qui eisdem Vicariis obeditis, secundum determinationem praedictae Sedis Apostolicae regulae vestrae praefatae, ac praecipue in ea parte [4], ubi est: *Praecipio firmiter Fratribus universis, ut obediant suis Ministris,* plene et integre satisfacitis, pleneque et integre satisfacere, auctoritate praefata per praesentes decernimus et declaramus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXIII, pridie idus Ianuarii [5] pontificatus nostri anno VI.

L. DE MANTINIS (?).

Pius Episcopus [6] etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis ultra montes ubilibet constitutis, ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter assiduas curas, quae in quotidiana emergentium nobis negotiorum instantia mentem nostram distrahunt, ea praecipue nos sollicitat et angit, ut regularem vitam professi et sub Religionis iugo virtutum Domino famulantes, cessante dissidiorum et turbationum amaritudine, tranquillitatis et pacis dulcedine potiantur et in contemplationis suavitate liberi quiescant. Cum itaque relatione dilecti filii Vicarii Generalis Fratrum de Observantia Ordinis sancti Francisci partium ultramontanarum intellexerimus, quod, licet nos olim pro conservatione pacis et caritatis inter universos Ordinis sancti Francisci, tam de Observantia nuncupatos quam Conventuales Fratres, per diversas litteras nostras tam super eo, ne eorum aliqui aliorum loca

---

[1] Wadding.: vellet; [2] convenire; [3] praefatam et Deus fore.

[4] Cap. X.

[5] 12 Ianuarii, et erat potius pontif. an. *V,* quam *VI,* ut cod. et Wadd. exhibent.

[6] De sequente Bulla, ad Praelatos Ecclesiarum directa, cfr. Wadding., l. c. ad an. 1464, n. XXII.

immodeste occuparent, quam etiam pro conservatione privilegiorum et immunitatum, dictis Fratribus de Observantia per nos et Sedem Apostolicam tunc concessarum, et quae eis post id tempus forte concedi contingeret, certas ordinationes, provisiones, inhibitiones et mandata sub excommunicationis aliisque tunc expressis poenis, in quas contrafacientes ipso facto inciderent, ediderimus, prout in nostris inde confectis litteris, quarum tenores, continentias et effectus perinde, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, hic pro expressis haberi volumus, plenius continetur; tamen aliquando postea contigit, quod nonnulli ex eisdem Fratribus praeter earundem litterarum continentiam et tenorem temere egerunt, tam domus et loca sibi invicem[1] subtrahentes, quam alias mutuo se iugibus perturbationibus et inquietudinibus vexantes et ad saecularia etiam iudicia contra sacrorum canonum instituta aliquando trahentes, quibus nos ad praedicti Vicarii supplicationem consulere et, ne mandata nostra huiusmodi temerarie contemnere, aut se ipsos de cetero invicem perturbare perseverent, volentes providere, fraternitatibus vestris et vestrum cuilibet committimus et mandamus, quatenus vos et vestrum quilibet, quoties super hoc per aliquem praedictorum Fratrum, tam de Observantia quam Conventualium, fueritis requisiti, litteras nostras praefatas in vestris ecclesiis, civitatibus et dioecesibus publicari solemniter faciatis et diligenter provideatis, ne Fratres sese mutuo, ut praedictum est, per se ipsos aut per suos quoscumque fautores contra ipsarum litterarum tenores, sive in domorum et locorum, quae alii possident, nisi id ex speciali Apostolicae Sedis indulto faciant, occupatione seu invasione seu alias ullo molestiae genere aut se mutuo coram iudicibus saecularibus trahendo, aut in suis Apostolicis indultis indebite laedendo inquietent.

Quodsi forte contigerit, aliquem ex Ministris, Vicariis, Custodibus, Guardianis aliisve Fratribus supradictis propter praemissa excommunicationem aliasque sententias, censuras et poenas, in eisdem nostris et aliis per felicis recordationis Eugenium Papam IV, praedecessorem nostrum, eis concessis litteris contentas, de cetero incurrere, et id per evidentiam rei aut summariam facti, omni strepitu et figura iudicii prorsus semota[2], informationem vobis aut vestrum alicui constiterit, et per vos et vestrum quemlibet ad alterius partis instantiam super pace conservanda secundum praefatas nostras et aliorum Romanorum Pontificum concessiones, provisiones ac ordinationes pie moniti, non destiterint, eos tamdiu excommunicatos ceterisque praedictis poenis, sententiis et censuris irretitos auctoritate nostra in vestris ecclesiis, ubi magna populi multitudo convenerit ad divina officia audienda, publice nuntiari faciatis mandetisque ab omnibus evitari, donec debitam admissorum emendam praestiterint meruerintque ab eisdem sententiis et poenis absolutionis beneficium et reconciliationis gratiam obtinere; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, et aliis Apostolicis Constitutionibus quibuscumque, praesertim quibus cautum est, ne quis extra suam dioecesim, in quibus fuerint deputati, contra quosque procedere etc., aliisque Constitutionibus et ordinationibus, nec non privilegiis, indultis et litteris Apostolicis, eisdem Fratribus et eorum Ordinis in

---

[1] Wadding.: loca subinvicem.

[2] Wadding.: remota.

genere vel in specie concessis, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non[1] inserta vestrae huiusmodi iurisdictionis explicatio quomodolibet valeat impediri, quae quoad hoc nolumus eis suffragari.

Ceterum quia difficile foret praesentes et alias praedictas nostras et aliorum Romanorum Pontificum litteras ad singula loca perferre[2], volumus et auctoritate Apostolica decernimus, transsumpta earum authentica, manu publici et legalis notarii subscripta et sigillo alicuius archiepiscopalis vel episcopalis Curiae signata, fidem indubiam obtinere perinde, ac si praedictae aliae et praesentes nostrae litterae originaliter exhiberentur, in contrarium facientibus quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXIII[3], pontificatus nostri anno sexto.

DE INTERDICTO SERVANDO A FRATRIBUS[4].

Pius Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis universis Fratribus Ordinis sancti Francisci de Observantia nuncupatis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sciens inimicus humani generis, obedientiam plus valere quam victimam, omnem conatum adhibet, ut ecclesiasticarum censurarum contemptum introducat et sic secum rebellium[5] multitudinem in barathrum trahat. Hic malignus in multis regionibus adeo praevaluit, quod ecclesiasticum interdictum minime curatur, atque, ut intelleximus, aliquos etiam Religiosos corrupit, quod asserant, se ad alicuius talis interdicti minime teneri observantiam, nisi et postquam matrix Ecclesia observaverit. Nos vero, qui curam gregis dominici suscepimus et, ne ex ovibus[6] nobis commissis quisque perdatur, dum solliciti sumus, maxime ad vos, servos Dei, respicimus, qui, contempto mundo, beatum Franciscum imitantes, in praeceptis Apostolicis ad solum Christum tenditis, ne quisquam in vacuum currat et aberret, quomodo ecclesiasticum interdictum per vos servandum sit, declaramus.

Interdictum enim ecclesiasticum, aut a Sede Apostolica et eius Commissariis emanat, aut ab inferioribus Sedibus et earum Commissariis. Si primum, tunc, postquam vobis, qui loca interdicta inhabitatis, insinuatio facta est, ad illius interdicti observantiam, nulla excusatione aut exceptione admissa, etiam si ceteri Religiosi aut saeculares ex quacumque causa deficerent[7], mox astringimini. Non enim habetis nisi ad Apostolicum praeceptum respicere et ei etiam iuxta regulam vestram simpliciter, ut mandatur, obedire. Si vero interdictum ab inferioribus Sedibus emanat, tunc, licet ab illis exempti sitis, ad obedientiam tamen interdicti eius obligamini, quando matricem Ecclesiam illud observare[8] videritis, cui tunc vos conformare debetis, ne censurae ecclesiasticae per vestram deformitatem vigore vacuentur. Hac distinctione utamini et non declinetis ab illa, et ita praecipimus et in virtute sanctae obedientiae vobis iniungimus, omnes ulteriores disputationes penitus[9] vitantes, ut inveniamini in simplicitate obedientiae, sicut decet Deo caros Religiosos[10] ambulare.

---

[1] Voculam *non*, pro quo cod. iterum *vel totaliter* habet, substituimus ex Waddingo.

[2] Wadding.: perferri. — [3] Pridie idus (12) Ianuarii, ut habet Wadd. — Iterum hic est error quoad numerum annorum; cfr. infra p. 404, nota 2.

[4] De Bulla sequente videsis Wadding., l. c. ad an. 1464, n. XX.

[5] Wadding.: sic servorum rebellium; [6] omnibus; [7] defecerint; [8] servare; [9] iniungimus ulteriores disputationes et opiniones penitus; [10] caros et Religiosos.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXIII, nono kalendas Februarii [1], pontificatus nostri anno sexto.

Breve [2] *:*

Dilecto filio Vicario Generali Fratrum beati Francisci de Observantia regulari ultra montes.

Pius Episcopus, servus servorum etc.

Inter ceteras curas, quibus suscepti regiminis officium nos sollicitat, illud in primis nos movet, ut religiosae personae, quae, abiectis mundi illecebris, Deo sese dicarunt [3], in Domini timore perseverent et in eius viis ambulantes, digni sint, qui coronam vitae accipiant. Cum itaque sciamus, familiam de Observantia beati Francisci, cui tua devotio praesidet, per varia regna variasque provincias late [4] sparsam esse et plura loca habere partim finitima infidelibus [5], partim in civitatibus, quas numerosi et [6] neophiti, parum solide in christiana fide confirmati, et infideles Mauri et Iudaei fidelibus Christianis immixti habitant, intelleximusque [7], posse facile contingere, ut aliqui ex ipsis tuis Fratribus, ab illis seducti, aut per [8] propriam levitatem ex illorum conversatione, aut alias ex simplicitate aut indiscreto zelo errores noxios contrahant, in suarum propriarum animarum perniciem et malam de vestra familia apud fidelem illarum partium populum aedificationem, nisi fuerint debite correcti: cupientes huiusmodi imminentibus periculis, quantum in nobis est, occurrere, et nihilominus nolentes, quod intentio haec nostra pia ad finem alium, quam ipsi intendamus, malitiose trahatur, et remedium, inventum ad curationem salutis particularium animarum et vestrae familiae praedictae laudabilis opinionis conservationem, in ipsius scandalum aut ignominiam apud saeculares exhibeatur [9], devotioni tuae, cuius fideles operationes multipliciter fructuosas esse, in diversis aliis honorem Dei concernentibus rebus sumus experti, tenore praesentium committimus et mandamus, ut de commissis tuae curae Fratribus custodiam sedulam, prout teneris ex officii suscepti debito, habens, diligenter super praemissis vigiles; et si contigerit, te alicuius erroris indicia [10] in quibuscumque tuae familiae Fratribus, sive ex scriptis, sive ex sermonibus, sive ex quacumque cetera [11] vitae actione percipere, super [12] eisdem diligenter, et prout ex ipsis indiciis, super quo tuam conscientiam oneramus, arbitraberis aequum [13] et conveniens esse, modis convenientibus inquiras et iuxta reliquam tuae familiae praedictae consuetudinem procedas, Fratresque ipsos repertos aut reos aut innocentes secundum praefati tui Ordinis institutiones et tuam conscientiam, aut absolvas ab inquisitis, aut pro modo errati usque ad condignam poenitentiam et emendationem punias et corrigas, ceteris omnibus Praelatis, Vicariis, Ministris, Inquisitoribus aliisque quibuscumque Officialibus Protectore vestri Ordinis inferioribus, ecclesiasticis et saecularibus, quocumque vocabulo censeantur, inhibentes [14], ne Fratres eiusmodi, contra quos a te inquiri contigerit, aut postquam fuerit inquisitum, sive eos iudicaveris corrigendos et puniendos, correxerisque et punieris, sive absolven-

---

[1] 24 Ianuarii. — Est iterum error quoad annos.

[2] De quo videsis Wadding., l. c. ad an. 1464, n. XXI. — [3] Wadding.: dedicarunt. — [4] Ita Wadd., cod. latam. — [5] Wadd. partim cum infidelibus; [6] quas haeretici et; [7] intelligamusque; [8] propter; [9] convertatur; [10] te reperire aliqua indicia; [11] ceterae; [12] actione, super; [13] oneramus, arbitratus fueris; [14] censeantur, districtius inhibentes.

dos et dimittendos, absolverisque et dimiseris, in iudicium[1] propter praemissa iterum vocare, aut adversus eosdem de novo inquirere, aut eos ullo molestiae genere vexare de cetero praesumant, non obstantibus privilegiis vestro Ordini concessis, ceterisque contrariis quibuscumque, etiam si talia forent, de quibus specialis et de verbo ad verbum esset habenda mentio, quibus, ne huius nostrae commissionis et inhibitionis effectum impedire valeant, hac vice derogamus ipsis alias in suo robore permansuris.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXIII, tertio idus Februarii[2], pontificatus nostri anno sexto.

Pius Episcopus etc. Dilecto filio Zegero, Vicario Generali Fratrum beati Francisci de Observantia ultra montes, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fide digna relatione comperimus, quod nonnulli ex his Fratribus tuae familiae, quibus divini verbi praedicandi cura hactenus tradita est, si quando contigit, ut de Iudaeis, Mauris, neophitis, Pragensibus aliisve eiusmodi aut infidelibus aut schismaticis et haereticis mentionem, etiam illis praesentibus, facerent, consueverunt in spiritus fervore et Dei zelo parum graviter evehi illosque magis maledictis et conviciis irritare quam, impugnatis confutatisque eorum erroribus, iuxta gloriosi Patris et magistri vestri praeceptum in transmissa ad vos regula, ut resipiscant et ad cor reversi veritatem recipiant, examinate prudenterque monere et allicere.

Quod quia sine ulla spe futuri commodi manifestum damnum rebus christianae fidei, et familiae tuae praefatae potius dedecus quam laudem ullam afferre posse videtur — solet enim plerumque contingere, ut, quotquot erroris nebula caecati et extra lucem ac veritatem verae fidei positi sunt, nullo modo admittant imperiosa et contumacia praecepta, lenitate vero catholicae veritati iuncta et blandis amicisque suasionibus in Domini semitas frequentius reducant — cupientes in Domini Sabaoth vinea, cuius, ipso volente, licet imparibus meritis curam gerimus, utiles operarios, et quorum plantationes fructus uberes afferant, eos praesertim, qui ex familia tua praefata sunt, versari, devotioni tuae in virtute sanctae obedientiae committimus et mandamus, ut de cetero neminem ex his, qui tuae obedientiae subsunt, nisi eum examinatum prius et discretum ac idoneum repertum de tua speciali commissione per provinciale capitulum earum regionum, in quibus praedicaturus erit, deputari contigerit, permittas de materiis, quae substantialia fidei attingunt, quoquomodo praedicare aut dogmatizare. Eos vero, quibus sic, ut dictum est, licentiam praedicandi concedi contigerit, hortamur in Domino, eis in sanctae obedientiae virtute praecipientes, ut prudenter simul et modeste cum eiusmodi incredulis et haereticis congrediantur eosque potius ad resipiscendum leniter manuducere quam importune trahere contendant, et fidelem populum de vitiis virtutibusque et futurae beatitudinis gloria ac damnationis poena admonendo, quaeque ad peccatorum salutem necessaria sunt, cum caritate praedicantes, in timorem Domini perducant et in omnibus suprame-

---

[1] Pro qua voce, quam substituimus ex Waddingo, cod. exhibet *indultum.*

[2] 11 Februarii (Wadd.: idibus (13) Febr.). — Pro numero anni MCCCCLXIII, qui in cod., si respicias diem, quo data est Bulla, et annum pontificatus, certo falso adhibetur, habet Wadding. hoc loco recte MCCCCLXIV. Notandum est, quod huiusmodi error in scribendis numeris tam anni Incarnationis dominicae quam pontificatus, sicut in cod. pluries evenit, etiam in aliis Bullis in « Bullario Romano Taurinensi » editis inveniatur.

morati vestri Patris et magistri traditionem in data vobis regula divinitus factam sequantur.

Praeterea, quoniam, exigente christiani nominis hostis immanis, Turcorum regis, feritate et christiani fidelis populi, a cuius ille cervicibus est arcendus, necessitate, quod toti iam mundo liquet, ipsi senio, licet et valitudine laborantes, proxima quae sequitur aestate cum comparata de Domini Dei nostri auxilio ingenti classe et valido christiani populi exercitu pro fidei orthodoxae defensione navigaturi sumus, volumus, ut ad sanctae obedientiae meritum praefatis omnibus et singulis de tua familia praedicatoribus iniungas, ut in eorum sermonibus sedulo de nostra eiusmodi profectione nostroque proposito protegendae fidei, etiam cum periculo proprii capitis, rudem populum moneant et ad fundendas Altissimo continuas pro nostra et expeditionis praedictae tutela preces hortentur. Tu quoque, quod illos praedicando facere iubemus, reliquos tuae familiae Fratres exemplo agere ordinabis et per omnia loca tua continuas orationes et singulis hebdomadibus singulas processiones solemnes et preces pro nostra omniumque, qui sanctae illi expeditioni intererunt, ad Deum fundi iuxta instructionem tibi a nobis traditam curabis, mandantes omnibus et singulis familiae tuae Fratribus, ut circa praemissa omnia et singula tuae et tui pro tempore successoris ordinationi pareant et intendant.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXIII[1], pontificatus nostri anno sexto.

Pius Episcopus etc. Dilectis filiis, Vicario Generali ultramontano universisque Fratribus Ordinis Minorum de Observantiae, in generali capitulo ultramontano proxime celebrando conventuris, salutem etc.

Superioribus temporibus ad supplicationem tam fratris Alphonsi de Holano[2] quam aliorum quorundam vestri Ordinis professorum persuadentium nobis, ita expedire ad factum conversionis populorum insularum Canariae, varias Apostolicas litteras ac Brevia diversorum tenorum concessimus, prout in illis plenius continetur. Verum in praesentiarum intelleximus, quod litterae et Brevia nostra praefata negotio eiusdem conversionis non modo profuerunt, quin potius interdum obfuerunt. Siquidem Fratres conventus seu domus sancti Lucae ex eisdem litteris quandam exemptionem nacti sunt, et ad ipsas insulas perpauci, et illi quidem minus idonei, accesserunt, neque per vos propter litteras et Brevia praedicta satis commode super hoc provideri potest; cum autem nos singulariter exoptemus, praedictos populos christianae religioni quantocius aggregari et tot infelices animas nostro tempore fortunari et in viam verae salutis et felicitatis dirigi, devotiones vestras hortamur in Domino vobisque mandamus, ut hanc rem bono et ferventi animo aggrediamini provideatisque, ut vestra Religio tantos in tot gentium barbararum conversione ad aream dominicam manipulos afferre valeat. Nos enim ad praemissum effectum omnes et singulas litteras et Brevia supradicta, quantum huic rei et vestrae provisioni impedimentum afferre possunt, ac etiam omnes et singulas gratias seu concessiones, a nobis aut a quoquam nobis inferiore in praeiudicium vestrae familiae, in perturbationem pacis, aut in de-

---

[1] Cod. exhibebat primitus an. *MCCCCLXIIII*, quem tamen, ut videtur, ipse scriptor correxit.

[2] De quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1459, n. XXI. et XXII, ubi in diplomate papali vocatur: *de Bolano* (Bolannos, pagus Hispaniae), et 1464, n. XXVI, ubi dicitur: *Bollanus* sive *de Hollanis*.

trimentum regularis disciplinae concessas, per quemcumque Fratrem ex vestris, seu per quoscumque Fratres alicuius domus seu particularis familiae sine scitu et voluntate tui Generalis ac tuorum successorum aut Vicariorum Provincialium pro tempore impetratas, etiam si de eis deberet fieri mentio specialis, quorum omnium tenorem volumus hic haberi pro sufficienter expressis, auctoritate Apostolica tenore praesentium revocamus, et omnes huiusmodi gratias, etiam impetrandas in praeiudicium vestrae regularis observantiae, nullius roboris ac momenti esse declaramus, domumque sancti Lucae praedictam et Fratres, tam in illa quam in dictis insulis commorantes, vobis et ordinationi vestrae subiicimus, et in praemissis, quidquid opportunum fuerit, faciendi ob Dei honorem et tot animarum salutem vobis per praesentes facultatem et licentiam impertimur, non obstantibus litteris et Brevibus praedictis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXIII, nono kalendas Februarii [1], pontificatus nostri sexto.

Breve :

Pius Episcopus etc. Dilecto filio, Vicario Generali Ordinis Minorum de Observantia regulari ultra montes, salutem etc.

Scribimus dilecto filio, Vicario Provinciali et Fratribus Provinciae Burgundiae tui Ordinis de Observantia regulari, ut gratiose ad tuam obedientiam se dare non postponant. Mandamus igitur tibi, ut in omnibus viis honestis te praebeas in huiusmodi unione favorabilem. Et ut libentius ad tuam obedientiam veniant, volumus et auctoritate Apostolica concedimus per praesentes, ut tam ipsi quam quicumque alii Fratres Ordinis Minorum, qui rite ad tuam, aut tui pro tempore successoris obedientiam iuxta tuam observantiam et regularia instituta voluntarie se submiserint, omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis et indulgentiis, tam per nos quam per piae memoriae Calixtum Papam III, praedecessorem nostrum, Fratribus sub obedientia Vicariorum Generalium citramontani et ultramontani, tam pro se quam pro suis consanguineis et parentibus in favorem sacrae Observantiae concessis, uti possint plenarie pariter et gaudere, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXIII, quinto idus Iunii [2], pontificatus nostri anno V.

Eodem anno sanctissimus Papa Pius II. confirmavit indulgentias almae Urbis Fratribus Minoribus de Observantia, sub obedientia Vicarii Generalis ultramontani Domino famulantibus, prius ad triennium concessas, ad devotam petitionem reverendissimi domini Nicolai de Cusa, Cardinalis sancti Petri ad Vincula, et iterato concessas eisdem ipsis Fratribus, quamdiu in regulari observantia perseverent sub data XX. Februarii MCCCCLXI, nec non extensas ad sorores sanctae Clarae de Observantia, sub data IV. Martii MCCCCLXII [3], et omnes gratias alias, quae prodesse possunt ad salutem et pacem ipsorum Fratrum et regularis observantiae conservationem, per suam Sanctitatem, aut per suos praedecessores concessas, anno Domini MCCCCLXIII, XXIII. die Ianuarii; et interpretationem dubiorum commisit eidem Car-

---

[1] 24 Ianuarii. — Iterum hic est error aut in numero anni Incarnationis, aut pontificatus.

[2] 9 Iunii.

[3] Cfr. supra pag. 393.

dinali, ut ipsi Fratres in omni consolatione mentis easdem indulgentias promereri possint et valeant.

Et ad supplicationem reverendissimi patris Zegeri[1], Vicarii Generalis citramontani, declaravit praedictus reverendissimus dominus Cardinalis ad Vincula, quod dicendo Psalmos vel *Pater noster*, cum omni devotione ad Deum et reverentia[2] ad Apostolicam Sedem debent visitare loca deputata, capellas seu altaria in suis locis sub titulo sacrorum locorum almae Urbis de loco ad locum transeundo, ita quod duo, si volunt, possunt insimul dicere Psalmos, de loco ad locum transeundo.

Item declaravit, quod numerus *Pater noster* pro laicis stat in discretione Praelatorum.

Item, quod qui volunt, possunt post Matutinas pergere ad indulgentias, quia a media nocte usque ad solis occasum indulgentiae incipiunt et terminantur.

Eodem anno MCCCCLXIII, die XXIII. Ianuarii, ad instantiam reverendissimi patris fratris Zegeri, Vicarii Generalis familiae cismontanae, concessit sanctissimus dominus Pius Papa II. gratias sequentes Fratribus de Observantia:

Primo, quod quilibet Frater de voluntate suorum Praelatorum possit eligere confessorem, qui possit eum absolvere semel dumtaxat ab omnibus casibus, excessibus et criminibus et censuris ecclesiasticis, nec non et ab omnibus negligentiis et defectibus in horis canonicis minus debite persolutis seu neglectis, commissis sive per inadvertentiam, seu per omissionem, aut aliquo alio modo, dum huiusmodi defectus non fuerint commissi ex certa malitia.

Secundo, quod sacerdotes defectum natalium patientes, qui tamen alias idonei sunt ad praesidentiam maxime ad officium guardianatus vel vicariatus in conventibus et eremitoriis, dispensationem possint recipere pro huiusmodi officiis assumendis a Vicario Generali pro tempore et suo capitulo generali, cum huiusmodi guardianatus et vicariatus potius dicantur et sint officia quam dignitates.

Tertio, confirmavit omnes gratias et indulgentias et concessiones, per se et praedecessores suos datas et concessas Fratribus in augmentum devotionis et refrenationem discursuum eorundem Fratrum.

Quarto, concessit confessoribus ad hoc eligendis facultatem dispensandi super irregularitatibus omnibus, demptis homicidio, bigamia et mutilatione membri, et maxime in hoc casu, si aliquis ex Fratribus post susceptos ordines formaret sibi scrupulum, quod per ignorantiam aliquam incurrisset irregularitatem. Similiter concessit eisdem confessoribus, si opus fuerit, facultatem commutandi vota particularia sine licentia suorum Superiorum facta.

Quinto, concessit Praelatis et confessoribus, ab ipsis deputatis vel deputandis, ut possint semel omnes Fratres professos et novitios, cum proposito profitendi venientes ac perseverantes, et conversos, donatos et oblatos, praesentes et futuros absolvere ab omnibus peccatis, criminibus et delictis et excessibus quantumcumqne enormibus ante vel post ingressum Religionis commissis, et a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, a iure vel ab homine vel per statuta synodalia, provincialia vel generalia promulgatis, nec non et dispensare cum singulis praedictis in quibuscumque irregularitatibus

---

[1] Hic et deinde cod. scribit *Segerus*.

[2] Cod. vitiose *reverentiam*.

et inhabilitatibus quovis modo contractis, bigamiae, homicidii voluntarii et voluntariae mutulationis membri casibus dumtaxat exceptis, nec non et dispensare, ut scilicet non promoti ad omnes ecclesiasticos ordines et ad Missarum celebrationem promoveri ac etiam ipsi promoti in illis ministrare, et ad quascumque dignitates et administrationes et officia dicti Ordinis recipi illisque praefici et assumi auctoritate Apostolica plene et libere valeant et possint. Si vero praedictas censuras vel aliquam earum ignoranter vel inadvertenter incurrere contigerit, in tali casu confessor potest eos absolvere et dispensare in supradictis, quotiescumque opus fuerit. Eandem auctoritatem habeant Praelati et confessores quoad familiares quoscumque pro tempore et servitores, officiales et fautores, continuo commensales omnium conventuum, locorum et eremitariorum, quibus omnibus Sacramentum Eucharistiae et Extremae Unctionis et alia Sacramenta ecclesiastica ministrare [1], quoties necessarium fuerit et opportunum. Eandem auctoritatem habent[2] Praelati et confessores quoad illos, qui volunt habitum suscipere, dum cum Fratribus morantur.

Sexto, concessit, quod quilibet presbyter, sive regularis sive saecularis, perpetuis temporibus omnibus et singulis Fratribus Minoribus de Observantia, praesentibus et futuris, ac novitiis cum proposito profitendi et conversis cum proposito et perpetuo oblatis, sub obedientia sanctae Romanae Ecclesiae persistentibus, omnium peccatorum suorum, de quibus in genere vel in specie corde contriti et ore confessi fuerint, plenariam indulgentiam et remissionem in mortis articulo auctoritate Apostolica libere et licite concedere valeat et possit. Et eandem gratiam extendit ad eos, qui in statu gratiae decedunt, dum copiam confessorum habere non valent. Quae quidem gratia unicuique reservari debet usque ad verum articulum mortis, nec tamen suffragari eis ex confidentia huius remissionis et concessionis peccata committunt. Quilibet autem litteratus, qui huius gratiae particeps esse voluerit, singulis sextis feriis per annum integrum debet dicere septem Psalmos cum litaniis; non litteratus debet dicere *Pater noster* secundum arbitrium sui confessoris, nec non et in aliis pietatis et sanctitatis operibus se exercere tenetur. Et si quid ex oblivione aut inadvertentia aut rationabili causa omissum fuerit in uno tempore, impleri debet in alio, quo citius fieri poterit. Si quis autem in casu certo haec nullo modo implere possit, ex tunc confessor in alia pietatis opera, prout melius videbitur saluti animae expedire, commutare valet et potest.

Septimo, concessit, quod omnes Fratres et sorores sanctae Clarae possunt semel in vita absolvi a reservatis, ac plenarie in mortis articulo vero, et hanc gratiam et sequentem impetravit frater Iohannes Mongin, Commissarius Romanus, 29 die mensis Iulii.

Octavo, quod Fratres possunt intrare et praedicare in claustris et aliis locis quarumcumque monialium, ubi saeculares communiter intrant, de licentia tamen suorum Praelatorum et Superiorum, quando mittuntur.

Nono, quod Fratres possunt portare camisiam de lana linoque contextam, et duplicare suam parvam tunicam inferiorem de panno albo vel alio, et habere parva caputia vel almutia grisea.

---

[1] Supple: possunt, quod verbum in cod. excidisse videtur.

[2] Sincerius etiam hic legendum esset *habeant*.

Decimo, quod Fratres ultramontani possunt gaudere eisdem gratiis, per sanctae memoriae Eugenium concessis, et hoc in foro conscientiae tantummodo.

Undecimo, quod Vicarius Generalis cismontanus possit tollere superflua a conventibus sibi subiectis et in aliis indigentibus ponere vel commutare.

Item, quod sorores sanctae Clarae sive sorores griseae in Flandria, in paupertate viventes, subiectae Vicariis, possunt absolvi semel in vita de reservatis et plenarie in mortis articulo.

Item, idem Pontifex concessit anno Domini MCCCCLXI, XVIII. kalendas Ianuarii [1], quod personae saeculares, cum Fratribus Minoribus de Observantia et sororibus tertii Ordinis sancti Francisci tria vota professis causa suscipiendi habitus commorantes, possint ecclesiastica Sacramenta absque suorum curatorum licentia recipere, ac si dictum habitum haberent. — Libro quarto, folio CCLXXXII. habetur haec praedicta gratia concessa.

Eodem anno MCCCCLXIII fuit capitulum celebratum in conventu Norimbergensi sub praesidentia reverendi patris fratris Iohannis Schieber, Vicarii Provincialis, et ibidem sunt ista ordinata:

Capitulum Norimbergae anno MCCCCLXIII.

Quod in duobus diebus post Octavam Ascensionis festa, quae tunc occurrunt, celebrentur, et non praeterita dimissa.

Quodsi post festum duplex sequatur festum semiduplex, vel Octava semiduplex, in secundis Vesperis festi duplicis non fiat a capitulo, sed tantum commemoratio festi semiduplicis.

Quodsi festum habet Octavam et in primis Vesperis habet antiphonas speciales, in die ultima ante octavam diem in Vesperis dicantur antiphonae Laudum, et non primarum Vesperarum, usque ad capitulum, et a capitulo dicantur sequentia, sicut in primis Vesperis, excepta Octava beati Francisci, quae est duplex.

Quod in secundis Vesperis festorum duplicium, venientium infra Octavas, debet fieri commemoratio de festo sequenti non duplici, et non fiat commemoratio de Octava. Si autem non sequitur festum aliquod nisi Octava, fiat commemoratio de Octava.

Item, quod festum sanctorum Viti et Modesti, si venerit infra Octavam Corporis Christi, licet infra Octavam non celebretur, tamen consequenter infra Octavam sancti Antonii celebrandum est.

Quod festum sancti Dominici confessoris, licet nunc transferatur in tertium diem, debet tamen celebrari ut solemne, nisi venerit in dominica, ubi primo ponitur historia, non transferenda in dominicam sequentem.

Quod in vigiliis Nativitatis Christi, Paschae et Pentecostes fiant in Missa caerimoniae festi duplicis.

Quod festum sanctorum Iohannis et Pauli, veniens in dominica, celebratur, et secundae Vesperae fiant totaliter de Sanctis.

Item, praedictum festum, si in alio die venerit quam in dominica, etiam habebit totas Vesperas.

Si festum sancti Eustachii venerit in vigilia beati Matthaei, in Missa sufficit fieri commemorationem de festo, et officium de vigilia beati Matthaei.

---

[1] 15 Decembris.

Festa solemnia vel semiduplicia, venientia infra Octavas, infra quas festa occurrentia celebrantur, habeant secundas Vesperas integre.

De festo sacrorum Stigmatum fiat concordia de antiphona: *Coelorum candor*, in utrisque Vesperis, et de collecta: *Deus, qui mira crucis*, cum Secreta et Complenda [1] speciali.

Quando in dominica agitur de Octava, et secunda feria venerit festum solemne et a capitulo incipitur de festo solemni, tunc prima commemoratio fiat de dominica.

In vigilia Pentecostes in Missa tantum dicitur prima collecta.

In hymno: *Ave maris stella*, in ultimo versu debet dici *Honor trinus unus* etc.

Item, in Octava Visitationis beatae Virginis fiat semiduplex [2], quia Octava Nativitatis ipsius est semiduplex, et festum Visitationis debet fieri, sicut festum Nativitatis eiusdem. Item, in Bulla Bonifacii Papae VIII. instituentis festum Visitationis continetur, quod Octava fiat sine duplici officio [3].

Festa refectorii sunt IX et ponuntur in antiquis statutis Ordinis et in Martiniana, et sunt haec: Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis dominicae, Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Virginis gloriosae, sancti Francisci, sancti Antonii et beati Ludovici, in quibus omnes debent comedere in refectorio.

In ipso capitulo ostensae sunt Fratribus reliquiae imperiales. Et XV. kalendas Octobris [4] ostenderunt domini civitatis Norimbergae sororibus sanctae Clarae, hoc devote petentibus, etiam easdem reliquias ad augmentum devotionis earum. Aderant tunc, cum eis reliquiae ostenderentur, frater Albertus Puchelpach, Guardianus Norimbergensis, et frater Ulricus Strobell, confessor sororum, et duo venerabiles sacerdotes saeculares, ac de civibus domini Nicolaus Muffell, tutor sororum, qui ingressum dictum a Pio Pontifice Summo impetraverat, Bertholdus Pfintzing et Iohannes Koler.

Eodem anno MCCCCLXIII ad instantiam militum et aliorum nobilium virorum nec non magistri civium et consulatus oppidi imperialis Egrae [5] concessit sanctissimus dominus Papa Pius II. Bullam reformationis conventuum Minorum et sororum Ordinis sanctae Clarae, in eodem oppido constitutorum; quae Bulla sic incipit:

Pius Episcopus etc. Dilectis filiis in Waldsassen [6] et sancti Aegidii oppidi Norimbergae, Bambergensis et Ratisbonensis dioecesis, Abbatibus ac Decano Ecclesiae Vratislaviensis salutem et Apostolicam benedictionem.

A supremo Patrefamilias meritis licet insufficientibus in domo Domini dispensatores effecti etc., pontificatus nostri anno VI.

Sed negotium hoc reformationis propterea fuit ad tempus dilatum, quia in Provincia Saxoniae non habebantur sorores sanctae Clarae de Observantia, per quas dictum earum monasterium reformari potuisset.

---

[1] Complenda est idem ac Postcommunio. Cfr. Du Cange, Gloss.

[2] Ita primitus habebat cod. hic et immediate post; manus vero posterior correxit, quia procedente tempore ista ordinatio sic mutata est: *minus duplex*.

[3] Quod tamen postea mutatum est, ut recte in cod. ad marginem annotatum est.

[4] 17 Septembris.

[5] Cod. *Eger*; est civitas Bohemiae.

[6] Cod. *Wallsachsen*; Waldsassen est pagus Bavariae, non longe distans ab oppido Egra.

Eodem anno MCCCCLXIII obiit illustrissimus princeps Albertus, dux Austriae, frater imperatoris Friderici, maritus inclytissimae dominae Mechtildis praedictae, quae sorores sanctae Clarae de Brixinio in exilio fovit.

Anno Domini 1464 celebratum fuit generale capitulum [1] Fratrum Conventualium Perusii in festo Pentecostes [2], in quo fuit electus in XXXVI. Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum frater Franciscus de Rovere de Savona [3], artium ac sacrae theologiae magister.

Frater Franciscus de Rovere de Savona XXXVI. Minister Generalis Minorum, artium et theologiae doctor, postea Sixtus Papa IV.

Hic tempore eiusdem recepit ad Confraternitatem nostram societatem Sagittariorum, utriusque sexus in conventu Ingolstadii [4] fraternitatem sancti Sebastiani habentium, quos ad omnia et singula nostrae Religionis suffragia et beneficia spiritualia admisit.

Eodem anno et die [5] fuit etiam capitulum generale familiae de Observantia ultramontanae Assisii ad sanctam Mariam de Angelis; in quo capitulo, resignante officium fratre Ludovico de Vicentia, Vicario Generali, electus est eius successor reverendus pater frater Marcus de Bononia, vir magnae scientiae et sanctae vitae.

Frater Marcus de Bononia Vicarius Generalis Fratrum de Observantia familiae ultramontanae, electus Assisii ad S. Mariam de Angelis.

Celebratum quoque fuit capitulum generale familiae nostrae Observantiae cismontanae in conventu Mechliniensi, Provinciae Coloniae, per reverendissimum patrem fratrem Zegerum de Dixmuda, Vicarium Generalem; quo ibidem officium resignante, electus est in Vicarium Generalem reverendus pater frater Iohannes Macrifortis [6], pro tunc Vicarius Provincialis Provinciae Turoniae, vir magni zeli et regularis observantiae praecipuus aemulator, et usque ad eius confirmationem rexit familiam frater Zegerus.

Frater Iohannes Macrifortis Vicarius Generalis Fratrum de Observantia familiae cismontanae, electus Mechliniae anno 1464.

In capitulo Mechliniensi fuit ordinatum, quod nullus Frater, cuiuscumque aetatis, scientiae aut status sive conditionis existens, audeat vel praesumat quovis modo private aut publice dicere aut iactitare, sibi esse singulariter aliquid revelatum a Deo. Nam tales revelationes frivolas deceptoriasque ac phantasticas, immo et praesumptuosas ac damnabiles illusiones reputant viri graves, cum secretum summi Regis solitum sit a sanctis Patribus occultari; et quod si quis contrarium fecerit, dicendo seriose, sibi aliquid fuisse revelatum, poena carceris puniatur et omnibus actibus legitimis, etiam executione sacrorum ordinum sit privatus, nec relevari possit aut liberari nisi per reveren-

---

[1] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1464, n. IX, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 191 et tom. III. p. 116.

[2] 20 Maii.

[3] Ita recte, cod. *Franc. de Ruere de Saona,* quae familia Rovere adhuc existit.

[4] Cod. *Ingolstat.* — Paulo inferius pro *habentium,* quam lectionem cod. primitus bene habuisse videtur, manus posterior correxit *habentes.*

[5] Cfr. de hoc et sequente Wadding., l. c. ad an. 1464, n. XIII, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 116.

[6] Wadd.: Ioh. de Macrifortis.

dissimum patrem Vicarium Generalem, vel per eum, cui in speciali duxerit committendum.

Item, strictissime prohibitum fuit, ne quis praesumat aliquam novam doctrinam, quae huiusmodi revelationes frivolas redoleat, scribere aut conficere vel quocumque modo in Ordine seu extra Ordinem publicare, etiam sub specie prophetiae, ante examinationem et approbationem capituli generalis, sub poena carceris; nullusque praedicator audeat quidquam praedicare, quod dubietatem aliquam circa materiam fidei in cordibus audientium generare valeat aut scrupulum rationabiliter inducere, et omnino abstineant ab omni irreverentia Praelatorum.

Hortati sunt praedicatores et confessores, ut studeant frequentius invitare in suis sermonibus et exhortationibus populum ad passionis Christi recolenda et imitanda vestigia, ceterique Fratres omnes ad maiorem recollectionem, mortificationem et exemplarem conversationem sollicitius invigilent, et quod insolentes a suis Praelatis immediatis gravius corrigantur.

Statuit etiam idem capitulum generale, ut secundum provisionem sanctissimi domini Eugenii IV. eodem modo fiat quoad depositionem, absolutionem et electionem Vicariorum Provincialium, sicut de Vicario Generali, non obstante statuto Barcinonensi, cui tunc solum quoad istum articulum fuit derogatum.

In eodem etiam capitulo publicatae sunt gratiae et indulgentiae, per sanctissimum dominum Papam Pium II. concessae et sub sigillo Officialis Curiae Morinensis ad singulas Provincias destinatae, quae superius in septem litteris Apostolicis comprehenduntur.

Et eodem anno ad instantiam fratris Ludovici de Lovanio, Ordinis Minorum de Observantia, iussit dominus Georgius, Episcopus Bambergensis, gratias et indulgentias, a domino Papa Pio II. ad instantiam reverendissimi patris fratris Zegeri de Dixmuda pauperibus, leprosis et infirmis factas et concessas, ad triennium in sua dioecesi practicare, et de hoc dedit mandatum.

Et eodem anno fuit pax et concordia facta et conclusa per serenissimum dominum Imperatorem inter reverendissimum dominum Cardinalem sancti Petri ad Vincula, Episcopum Brixinensem, et ei adhaerentes ex una, et illustrissimum principem Sigismundum, ducem Austriae, et sibi adhaerentes ex altera partibus, reverendo domino Episcopo Lavantinensi, Legato Apostolico, pro parte Sedis Apostolicae praesente et interveniente. Qua facta, nuntiatum est, praedictum reverendissimum dominum Cardinalem diem clausisse extremum [1]; voluitque Imperator, in omnibus eandem concordiam cum futuro Episcopo Brixinensi observari. Et resolvit, relaxavit ac sustulit dictus dominus Legatus omne interdictum, in et per terras dicti ducis Sigismundi positum; redieruntque omnes sorores sanctae Clarae ad Brixinium, exceptis tribus, quae erant de conventu Norimbergensi, quae manserunt in Pfullinga, ubi fuit domina Dorothea Kolerin Abbatissa instituta, quae obiit hoc anno LXIV.

Eodem anno MCCCCLXIV, dum sanctissimus Papa Pius classem disponeret, quae contra Turcos in portis passim superi inferique maris fuerat aedificata, dumque Venetorum ducem, socium belli, Anconae exspectat, diutina et lenta febri afflictus, mo-

---

[1] Tuderti, 10 Augusti.

ritur XVII. kalendas Septembris [1], circiter horam noctis tertiam, anno vitae LXVIII, additis IX mensibus et XXVII diebus, pontificatus vero sui anno VI. minus sex [2] diebus. Relatus in Urbem, patrum decreto conditus est, ubi caput sancti Andreae Apostoli, ad se ex Peloponneso advectum, collocari iusserat, ad sanctum Petrum. Hic fuit praecipuus semper amator et fautor omnium Religiosorum et praesertim regularem observantiam amplectentium.

Dominus Paulus Papa II. sedit annis VI.

Et eodem anno ac mense, pridie videlicet kalendas Septembris [3], Petrus Barbo, Venetus, presbyter Cardinalis sancti Marci, eligitur et Paulus II. vocatur, qui fuit Eugenii IV. Pontificis ex sorore nepos. Hic ad instantiam domini Ludovici, ducis Bavariae, scripsit Episcopo Frisingensi, ut omnia et singula monasteria, in dominio praedicti ducis constituta, tam virorum quam mulierum quorumcumque Ordinum, etiam sancti Benedicti, sancti Augustini, Fratrum Praedicatorum et Minorum etc., per se ipsum personaliter accederet et in eis visitationis ac reformationis officium exerceret tam in capitibus quam in membris. Sed parvo post tempore per Bullam, quae incipit: *Supernae dispositionis* etc., prohibuit omnibus de Observantia, ne consilium vel auxilium darent principibus etc., ut conventus a cura Ministrorum auferrentur.

Eodem anno venit ad Provinciam Argentinensem reverendissimus pater frater Iohannes Macrifortis, Vicarius Generalis, et, visitatis aliquot conventibus, habuit convocationem patrum in conventu Heidelbergensi, in qua ordinavit sequentia de consilio venerandorum patrum Iohannis Schieber, Vicarii, et ceterorum Guardianorum et Discretorum convocatorum, penultima die mensis Decembris:

In primis, quia secundum dictum Sapientis [4] *ubi multa consilia, ibi salus*, ordinatur, quod Guardiani in dubiis negotiis disponendis, praecipue si sint magna et ardua, debeant petere consilium a Discretis sui conventus, et iuxta illud, prout melius esse poterit, quae sunt agenda perficere.

Item, propter multa pericula ac scandala devitanda ordinatur, quod Fratres bini et bini semper extra mittantur et, si contrarium factum fuerit, quicumque dictos Fratres solos extra miserit, pro prima vice semel ad terram panem et aquam coram conventu comedat, pro secunda vice bis eandem poenitentiam sustineat, pro tertia vice quater eandem poenitentiam impleat.

Item, ordinatur, quod tres aut quatuor conventus huius Provinciae assignentur, per provinciale capitulum nominandi, ad quos debeant transmitti Fratres iuvenes ad studium apti, ut inibi in primitivis scientiis et in sacra theologia debite instruantur, ut in statutis generalibus sollicite providetur.

Item, ordinatur, quod per provinciale capitulum assignentur quatuor conventus, duo ex parte Rheni et duo ex parte Bavariae, in quibus novitii debeant collocari et per magistros idoneos in disciplinis regularibus et virtuosis moribus erudiri.

Item, ordinatur, quod de cetero nulli Guardianorum concedatur facultas laicos

---

[1] 16 Augusti. — Ita etiam Ciac.; Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 125 dicit: 14 Aug.

[2] Vel rectius quatuor, secundum auctorem cod. ipsum, cum supra pag. 379 dixerit, Pium fuisse electum 1458, 13 kalendas Sept. i. e. 20 Aug.

[3] 31 Augusti.

[4] Prov. 24, 6.

ad Ordinem recipiendi, sed dumtaxat reverendus pater Vicarius Provincialis possit eos per se ad Ordinem recipere, cum sibi videbitur expedire.

Item, ordinatur, quod Fratres omnino loquantur verbis latinis, maxime iuvenes et sacerdotes, et qui in hoc vitiosi fuerint, debeant in capitulo dicere culpas suas ac debite puniri.

Patres etiam seniores propter exemplum dandum iuvenibus assuescant idiomate loqui latino.

Insuper, inhibetur omnibus et singulis Fratribus, ne de cetero praesumant [1] nova aedificia, nisi de licentia et assensu capituli provincialis et Vicarii huius Provinciae praehabitis.

Item, prohibetur, ne de cetero granum recipiatur sive congregetur in locis, in quibus potest sufficienter provideri de panibus, cum talia fieri sint expresse in declarationibus prohibita.

Item, ordinatur, quod modus visitandi, salubriter introductus in Provinciis Franciae, Coloniae et Saxoniae pro maioris pacis et caritatis conservatione, etiam in hac Provincia inviolabiliter observetur, videlicet quod Vicarius Provincialis, seu Visitatores in suarum visitationum exsecutione, congregato in unum conventu, semper ab inferioribus incipiant ascendendo, primo vocando laicos, quorum defectibus recitatis ac poenitentia imposita, exire debeant ad sua opera peragenda; deinde clericos, et post iuvenes sacerdotes, et ultimo Discretos cum Guardiano, ita quod clerici, suis auditis defectibus ac poenitentia accepta, similiter exire debeant, et similiter fiat de sacerdotibus, nisi Visitatori quoad aliquos probatos et senes aliquando aliter videretur.

Visitatio tamen communis, quae totum conventum tangit et nullam personam in particulari, poterit ante vel post omnium expeditionem coram toto conventu fieri.

Item, ordinatur, quod de cetero Guardiani non maneant in officio guardianatus ultra triennium, ita tamen, quod quolibet anno possint deponi, si visum fuerit fore expediens.

Item, quod de electione Discreti, ad capitulum transmittendi, stetur statuto generali.

Item, ne deinceps inutiles ad professionem recipiantur, ordinatur, quod novitii quater in anno visitentur, et de moribus eorum coram toto conventu perquiratur.

Item, cum secundum propheticum oraculum [2] *in spe et silentio debeat esse fortitudo nostra*, ordinatur, quod silentium deinceps tam evangelicum quam regulare solito firmius observetur, et quod Fratres a multiloquio se contineant intus et foris. Quocirca ordinatur, quemadmodum iam pridem fuerat statutum, ne, cum Fratres exeunt, iunior quoquomodo cum aliqua persona sine sui senioris licentia loquatur; qui quidem senior intelligi debet dignitate Ordinis, non aetatis. Similiter nec Fratres litteras aliis scribere vel mittere, nec sibi missas aperire aut recipere, sine licentia suorum Guardianorum, aut Vicarii conventus in Guardiani absentia praesumant, quae quidem duo praemissa de Fratribus clericis et laicis potentissime intelligenda sunt.

Porro, silentium regulare in locis calefactoriis et stubis, ubi habentur, etiam de die observetur, maxime ante prandium, post prandium vero in eisdem locis submisse tantum loqui possint, ne ex discolo multiloquio inter Fratres inquietudo oriatur.

---

[1] Supple: recipere. — [2] Isai. 30, 15: In silentio et spe erit fortitudo vestra.

Item, cum secundum Apostolum[1] *spectaculum facti simus et Angelis et hominibus*, ordinatur, quod Fratres, dum exeunt, summopere studeant in sua conversatione honeste se gerere, ac humiliter et reverenter, quando utilitas exigit, loquantur talesque se exhibeant, ut Deus ex eorum conversatione honoretur et populus aedificetur, ne, quod absit, ex his, quae foris patent, simus odor mortis in mortem, sed potius odor vitae in vitam. Quocirca ordinatur, quod districte de cetero corrigantur et puniantur Fratres, ex quorum indisciplinatis moribus scandala inter saeculares orientur.

Item, ut sancta paupertas observetur quantum ad quaestus sive procurationes pro Fratrum necessitatibus fiendis, ordinatur, ut Guardiani sollicite et diligenter invigilent, ne scienter permittant, talia fieri ad superfluitatem, sed potius ad debitam necessitatem, semper potius ad minus quam ad maius eorum necessitatem taxando.

De vasis autem stanneis ordinatur, quod omnia deponantur praeter illa, quae deserviunt Missis. Sed quoad conventum Norimbergensem dimittitur in dispositione reverendissimi patris Vicarii Generalis et reverendi patris Vicarii Provincialis.

Insuper, ordinatur, quod Guardiani et Viceguardiani diligentiam adhibeant ordinando clericos et iuvenes sacerdotes alternatis vicibus, ut faciant collationem coram Fratribus, et quos idoneos repererint ad praedicandum, mittant eos hinc inde in terminis ad praedicandum populo verbum Dei, prius tamen officio praedicationis eis imposito, ut impertiantur[2] spiritualia his, a quibus recipiunt temporalia. Nec propter hoc aliquis occasione unius sermonis in mense vel in quindecim diebus gaudeat privilegiis aut exemptionibus, sed quod tempore, quo non est in aliis impeditus legitime, ne otio vacet, studeat et de sermone provideat.

Ulterius, ne deinceps scandala ex indiscretis praedicationibus contra clerum vel populum oriantur, ordinatur, quod praedicatores, qui de cetero ex suis indiscretis sermonibus talia praesumpserint attentare, per Guardianum suum usque ad adventum Vicarii Provincialis a praedicatione prohibeantur et secundum qualitatem delicti puniantur, quemadmodum in capitulo Salmantino fuit expresse ordinatum.

Et quia in ordinatione dicti capituli conscientia Vicarii Generalis super his fuit onerata, hinc est, quod reverendissimus pater Vicarius Generalis onerat conscientiam Vicarii Provincialis et omnium Guardianorum, ut districte servent statutum praedictum generale Salmanticae factum, ne per negligentiam punitionis familia nostra observantiae de cetero detrimentum patiatur.

Item, ordinatur, quod Guardiani sollicite provideant Fratribus suis in suis necessariis, quantum decet statum nostrum, ne Fratres occasionem habeant iustae querelae aut sibi providendi privatim; praecipue tamen consolabiliter et caritative provideant infirmis, cum ex regula[3] ad hoc arctius astringamur.

Et insuper, secundum laudabilem consuetudinem, in aliis Provinciis hactenus observatam, secundum statum generale Fratres in refectione conventus in certis solemnitatibus ab esu carnium abstineant, nec aliquis Guardianus sive Praesidens hoc audeat immutare sine consensu Vicarii Provincialis cum consilio Definitorum.

---

[1] I. Cor. 4, 9. In testimonio allato s. Scriptura exhibet vocem *mundo* ante *et Angelis*, quod in cod. excidisse videtur.

[2] Cod. *impertientur*.

[3] Cap. VI.

Insuper, ordinatur, ne alicui Fratri de cetero adeundi ad Generalis sive Provincialis praesentiam Guardiani licentiam tribuant, nisi prius cognita talis Fratris causa legitima et per Discretos examinata et approbata fuerit. Si vero contingat, aliquos in hoc rebelles fore, arceantur potius ad domum disciplinae, quam in eorum pertinacia permittantur.

Item, ordinatur, quod in conventibus balnea constructa omnino destruantur; sed ad balnea artificialia, quaecumque sunt, nullus accedat, etiam pro hora vel dimidia ibi residendo, nisi secundum dispositionem sui Guardiani cum consilio Discretorum; et ad balnea naturalia nullus accedat, nisi de licentia capituli provincialis, nec etiam ad quaecumque alia balnea extra conventum.

Novissime, cum in capitulo generali ultime Salmanticae celebrato, Fratres nostrae familiae remissi fuerint ad declarationes papales ac ad statuta Barcinone et in dicto capitulo facta, ita quod, ubi haec non sufficerent, recursus haberetur ad statuta generalia totius Ordinis, quae tamen ad conservationem sacrae Observantiae essent accommoda, ne ignorantia praedictorum foret occasio delinquendi, ordinatur, quod de cetero legantur declarationes ac statuta prius notata una cum Bulla *Piana* quater in anno cum praecedentibus ordinationibus, quae maxime ad conservationem pacis et caritatis, augmentum devotionis, recollectionis et timoris nutrimentum pariter et reverentiam possunt prodesse. Ordinationes quoque et caerimoniae chori non debeant omitti, sed legantur semel aut bis in anno, ne oblivio confusionem generet aut diversitatem in Provincia. — Haec ibi.

Anno Domini 1465, die X. mensis Ianuarii, venit reverendissimus pater frater Iohannes Macrifortis, Vicarius Generalis, Norimbergam et visitavit ambos conventus, videlicet Fratrum et sororum, et ibidem practicata sunt statuta de balneo et quaedam ordinationes pro eodem conventu factae, videlicet quod discooperiant caput ad memoriam beatissimae Trinitatis, scilicet Benedicamus Patrem etc., Gloria Patri, in collectis, capitulis, Pater noster, Credo in Deum, Salve, precibus, quando dicitur litania, Evangelium et in ceteris spiritualibus Missarum et horarum.

Quod inclinationes fiant secundum consuetudinem omnium aliarum Provinciarum et doctrinam Bonaventurae aequaliter et profunde, et quod qui noluerint, acriter puniantur, si non habent legitimum impedimentum.

Quod cum Fratres intrant vel exeunt chorum, semper flexis genibus reverentiam faciant sanctissimo Sacramento.

Quod lectiones praecipue chori bene et attente provideantur, et corrector semper in choro habeatur, qui nullos defectus scienter transire permittat.

Quod Fratres post Completorium et Matutinum stent in oratione in ecclesia vel stuba, post Completorium videlicet per horam vel plus, post Matutinum vero usque ad tertiam horam cum dimidia hora.

Quod silentium servetur locis et temporibus statutis.

Quodsi aliquis rebellaverit contra obedientiam, sine despensatione comedat [1] ad terram panem et aquam.

Quod Fratres non faciant stationes et collocutiones in cellis suis, clauso ostio; et contrarium facientes comedant panem et aquam coram communitate sine dispensatione.

---

[1] Cod. *comedet.*

Quod Fratres in quaestis [1] non separentur ab invicem, et qui contrarium scienter fecerit, comedat ad terram panem et aquam.

Et hic ibidem contulit multas litteras Confraternitatis civibus illas petentibus.

Eodem anno, videlicet MCCCCLXV, dominica *Iubilate* [2], fuit capitulum provinciale celebratum Basileae per reverendum patrem fratrem Iohannem Schieber, Vicarium Provincialem; quo ibidem officium resignante, electus est in eius successorem reverendus pater frater Iohannes Lindner, tunc Guardianus Ambergensis, magister artium, de Zwickavia, oppido Misnae. Socius eius ordinatus est frater Iohannes Alpartt. Definitores fuerunt reverendi patres videlicet Iohannes Lindner, Vicarius electus, Nicolaus Caroli, Nicolaus Dieppach et Petrus Meyer.

Frater Iohannes Lindner Vicarius Provinciae Argentinensis de Observantia Fratrum Minorum.

Ordinatum est ibidem, quod de cetero Discreti, ad provinciale capitulum mittendi, certificentur per fratres conventuum et locorum, a quibus mittentur, de hoc: si qui in casu ab ipsis electi non confirmarentur per capitulum, an velint, quod electio ad ipsos conventus seu loca revertatur, vel contenti esse velint de his, qui per capitulum eis praeficientur; quod si neglectum fuerit, nihilominus eis de Guardiano per capitulum providebitur.

Eodem anno ad instantiam illustrissimi principis domini Friderici, comitis Palatini Rheni, et magistrorum civium ac universitatis hominum oppidi Heilbrunnae commisit sanctissimus dominus Papa Paulus II. dominis Abbatibus in Mulbrunna [3] et Hirsavia reformationem monasteriorum Fratrum Minorum et sororum sanctae Clarae dicti oppidi, qui utrobique dissolute vivebant et diversos excessus et crimina committebant, quia aliquae dictarum sororum proles creaverant et ab monasterio aufugerant, cuius causa scandala multa evenerant. Istius autem reformationis cooperator praecipuus fuit venerandus pater frater Martinus de Weinsberga [4], tunc ibidem Guardianus, et remansit in Observantia exsecutor reverendus pater frater Iohannes Lindner, Vicarius Provincialis. Unde capitulum, quod in festo sancti Laurentii [5] sequentis anni Rubeaci celebrandum assignatum fuerat, fuit ad conventum Heilbrunnae translatum.

Eodem etiam anno misit sanctissimus dominus Papa Paulus II. Legatum ad Alamanniam reverendum patrem, dominum Rudolphum, Episcopum Lavantinensem [6], quem etiam Pius Papa II. miserat, qui, cum ad oppidum Egram divertisset et intellexisset impedimenta reformationis conventuum Fratrum Minorum et sanctae Clarae, quam Pius Papa fieri iusserat, scripsit Summo Pontifici Paulo II, utile esse, ut uter-

---

[1] Quaesta idem est ac mendicatio, seu quaestus.

[2] Dominica III. post Pascha, quae erat 5 Maii.

[3] Vel Maulbrunna (cod. *Mulbrun*), theut. Maulbronn in regno Württembergae (cfr. supra pag. 324, nota 1, ubi tamen erronee dictum est Mabrun in Gallia; etiam « Alba » ibidem memorata sita est in Württemberga, et erat, ut Maulbronn et Hirsau (cod. *Hyrssaw* pro *Hirsavia)*, abbatia Ord. S. Benedicti.

[4] Cod. *Weinsperg*, theut. Weinsberg, oppidum Württembergae, non longe distans ab Heilbrunna.

[5] 10 Augusti. — Pro *Heilbrunnae* cod. hic et supra *Heylbrunn.*

[6] Cfr. supra pag. 392, nota 3.

que conventus reformaretur. Hoc idem expedire dixit Summo Pontifici reverendissimus dominus Bessarion, Cardinalis Tusculanus, Ordinis Protector, propter vitam exemplarem Fratrum de Observantia. Unde Papa Paulo iubente, pridie nonas Augusti [1], eodem anno missae sunt quinque sorores Ordinis sanctae Clarae de conventu Norimbergensi ad reformandum dictum monasterium sanctae Clarae in Egra; quarum fuerunt haec nomina: Felicitas Trauttmanin, quae facta est ibi Abbatissa, Margarita Gruntherin, Priorissa, Barbara Stromerin, Felicitas Grolantin et Catharina Solmanin, soror laica. Hae plantaverunt ibidem reformationem et anno MCCCCLXIX redierunt ad Norimbergam.

Eodem anno, supplicante reverendissimo patre fratre Francisco de Savona, Generali Ministro totius Ordinis Minorum, confirmavit et approbavit sanctissimus Papa Paulus II. in Bulla, quae incipit: *Inter ceteros Ordines* etc., omnia privilegia, exemptiones, immunitates et libertates, per quoscumque Romanos Pontifices Fratribus Ordinis Minorum concessas et donatas etc.

Anno Domini 1466, die XXIV. mensis Ianuarii, reformatus est conventus Fratrum Minorum in Landishuto [2], et eodem anno in die sancti Valentini [3] conventus in Ingolstadio per illustrissimum principem dominum Ludovicum, ducem Superioris et Inferioris Bavariae comitemque Palatinum Rheni, sacrae Observantiae praecipuum promotorem, exsequente reverendo patre fratre Iohanne Lindner, Vicario Provinciali.

Audito autem Minister Provincialis, frater Henricus Karrer, quod tres iam conventus in unius anni decursu reformati erant, timens, ne forte sua potestas penitus evacuaretur, conquestus est Ministro Generali, conventus passim a sua cura auferri per Fratres de Observantia. Tunc his auditis, fecit Minister Generalis querimoniam coram Papa Paulo II, qui, convocatis partibus, de earum consensu edidit Bullam [4] sequentem:

Paulus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cum sacer Ordo Fratrum Minorum in agro militantis Ecclesiae tamquam rutilans in amictu sponsae carbunculus aut candida margarita praefulgeat, indignum, etiam eius sanctitati contrarium [5] reputamus, illum dissensionum sentibus implicari. Verum [6] ne intestinae discordiae, quae per versutum humani generis hostem inter dicti Ordinis professores iam dudum disseminari coeperunt, diutius invalescant, ad officium nostrum pertinet eas eradicare et, ut ipsi, mutua inter se caritate coniuncti, speratum [7] fructum afferant et exemplo proficiant, partes nostrae sollicitudinis adhibere.

Sane licet olim tam felicis recordationis Nicolaus [8] V, etiam Calixtus III. et Pius II, quam nonnulli alii Romani Pontifices, praedecessores nostri, ad amputandas quasdam dissensiones, inter Fratres ipsos, qui Conventuales et qui de Observantia nuncupantur, vertentes, diligenter intenderint et varia eorum statuta, ordinationes et litteras ediderint, nosque, ipsorum praedecessorum nostrorum vestigia imitati,

---

[1] 4 Augusti.

[2] Cod. *Lantzhutt* et deinde *Ingolstatt*.

[3] 14 Februarii.

[4] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1467, n. X.

[5] Wadding.: indignum et eius sanctimoniae contrarium; [6] Unde; [7] exspectatum; [8] recordationis Eugenius IV, Nicolaus.

eisdem Fratribus de Observantia nuncupatis, ne loca Conventualium, aut monasteria monialium eorum curae subiecta recipere, neque ut illa a cura ipsorum Conventualium auferantur, tentare aut privatis personis persuadere praesumerent [1], sub excommunicationis latae sententiae poena prohibuerimus, prout in nostris ac eorundem praedecessorum nostrorum litteris plenius continetur; tamen quia propter ipsius Ordinis longe lateque diffusi magnitudinem aliqua discordiarum semina superfuerint, nos ea de dilectorum filiorum Francisci de Savona, Generalis Ministri dicti Ordinis, et Marci de Bononia, ipsius Generalis in cismontanis partibus super Fratres de Observantia Generalis Vicarii, nec non Generalis Procuratoris Fratrum Conventualium ac Commissariorum de Observantia praedictorum, tam citra quam ultramontanorum in Romana Curia deputatorum et sufficientia [2], prout nobis plene [3] constat, mandata habentium, expresso consensu per moderationem [4] litterarum praedictarum et aliarum provisionum adiectionem amputanda auferendaque duximus.

Cum itaque in praedictis nostris litteris contra [5] Fratres de Observantia praefatos quoquomodo de alicuius domus, conventus seu monasterii ablatione [6] excommunicationis feratur sententia eo ipso, cuius absolutio dumtaxat Sedi Apostolicae reservatur, et propterea, ut praedicti Vicarius et Commissarii coram nobis exposuerunt, facile [7] ad multos simplices eadem sententia illaqueandum [8] et pro absolutione obtinenda ad Romanam Curiam vagandi via pararetur; nos cupientes eorundem Fratrum de Observantia metum tollere eosque nihilominus, ne domus Conventualium et ab eorum cura monasteria praedicta subtrahant, eadem poena viam praecludere, et vicissim, ne Conventuales ad eorum perturbationem prosiliant, providere, nec non praedictas nostras litteras, quae incipiunt: *Supernae dispositionis* etc., non obstantibus quibusvis in eis adiectis, derogatoriarum prohibitoriis aliisque fortioribus clausulis, quas et ipsarum litterarum tenores, etiam si de verbo ad verbum et pro earum derogatione forsan requiri videretur, praesentibus non enarrentur, haberi volumus pro expressis, harum serie ex certa scientia moderantes et, si aliquid ultra sit vel contrarium, revocantes, auctoritate Apostolica et scientia simili tenore praesentium tam Conventualibus [9] quam de Observantia et nonnullis aliis, qui Generali dumtaxat, seu etiam Provincialibus Ministris subsunt [10] et de Observantia nuncupantur, dicti Ordinis Fratribus tam citra quam ultramontanis sub excommunicationis latae sententiae poena districtius inhibemus [11], ne proprio motu, industria et malitia, videlicet Fratres Conventuales Observantium, et e converso illi de Observantia per se, vel per alium seu alios [12] quovis quaesito colore vel ingenio de cetero Conventualium Fratrum praedictorum aliquam domum, locum, conventum seu monasterium monialium de novo recipere, invadere vel perturbare, aut de illis [13] vel illo se quomodo-

---

[1] Wadd.: praesumant; [2] sufficienter; [3] plane.

[4] Ita correximus ex Waddingo. Cod. habet *pro moderamine* loco *per moderationem* et paulo inferius *amputandum* pro *amputanda;* quae lectio cod. certo erronea est; vel supposito, quod sit recta, tunc propositio corrupta est, et saltem ante voculam *aliarum* addenda esset praepositio *per.*

[5] Wadding.: in.

[6] Cod. falso *ablationem,* cuius loco Wadding. habet: ablatione persuaderent.

[7] Wadding.: facilis; [8] illaqueandos.

[9] Cod. vitiose *Conventualium.*

[10] Wadding.: subsint; [11] inhibentes; [12] alias; [13] illa.

libet intromittere; Conventuales autem et alii Fratres etiam de Observantia Generali dumtaxat, seu Provincialibus Ministris subditi eorumque Praelati[1], ne aliquos Fratres de Observantia sub Vicariis vivere solitos transfugos[2] seu ad eos[3] fugientes, nisi ostenderint litteras suae licentiae a Praelato suo per eos obtentas, in quibus contineatur nomen conventus, a quo recesserunt, et illius, ad quem remissi sunt, si etiam praetextu[4] cuiuscumque licentiae, super hoc ipsis Fratribus Conventualibus et aliis de Observantia, dictis Vicariis non subditis eorumque Praelatis ab Apostolica Sede concessae, quam quoad hoc penitus revocamus, acceptare quoquomodo praesumant, sed illos ad Praelatos suos[5] iuxta litterarum dicti Pii, praedecessoris nostri, super hoc editarum, quas per omnia volumus observari, continentiam[6] remittere teneantur.

Et vice versa prohibemus, ne Fratres de Observantia nuncupati praedicti scandalosos aut criminosos Fratres Conventuales et disciplinam Ordinis subterfugientes recipere, sed illos similiter ad Praelatos[7] suos remittere debeant, servata[8] tamen piae memoriae Eugenii Papae IV. et Pii praedicti, praedecessorum nostrorum, litterarum quoad hoc editarum forma, alioquin nos ex nunc prout ex tunc in contrafacientes et inhibitionum omnium nostrarum[9] transgressores, tam Conventuales quam de Observantia et alios Fratres praedictos eisque in praemissis omnibus dantes auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, cuiuscumque status vel dignitatis fuerint in Ordine, excommunicationis sententiam harum serie promulgamus, a qua non possunt nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere. Si vero illi Fratres, qui de Observantia nuncupantur et solum Generali subsunt, inhibitioni praedictae contravenerint, ultra praemissas poenas etiam per Ministros Provinciales eorumque Vicarios, Ministro Generali[10] extra illam Provinciam existente, ad omnem ipsorum Fratrum de Observantia requisitionem, non obstante quacumque ipsis per Sedem Apostolicam vel alias concessa exemptione, arceri, et in praemissis ad satisfaciendum compelli possint et debeant remediis opportunis.

Praeterea, cum intellexerimus, nonnullos dicti Ordinis Fratres sub[11] obedientia, quam voverunt, vivere subterfugientes, variis praetensis coloribus, etiam mediantibus litteris Apostolicis sibi procurasse conventus et loca, in quibus sine Superiorum obedientia degerent; nos attendentes, id esse regulari disciplinae contrarium, auctoritate vel scientia[12] supradictis earundem[13] tenore praesentium, omnes et singulos

---

[1] Ita auctoritate Waddingi correximus, cod. habet: *subditis eorum Praelatis.*

[2] Wadding.: transfugas.

[3] Ita sine dubio recte Wadding., cod. *ab eo* pro *ad eos.*

[4] Wadding.: sunt, etiam sub praetextu; [5] praefatos.

[6] Ita recte Wadding., cod. *continentia.*

[7] Wadding. iterum falso *praefatos* et aliquanto superius erronee *universa* pro *vice versa.*

[8] Cod. male *servato.* — [9] Wadding. falso: vestrarum.

[10] Ita recte cod., apud Wadding. deest vox *Generali.*

[11] Wadding., mutato *sub* in *a,* deinde omittit *vivere* post *voverunt.*

[12] Ita recte Wadding., cod. exhibet ex errore scriptoris voculam *sona*, quae quidem (cfr. Du Cange, Gloss.) existit et idem sonat ac pax, compositio, pactum, foedus, sed hic omnino nihil significat.

[13] Cod. *eorundem.*

per eosdem Fratres taliter receptos conventus seu domus aut Generali immediate, aut Provincialibus Ministris seu Vicariis de Observantia dicti Ordinis subesse debere, decernimus et mandamus, ita quod infra quindecim dierum spatium, habita praesentium notitia, illi Fratres, qui ea receperunt vel qui in eis habitant, eligere et manifeste sub publico testimonio dicere teneantur, utrum Generali, vel Provincialibus Ministris, an vero Vicariis de Observantia subesse malint, statuentes, quod in posterum nullus talis Frater aliquem locum seu domum etiam quarumcumque litterarum Apostolicarum obtentu recipere valeat, nisi de licentia Generalis vel Ministrorum Provincialium, vel Vicarii Observantium illius Provinciae, in qua locus vel domus ipsa consistit [1], nisi his litteris specialiter [2] derogatum fuerit; quem [3] si receperit, si [4] maluerit subesse Vicariis de Observantia nuncupatis, ipsis praelibatis Vicariis, alioquin [5] Generali, vel Provincialibus Ministris subesse debeant, ut superius est expressum. Et si forte recusaverint ita subesse, nos per eos taliter recepta loca ex nunc prout ex tunc ecclesiastico subiicimus interdicto [6].

Ceterum, ut Seraphicus ille Ordo dilatetur, auctoritate et scientia praedictis statuimus et ordinamus, quod eisdem Fratribus de Observantia eorumque Vicariis perpetuo liceat, habita tamen super hoc ab eadem Sede Apostolica licentia, in quacumque civitate, castro seu alio loco, etiam si in illa vel in illo alia vel aliae [7] Fratrum Conventualium domus existant, novas domus aedificare, vel si aedificatae a principibus, dominis, communitatibus aut aliis fidelibus largirentur [8], dummodo non subiiciantur Conventualibus, aut immediate Generali Ministro dicti Ordinis, accipere et inhabitare, inhibentes Ministris et Fratribus Conventualibus ac aliis, seu [9] dumtaxat Generali subditis supradictis [10], sub eadem excommunicationis poena, quam in contrafacientes ex nunc prout ex tunc ferimus in his scriptis, et a qua non possint nisi per eundem Romanum Pontificem praeterquam in mortis articulo absolvi, ne proprio motu vel industria per se, vel per alium seu alios quaesito colore vel ingenio super receptione aut retentione talium domorum, per eos iuxta huiusmodi [11] nostram licentiam accipiendarum, contra tenorem praesentium impedire aut eis molestiam aliquam inferre praesumant.

Similiter sub eadem poena prohibemus Fratribus de Observantia praedictis, ne eosdem Fratres Conventuales, aut alios Generali, vel Provincialibus Ministris subditos, quominus in eisdem civitatibus atque locis etiam nova loca construere et constructa, dummodo Vicariis non subsint, si eis, ut praefertur, donentur vel concedantur, accipere et retinere possint, impedire audeant. Et nihilominus volumus et tenore praesentium ordinamus, quod si, quando — quod absit — Conventuales, vel de Observantia, aut alii Fratres praedicti inhibitionibus nostris huiusmodi contravenerint [12], aut alias contra tenorem praesentium attentaverint, ex [13] tunc de Observantia ad Generalem, vel Provinciales Ministros, et econtra Conventuales et alii Fratres praedicti ad Vicarios

---

[1] Wadd.: constiterit; [2] simpliciter; [3] quam; [4] si ipse; [5] alioquin ipsis.

[6] Cod. incongrue *interdictis.*

[7] Wadd.: in illo vel alio, aliae vel aliae; [8] aliis eis largirentur. — [9] Cod. male *eis* pro *seu.*

[10] Wadding.: Generali supradictis; [11] hanc.

[12] Cod. vitiose *contravenerit.*

[13] Wadd.: et.

memoratos pro observatione praesentium et rebellium correctione recurrere possint, qui quidem Ministri et Vicarii transgressores ipsos teneantur et debeant auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et opportuna remedia usque ad satisfactionem debitam cohibere [1], aliis poenis [2] nihilominus permanentibus, decernentes irritum et inane, si secus super praemissis vel eorum aliquo [3] per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus praemissis, Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus dicti Ordinis, iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Per haec autem privilegiis vel litteris, Generali vel Conventualibus, seu Vicariis et Fratribus de Observantia praedictis per Eugenium et Pium praefatos et alios Romanos Pontifices, praedecessores nostros, concessis, non intendimus alias in aliquo derogare, nisi in quantum supradictis contrairent. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXVI, pridie kalendas Martii [4], pontificatus nostri anno tertio.

Eodem anno delata est reverendissimo domino Rudolpho, Episcopo Lavantinensi, Legato Apostolico ad Germaniam, nova quaedam exorta haeresis, super qua avisavit dominum Henricum de Absperg [5], Episcopum Ratisbonensem.

Reverende pater! post commendationem. Delati sunt nobis duo fratres de Wyrsperg [6], unus Iohannes, alter vero Lewinus appellati, moram trahentes *zu den Hofleyn* prope Egram in dioecesi Paternitatis vestrae tamquam seminatores cuiusdam novae ac stultissimae sectae, quae tamen ad exterminationem totius status ecclesiastici tendit, exceptis quatuor Ordinibus Mendicantium. Tendit enim cum complicibus suis hinc inde magnus rumor, quod virgo peperit filium, qui sit unctus salvandorum, qui tertium et finale testamentum introducere debeat, qui sit ille pastor, de quo Christus in Evangelio [7]: *Et erit unus pastor et unum ovile*, per quem omnes in eum credentes illuminari debeant spirituali ac interiori lumine etiam ad sanctam Trinitatem cognoscendam, sicuti in se est, et quod Papa sit antichristus, et omnes Praelati ac sacerdotes, immo omnes catholici, qui in istum salvaturum non credunt unctum, membra sunt antichristi. Et est etiam quidam, appellans se Iohannem de Oriente, qui debet esse praecursor illius uncti, praesumitur tamen quidam dictus Iohannes de Wyrsperg sit ille. Habent autem dicti fratres multos libros super illa secta conceptos, in quibus omnia de Christo in Prophetis et Evangeliis scripta corrupte applicant ad istum unctum; ea quae de scribis et pharisaeis scripta sunt, applicant ad Papam, Praelatos et sacerdotes. Huiusmodi autem libros spargunt hinc inde et seducunt multos, ut intelleximus, et praecipue Religiosos Ordinum Mendicantium. Et dictum est nobis de quodam alias honesto laico, cive Egrae pannicida [8], nomine

---

1 Wadd.: coercere.

2 Apud Wadding. sequuntur haec verba: praedictis in suo robore, quae ex errore scriptoris in cod. excidisse videntur.

3 Cod. *aliqua*.

4 28 Februarii.

5 Ab an. 1465 usque 1492, quo mortuus est.

6 Ita cod. probabiliter pro Wyrspurg, Würceburgo (Würzburg) in Bavaria.

7 Ioan. 11, 16.

8 Idem est ac sartor.

Hans Schonpach, qui ita involutus et firmatus est in ista perfidia, quod in ea moreretur, qui tamen unctum noscat diabolicum; dicti autem fratres in eum credere et nosse debent. Praeterea, dictum est nobis, quod difficulter valde comprehendi possunt, quod non dicunt[1] nec confitentur. Putant enim, sibi licere mentiri Praelatis et confessoribus suis exemplo Evangelii[2]: *Estote prudentes sicut serpentes* etc. Unde non confitentur de hoc, etiam si mandetur eis sub censuris, ut dicant veritatem, non curant, sed[3] quod in futuro anno sit annus anthidonis[4] (!), in quo publice surgent omnes et publice praedicabunt illum etc. Audivi enim a quodam magno nobili, quod dictus Lewinus ei confessus fuerit, quod tanta sit multitudo in huiusmodi secta diversis partibus Alamanniae, quod, si simul essent constituti, possent resistere magno principi. Et quoniam praedicti fratres, qui principaliores seminatores huiusmodi dicuntur, in dioecesi Paternitatis vestrae constituti sunt, noluimus dimittere, quin haec Paternitati vestrae, cui ex officio incumbit contra tales inquirere et eos revocare ac premere[5], significaremus. Agat igitur in hoc Paternitas vestra, prout tenetur, ne de negligentia per Sedem Apostolicam notari possit. Omnia ad vota dirigat et conservet Altissimus.

Datum Vratislaviae, XI. Iunii, anno ut supra.

Eodem anno, in die sanctae Margaritae virginis[6], vocati sunt omnes Praelati quatuor Ordinum Mendicantium urbis Ratisbonensis per reverendum patrem et dominum, dominum Henricum de Absperg, Episcopum Ratisbonensem, et de quibusdam articulis haereticorum praedictorum de Wyrsperg, praesente domino Ulrico Aumayr, Episcopo Hieropolitanensi, eius suffraganeo in pontificalibus, inquisiti. Quorum articulorum numerus a praedicto Episcopo Ratisbonensi sic edicebatur:

Primo, quod sit homo, quem vocant unctum Salvatoris, ad quem applicant corrupte omnes sacras Scripturas, quae Christum et eius Divinitatem praecinunt, et dicunt, quod idem unctus habeat divinas inspirationes et illustrationes immediate a Deo plus quam ullus doctor vel Propheta vel etiam supremus Angelus.

Item, quod ipse sit ille, qui in Apocalypsi similis est filio hominis, et quod ipse debeat scribere septem Ecclesiis.

Quod ducet totum mundum ad unam fidem et debeat introducere tertium et finale testamentum, et quod sit pastor ille verus, de quo dicitur in Evangelio[7]: *Et fiet unum ovile et unus pastor.*

Quod ipsi flectetur omne genu.

Quod ipsum sequetur omnis populus, et regnabit super totum mundum, sicut Caesar imperator et Deus.

Quod profunditatem Scripturarum ipse solus investigabit.

Quod multas Scripturas corrupte applicant ad istum unctum, sicut illam de mu-

---

[1] Supple: veritatem, quae vocula excidisse videtur.

[2] Matth. 10, 16.

[3] Supple: dicunt.

[4] Ita habet cod., sed probabiliter erronee pro *antidoni* vel *antidosis,* quod est idem ac remuneratio, retributio.

[5] Hic idem est ac cohibere.

[6] 20 Iunii.

[7] Ioan. 11, 16.

liere amicta sole[1], dicentes, quod eadem auctoritas non debet intelligi de Virgine Maria propter clausulam illam, qua dicitur passa. Virgo enim absque dolore peperit Christum. Unde dicunt, eam convenire uncto Salvatoris.

Quod illud Psalmi[2]: *Astiterunt reges terrae* etc., non debet intelligi de Christo, quia non omnes reges fuerunt in Ierusalem, unde applicant illud suo uncto, cui contrariantur Praelati Ecclesiae.

Item, illud Evangelii[3]: *Cum videritis abominationem desolationis stantem* etc., exponunt sic: Quia Papa est Deus in terra et adoratur tamquam antichristus, ideo dicunt, ipsum esse abominationem desolationis stantem in loco sancto; et sequelam de praegnantibus dicunt non intelligi litteraliter de mulieribus, sed de illis, qui recipiunt illas Scripturas et fructum fidei non operantur.

Item, Psalmum[4]: *Deus, Deus meus, respice* etc., et istum: *Deus iudicium tuum regi da*, cum omnibus Psalmis de passione Domini et nativitate applicant ad istum unctum.

Item dicunt, omnes sacras Scripturas[5] nihil esse. Unde subsannant expositoribus eiusdem, sicut Hugoni, Bedae, Magistro Sententiarum, dicentes, quod ipsi expositores, dum aliquid de sacra Scriptura meditari vellent, se ad sua secretaria dederunt et vini vasculum iuxta se posuerunt et spiritus unctionem inde hauserunt; unde decepti vini sapore, suam imaginationem putabant Spiritus sancti unctionem.

Quod solus unus unctus sit, qui sit iste unctus Salvatoris, et quod Christus non sit unctus, quia non indiget de unguento, ex eo quod Deus et homo est. Unde omnia, quae in Scripturis dicuntur de Christo, intelligi debent de illo uncto. Unde illud[6]: *Orietur stella ex Iacob* etc., sic exponunt: Stella ex Iacob est Christus, homo autem surgens ex Israel, in quem gentes sperabunt, qui et reget populos, est iste unctus maledictus. Unde ad aliud regimen ducet clerum iuxta illud[7]: *Alius cinget te* etc. Dicunt enim, quod ille unctus ducet clerum viam, quam usque huc ambulare noluerunt.

Quod beata Virgo, licet peperit Christum corporaliter, hunc tamen unctum genuit spiritualiter, iuxta illud[8]: *Egredietur virga de radice Iesse* etc. Virga de radice est Christus, flos autem virgae, supra quem requiescet Spiritus Domini cum septem donis, est ille perunctus.

Dicunt, si iste homo non venisset, tunc non fieret salva omnis caro. Unde Prophetae adventum ipsius adhuc desiderant, sicut rex David quotidie desiderat adventum eius.

Quod ipse, dum venerit, bibet recentem sanguinem Iesu.

Quod homines a suis tribulationibus, quae adhuc hodie civitatibus et communitatibus eveniunt, non liberabuntur nisi per ipsum unctum, si receperint fidem eius.

---

1 Apoc. 12, 1. — 2 Psalm. 2, 2.
3 Matth. 24, 15.
4 Psalm. 21, 1, et deinde Ps. 71, 1.
5 Cod. habet *sacrae Scripturae* pro *sacras Scripturas*, quod, tenore textus exigente, correximus.
6 Num. 24, 17.
7 Ioan. 21, 18.
8 Isai. 11, 1.

Quod Deus patiatur magnis passionibus et quotidie invocet hunc unctum, ut veniat et liberet eum de suis passionibus.

Quod iste unctus viderit essentiam divinam et sanctam Trinitatem, sicuti in se est. Unde illud dictum pueruli sedentis iuxta mare volentisque aquarum maris multitudinem unius fossulae comprehendere parvitate, sicut in gestis sancti Augustini legitur, quo videlicet praetendebat, quod, sicut impossibile foret, tantam multitudinem in tam parva fossa comprehendi, ita tantam infinitatem Ss. Trinitatis in tam parvum ingenium comprehendi, tantum dictum fuisse sancto Augustino, et non omnibus hominibus, et si dictum fuisset omnibus hominibus, adhuc iste exemptus foret.

Quod indulgentiae nihil valent, quia non propter salutem animarum, sed propter quaestum modo deceptivo sunt inventae.

Quod excommunicatio et ecclesiasticae censurae nihil sint nec timeri debent.

Quod Ecclesia in multis potuit errare et erret hodie, usque dum fuerit edocta ab isto uncto, qui veniens clarificabit Iesum secundum Evangelium.

Quod nos non debeamus orare vocaliter, sed solo corde. Unde etiam subsannant caerimonias Ecclesiae, sicut lotionem pedum in Coena Domini.

Quod sequaces illius sectae non debent contendere cum contra dicentibus. Unde dicunt: Quicumque noluerit recipere fidem, dimittatur in suo errore.

Quod numerus salvandorum non excedat numerum in Apocalypsi expressum: centum quadraginta quatuor millia.

Quod multa gravissima contra clerum ponunt, quae ad destructionem totius status ecclesiastici tendunt, dicentes, Praelatos Ecclesiae scribas et pharisaeos esse sedentes super cathedram Moysi, ambulantes in scholis etc., multa praedicantes et pauca facientes. Unde admonent vulgum, ne aurem praebeant eorum praedicationibus et Scripturae sacrae.

Quod omnes pressurae et tribulationes causentur propter peccata clericorum, et quod Praelati Ecclesiae sint initium omnis mali.

Quod principes et Praelati in brevi interficientur, dicentes, quod principes conducent milites in bellum, quibus postea negabunt stipendia; qui insurgentes invadent principes et interficient; qui sic interfecti insepulti manebunt.

Item, quidam Iohannes de Oriente, qui dicitur praecursor illius uncti, qui caecus natus casu venit ad istum unctum, a quo mirabiliter sit illuminatus, qui sedens in tenebris caecitatis, vidit unctum Salvatoris; idem Iohannes praedictos articulos praedicat et dispergit, quos dicit se ab eodem uncto recepisse et supra suam salutem et fidem sic affirmat esse; unde omnes non credentes aeternam damnationem subeunt.

Praedicti autem Praelati Ordinum Mendicantium Ratisbonae, omnes irreformati, ad excusationem sui retorquebant suspicionem dictae stultae haeresis in Fratres Minores de Observantia civitatis Egrae, qui noviter conventum Minorum ibidem reformaverant. Unde missis Fratribus ad dominum Rudolphum, Episcopum Lavantinum [1], Legatum Apostolicum, purgati sunt ab eodem de falsa incriminatione.

Rudolphus, Dei gratia Episcopus Lavantinus, sacrosanctae Sedis Apostolicae et sanctissimi domini nostri, domini Pauli divina providentia Papae II, ad Alamanniae

---

[1] Hic et deinde etiam cod. semper recte scribit *Lavantinum*. Cfr. supra pag. 392, nota 3.

et regni Bohemiae partes Legatus missus, universis et singulis, ad quos nostrae praesentes devenerint, aeternam in Domino salutem.

Noveritis, dudum ad nos venisse quendam nobilem, cuius nomen pro meliori silentio omittimus, qui etiam constanter asseruit, in dioecesi Ratisbonensi duos germanos esse, personas laicas et saeculares, qui, operante satore malorum, novae cuiusdam superstitionis et haeresis sive sectae quasi novum Christum aut invenerint aut exspectent, labe respersi, ipsum nobilem ad sua commenta et falsas, nedum stultas inventiones deducere conati sunt, qui quoque, ut referebat, se plurimos et principes saeculares et Praelatos ecclesiasticos atque personas Religiosas, potissimum in Ordinibus Mendicantium, ac singulariter quendam civem in oppido Egra, suae impietatis participes et consectatores habere gloriantur.

Nos itaque, his perceptis visisque et examinatis quibusdam articulis non minus ignorantia quam vesania plenis, quos praefatus nobilis dicebat illos firmiter tenere et defendere, pro debito officii mei ac zelo fidei et christianae religionis amore et, ne labes haec ulterius diffunderetur, quamprimum reverendum dominum N., Episcopum Ratisbonensem, per nostras litteras absque cuiusquam nominis aut Ordinis aut personae expressione vel etiam suspicione, praeter eosdem duos fratres laicos saeculares et civem Egrensem, avisavimus, utque desuper vigilaret, admonuimus, maxime quia ipse harum novitatum relator pollicebatur, si desuper per praefatum Episcopum requireretur, eosdem tantae perfidiae auctores se revelaturum. Exinde vero — quod dolenter accepimus — fide digna relatione didicimus, rumorem quendam nescimus a quo emissum per diversas provincias volasse, nos oppidum Egram[1] eadem pernicie infectum et venerabiles Fratres Ordinis sancti Francisci de Observantia, quos nostra opera et sollicitudine ad eundem locum reformandum Apostolica Sedes destinavit, praedicto Episcopo Ratisbonensi in nostris litteris designasse, quod, quia prorsus veritate caret, ad reprimendam falsam huiusmodi et perniciosam famam, per quam non solum catholicum oppidum Egra, sed sacra Minorum Religio, quae singulariter adversus quoscumque haereticos et paganos continue pugnat et laborat, in suo nomine et honore detrimenta pati faciliter posset, praecipue apud inexpertum vulgus, quod leviter falsa de viris bonis et maxime ecclesiasticis admittere solet, has nostras patentes fieri fecimus nostroque solito sigillo muniri, quibus recognoscimus, per nostras litteras neque saepe dicto Episcopo Ratisbonensi nec alteri cuipiam aliter de hac re, quam supra diximus, quidquam insinuasse, quodque ad nostram audientiam nihil aliud ultra devenerit quam haec falsa et perniciosissima fama. Quare vestras universitates hortamur in Domino, ut talibus fidem minime adhibeatis, compescantque omnes, ad quos ex officio vel caritate pertinet, alios, ne in hoc temerarium iudicium incidant aut perferant[2], admonentes illos, quanti sit criminis bonorum virorum famae detrahere, cum dicat sacer canon[3]: « Deteriores sunt qui bonorum famam corrumpunt, quam qui praedia substantiasque aliorum diripiunt ».

Datum Vratislaviae in domibus nostrae residentiae, die XXVIII. mensis Augusti, anno MCCCCLXVI.

---

[1] Cod. *Egra.*

[2] Cod. *perferent.*

[3] Can. XV. tit. VI. q. I: Deteriores sunt, qui doctorum vitam moresque corrumpunt his, qui substantias aliorum praediaque diripiunt.

Eodem anno in festo sancti Laurentii [1] celebratum fuit capitulum in conventu Heilbrunnensi per reverendum patrem fratrem Iohannem Lindner, Vicarium Provincialem eorundem Fratrum de Observantia, in quo capitulo sunt hae ordinationes factae:

Quod de cetero nullus Vicarius Provincialis extra suum capitulum provinciale aliquod faciat statutum, et caveatur diligenter, si quando necessario statuendum fuerit, quod Fratres tantum ad poenam temporalem per huiusmodi statuta obligentur, nisi alias Fratres ad hoc obligarentur per ius divinum aut humanum.

Quod nunquam duo Fratres conveniant in una cella sine licentia Guardiani aut Praesidentis sub poena panis et aquae in terra per unam plenam refectionem; a qua poenitentia nullus Guardiano inferior absolvere possit et debeat [2].

Quod nullus Guardianorum minuat vel augmentet caerimonias conventus sui sine consilio et assensu Discretorum, nec aliquas novitates introducat hactenus non conservatas.

Quod in actibus capitularibus Discreti praecedant Guardianos, sed in aliis communitatibus, sicut in mensa et similibus, Guardiani praecedant Discretos.

Quod de cetero non invitentur hospites in solemnitatibus quibuscumque aut alias, nisi ubi sine scandalo vitari non potest, et hoc semper de licentia Praesidentis; et quod caveant Praesidentes, ne per nimias aut frequentes invitationes conventus graventur aut inquietentur.

Hoc anno finivit reverendus pater frater Henricus Herp [3], Ordinis Minorum de Observantia, Guardianus conventus Mechliniensis, suum *Praeceptorium*, quod edidit per modum sermonum, fecitque et alios sermones tam de Tempore quam de Sanctis, et per Adventum et Quadragesimam. Hic fuit magnae in saeculo reputationis, canonicus Mechliniensis et vir altae contemplationis, quem saepe oportuit declinare vulgi praesentiam, ut celebraret Missas in sacristia, propter gratiam raptus.

Eodem anno revocati sunt Fratres de Observantia, qui Pragae ad sanctum Ambrosium morabantur [4], per reverendum dominum Rudolphum, Episcopum Lavantinum, Legatum Apostolicum, ad civitates catholicas ob persecutiones, quas eis haeretici Hussitae inferebant ad suggestionem magistri Gregorii de Haimburg, fautoris Georgii Podiebrad, invasoris regni Bohemiae haeretici; quem Gregorium reverendus pater frater Gabriel de Verona, Vicarius Provincialis Austriae et Bohemiae, vicem gerens reverendi domini Rudolphi, Episcopi Lavantini et Legati Apostolici, excommunicatum denuntiaverat, propterea quia haereticis adhaerebat et contra Sedem Apostolicam prave et loquebatur et agebat, sicut supra [5] dictum est. Nam haeretici Fratribus eleemosynam negabant et, si quandoque ad civitatem ad bonos amicos ibant, trahebant eos per caputia et portabant eos ignominiose in dorso ad tabernas; crucemque ante conventum deiecerunt et innumeris aliis contumeliis eos afficiebant, propter quas cesserunt a loco.

---

[1] 10 Augusti.

[2] Cod. corrupte *possit debet*.

[3] Probabilius est nomen familiae. Cfr. Wadding., l. c. 1460, n. XXXII, 1477, n. XII, et Scriptores, p. 164; Sbaralea, Suppl. p. 338; Furt. Hueber, l. c. 13 Iulii; Fabricius, l. c. tom. III. p. 644.

[4] Cfr. supra pag. 385.

[5] Cfr. supra pag. 391 seqq.

Eodem anno MCCCCLXVI, die XXIII. mensis Decembris, privavit sanctissimus Papa Paulus Romae in publico consistorio Georgium Podiebrad haereticum, regem Bohemiae, regno per Bullam, quae incipit: *Cum extra catholicam* etc.

Anno Domini 1467, supplicante reverendissimo domino Iohanne [1], Episcopo Cardinali Albanensi, pro Fratribus Minoribus de Observantia citramontanis, die VII. Aprilis concessit sanctissimus dominus Papa Paulus II. eisdem Fratribus gratiam eligendi confessorem, qui posset eos semel dumtaxat in vita et in mortis articulo absolvere ab omnibus peccatis et censuris et cum eis dispensare in omni irregularitate, praeterquam contracta per homicidium voluntarium, bigamiam et mutilationem membri notabilis; quam gratiam a multis Romanis Pontificibus obtinuerunt oraculo vivae vocis.

Eodem anno, die Pentecostes [2] in conventu Montis-Lucii [3] Provinciae Burgundiae, quam modo vocamus Provinciam sancti Bonaventurae, celebratum est capitulum generale Fratrum de Observantia familiae citramontanae per reverendissimum patrem fratrem Iohannem Macrifortis, Vicarium Generalem; quo officium resignante, electus est eius successor reverendus pater frater Iohannes Philippi, Vicarius Provinciae Burgundiae, in Vicarium Generalem.

Frater Iohannes Philippi Vicarius Generalis Fratrum de Observantia citramontanorum capitulo Montis Lucii.

Et eodem tempore in capitulo generali Fratrum de Observantia ultramontanorum, per reverendissimum patrem fratrem Marcum de Bononia, Vicarium Generalem, Mantuae celebrato, electus est in Vicarium Generalem familiae ultramontanae reverendus pater frater Baptista de Levanto tertia vice.

Frater Baptista de Levanto Vicarius Generalis ultramontanus Fratrum de Observantia tertia vice.

In capitulo nostro generali Montis-Lucii declaratum est:

Quod procurare satisfactionem sive solutionem fiendam pro re empta Fratribus necessaria vel pro re de proximo emenda necessaria et determinata, non est contra puritatem regulae, ita tamen, quod Fratres nec per se nec per interpositam personam intromittant se de pecunia. Non tamen licet Fratribus indifferenter et indeterminate tales procurationes eleemosynarum pecuniariarum facere nec nuntium a se positum ducere, sed dans faciat per se ipsum vel per nuntium a se deputatum.

Item, quod recipere granum vel alia huiusmodi pro acquisitione, vel commutationem in aliam rem non necessariam non licet Fratribus, nisi ubi Fratres in suis necessariis aliter bene provideri non possent, et debet fieri per amicos spirituales et de consensu dantium et de licentia Vicarii Provincialis sive Custodis.

Quod Fratres viatores possunt accedere ad loca Fratrum habentium regimen sororum sanctae Clarae et ad ecclesiam, ad quam communiter saeculares accedunt, dum tamen super hoc a suis Superioribus obtinuerint licentiam.

Quod nullus Frater praesumat facere scribi libros extra vel intra conventum, maxime per saecularem personam, neque sibi procurare partiales eleemosynas sine speciali et expressa licentia Vicarii Provincialis super his prius obtenta.

---

[1] Michaelius dictus, Venetus.

[2] 17 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1467, n. II, De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 117 et 118, et Chronol. etc. p. 136.

[3] Civitas Mons-Lucius est gallice Mont-Luçon (Bourbonnais).

Inhibitum, quod Fratres de cetero vadant soli per terras, et Guardiani eos mittentes, priventur officio per Vicarium Provincialem; et quod servetur statutum de non sequestrando ab invicem, et quod vitiosi in hoc pro qualibet vice panem et aquam in terra comedant coram Fratribus in una refectione.

Quod nullus procuret usum alicuius libri aut alterius rei, proprietate apud parentes vel amicos remanente, sub poena privationis illius cum punitione condigna.

Quod quia in aliquibus Provinciis in localibus capitulis Fratres quandoque minus caritative se habent in suorum visitatione Guardianorum, sic quod diffamationes, contentiones et scandala frequenter inde oriantur et pullulent [1], ad huiusmodi abusus compescendos in visitatione Guardianorum hic modus singulariter in Provinciis Franciae, Castellae, sancti Iacobi et Aragoniae de cetero observetur, quod post electionem Discreti, ad capitulum provinciale seu custodiale destinandi, eligantur tres de Discretis, qui seorsum vota audiant singulorum super Guardiani depositione vel retentione vel alterius postulatione; quorum vota fideliter conscripta ad provinciale seu custodiale capitulum transmittantur, quibus a Vicario Provinciali vel Custode et Definitoribus debite discussis, si eis secundum rectum iudicium bonum visum fuerit, ipsum Guardianum continuabunt vel postulatum a se alium in Guardianum eis dabunt, non obstantibus generalibus statutis et quibuscumque in contrarium facientibus, et quod extendatur hoc statutum ad alias Provincias, quae voluerint illud acceptare.

Item, quod, cum in nonnullis Provinciis tam apud Conventuales quam apud Fratres nostros Guardiani ex consuetudine conveniant ad capitulum provinciale et in eo habeant vocem activam et passivam, et haec consuetudo approbata fuerit per reverendissimum patrem fratrem Zegerum, quondam Vicarium Generalem, et possunt [2] eligi pro Definitoribus in ipso capitulo provinciali, non obstante quod dicatur in Constitutionibus generalibus, quod Discreti eligant ex se ipsis quatuor Definitores; quia saepe contingit, mitti Fratres ad capitulum pro Discretis, qui pauca aut nulla de factis Provinciae cognoscunt, placuit capitulo, quod eadem consuetudo in eisdem Provinciis observetur et extendatur ad alias Provincias, quae illud acceptare voluerint.

Quoad divinum officium ordinatum est:

Quodsi contingat, festum Annuntiationis beatae Virginis venire in triduo ante Pascha, transferatur secundum Ordinarium.

Quod festa sancti Eustachii et sanctae Agnetis secundo transferantur, et fiant de eis novem lectiones.

Quod festum Transfigurationis Domini fiat maius duplex, et fiat officium, quod habet capitulum: *Salvatorem exspectamus* etc., hymnum: *Gaude* etc.

Quod in festo sanctae Felicitatis et sanctae Sabinae fiat officium totaliter, sicut de una Vidua, excepto quod primum responsorium sit: *Veni sponsa Christi*, et octavum sit: *Regnum mundi.*

Quod Fratres promovendi ad officia praedicationis et confessionis in capitulo provinciali debeant illuc personaliter accedere et ibidem examinari, licet prius fuissent in conventibus, a quibus mittuntur, examinati. Verumtamen in Provinciis, in qui-

---

[1] Cod. *pullulant.*

[2] Sincerius legendum esset: possint.

bus sunt Custodes, sufficit, quod tales Fratres promovendi ad capitulum custodiale conveniant et ibidem examinentur, et in casu, quo Vicarius Provincialis ibidem praesideret, posset eos ad dicta officia promovere. Si vero non affuerit, tunc per Definitores ipsius capituli custodialis fiat veridica relatio ad capitulum provinciale de praedicatorum examinatione, et tunc, ipsis absentibus, possint ipsi ad praedicta officia promoveri. Extra vero dicta capitula Vicarius Provincialis promovere non possit Fratres suos ad praetacta officia, etiam si fuerit Commissarius Vicarii Generalis, sed ipse Generalis Vicarius possit haec facere per se ipsum.

Quod ordinatio alias facta in capitulo Mechliniensi [1] de prophetiis et revelationibus ac novis doctrinis non publicandis seu communicandis strictissime observetur, et quod Guardiani, Custodes vel Vicarii Provinciales in huiusmodi corrigendis fuerint negligentes, a suis officiis absolvantur. Ac insuper prohibitum est, ne ullus Frater, cuiuscumque auctoritatis vel gradus exstiterit, audeat novam doctrinam, ab eo vel ab alio confectam, de novo publicare seu communicare quibuscumque sive intra Ordinem sive extra, quousque fuerit per capitulum provinciale vel generale examinata et approbata.

Quod de cetero nullus audeat confiteri cuicumque extra Ordinem nostrum existenti. Nam licet dominus Eugenius IV. alias concesserit super hoc privilegium Fratribus in contrarium, verumtamen dominus Pius II. aliquibus rationabilibus causis incitatus, illud revocavit. Infra vero Ordinem, sed extra familiam nostram nullus attentet confiteri nisi de licentia sui Praelati.

Quod super depositione eleemosynarum pecuniariarum serventur strictissime declarationes papales, ita videlicet, quod Vicarii Provinciales, Custodes aut Guardiani nullo modo, quantum in se est, permittant, tales eleemosynas deponi extra casum debitae necessitatis, immo quantum est ex parte sui, tales eleemosynas superfluas omnibus modo et forma, quibus melius poterunt, renuant.

Quod de statutis seu ordinationibus, temporibus retroactis per quoscumque Praes latos, tam Vicarios Generales tam Provinciales quam Custodes editis, tantum illa debeant observari, quae per capitulum provinciale cuiuslibet Provinciae ad regularis observantiae conservationem opportuna [2]. Insuper obsecravit capitulum generale reverendissimum patrem Vicarium Generalem pro tempore, quod de cetero nulla statuta conficiat sine consilio et assensu capituli provincialis, aut patris Vicarii illius Provinciae, vel maioris partis patrum notabiliorum, in ipsa Provincia existentium, per ipsum in aliquo conventu dictae Provinciae convocandorum.

Quod nullus, cuiuscumque sit eminentiae, etiam si [3] in officio generalatus exstiterit, retineat vel alienet quoscumque libros a Provinciis, ad quas secundum statuta pertinent; et si secus attentatum fuerit, cogantur retentores vel alienatores dicto libros restituere, et hoc per capitulum generale, vel per eum, qui potest eos compellere.

Quod nullus Vicarius [4], etiam si fuerit Commissarius Vicarii Generalis, nisi hoc ei in sua commissione fuerit specialiter et expresse commissum, possit licentiare Fra-

---

[1] Cfr. supra pag. 411.

[2] Supple: declarantur, vel declarata sunt.

[3] Quae vox, quam exhibet « Memoriale Ordinis » fol. 240, desideratur in cod. msc.

[4] Scil. Provincialis, ut habet « Memoriale Ordinis ».

tres suos ad eundum extra Provinciam suam ad manendum, nec recipere aliquem venientem de aliena Provincia absque licentia Vicarii Generalis, nec insuper Fratres venientes de partibus ultramontanis, nisi obtinuerint licentiam a reverendissimo patre Vicario Generali ultramontano. Nec de cetero mittantur Fratres ad Curiam Romanam, nisi maturi et idonei fuerint, et hoc de licentia Vicarii Provincialis, aut Custodis, hanc auctoritatem a Vicario Provinciali habentis, et non mittantur nisi pro causa legitima et cum plenaria informatione negotiorum necessariorum, pro quibus mittuntur; nec illuc missi quidquam attentare praesumant absque consilio et ordinatione patris Commissarii pro tempore existentis.

Quod quicumque frater clericus apostataverit a nostra familia, si contingat, ipsum redire et recipi, maneat suspensus ab officio praelationis, praedicationis et confessionis saecularium usque post biennium. Si vero laicus apostataverit et extra familiam nostram ordines susceperit, si contingat, ipsum denuo in familia nostra recipi, maneat suspensus ab exsecutione ordinum et ab omni promotione ad officia Ordinis, quousque aliquid per capitulum generale ordinatum fuerit.

Quod pro quaestis nullus vadat extra Provinciam suam, nisi in casu, quo aliquis conventus fuerit constitutus in confinio alterius Provinciae. Tunc enim Fratres illius conventus possunt facere questas in terminis assuetis praefati conventus. Nec aliquis praedicet in aliena Provincia aut Custodia contra voluntatem aut favorem Vicarii illius Provinciae vel Custodis illius Custodiae, nisi contingeret, ipsum ibidem transitum facere ad peragendum viam suam. In locis vero, in quibus Fratres morantur, non debeat aliquis praedicare nisi de licentia Guardiani illius conventus.

Ex isto capitulo allata est quaestio determinata ad Provinciam, videlicet: A quibus casibus possunt Fratres absolvere sine speciali auctoritate Episcopi, praesupposita tamen praesentatione. Respondetur, quod ab omnibus, demptis quatuor, qui sunt de iure reservati per Clementinam: *Dudum, de Sepulturis* [1], § *Per huiusmodi autem* etc. Casus autem, quos Episcopus de consuetudine reservat, non ligant Fratres; patet manifeste per § *Nos etenim* etc., ubi manifeste revocatur consuetudo superiori concessioni contraria.

Casus autem, a iure reservati Episcopo, secundum declarationem Benedicti Papae XI. per Extravagantem: *Inter cunctas* etc., sunt: 1.us irregularitas; 2.us incendiarii; 3.us solemnis poenitentia; 4.us excommunicatio. Credo tamen homicidium scilicet manifestum etiam a iure reservatum et non ex sola consuetudine. — Haec clare habentur ex Summa fratris Petri Quesvel [2], quae dicitur *Directoria* et habetur hic Norimbergae; cuius Summae dicta tenent patres in Francia in hac materia et doctor Curensis, eorum magister, et ideo ab his quatuor debent Fratres cavere et ab omnibus aliis, si per statutum synodale sententiam excommunicationis annectent, propter Clementinam [3]: *Religiosi, de Privilegiis*, quam vide. In praedicta Decretali Extravagantis ponuntur quinque casus de consuetudine Episcopo reservati, scilicet homicidium voluntarium; 2.us falsarii; 3.us violatores libertatis ecclesiasticae; 4.us sortilegii; 5.us vio-

---

[1] Libr. III. t. VII. cap. II.

[2] Erat Anglus et alumnus conventus Norvicensis; Cfr. de eo Wadding., Scriptores, p. 287, et Sbaralea, Suppl. p. 604.

[3] Libr. V. t. VII. cap. 1.

latores ecclesiarum et coemeteriorum. Ab his quinque similiter abstineant Fratres. Et hoc confirmavit Eugenius IV. anno Domini MCCCCXLVIII, petente fratre Francisco de Prato Ordinis Minorum, ut patet in *Magistrano*, et hoc idem dicit Generalis Vicarius observandum ad cautelam, propter auctoritatem Papae.

Eodem die [1] et anno celebratur capitulum generale Fratrum Conventualium Florentiae per reverendissimum patrem fratrem Franciscum de Savona, Generalem Ministrum totius Ordinis Minorum.

Eodem etiam anno concessit dominus Papa Paulus II. Archiepiscopo Moguntino facultatem reformandi monasteria deformata suae dioecesis in Bulla subsequenti:

Paulus Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro Adolpho, Archiepiscopo Moguntino, salutem etc.

Pontificalis auctoritas nos admonet et ipse ordo rationis exposcit, ut, si quid a personis divino cultui ascriptis contrarium ordini et honestati praesumitur, per nostrae operationis ministerium ad Dei gloriam et religionis augmentum salubriter corrigatur. Sane pro parte tua nobis nuper oblata petitio continebat, quod in civitate et dioecesi Moguntinensi sint quamplura monasteria, domus et alia loca religiosa tam virorum quam mulierum Ordinum diversorum, etiam Mendicantium, exempta et non exempta, quorum personae, depressa et conculcata observantiae norma, variis — et quae nonnunquam impunita pertranseuntur — criminibus se immergere et illa detestabiliter committere et alias vitam impudicam et lascivam ac Religioni penitus contrariam ducere non tremiscunt, in animarum suarum periculum, Religionis opprobrium et perniciosum exemplum et scandalum plurimorum; propter quod monasteria, domus et loca et personae huiusmodi, tam in capitibus quam in membris ac tam in spiritualibus quam in temporalibus, visitationis ac reformationis officium exposcunt salutare. Unde pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandum magnis scandalis, quae alias verisimiliter possent evenire, in praemissis opportune providere paterna diligentia curaremus.

Nos igitur, ad quos pertinet super his adhibere vigilantiae nostrae curas, huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuae, de qua in his et in aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus adiunctis tecum, aut si per te ipsum commode exsequi nequieris, cum aliquo ex tuis suffraganeis, quem ad hoc duxeris eligendum, duobus patribus dictorum Ordinum bonae famae et exemplaris vitae per ipsos exemptos nominandis ad omnia et singula monasteria, domus et loca huiusmodi exempta et non exempta Ordinum quorumcumque, etiam Mendicantium, semel dumtaxat accedentes et habentes prae oculis solum Deum, in singulis monasteriis, domibus et locis praetactis, tam in spiritualibus quam in temporalibus nec non in capitibus et membris huiusmodi, una cum eisdem patribus et de ipsorum aut saltem alterius eorum consensu debitae reformationis officium auctoritate Apostolica impendere et sollicite exercere curetis ac omnia illo fulciatis adminiculo, quo noveritis indigere; et insuper, ut ex huiusmodi reformationis directione salubri fructus proveniant ampliores, tibi monasteria, domus et loca huiusmodi illorumque personas, tam in capitibus quam in membris ac in spiritualibus et temporalibus, visitandi, ut praemittitur, reformandi et, prout expedire cogno-

---

[1] Wadding., l. c. ad an. 1467, n. I, dicit: 24 Maii.

veris, illa ad observantiam reducendi et eam ibidem perpetuo instituendi, ac illos, qui huiusmodi observantiam recusaverint, ab inde expellendi, ac illam conservantibus et manutenentibus Generalibus Ministris, Provincialibus et Vicariis reformatorum submittendi, ac facinorosos, delinquentes et scandalosos de consensu praedicto corrigendi, castigandi, incarcerandi et debitis poenis puniendi, contradictores quoque et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status et gradus Ordinis vel conditionis fuerint, per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, omniaque alia et singula, prout conscientia tibi dictaverit et saluti animarum expedire videris in praemissis, et circa ea faciendi, disponendi, statuendi, ordinandi et exsequendi plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus ac privilegiis Apostolicis, monasteriis, locis, domibus et Ordinibus etiam per nos sub quacumque verborum forma concessis, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis et specifica et expressa mentio habenda foret, hac vice dumtaxat quoad praemissa derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica Sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut per alios quam eorum Superiores visitari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis et litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta tuae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat, quomodolibet impediri, et quoad hoc cuicumque volumus aliquatenus suffragari.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXVII, XIII. kalendas Septembris [1], pontificatus nostri anno tertio.

Haec Bulla fuit per doctores Universitatis Heidelbergensis et Moguntinensis examinata et iudicata priori Bullae, pro concordia editae, sufficienter derogare.

Eodem anno missae sunt sequentes litterae in favorem sororum Tertiariarum in Sulzbach [2] domino plebano et magistro Michaeli, praedicatori dicti oppidi, qui postea factus est monachus in Schwarzau, a venerando patre fratre Paulo Goller, Guardiano conventus Norimbergensis.

Venerabilibus etc. Cum orationum suffragiis affectuosam semper in Domino caritatem. Venerabilitatibus vestris significamus per praesentes, duas sorores apud vos habitantes in oppido, tertium Ordinem sancti Francisci, qui alias *Ordo Poenitentium* seu continentium intitulatur, professas petere a nobis, sibi transmitti eiusdem Ordinis regulae confirmationem; ex quo utique colligimus, eas quorundam gravari molestiis, qui vel ex ignorantia putant, Ordinis ipsarum regulam non esse authenticam, vel spiritu nescimus quo ducti, volentes bene facere nituntur impedire. Quapropter Venerabilitatibus vestris supplicamus humillime, quatenus Dei omnipotentis et sancti Patris nostri Francisci nostrarumque precum intuitu praefati Ordinis personis, apud vos morantibus et moraturis, vos exhibere velitis benevolos et contra

---

[1] 20 Augusti.

[2] Cod. *Sultzpach*, est enim theut. Sulzbach, oppidum Bavariae; et deinde *Schwartzaw* pro *Schwarzau* (in Austria?).

eos molestare volentes eisdem impendere, quantum in vobis est, auxilium et favorem; cuius Ordinis personarum copiosus est numerus in Argentina, Basilea et nobiscum in Norimberga et multis aliis locis, ubi satis honeste tractantur tam a populo quam a clero. Nam ipse Ordo a sancto Patre nostro Francisco pro personarum inter saeculares arctius Deo servire volentium salute institutus est et per Sedem Apostolicam confirmatus, sicut dicit textus in Clementinis[1]: *de Sententia excommunicationis, Cum ex eo*, et Iohannes Andreas in Glossa super verbo *tertio*. Litteras authenticas misissemus de saepe dicti Ordinis regulae confirmatione, sed propter defectum certitudinis nuntiorum omisimus eas mittere, confidentes, praesentes litteras coram vestris sufficere Dignitatibus.

Datum in conventu nostro Norimbergensi, XXVI. Iulii, anno ut supra. Frater Paulus Goller, Guardianus, et seniores ceteri Fratrum conventus etc.

Eodem anno excommunicavit sanctissimus Papa Paulus Georgium, regem Bohemiae, cum omnibus sibi adhaerentibus, et specialiter Gregorium de Haimburg supradictum cum ceteris Wicleffistis, et misit Legatum dominum Rudolphum, Episcopum Lavantinum, contra eosdem haereticos et iussit praedicare crucem; unde Fratres in negotio dictae cruciatae multum occupati fuerunt, propter quod maximas persecutiones passi sunt ab haereticis praedictis.

Frater Antonius Ernst Vicarius Provinciae Argentinensis, electus in capitulo Landishutano.

Anno Domini 1468, dominica *Iubilate*[2], celebratum fuit capitulum provinciale in conventu Landishutano per reverendum patrem fratrem Iohannem Lindner, Vicarium Provincialem; quo ibidem resignante, electus est eius successor reverendus pater frater Antonius Ernst, qui fuerat olim sacerdos in Ordine Iohannitarum, vir magni zeli et devotionis et sincerus amator omnium Fratrum. Hic in tertio anno sui vicariatus, rediens de capitulo generali, obiit in aliena Provincia[3]. In hoc capitulo Landishutano cassata sunt omnia statuta provincialia in retroactis temporibus facta; de balneis tamen ordinatum fuit, sicut prius statutum erat in convocatione Heidelbergensi, praesente Vicario Generali; et quod libri Fratrum decedentium, non procurati in terminis alicuius loci seu conventus, per Vicarium et Definitores distribuerentur locis magis indigentibus; et nonnulla alia ibidem ordinata sunt, quae causa brevitatis omitto, quia communiter habentur in libris conventuum.

Gratiae autem sequentes concessae sunt per reverendum patrem Vicarium Provincialem in eodem capitulo usque ad sequens capitulum, celebrandum in Pforzhemia anno MCCCCLXIX, et non diutius duraturae:

Primo dedit singulis Guardianis singulorum conventuum nostrorum et locorum auctoritatem recipiendi fugientes de saeculo pro clericis ad probationem et professionem, reservans sibi receptionem laicorum; et quod possint iidem Guardiani taliter admissis per conventum vel per maiorem partem impendere absolutionem secundum formam privilegii Bonifacii VIII, quod inseritur in primo capitulo statutorum generalium, per se vel per alium auctoritate ipsius Vicarii.

---

[1] Libr. IV. tit. 10.

[2] Dominica III. post Pascha, quae erat 8 Maii.

[3] Cfr. infra ad an. 1470.

Item, concessit eisdem Guardianis, quod possent absolvere Fratres sibi subditos a casibus, reservatis Vicariis, auctoritate Vicarii et privilegii Apostolici et cum eis eadem auctoritate dispensare, et quando non possunt aliquando vel nollent audire confessiones tales, possent tunc unum alium sacerdotem de suis subditis assumere, qui eis videretur idoneus, qui sacerdos sic assumptus auctoritate Vicarii absolvere et dispensare posset.

Et eandem gratiam concessit Guardianis pro Fratribus aliis, aliquando ad eorum conventus declinantibus undecumque, dummodo forent de Observantia.

Concessit Guardianis, quod possent mittere Fratres suos ad ordines cum consilio Discretorum, alias tamen idoneos in scientia, moribus et aetate, in quo oneravit conscientias eorundem Guardianorum et Discretorum.

Receptionem aliorum Religiosorum reformatorum sive non reformatorum reservavit sibi reverendus pater Vicarius, et similiter Conventualium, ita quod non reciperentur per modum hospitum in conventum quasi ipsum exspectando, sed indilate mitterentur ad suam Provinciam, nisi de eius adventu in proximo speraretur.

Item, concessit, quod Guardiani licentiare possent et mittere Fratres suos ex causis rationabilibus, honeste tamen, sicut decet, associatos, hinc inde intra Provinciam. Extra tamen Provinciam absque speciali licentia eius, nisi in casu inevitabili, ipsos licentiare non deberent, et quod semper exprimerent in litteris suis, sive intra sive extra Provinciam licentiarent, quod de speciali gratia ipsius Vicarii Provincialis eis concessa hoc facerent.

Eodem anno venit Norimbergam quidam Frater Ordinis nostri de Provincia Bohemiae, dictus frater Iacobus de maiori Glogavia [1], Commissarius reverendissimi domini Rudolphi, tunc noviter instituti Episcopi Vratislaviensis et Legati Apostolici, in facto cruciatae contra haereticos in Bohemia. Qui Frater praedicavit ibidem plenariam indulgentiam a Summo Pontifice concessam, pro qua consequenda fecerunt homines multam contributionem pecuniarum; qui audito eodem anno, quod dominus Papa Paulus II. alium Legatum pro eadem causa ad Germaniam destinasset, dominum videlicet Laurentium, Episcopum Ferrariensem, statim praeparavit se et quasi clam versus Tachoviam [2] properavit. Quo comperto, domini civitatis miserunt nuntios post eum et, invento eo in villa *Lerrersteyg*, sedentem in curru interrogaverunt de pecunia, quam volebat ad partes Silesiae vel Bohemiae ad Tachoviam abducere. Unde magnum scandalum Fratribus et suspicionem saecularibus per huiusmodi suum festinum recessum concitavit. Memoratus autem Legatus, dominus Laurentius, Episcopus Ferrariensis, contulit omnibus laborantibus circa cruciatam, tam in praedicando quam confessionibus audiendis, facultatem eligendi confessorem, qui eos plenarie absolvere et plenariam indulgentiam semel in vita et similiter in mortis articulo conferre posset.

Eodem anno ingressus reverendissimus pater Vicarius Generalis, frater Iohannes Philippi, Provinciam et, visitatis aliquot conventibus, contulit se ad Basileam ibique visitando scripsit sequentes litteras ad conventus Rubeacensis Guardianum.

Frater Iohannes Philippi, Vicarius Generalis et servus familiae cismontanae Or-

---

[1] Id est theut. Gros-Glogau, civitas Borussiae in Silesia ad fluvium « Oderam » sita, ubi etiam habetur « Cosla » supra p. 342, nota 1. memorata, et dicitur « Loslau », non vero « Goslar ».

[2] Id est Tachow, vel Tachau, oppidum Bohemiae ad fluvium « Mies » situm.

dinis Minorum, venerabili ac amantissimo patri fratri N., Guardiano in conventu nostro Rubeacensi, praesepe Domini frequenter visitare et exemplo nostri regis ad aspera, humilia et carni molesta fortius animari pro devota recommendatione et salute.

Venerabilis et praecordialissime pater! Remitto vobis laicum vestrum cum isto alio iuvene, quem mitto ad Provinciam Burgundiae ad morandum, eo quod patres huiusmodi Provinciae noluerunt eum recipere; et quia non occurrebat mihi alius socius, quem sibi darem, cogitavi secum mittere quendam simplicem sacerdotem, morantem in sancto Iohanne, qui quidem fuit indutus et novitius in conventu illo, ad quem eos destino. Quare vobis placeat facere, conduci dictum iuvenem laicum usque ad eremitorium sancti Iohannis. Non videtur mihi bonum liberare adhuc illum vagabundum, quem apud vos dimisi inclusum, donec viderim et ordinaverim, quid faciendum sit de eo. Sunt enim plus quam quatuor vel quinque anni, quod non cessavit per mundum evagari non sine quampluribus malis, de quibus in convocatione, quam facere disposuimus, avisabo. Igitur usque tunc non solvatur a domo disciplinae, ut discat ibi se cognoscere et sua instabilitas per coactionem solitudinis vel modicum refellatur. Vigiletis propter Deum super gregem commissum vobis, curam agendo, ut Deus religiose et devote colatur tam publice quam private, regulam, declarationes et statuta ad litteram faciatis observari pro viribus, discantque Fratres plus solito se ipsos abnegare, nec se velle regere, qui se Praelatorum regimini commiserunt. Sancta paupertas, thesaurum in se habens absconditum, melius servetur. A congregatione eleemosynarum pecuniariarum et quarumcumque rerum superfluarum caveatur, proximusque doctrina, sale discretionis condita, ac sacris exemplis ad divinum amorem accendatur, et perfectioni evangelicae innitantur Fratres magis quam solent, quia nullis datur nisi eam requirentibus et avide desiderantibus. Non plus ad praesens, quia, Domino concedente, in hac convocatione, cui vos interesse volo, latius invicem colloquimur. Valete et me Sacris vestris et vestrorum orationibus adiuvate.

Raptim ex Basilea, XXVIII Decembris MCCCCLXVIII.

Anno Domini 1469, secunda die Ianuarii, dedit idem reverendissimus pater Vicarius Generalis ad praedictum Guardianum sequentes litteras:

Zelo divini amoris ac perfectionis evangelicae magis ac magis accendi pro devota recommendatione et salute.

Venerabilis ac amantissime pater! Contristavit me iuvenis huius quem huc misistis adventus, videntem eius instabilitatem importunam. Nihil enim mihi vobiscum existenti dixerat de his, quae modo, ut necessitatem veniendi fingeret, adinvenit, et adhuc optime poterat haec scripto absque veniendo insinuare, sed devotione vacuus et divino amore, volebat omnino venire. Cuius levitatem considerans et vestram desiderans consolationem, eum mutare decrevi, mittens eum ad Vicarium Provincialem, ut collocet eum alibi, et loco eius hunc alium iuvenem, etiam subdiaconum utique bonae indolis, vobis mitto ad morandum vobiscum. Credo enim, quod ipse alius magis vobis oneri esset propter sui capitis duritiam quam consolationi. Illum vero sacerdotem, quem apud vos recluseram, sic teneatis absolutum usque ad convocationis regressum, nisi videretur difficilis et velle a via recta deviare, quo casu volo, quod eum iterato in domo disciplinae reponatis indilate. Si autem velit constanter Domino vobiscum famulari, vel ad obediendum simpliciter Praelatis suis se

disponere et hoc cum effectu ostendere bonae conversationis, misericordiam inveniet et consolabitur nimis, et hoc sibi, si videatur, bono modo potestis intimare. Ceterum etiam pro vestro solatio placet mihi, quod per octo dies vel paulo plures vobiscum maneat iste iuvenis laicus, scilicet usquequo tempus sit eundi quaesitum patrem Praesidentem sancti Iohannis, ut vobiscum veniat ad praetactam convocationem, et tunc faciatis conduci ipsum laicum, ut vadat ad suam obedientiam, et ille conducens eum, reducet dictum patrem Praesidentem ad vos, et tunc ipse Praesidens et vos per hunc Basileensem conventum venietis, ut vobiscum assumatis patrem Guardianum deintus, quia propter Fratrum paucitatem melius est, ut nullos alios adducatis. Quinque enim Fratres modo assumuntur pro reformatione illorum duorum [1], scilicet Moguntinensis et Oppenheimensis; quare bonum erit, vos tres solos illuc convenire. Hodie post prandium vel cras mane, Domino duce, recedere intendo. Valete in Christo, venerabilis pater, et meam exilem personam, socios ac officii huius negotia vestris et vestrorum orationibus supplico fore semper recommissa.

Raptim ex Basilea civitate, die secunda Ianuarii, anno Domini MCCCCLXIX.

Eodem anno, die Conversionis sancti Pauli [2] habita convocatione Heidelbergae, reverendissimus pater frater Iohannes Philippi, Vicarius Generalis, sequentia edidit:

In primis, quod regula, declarationes dominorum Nicolai et Clementis, statuta Barcinone edita, ordinationes caerimoniarum chori et refectorii ac alia, puritatem nostri status concernentia, distincte et intelligibiliter legantur: ipsae declarationes bis in anno per integrum quantum ad ea, quae spectant ad observantiam paupertatis, statuta vero generalia ter in anno; Praelatique de veritate praedictorum teneantur suos subditos informare, ne ignorantia sit eis occasio delinquendi. Servetur quoque statutum «de non sequestrando se», a capitulo generali ordinatum, sub poena in eodem taxata, adiiciendo quod, si qui Praelati scienter consenserint in dictam sequestrationem, omnibus officiis Ordinis habeantur et iudicentur indigni, cum Evangelio et regulae sit conforme non modicumque praestet [3] adminiculum ad custodiam illibatae castitatis.

Quod Prosae [4] aliae ab his, quae sunt de Ordinario, nullatenus cantentur, exceptis Missis votivis beatae Dei Genitricis Mariae, et hoc de licentia Praesidentis.

Item, ad evitandum quoque multas deordinationes Fratres omnes conventuales, redeuntes de terminis, in communitate ceteris abundantius reficiantur; ubi vero causa rationabilis aliter fieri persuaserit, non protrahant moram in mensa seu collationibus plus quam per horam cum dimidia. — Cetera vide in statutis.

Ex eodem conventu scripsit idem reverendissimus pater Vicarius Generalis sequentes litteras ad Discretos et conventum Basileensem:

Professionis factae Deo frequenter reminisci et pro eius observantia realiter laborare et fideliter pro devota recommendatione et salute.

Venerabiles patres ac fratres amantissimi! Norunt Discretiones vestrae, meum et aliorum Praelatorum officium esse corrigere errata, deformata reformare et, ne iterato talia committantur, pro viribus providere. Sane cum, stante puritate nostri status, nulla superfluitas rerum necessariarum tam nostro usui quam cultui divino,

---

[1] Scil. conventuum. — [2] 25 Ianuarii.

[3] Cod. *praestent*. — [4] Prosa idem est ac Sequentia.

curiositas aut nimia pretiositas nobis competere valeat, et, ut talia a nobis amoveantur ac de cetero non fierent seu reciperentur a Fratribus, plura pluries facta fuerint[1], licet ea satis prohibeat regula nostra et declarationes papales, et nihilominus quasi ubique in ista Provincia factum fuerit contrarium, procurando vel recipiendo multa superflua, curiosa ac nimium pretiosa, in magnum periculum eorum, qui talia praesumpserunt: quare patres isti congregati, me praesidente, ordinaverunt, ut dicta omnino reformentur, et[2] nullus de cetero talia facere praesumeret, poenam gravem per me infligi postularunt; quod et feci tam in illos, qui aliqua praedictorum procurare seu recipere attentarent, quam etiam in illos, qui, ne iam recepta reformentur, quomodolibet vellent impedire. Rogo igitur, vestras Circumspectiones, quatenus vos, qui in principali residetis Provinciae conventu, in huiusmodi praebeatis aliis obedientiae et zelositatis exemplum in praefatis, quoad iam habitorum reformationem patri Guardiano vestro, cui hoc negotium per me commissum est, parendo, et eum nullo modo per vos vel alios impediendo et prudentius vos habendo in futuris, nisi, quod absit, velitis incurrere sententias, per me patrum consilio et assensu merito fulminatas. Super periculo librorum particularium sancte providimus, si Fratres nostris remediis sibi salutiferis velint uti. Quos etiam volo singula super his ordinata efficaciter omnes servare et libros suos originales ponere in communi, sicut dicit ille articulus per nos ad hoc confectus, et praecise mando, Breviarium venerabilis patris fratris Petri Meyr poni in communitate et in aliquo loco, per Guardianum ad consolationem communitatis advisendo, ligari cum catena. Assentio tamen, quod pater Guardianus possit dictum patrem Meyr de aliquo alio consolari ratione suae antiquitatis et occupationis in confessionibus audiendis, si sibi committatur illud officium et si ad ipsum relevetur, et idem fiat de patre Leonardo. Nec videantur cuiquam inepta seu mala eadem statuta, quia, licet videantur forsan a sui principio aliquid habere amaritudinis, erunt tamen observantibus ea efficacissima ad salutem. Valete in Christo Iesu et oretis pro me, si placet, ac sociis ac nostrae familiae manutenentia.

Raptim ex conventu Heidelbergensi, die secunda Februarii, anno Domini MCCCCLXIX.

Alia eiusdem.

In Christo sibi carissimo fratri N., Guardiano conventus Basileensis, frater Iohannes Philippi, reverendissimi patris Ministri Generalis Ordinis nostri Minorum super Fratres cismontanarum partium de Observantia nuncupatos Generalis Vicarius, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Cum per plures Summos Pontifices et signanter per dominum Clementem V. in declaratione regulae nostrae nobis sub forma praecepti sit firmiter inhibitum habere paramenta, in quibus apparet superfluitas, nimia pretiositas vel quaecumque curiositas, eo quod talia non possunt nostrae professioni et statui convenire et sapiant thesaurizationem seu copiam, paupertati mendicae quoad iudicium humanum manifeste derogantem, fueritque in nostris generalibus capitulis et praesertim in Salmantino districte mandatum, talia, ubi reperirentur, a nostris conventibus omnino de-

---

[1] Supple: statuta, quod vocabulum excidisse videtur. — Pro *fuerint* habet cod. *fuerunt* et immediate post *liceat* pro *licet*. — [2] Supple: ut.

bere per Visitatores expelli et de cetero nullo modo a Fratribus procurari vel recipi, et tamen haec omnia quasi in nullo ubilibet fuerunt emendata, quinimmo multa curiosa, sumptuosa et superflua hactenus procuraverunt Fratres et non cessant procurare vel recipere oblata, plurimique suae salutis immemores et, Dei timore postposito, Praelatos talia recipere nolentes vel volentes iam recepta de conventibus exstirpare, per se vel interdum per saeculares impedire conati sunt, nec apparet via alia talium Fratrum malitiam impediendi, nisi quod contra tales cum omni rigore et gladio spirituali ad terrorem procedatur; hinc est, quod tibi tenore praesentium mando ad meritum obedientiae salutaris ac sub poena excommunicationis iniungo, quatenus ea, quae sequuntur, eo quod iudicio meo et patrum Discretorum et Praelatorum aliorum huius Provinciae nostro statui minime competunt, infra festum Paschae proxime venturum de conventu tuo expellere non omittas et, Discretis tui conventus tecum assumptis, ea omnia deferas seu deferri facias et dari dominis consulibus praefatae civitatis, super intentione mea, puritate regulae nostrae et obligatione nostra quoad votum paupertatis prius informandis et fideliter ac devote inclinandis, ut ea gratanter et sine scandalo, immo cum aedificatione recipiant ac aliis locis aut personis Deum timentibus, quibus talibus uti licet, prout Dominus inspirabit, distribuere dignentur — haec autem sunt quatuor — 1.° thuribulum argenteum; 2.° duodecim clypeos argenteos, qui vel in cappis et casulis adhuc sunt consuti, vel in sacristia ab eisdem ornamentis separati a sacrista custodiuntur; 3.° unam illarum duarum Ministrantiarum argentearum apud conventum existentium, quam scilicet malueris ex illis duabus; 4.° omnes cappas bonas et malas in conventu existentes, quia cappas uti in observantia regulari non est consuetum, et idcirco volo, omnino omnes irrevocabiliter emitti. Et ne aliquo modo in his sit defectus, ex nunc omnibus Fratribus mihi subditis, cuiuscumque conditionis existant, praesentibus et futuris, usum dictarum quatuor rerum interdico, mandans per sanctam obedientiam patribus Discretis dicti tui conventus, ut tibi in hoc, secundum quod per praesentium tenorem meam intentionem intelligunt, auxilium praestent et favorem efficacem, prohibendo tam ipsis Discretis quam aliis quibuscumque Fratribus mihi subiectis sub poena excommunicationis latae sententiae, ne te in praefatis vel aliquo eorum, scilicet in expulsione praedictarum[1] quatuor rerum et delatione ad consules, nec non perpetua earum carentia quovis modo impedire praesumant. Vale in Christo Iesu etc.

In conventu Heidelbergensi, anno ut supra, die tertia mensis Decembris.

Sentiat[2] aliter, qui velit, unusquisque suo stomacho vivit; ego sentio, cappis temporibus et locis convenientibus ad honorem divinum, etiam in observantia regulari, non solum non illicitum esse uti, verum etiam multum conveniens, ut rudiores in populo, qui Deum et eius celsitudinem solum ex exteriorum intuitu aestimare noverunt, ex maiestate cultus divini magnificentiam et gloriam eius, qui in his colitur, utcumque intelligant eumque timeant, reverenter colant, ament et per pulcritudinem ecclesiastici decoris ad illam invisibilem coelestium pulcritudinem concupiscendam agantur. Quis enim nescit, idcirco Galliarum plebes, Dei pene ignaras, superstitionibus innumeris implicari, Ecclesiam clerumque flocci facere, servire vitiis, quia ec-

---

[1] Cod. *praedictorum*.

[2] Quae sequuntur referunt iudicium auctoris codicis.

clesiae apud eos prorsus incultae, vestes vasaque omnia ad divinum cultum pertinentia adeo vilia, sordida, abiecta sunt, ut nedum horrorem utentibus, sed et intuentibus ingerere possint. Altaria nudata sordibus opplentur, nulla ibidem in picturis Dei Sanctorumque eius memoria, pallae vestesque sacratae lacerae, computrefactae, longus Platonis annus[1] vix libram unam cerae in celebratione Divinorum in multis eorum ecclesiis consumit. Ideoque populus ecclesias fugit, terrenis solum inhaeret, de Deo et futuro saeculo paganiter sentit et aestimat. Inde evenire puto, ut patres illarum partium pro tempore ad Germaniam — ubi cultus divinus celeberrimus ac ideo populus urbanus, catholicus, ecclesias cultissimas et supernae quam desiderare debemus patriae pulcritudinis decorem praetendentes libentissime frequentans,. vestium vasorumque sacratorum nitor maximus est — divertentes, cum talia apud eos insolita in cultum divinae maiestatis a nobis assumpta viderint, nos arguant curiositatis, superfluitatis etc., non satis aestimantes conditiones regionum, quod illa, quibus in cultu divino utimur, satis humilia, satis temperataque sunt respectu illorum, quibus aliae ecclesiae nostrarum partium utuntur, illorumque comparatione nil talium prae se ferunt[2]. Non enim sequitur, quod[3], quia qualibus utimur nos cathedrales apud eos ecclesiae carent, transgressores continuo paupertatis simus, cum utique, quia talibus carent, non paupertatis amor, sed irreligiositas gentis in causa sit, et excessus cuius nos arguunt iudicium comparatione ecclesiarum regionum nostrarum iuxta declarationes Clementinas sit faciendum. Celebrat sacerdos Gallus calice plumbeo, aurum in vino impendit: ego ergo Germanus curiosus sum, qui sacratissimum Christi corpus aureo calice tracto? Absit! Simile in reliquarum rerum usu iudicium dandum puto etc.

Eodem anno reformati sunt conventus Moguntinensis et Oppenheimensis per reverendum dominum Adolphum, Archiepiscopum Moguntinum. Cumque ageretur pro reformatione conventus sororum sanctae Clarae Moguntiae, superveniens frater Iohannes Philippi, Vicarius Generalis, noluit consentire dicens: « Quid nobis cum istis mulieribus? Simus in pace ». Quae res Provinciam postea non parum turbavit, tum propter insidias Conventualium cum dictis sororibus commorantium, tum quia ipsae sorores pecunias Ministro dabant, quibus in Curia contra Observantiam laborabat.

Eodem anno, dominica *Invocabit*[4], visitavit reverendissimus pater Vicarius Generalis, frater Iohannes Philippi, conventum sororum sanctae Clarae Norimbergae et cantavit Missam in choro earum, Evangelium decantante reverendo patre fratre Antonio Ernst, Vicario Provinciali Argentinensi, Epistolam reverendo patre fratre Emerico de Kemel, Vicario Saxoniae, praesentibus venerando patre Iohanne Lindner, olim Vicario Provinciali, tunc Commissario super sorores, et devoto patre fratre Iohanne Windhausen, confessore sororum; et fecerunt quatuor sermones ad sorores in refectorio etc.

Idem reverendissimus pater, visitando conventum Fratrum ibidem, iussit, etiam clypeos de casulis amoveri, dixeruntque saeculares, quorum progenitores illas casulas

---

[1] Annus longus vel magnus, vulgo Platonis dictus, dicitur « qui planetis omnibus ad sua loca creationis reversis, completur; quod fit demum post quingentos et tringinta annos ». Cfr. Du Cange, Glossar., et Plato, in Timaeo. — [2] Cod. *ferant*.

[3] Haec vocula, certo supplenda, abest a cod.

[4] Dominica I. in Quadragesima, quae erat 19 Februarii.

dederant, non parum scandalizati: « Ex quo est contra statum vestrum deferre insignia parentum nostrorum in eorum et nostris casulis, restituite et nobis ipsas casulas, et nos inveniemus, qui eos ad honorem Dei portabunt ». Fuerunt ergo clypei iterum cum casulis consuti.

Deinde, cum reverendissimus pater Vicarius Generalis, Iohannes Philippi, ad conventum Confluentinum [1], Provinciae Coloniae, venisset, recepit litteras Guardiani et Discretorum conventus Basileensis, excusantium se de suprascripto eius mandato ipsis facto. Quibus ita rescripsit:

Venerabilibus patribus ac amantissimis fratribus Guardiano et Discretis conventus nostri Basileensis. Modico fermento propriae voluntatis multam bonorum nostrorum massam nequaquam corrumpere, sed in obsequium Christi sensum secundum dispositionem Praelatorum captivare pro devota recommendatione et salute.

Venerabiles patres ac fratres amantissimi! Anxiatur in me spiritus meus in hos saeculorum fines devenisse, quando scilicet sic refriguit caritas et zelus professionis emissae multorum, ut nec blandis hortationibus nec mandatis apparenter rigorosis ea facere volunt, assumentes pro scuto excusationis in peccatis, ad quae facienda, etiam, non compulsi tenentur ex regula et declaratione papali de necessitate salutis. Causamini siquidem, vos a me fuisse contristatos ex eo, quod vobis a conventu vestro et usu mandavi sub poenis gravibus emitti illa quatuor notabiliter superflua, sumptuosa vel omnino celsitudinem nostrae professionis dedecentia, negative omnino mihi respondentes et dicentes, quod ea, quae vobis mando, nulla via facere valetis.

Haec enim sunt verba vestra, quae cogitasse minime debuissetis et minus protulisse ac minime complevisse, sed potius humiliter obedire debebatis indubitanter sperando, quod obedientiae sanctae meritum et paupertatis excelsa virtus apud Deum meruissent, nullum inde potuisse generari scandalum, quin potius multae aedificationis exemplum. Mirati etiam fuistis de tam terribilis sententiae ac poenarum adiectione, habentes pro inconvenienti et insolito, tale fulgur ab ore nostro descendisse; ad quod certe, carissimi, respondeo, vos potius debuisse mirari, tam diu non vos obedivisse regulae et declarationibus, omnium talium superfluitatum resecationem stricte mandantibus, et nihil hactenus fecistis. Et si respondetis multa fecisse, dico, quod non sufficit, nisi et ista similiter feceritis, quae ad oculum luce clarius patent esse nobis impertinentia. Et infra. Et haec una est de causis, quare timeo reformationes istorum magnorum conventuum, quia semper cum eis accipimus multas malas consuetudines et occasiones relaxationum.

Postremo, carissimi patres, vos nolens dimittere desolatos, sed potius, quantum possum, secundum Deum consolari, et nihilominus videns, non esse de hac obedientia contentos, a praetactorum patrum consilio quoad aliquid recedens, sententias memoratas mitigo in modum, qui sequitur, videlicet ut quoad tria prima in dicta sententia contenta teneat, scilicet mandans vobis sub poenis inobedientiae et sententia excommunicationis latae sententiae, quatenus thuribulum argenteum, duodecim clypeos argenteos et alteram duarum Monstrantiarum argentearum, quas habetis, infra festum Pentecostes proxime venturum dari alicubi faciatis vel ad minus distrahi,

---

[1] Confluentia est theut. Coblenz, civitas Borussiae, sita ad confluentes fluvios Rhenum et Mosellam. — De hoc conventu cfr. Wadding., l. c. ad an. 1331, n. XXII.

auctoritate mihi super hoc a Summo Pontifice specialiter data, assentiens, vestris supplicationibus inductus, ita tamen, quod omnino infra praedictum festum dicta tria sint a potestate Fratrum, sicut intenditis me velle irrevocabiliter et sine fraude, aliena. De cappis vero, attentis pluribus allegationibus, tam litteris quam relatibus baiulorum pensatis, assentio, quod tres de melioribus retineatis pro processionibus Corporis Christi et Rogationum, alias autem volo vos alibi dispergere vel inde ornamenta reparare seu fieri facere. Et haec dispensatio vel distractio seu in alia ornamenta mutatio fiant secundum iudicium Guardiani et Discretorum conventus, quorum super hoc conscientias volo facere oneratas, obsecrans et in Domino exhortans vestras Probitates satagere habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, scientes, impossibile esse placere hominibus et Deo, cogitantes nihilominus, me nihil ex his nisi tribulationem et angustias habere, sed oportere, mala me semina divellere, nisi cum malis, quod absit, velim finaliter perire. Orationum igitur vestrarum ad haec sufferenda suffragium benigne requiro. Valete in Domino Iesu etc.

Eodem anno Domini MCCCCLXIX in festo sancti Laurentii [1] celebratum fuit capitulum provinciale in conventu Pforzhemensi per reverendum patrem fratrem Antonium Ernst, Vicarium Provincialem; in quo inter cetera fuit ordinatum:

Quod nullus Guardianorum, aut aliquis alius de Fratribus de cetero praesumat aliquam novitatem aut singularitatem, hactenus in nostra Provincia non consuetam, introducere quovis modo absque scitu et assensu capituli provincialis, sed uniformitas ab omnibus servetur secundum ordinationem capituli generalis Mechliniensis, et voluit capitulum, quod conventus, qui calopedia [2] assumpserant, deponerent et nullatenus reassumerent; decrevit insuper, quod fratres laici uniformiter tondantur, et nullus de cetero capillos nutriat.

Item declaravit, quod nullus Viceguardianorum habeat aliquid immutare aut ordinare in absentia Guardiani absque licentia et consensu sui Guardiani, sed simpliciter exerceat officium suum ut Vicarius Guardiani.

Intelligant magistri novitiorum et iuvenum professorum, quod, quamvis instituti sint auctoritate capituli, si suis abutuntur officiis, quod absit, nihilominus debeat et possit Guardianus eorum abusum emendare et corrigere.

Quod caveant Fratres omnes conventuum et locorum inire pacta cum curatis absque consensu capituli, aut Vicarii Provincialis.

Ipso anno in Octava sancti Laurentii [3] extorsit Minister et Fratres Conventuales Provinciae nostrae Argentinensis a domino Papa Paulo II. Breve, quod sequitur:

Dilecto filio N., Vicario Ordinis Minorum de Observantia in Provincia Argentinensi, Paulus Papa II. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad conservandum inter dilectos filios Ordinis Minorum, Fratres Conventuales et de Observantia nuncupatos, perpetuam concordiam [4] de communi eorum consensu Bullam ordinamus, qua universis de Observantia Fratribus inhibetur sub gravissimis poenis et censuris, ne conventus, loca aut monasteria quaecumque Generali et Provincialibus Ministris praefati Ordinis commissa acciperent, sed nec oblata acceptare prae-

---

[1] 10 Augusti.

[2] Vel calopodia, id est calceamenta lignea.

[3] Id est 17 Augusti.

[4] Cod. vitiose *perpetua concordia*.

sumerent, et econtra fugientes de Observantia ad eos similiter repellerent, prout in illa plenius continetur. Nuperrime vero ex querelis dilecti filii Ministri et Fratrum Provinciae Argentinae intelleximus, Fratres eiusdem Provinciae, tuae curae commissos de Observantia nuncupatos, ad requisitionem venerabilis fratris Archiepiscopi Moguntini, cui facultatem religiosa loca in sua dioecesi reformandi concesseramus, accepisse conventum Moguntinum et Oppenheimensem, quasi litterarum nostrarum ac ipsius concordiae immemores effectos. Quibus ex rebus tibi significandum duximus, nostrae fuisse et esse intentionis, ut loca ipsa, licet reformari deberent, non tamen ab obedientia Generalis et Provincialis Ministrorum auferri, neque ex concessione, facta praefato Archiepiscopo, derogari volumus Bullae nostrae pro concordia editae, fitque ob id, ne cum bona conscientia Fratres ipsi de Observantia nuncupati admittere possint[1] praefatos conventus. Volumus tamen, reformationem per praefatum Archiepiscopum et Fratrum translationem in ipsis conventibus factam servari debere, dummodo iuxta seriem Bullae nostrae praedictae Fratres ipsi inibi commorantes obediant Generali et Provinciali Ministris in ipsa Provincia Argentinensi. Ceterum dilectus filius Generalis dicti Ordinis, qui ad eas partes brevi profecturus est, reformabit reformanda et corriget corrigenda. Nec dubitamus, quod sua et tua prudentia ita in his providebitur, quod ulterius querelae ad nos non perferantur, sed de cetero bona et mutua concordia inter vos, quemadmodum speramus, conservabitur.

Datum apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris, die XVIII. Augusti, anno MCCCCLXIX, pontificatus nostri anno quinto.

Eodem tempore, cum reverendissimus pater frater Franciscus de Savona, Generalis Minister totius Ordinis Minorum, se ad iter praepararet, iturus et visitaturus Provinciam Argentinensem, et[2] esset in procinctu itineris, supervenerunt nuntii Papae Pauli, mandantes, ut immediate ad eius Sanctitatem rediret et susciperet dignitatem cardinalatus tituli sancti Petri ad Vincula. Qui statim, congregato generali capitulo Venetiis[3], resignavit officio, et loco eius electus est in Generalem Ministrum totius Ordinis Minorum reverendus pater frater Zanetus[4] de Utino, artium ac sacrae theologiae magister, et ipse fuit XXXVII. Minister post beatum Franciscum et praefuit Ordini usque ad sextum annum.

Frater Zanetus de Utino, artium ac theologiae magister, XXXVII. Generalis Minister Ordinis Minorum post S. Franciscum.

Fama autem diffusa, quod Generalis Minister ad Provinciam foret venturus, timens reverendus pater Antonius Ernst, Vicarius Provincialis, ne forte vim aliquam Observantiae illaturus veniret, ad talibus obviandum via iuris constitutus Basileae, die XIII. mensis Novembris, coram notario publico et testibus appellavit; cuius appellationis tenor sequitur:

Coram vobis, domino notario et testibus vobis assistentibus, ego frater Antonius Ernst, Vicarius Provincialis Provinciae Argentinensis, Fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia nominibus dico et propono, quod, cum pridem, nondum decem diebus elapsis, pro parte sanctissimi domini nostri Papae Pauli II. mihi

---

1 Cod. *poterint.*

2 Hanc voculam, quae a cod. abest, tenore textus postulante, adiecimus.

3 Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1468, n. XIII. et 1469, n. I. seq., et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 193 et tom. III. p. 119.

4 Seu Zanettus vel Iohannes.

praesentatum fuerit Sanctitatis suae Breve, sub annulo piscatoris emanatum certi tenoris, receptionem conventuum Fratrum Minorum Moguntinensis et Oppenheimensis nuper in vim mandatorum Apostolicorum etiam poenalium factam respicientis, cuius occasione verisimiliter in futurum qualecumque gravamen dictae receptioni et manutentioni eorundem emergere posset, ad quod praecavendum et legitime obviandum non immerito onus mihi et dictis Fratribus incumbit, eo praesertim, quod ex tenore dicti Brevis et, prioribus concessionibus dicti sanctissimi domini nostri Papae sibi invicem obviare cognitis, resultet gravis suspicio, ipsum Breve ab ipso domino nostro Papa verisimiliter, suppressa veritate et suggesta falsitate, extortum fuisse. Quare in omnem futurum eventum nomine, quo supra, protestor de imminente gravamine et appello et casu, quo qualiscumque attentatio cuiuscumque molestiae vel gravaminis mihi et meis Fratribus praedictis fiendae fiat, ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc ab huiusmodi gravaminibus et ab omnibus inde secuturis ab eodem sanctissimo domino nostro Papa Paulo tamquam minus bene et insufficienter informato ad eundem plenius et melius informandum omni via, iure, modo, forma et causa, quibus melius et efficacius de iure possum, humiliter et reverentialiter supplico et appello, me et dictos Fratres meos de Observantia et quoslibet nobis faventes et adhaerere volentes protectioni et defensioni suae Sanctitatis et sanctae Sedis Apostolicae subiicientes, petens a vobis, domino notario, vel si quis alius sit, qui dare velit et possit, primo, secundo et tertio, instanter, instantius et instantissime, mihi dari apostolos [1] seu litteras testimoniales, protestantes nihilominus de prosequendo, corrigendo, addendo et minuendo, prout moris est et styli, requirens mihi a vobis super his omnibus unum vel plura publicum seu publica confici instrumentum vel instrumenta etc.

Eodem anno et mense obtinuit reverendus pater frater Iohannes de Lare, Commissarius in Romana Curia, per medium reverendi patris fratris Gabrielis de Verona, cuius superius [2] mentio facta est, a sanctissimo Papa Paulo gratias sequentes pro familia nostra citramontana; videlicet quod Praelati et confessores, per eosdem Praelatos deputati et deputandi, omnes et singulos Fratres, professos et novitios, cum proposito profitendi, similique modo, quantum eas tanget, omnes sorores sanctae Clarae sub familia eadem, ab omnibus et singulis suis peccatis, criminibus, excessibus et delictis etiam quantumcumque enormibus et a quacumque simonia, in Curia vel alias ubicumque ante vel post ingressum Religionis commissa, et a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, Apostolica vel Sedis Apostolicae Legatorum vel delegatorum ordinaria seu quavis alia auctoritate, etiam per syndonales aut provinciales vel generalium conciliorum Constitutiones aut quascumque Extravagantes, vel iuxta regularia Ordinis instituta promulgatas in genere vel in specie, si ante vel post in-

---

[1] Apostoli erant dimissoriae litterae, quas Episcopus laico vel clerico, in alienam dioecesim transituro, dabat; laico quidem, ut ibi ordinaretur, clerico vero, ut vel ordinaretur, vel ordinatus sacrificaret, vel in alienae Ecclesiae catalogum referretur. Dabantur etiam « apostoli » ab officialibus et ecclesiasticis iudicibus (testandae appellationis gratia), quoties Romam ad Summum Pontificem provocabatur. Dicti apostoli etiam postulati sunt, quando appellatio fiebat a Papa ad concilium generale. Cfr. supra pag. 363, et Du Cange, Glossar.

[2] Pag. 392, nota 2.

gressum Religionis incurrerint, et si talia sint, propter quae Sedes Apostolica expresse et specialiter esset merito consulenda, semel tantum absolvere, nec non cum singulis supradictis in quibuscumque irregularitatibus et inhabilitatibus quovis modo contractis, bigamiae, homicidii voluntarii, voluntariae mutilationis membri casibus dumtaxat exceptis, semel similiter dispensare etc., et in mortis vero articulo plenarie absolvere auctoritate Apostolica possent, ita quod quilibet sacerdos pro sua Beatitudine per unum annum integrum quolibet mense semel unam Missam cum collecta: *Deus omnium fidelium pastor*, et quilibet clericus semel septem Psalmos poenitentiales cum litaniis, ac quilibet frater laicus centum *Pater noster* cum totidem *Ave Maria* dicant. Eosdemque Psalmos clericae, ac *Pater noster* cum *Ave Maria* sorores laicae persolvant, imposita eis poenitentia salutari.

Frater Marcus de Bononia Vicarius Generalis ultramontanus de Observantia.

Eodem anno MCCCCLXIX patres de Observantia ultramontani, congregati in capitulo generali Vulsinii [1], post excessum reverendissimi patris fratris Baptistae de Levanto elegerunt in Vicarium Generalem reverendum patrem fratrem Marcum de Bononia pro secunda vice.

Iisdem temporibus profecturus ad capitulum generale, reverendus pater frater Antonius Ernst, Vicarius Provincialis, misit sequentes litteras de conventu Basileensi ad omnes conventus Provinciae, instituto Commissario Generali per Provinciam venerando patre fratre Nicolao Caroli.

In Christo sibi carissimis etc. frater Antonius Ernst, reverendi patris Ministri etc. Vicarius.

Si, patres venerandi et fratres praedilecti, ad recordationem animum reflexerimus, patebit utique liquido, quanto beneficio quantaque benignitate altissimus dominus et Protector noster in retroactis temporibus sacram nostram familiam prosecutus sit, sanctissimi scilicet et felicis recordationis domini Eugenii Papae IV. pium cor dignative emolliendo, quatenus pias aures suas piissimis petentium votis atque desideriis praeberet, praebendo exaudiret, exaudiendo piis favoribus prosequeretur. Litteris enim suis favore multo refertis nos a communium Praelatorum Ordinis regimine quoad aliqua, etsi non ad omnia, absolvens, Praelatos nobis viam veritatis ambulantes tamquam veros et indubitatos Ministros, de quibus regula ipsa proloquitur, praefecit in eum praecipue finem, ut Domino nostro Iesu Christo sub eorundem salubri regimine vota, quae labiis nostris ipsi devovimus, cunctis impedimentorum diverticulis semotis, liberius servaremus mereremurque [2] finaliter contemplari eum, qui tota universorum merces est beatificandorum, cuius etiam magnifici beneficii, quoad vixerimus, reminisci revera debemus. Enimvero quia omnium malorum sator, diabolus, cui recte viventium vita plurimum esse odiosa comprobatur, Deo famulantium tranquillam pacem aequanimiter ferre non potest, aemulos eis suscitare non cessat, ut videlicet lites moveant inveniantque media, quibus benevoli et devoti inquietati, a coepto resiliant proposito et eorum, qui id efficiunt, iniquis moribus se obtemperando coniungant. Qui iniquitatis amator Fratrumque invidiosus accusator

---

[1] Cod. habet *Bulsenii*, pro quo Wadding., l. c. ad an. 1469, n. I. seqq. exhibet *in insula Bisentina lacus Vulsini* (lacus Vulsiniensis, italice Lago di Bolsena, in statu Pontificio situs). — Cfr. supra pag. 376, nota 1.

[2] Cod. *meremurque*.

inquietudinem satis praegnantem aguineo[1] suo machinamento nobis suscitavit nostrosque impulit adversarios, Fratres scilicet Conventuales, ut a sanctissimo domino nostro moderno nonnulla impetrarent suffragia, quibus pacem nostram plurimum perturbare possent. Breve enim quoddam, quod sub annulo piscatoris nuper mihi exstitit porrectum, extorserunt, in quo ipse Apostolicus fertur intentionis suae fuisse et esse, ut, licet conventus per dioecesim Moguntinensem consistentes mediante Bulla, eiusdem dioecesis Archiepiscopo data, reformarentur, ab obedientia tamen Ministrorum, et Generalis et Provincialis, non deberent auferri, nec etiam Bullae priori pro concordia editae derogare in aliquo voluerit. Ignorans autem, quid de facto sit, hoc unum scio, quod Bulla ipsa, praenominato Archiepiscopo porrecta, iudicata est per doctores Universitatis Heidelbergensis nec non et per certos iam dicto gradu praeditos civitatis Moguntinensis sufficienter praedictae Bullae derogare; quae quidem sic facta discussio patrocinium nobis non parvum pro victoria obtinenda, Deo volente, ministrabit.

Continet quoque Breve praefatum, quomodo reverendissimus pater noster Generalis Minister ad Provinciam nostram ad reformandum reformanda et corrigendum corrigenda sit venturus, timeaturque verisimiliter, ut aliquam vim nobis in nostri iacturam facere intendat. Ea de re, ut sciatis, qua solemnitate quove honore ipsum reverendissimum Patrem suscipere, in quibus etiam obedire et subiicere vos eidem debeatis, volui hoc praesens scriptum, consilio venerabilium patrum Discretorum conventus Basileensis confectum, ad vos transmittere, ne subito aemulorum machinatione praeventi, in aliquod forsan impingeretis factum, de quo forsitan postea poenitere oporteret.

In eo ergo casu, quo dictum reverendissimum Patrem ad aliquem conventuum nostrorum applicare contingeret, volo, ut, audito Paternitatis eius adventu, processionaliter eidem, cruce in acie Fratrum praecedente, occurrentes cum antiphona: *Salve, sancte Pater* etc., ne de grossitie arguamur, suscipere eundem debeatis; et ceteris Fratribus processionem ipsam ad chorum usque prosequentibus, sex de patribus senioribus omnimoda cum reverentia tamquam sui Ordinis caput suscipere debent. Cantata autem antiphona, verso et collecta de beato Patre nostro Francisco recitatis, ducatur ad locum aliquem suae dignitati competentem et, exhibitis celebratisque erga eum caritativis obsequiis, cibaria aliaque necessaria sibi, secundum quod tanti Patris postulat exigentia, ministrentur.

Deinde, si visitare voluerit et in limitibus Eugenianae fixus perstare, quae eidem indulget, ut per se dumtaxat personaliter Generalem Vicarium et Provinciales aliosque Fratres, nec non et domum, locum, eremitorium visitare et criminosos, si quos repererit in eodem loco et non extra, de consilio Discretorum locorum visitatorum punire possit, debetis vos humiliter submittere, visitantes, quae visitanda veniunt, et reticentes, quae rite visitata et emendata per prius fuerunt. Si vero dictae Eugenianae limites vellet excedere auctoritatemque suam latius, quam in eadem continetur, extendere, petatur humiliter, ut suam in scriptis ulteriorem ostendat auctoritatem, qua mediante limites sibi praefixos velit superexcedere. Ea vero exhibita et diligenter examinata, mature deliberetis, quid faciendum veniat. Nempe si ampliorem auctoritatem

---

[1] Id est idem ac ingenioso, astuto, et deducitur a voce *aguina,* quod est idem ac *ingenium* (ingenia) i. e. machina bellica, ingenio et arte inventa et constructa. Cfr. Du Cange, Gloss.

et saepe dictae Eugenianae derogantem habere repertus fuerit, ut puta quod conventus, Fratres, libros aliaque mobilia recipere officialesque deponere, mutare et alterare possit, a gravamine ad melius informandum ipsum Sanctissimum coram notario publico et testibus, vel si periculum in mora sit, coram vobis ipsis appellare debetis, ita quod quilibet Guardianus cum suis Discretis ex parte sui conventus de gravamine appellet dicens: « Appello a gravamine ad melius informandum sanctissimum Dominum et appellationi satisfacere intendimus et volumus in termino iuris » etc. Haec autem appellatio fiat nomine meo et etiam totius Provinciae. Ea vero facta, ad venerabilem patrem fratrem Nicolaum Caroli, meum Generalem per Provinciam Commissarium (Rhenenses), ad etc. Iohannem Lindner meum per Bavariam Commissarium (Bavari), vos pro ulteriori informatione referre debetis. Volo quoque, ut nullus nisi sub duobus aut tribus fideiussoribus sibi extra librariam in casu, quo peteret, concedatur liber, nec etiam propinetur, quia nullum restituunt, sed in suis peris cunctos abducunt.

Insuper, si essent qui dicerent, nos non subesse Ministris iuxta regulae nostrae tenorem et idcirco cum salute animae sub Vicariis, quemadmodum adversarii nostri garriunt, non posse consistere, sciant, qui tales sunt, iuxta decretum domini Pii Papae quondam II. incipiens: *Circa regularis* [1] etc., Vicarios nostros, et Generales et Provinciales, veros et indubitatos nostros Ministros, et tales, quos beatus Pater Franciscus in regula intendebat, et idcirco non oportet garrulationes adversariorum advertere, quia Summi Pontificis est vocabula alterare etc.

Demum, licet plura de pluribus hinc inde conventibus ad me pervenerint stulta verba, levium utique cordium indicativa, quibus Fratres asseverant ad obedientiam Ministri, cum venerit, se velle transferre; tamen, quia arbitror, non seriose, sed vel ex passione vel ex levitate ea fuisse in medium fulminata; ideo in meliorem partem ea assumens, hortor universos et singulos in sinceritate, diligentia et efficacia, quibus possum et valeo, ut votorum vestrorum, quae Domino spopondistis, memores, Goliath istum superbissimum, malignum scilicet spiritum, fortiter impugnetis reponatisque in vestrae memoriae peram lapides quinque, quibus eum debellare possitis, comminationis scilicet, promissionis, dilectionis, imitationis et orationis, ut scilicet cogitetis, quid rebellibus hominibus in sacrae Scripturae canone a Deo comminatum, quid in eodem sibi famulantibus promissum sit, quae etiam nobis, pro salute nostra nascendo, moriendo et redimendo, contulerit, quid etiam pro salute adipiscenda aeterna Sancti Dei perpessi fuerint.

Ad quem quidem taliter impugnandum necessaria erit et funda longaminitas: *Qui enim perseveraverit in finem, hic salvus erit* [2]. Non minus necessaria erit oratio, quam, rogo, frequentare velitis, ut Dominus et Salvator noster tribulationem nostram attendens, quam nostris demeritis haud dubium promeruimus, omne quod diabolicae ac humanae fraudes contra nos moliuntur, procul a nobis repellat, ut, opere peccati post tergum relicto, proficere in optimis possimus, quatenus profectus nostri exemplo et fideles ad Dominum Iesum alliciantur et nos, finito huius temporis optato decursu, in aeterna tabernacula cum Christo semper regnaturi, recipi dignanter me-

---

[1] Cfr. supra pag. 399, et De Gubernatis, l. c. tom. II. p. 121.

[2] Matth. 10, 22.

reamur. Valete feliciter et haec scripta diligenter legendo discutite, nihilominus Deum pro me et sociis exorantes.

Datum in conventu praefato, ipso die S. Thomae Apostoli [1] etc.

Anno Domini 1470, in mense Ianuario, recepit venerabilis pater Nicolaus Caroli sub sigillo authentico gratias suprascriptas [2], impetratas per venerabilem patrem fratrem Iohannem de Lare, Commissarium Romanae Curiae, per medium venerandi patris fratris Gabrielis de Verona, acceptissimi in conspectu Pontificis Pauli, ab eodem Papa Paulo pro familia nostra et divulgavit eas Fratribus et sororibus etc.

Reverendissimus pater dominus Franciscus de Savona, Cardinalis sancti Petri ad Vincula, olim Generalis Minister Minorum, scripsit ad Paulum Pontificem libros « de Potentia Dei » et « de Sanguine Christi » ita egregie et profunde, ut merito inter doctissimos theologos praecipuus fuisse probetur [3].

Frater Franciscus Blonde Vicarius Generalis citramontanus de Observantia, electus Palentiolae.

Eodem anno, die Pentecostes [4], celebratum fuit capitulum nostrum generale citramontanum in conventu Palentiolae, Provinciae Castellae, per reverendissimum patrem fratrem Iohannem Philippi, Vicarium Generalem; quo ibidem resignante officium, electus est reverendus pater frater Franciscus Blonde, Vicarius Provinciae Franciae, in Vicarium Generalem.

In hoc capitulo inter cetera fuit declaratum, quod quoad electionem Vicariorum Provincialium ac praesentationem et confirmationem singulis annis fiendam servet unaquaeque Provincia suam consuetudinem, donec per Sedem Apostolicam aliter provisum exstiterit et per generale capitulum fuerit promulgatum; et quod semper fiat de aliis electio in fine triennii, auferrenturque de Constitutionibus Barcinonensibus illae duae [5] dictiones, scilicet *de eis vel.*

Item, quod secundum regulam et expositores eiusdem nomine pecuniae intelligitur omnis res, quae procuratur vel recipitur, non ut Fratres ea utantur immediate, sed eo animo, ut commutetur in alia, vendatur vel distrahatur.

Ex eodem capitulo misit reverendissimus pater frater Iohannes Philippi sequentes litteras ad nostram Provinciam Argentinensem:

Venerando patri Vicario Provinciali ceterisque patribus Guardianis et Discretis Provinciae Argentinensis in proximo capitulo congregandis coniunctim. Ad virtutis apicem oculos attollere et perfectionis semitam iuxta professionis nostrae formam infatigabiliter amplecti devota pro recommendatione et salute.

Venerandi patres fratresque peramandi! Habita cum patribus nostrae venerabilis Congregationis collatione et informatione capta super his, de quibus dictos patres avisare curavistis, mihi videre videor, quod non omnes pariformiter salubres quasdam exhortationes et super erratis, quae visitando comperi, correctiones meas, quas, ne facile e corde laberentur, chartae tradidi, in bono accipere ac aequo animo tolerare possitis. Qua de re, boni patres, ne omnino in sensu meo abun-

---

[1] 21 Decembris.

[2] Supra pag. 444.

[3] Cod. *probatur*.

[4] 10 Iunii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1470, n. XII, et De Gubernatis, l. c. tom. III. pag. 120.

[5] « Memoriale Ordinis », quod etiam alias ordinationes continet, habet *tres* pro *duae*.

dare videar, et, ne inde venenum mortis hauriatur, unde salutis remedium trahi debuerat, more pii medici, infirmo non sanae mentis condescendere consueti, vobiscum actitare decrevi. Sane iam ex nunc relaxo et pro relaxatis habeo ex certa scientia, si quae sint censurae, quibus illaqueari videremini, contra vos fulminatae, nec oportebit, quempiam de vestris deinceps pro huiusmodi anxiari aut sollicitum esse. Ceterum de aliis, si quas feci pias exhortationes super his, quae puritatem status nostri concernunt, ad eius zelum et studium quembibet vestrum animando, Deo teste, bonum saltem desiderium habui. Haec advertere placeat, quod in nullo, sive magno sive exiguo, vos ad aliquod peccati vinculum obligare, sicut nec intendebam, sic nec intendo, ultra quam per illam sublimem vestram professionem vos constat obligatos, scituri nihilominus, quod universa, quae caritati vestrae in scriptis reliqui, tamquam vera et doctorum scriptis consona sustineo et contra quoscumque aliter sentientes, si opus fuerit, defendere intendo. Verum vos videritis, ne forte quidam sint inter vos, qui [1] amplius ad laxationes quam ad sanctum et pium fervorem et sacri Ordinis nostri rigorem declinantes, pusillos scandalizent, regularis observantiae statum destruant et evertant, ac per hoc divinae maiestatis oculos non mediocriter offendant, cui vos omnes et singulos viscerosius recommendo. Valete semper atque feliciter.

Ex conventu nostro Palentiolae [2] etc.

Iohannes Philippi, Vicarius Generalis.

Et eodem anno, ultima die Iulii, obiit in Provincia sancti Bonaventurae reverendus pater frater Antonius Ernst, Vicarius Provinciae nostrae Argentinensis, cum de capitulo generali reverteretur, et sepultus est ibidem. Et eodem anno visitavit reverendus pater frater Iohannes Lindner, Commissarius super sorores sanctae Clarae, easdem sorores; qui obiit etiam eodem anno in die sancti Ambrosii [3] in Brixinio et ibi est sepultus.

Anno Domini 1471, XVI. kalendas Aprilis [4], obiit venerandus pater frater Albertus Puchelpach [5], ante et post reformationem conventus Norimbergensis longo tempore ibidem Guardianus, qui pro reformatione eiusdem conventus singulariter laboravit, librariam aedificavit et magnam partem librorum scribi procuravit, et conventus [6]: Ambergensem, iuxta Novam Civitatem in ripa fluvii « Aisch » et in monte prope « Meng » sua diligentia providit, monasterium sanctae Clarae in Brixinio mandato Calixti Papae III. reformavit, sorores de Norimberga illuc advexit. In Egra ambos conventus Fratrum et sororum in observantia regulari stabilivit, missis illuc sororibus de Norimberga, et multa bona conventui Bambergensi in reformatione exhibuit et promotor bonorum fuit.

Eodem anno visitavit reverendissimus pater frater Franciscus Blonde, Vicarius Generalis, Provinciam nostram Argentinensem, comitante eum venerabili fratre Io-

---

[1] Haec vocula desideratur in cod. — [2] Ita hic et supra cod., Wadd. et De Gubernatis, sed rectius scribitur: *Palentiae;* est enim Palentia civitas Hispaniae in provincia Castellae. — [3] Die 7 Decembris. — [4] 17 Martii. — [5] Cod. habet hic *Puhelbach* (Buchelbach).

[6] Scil. tres: Ambergensem, Rietfeldensem seu Riedfeldensem (Riedfelden cfr. infra 1478) iuxta Novam Civitatem, id est theut. Neustadt, oppidum Bavariae ad fluvium « Aisch » (cod. *Asch)* situm, et illum, qui in monte prope Meng (apud oppidum « Freystadt » in Palatinatu Superiore i. e. « Oberpfalz ») erat situs, et Mengenbergensis (Mengenberg) dictus.

hanne Stoltz. Qua visitatione completa, celebrato capitulo provinciali in conventu Rubeacensi, vacante vicariatu per mortem reverendi patris fratris Antonii Ernst, praesedit cum venerabili patre fratre Nicolao Caroli, Generali Commissario Provinciae, ubi fuit electus Vicarius Provinciae nostrae Argentinensis reverendus pater frater Iohannes de Lare, qui fuerat Commissarius Generalis in Curia, et electus Guardianus Basileensis. Quo electo, scripsit reverendissimus pater Vicarius Generalis conventui Basileensi, ut alium in Guardianum sibi eligerent.

Frater Iohannes de Lare Vicarius Provinciae Argentinensis, electus Rubeaci in capitulo 2.ª vice.

Frater Franciscus Blonde, Vicarius Generalis etc. Ad perfectiora supernae caritatis incrementa iugiter anhelare pro affectuosissima recommendatione.

Noveritis, dilectissimi patres et fratres, hodierna die in conventu Rubeacensi omnes Provinciae patres capitulariter convenisse et in ipsius capituli principio, prout moris ac iuris est, ad electionem Vicarii Provincialis processisse, in qua, Spiritus sancti gratia cooperante, in primo scrutinio in unum concordaverunt, quem pro vestro Guardiano, me praesente, elegistis, videlicet venerandum patrem Iohannem de Lare. Eapropter, quam citius poteritis, ad alterius electionem procedatis, ut ante conclusionem capituli patribus adhuc congregatis vestram electionem praesentari faciatis. Rogoque vos omnes et exhortor in Domino, ut ad eandem electionem cum humillima et affectuosissima Spiritus sancti invocatione et mearum recordatione exhortationum, quas alias feci vobis, accedatis, privatas affectiones et colligationes omni modo declinantes, ut omnium vestrum una sit intentio unum eligere providum, maturum, in se et in aliis zelosum, observantiae regularis avidum promotorem et discretum, de cuius exemplaritate atque regimine tota valeat Provincia gaudere et Fratres sibi subditi viriliter in observantia sui status proficere. Divinae directioni hoc in actu et ceteris vestrae salutis augmentum concernentibus affectuosissime vos omnes committo vestrisque devotis orationibus me recommendo.

Ex conventu nostro Rubeacensi, incepto provinciali capitulo, die quarta Maii, anno ut supra.

In eodem capitulo hortatus est reverendissimus pater Vicarius Generalis cum capitulo universo per aspersionem sanguinis Iesu Christi, obsecrans viscerosius, quatenus tam Praelati quam subditi efficaciter studeant corde magno sanctissimae et evangelicae regulae nostrae tam litteraliter quam spiritualiter veri et seduli aemulatores et observatores existere, avisamenta etiam Praelatorum, ut veros obedientiae filios condecet, cum reverentia et devotione complecti nec non pro viribus opere adimplere, propter timoratas tamen conscientias et alleviationem cordium afflictorum censurarum quarumlibet quoad omnia retroacta fulminationibus resecatis.

Item, quia ignorantia, omnium mater et nutrix errorum, in simplicibus Fratribus in futurum ingentia posset generare pericula, inserere perplexitatum insolubiles nexus, scandala indelebilia seminare, et propter inscitiae tenebras nec[1] evadendi via nec remedium emendandi patesceret; ad praecludendum talibus periculis aditum, exsequendum quoque statutum, quod in generalibus Constitutionibus capitulo quarto, § *Item statuimus*, habetur, ordinavit idem reverendissimus Pater cum capitulo tres conventus, videlicet Basileensem, Heidelbergensem et Ingolstadiensem pro studio theo-

---

[1] Haec vocula, certo supplenda, abest a codice.

logiae, et tres, scilicet Moguntinensem, Bambergensem et Heilbrunnensem pro studio artium, et voluit, ut[1] iuvenes apti ad studium illuc mitterentur.

Item, discussum fuit et inventum, artes impressoriam librorum et quintae essentiae et alchimiae, seu potius practicam earundem esse contra puritatem regulae nostrae sanctae et omnino inconvenientes statui nostro, et prohibitae sunt Fratribus sub poena amotionis confusibilis de loco, ubi practicatae fuerint, per Vicarium infligenda.

Frater Iohannes Neyseeser, qui de Austria ad nos venerat, dictas artes practicavit, postea apostatavit ad Austriam et vitam suam apud Conventuales finivit.

Item ordinatum fuit, quod soli Discreti conventuum et locorum, ad capitulum provinciale convenientes, habeant eligere Vicarium Provincialem, et nulli alii, qui non sunt de corpore capituli, addito quod Guardiani possint eligi pro Discretis, sicut hactenus fuit consuetum.

Quod nullus licentietur ad thermas nisi per capitulum provinciale de consilio peritorum medicorum.

Eodem anno, die XXVI. Maii, dedit sanctissimus Papa Paulus II. omnibus Fratribus familiae nostrae auctoritatem eligendi confessorem de eadem familia, qui eos absolvat ab omnibus casibus et censuris, etiam Sedi Apostolicae reservatis, exceptis homicidio voluntario, mutilatione membri et bigamia, et dispenset in quacumque irregularitate, et in articulo mortis plenariam indulgentiam.

Eodem anno, quinto kalendas Augusti[2], secunda hora noctis, cum eo die laetus consistorium habuisset et iucundissime coenasset, Paulus Papa II. apoplexia correptus, vitam cum morte mutavit, cum decem Cardinales creasset tempore sui pontificatus. Vacavit Sedes dies novem. In cuius locum, Cardinalibus in conclavi inclusis, electus est reverendissimus dominus Franciscus de Savona, olim Minister Generalis Minorum, tunc Cardinalis sancti Petri ad Vincula, et Sixtus IV. vocatus. Qui statim post suam creationem ante coronationem dedit omnibus Fratribus remissionem omnium peccatorum semel in vita et supplevit omnes defectus, hactenus per Fratres confessores commissos in confessionibus auditis, et etiam ipsorum Fratrum peccata confitentium, quod omnes pro absolutis habeantur tam active quam passive, et dispensaretur cum dispensandis.

Dominus Sixtus Papa IV. Ordinis Minorum sedit annos XXIII[3], canonizavit S. Bonaventuram.

Eodem anno ante obitum Papae Pauli celebravit imperator Fridericus magnam convocationem principum in Ratisbona propter incursum Turcorum et propter Wladislaum, regem Bohemiae christianissimum, qui hoc anno intravit regnum, mortuo Georgio et Rokycana[4], damnatis haereticis. Post hunc conventum venit Imperator Norimbergam et cum eo Legatus Apostolicus, reverendissimus dominus Franciscus[5], Cardinalis Senensis, et tres principes electores. Dictus autem Cardinalis, rogatus Norimbergae ab Abbatissa sanctae Clarae, approbavit et ratificavit rotas in muro exteriori erga domum Fratrum, quas Visitatores fieri fecerant.

---

[1] Verbum *ut* abest a codice.

[2] 28 Iulii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1471, n. I. seqq.

[3] Cod. erronee XIII. pro XXIII. Cfr. infra pag. 491, nota 1.

[4] Cod. *Rokizano.*

[5] Piccolomineus dictus, Archiepiscopus Senensis.

Franciscus, miseratione divina sancti Eustachii sacrosanctae Romanae Ecclesiae diaconus, Cardinalis Senensis, in partibus Alamanniae et Germaniae ac terris sacro Romano imperio subiectis Apostolicae Sedis Legatus, venerabilibus ac dilectis nobis in Christo Abbatissis et sororibus monasteriorum Ordinis sanctae Clarae in civitate Bambergensi et in Norimberga Bambergensis dioecesis, salutem in Domino sempiternam.

Sacrae Religionis, in qua, mundanis erroribus contemptis, sub regulari observantia devotum exhibetis Altissimo famulatum, digne siquidem promeretur honestas, ut ea vobis facile concedamus, quae vestris commoditatibus credimus opportuna. Cum itaque vestra nuper oblata nobis petitio contineret, quod ex certis rationabilibus causis in quocumque vestro monasterio quasdam rotas in muro exteriori pro meliori custodia Fratrum vobis servientium quidam Visitator dicti Ordinis fieri fecit; quare pro vestra conscientia serenanda humiliter supplicastis, quatenus id ratificare, approbare et confirmare dignaremur: nos igitur, qui singulorum votis, praesertim cum humilitate poscentium, libenter annuimus cupientes, personas vestras apud nos magnopere commendatas favore consequi gratioso, praedictas rotas, quotcumque fuerint, ut praefertur, factas, in quantum in utilitatem monasteriorum et honestatem vestram evidenter tendere viderentur, approbamus, laudamus, confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praesentes nostras litteras fieri nostrique sigilli appensione iussimus communiri.

Datum Norimbergae Bambergensis dioecesis, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXXI, pridie nonas Septembris [1], pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Sixti, divina providentia Papae IV, anno primo.

Eodem anno [2] obiit in Provincia Burgundiae reverendissimus pater frater Franciscus Blonde, Vicarius Generalis, et rexit familiam reverendus pater frater Simon Mathei, Vicarius Provinciae Burgundiae.

Anno Domini 1472, in principio anni, circa festum sanctae Agnetis [3] apparuit cometa et transivit super Vratislaviam in opposito librae et caudam longam quasi graduum XXX misit ad occidentem. In festo autem sancti Blasii [4] stetit in ariete et extendit caudam quasi ad pleiades versus orientem; vaga nimis erat, alba quandoque et flammea crinitaque valde.

Et eodem anno, in festo Inventionis sanctae Crucis [5], cum fratre Friderico Geberstorffer, fratre Achatio de Tirschenreut [6] et fratre Iohanne de Salisburgo habitum sancti Patris nostri Francisci in conventu Ambergensi per venerabilem patrem, tunc ibidem Guardianum, Iohannem Spiegel, mihi humiliter oblatum suscepi et ex tunc usque nunc, annum videlicet Domini 1508, porto indignus beneficiorum Dei nostri.

Eodem anno quidam devotus Frater Minor, nomine Griffo [7], Theutonicus ex par-

---

[1] 4 Septembris.

[2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1471, n. XXII, qui semper habet probabilius recte *Simon Massei* pro *Simon Mathei*.

[3] 21 Ianuarii. — [4] 3 Februarii. — [5] 3 Maii.

[6] Cod. *Tyrsenrieth* (Tirschenreut est civitas Bavariae in Palatinatu Superiore sita) et deinde *Saltzburg* pro *Salisburgo*.

[7] Vel Grifo; erat Belga, magnus theologus et doctor Parisiensis; de quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1475, n. XVIII-XXI, Fort. Hueber, l. c. ad 18 Iulii, qui scribit: Grypho de Flandria, et Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 207.

tibus inferioribus, de Observantia, venit cum duobus sociis in Terra Sancta ad quosdam homines, qui circa montem Libani in provincia Phoeniciae non longe ab urbe Bibliensi habitant, numero non pauci, arcubus et sagittis in proelium edocti et expediti, Maronitae nominati a quodam magistro eorum haeretico, dicto Maron. Hi populi inter omnes Orientales ritus et consuetudines observant Latinorum, maxime in divinis officiis et Sacramentis conficiendis et administrandis, et obediunt Romanae Ecclesiae. Unde cum omnes orientales Praelati, exceptis dumtaxat Latinis, annulis et mitris pontificalibus non utantur, nec baculos pastorales gestent [1] in manibus, nec usum habeant campanarum, sed percussis malleolo vel baculo tabulis, populum ad ecclesiam soliti sunt congregare, dicti Minoritae in signum praedictae obedientiae his utuntur. Eorum Patriarcha interfuit concilio Lateranensi [2] sub Innocentio III. in Urbe celebrato, ibique ipse Papa Innocentius Praelatis dictorum Maronitarum praedictis uti gratiose concessit et eis ad obedientiam benigne susceptis omnia petita confirmavit. Qui cum ad tempus in obedientia Romanae Ecclesiae permansissent, praedicti Maronis et seguacium eius, qui unam tantum voluntatem et operationem in Christo fuisse asserebant, quod condemnatum fuit in sexta synodo [3], errore decepti, per annos fere quingentos ab obedientia Romanae Ecclesiae se subtraxerunt et consortio fidelium et Sacramenta seorsum conficiebant. Deinde ad cor reversi, in praesentia venerabilis patris Aymerici [4], Patriarchae Antiocheni, fidem catholicam confitentes et praedictum errorem Maronis abiurantes, Romanae Ecclesiae secuti sunt traditiones. Sed procedente tempore in pristinos errores relapsi, in illis perstiterunt usque ad dictum annum MCCCCLXXII, donec praedictus Frater ad eos venit. Qui frater Griffo coepit praedicare et docere illum populum veritatem fidei et obedientiam sanctae Romanae Ecclesiae amplexari. Et cooperante gratia divina, omnem clerum et populum, relictis omnibus erroribus, ad obedientiam sanctae Romanae Ecclesiae reduxit. Maronitae dicti non habent proprium idioma, sed aliqui loquuntur graece, alii saracenice, et in Divinis utuntur litteris latinis, in negotiis saecularibus litteris nationum.

Frater Angelus de Clavasio Vicarius Generalis ultramontanus de Observantia, Aquilae electus.

Eodem anno, XXVII. die Maii, translatum est corpus sancti Bernardini Aquilae de ecclesia sancti Francisci, ubi pluribus annis iacuerat, ad nobile templum et locum eius nomini dedicatum, ubi tunc etiam generale capitulum familiae ultramontanae celebrabatur [5]. In eodem capitulo electus fuit in Vicarium Generalem eiusdem familiae reverendissimus pater frater Angelus de Clavasio [6] pro prima vice.

Dictae translationi interfuerunt XV Fratres de Polonia et

---

[1] Cod. *gestant* et deinde *habent* pro *habeant*.

[2] Anno 1215. — [3] Constantinopolitana (III.) an. 869.

[4] Vel Eymerico, an. 1142-1180 (?).

[5] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1472, n. VI, et De Gubernatis, l. c. tom. III, pag. 121.

[6] Clavasium, italice Chivasso, est civitas munitissima Augustae Taurinorum proxima, ubi Angelus an. 1411 natus erat. Cfr. de hoc viro docto et Beato, cuius festum in Ordine 12 Aprilis celebratur, Wadding., l. c. 1472, n. VIII, 1478, n. VIII, 1479, n. XIV, 1481, n. IX, 1484, n. XLIV, 1495, n. II. et Scriptores, p. 22; Sbaralea, l. c. p. 40; Fort. Hueber, l. c. die 12 Aprilis; Franciscus Gonzaga de Orig. Seraph. Religionis, part. 1. p. 80; P. Archangelus, Vita B. Angeli, 1664 Augustae Taurinorum edita; et Bellarminus, de Script. eccles. sub anno 1480, p. 535.

unus de nostra Provincia, frater Iohannes Gurr, cum fratre Bonaventura de Provincia Saxoniae [1].

Eodem etiam anno, in festo sancti Iohannis Baptistae [2], celebratum fuit capitulum generale familiae nostrae cismontanae in conventu Basileensi Provinciae Argentinae, praesidente reverendo patre fratre Simone Mathei, Vicario Provinciae Burgundiae, generalatus officio vacante; in quo electus est in Vicarium Generalem reverendus pater frater Iohannes Crohin [3], Vicarius Provinciae Provinciae, et usque ad eius confirmationem rexit familiam praedictus reverendus pater frater Simon Mathei.

Frater Iohannes Crohin Vicarius Generalis citramontanus de Observantia, electus Basileae.

Ad Generalem Ministrum pro petenda confirmatione eiusdem electi missus fuit frater Iohannes de Ratisbona, qui tunc magister noster in novitiatu erat, quia scivit italicum.

Sixtus Papa concessit omnibus Fratribus, qui fuerunt in dictu capitulo Basileensi, quod possent semel in vita plenarie absolvi.

Idem sanctissimus Papa concessit omnibus Fratribus de Observantia utriusque familiae sub obedientia Vicariorum, quod possent semel in vita se facere a Fratre de familia absolvi ab omnibus casibus et censuris, etiam Sedi Apostolicae reservatis, addens velle, quod haec concessio sine glossa intelligeretur, quia nullum casum sibi reservasset. Hanc gratiam extendit etiam ad sorores sanctae Clarae sub Vicariis viventes.

In capitulo Basileensi praedicto fuit inter alia declaratum:

Quod feria IV. Cinerum fiat de feria, et festum etiam duplex ipsa die occurrens transferatur secundum ordinationem domini Clementis Papae VI.

Quod illud, quod continetur in statutis Barcinonensibus [4], quod pro morientibus in via ad generale capitulum una Missa dicatur a quolibet sacerdote, intelligitur quoad Vocales generaliter, et clerici dicant vigilias IX lectionum, laici centum Pater noster.

Quod Custodes, ubi habentur, non continuentur ultra triennium, prout in antiquis statutis Ordinis continetur.

Quod Vicarii Provinciales, Custodes et Discreti Discretorum, qui ad generalem congregationem venire non possunt, de cetero suae impossibilitatis testimonium per litteras authenticas trium vel quatuor Guardianorum sigillis munitas transmittant, et non facile excusentur iuxta praeceptum regulae et nostri Ordinis instituta, et nihilominus Commissarios loco sui mittant.

Quod sit de intentione statutorum, quando in capitulo provinciali retentio seu electio Guardiani propter rationabiles causas non confirmatur, quod non tenetur capitulum provinciale electionem huiusmodi ad conventum remittere, sed potest conventui de Guardiano providere. Secus de electione, facta extra tempus capituli provincialis, quam, si Vicarius Provincialis infirmaverit, tenetur eam [5] ad conventum remittere, nisi iuxta tenorem statuti scienter elegerint indignum.

Quod asserere, communitatem alicuius conventus congregatam fore supra Guardianum, sit praesumptuosum et temerarium, et quod, qui hoc pertinaciter sustinere vellet, tamquam errans et subversor obedientiae sanctae carceri mancipetur.

---

[1] In capitulo erant fere bis mille Fratrum, qui dictae translationis causa venerant.

[2] 24 Iunii.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1472, n. XI, qui scribit: Ioh. Croyn.

[4] Cap. IX: de Suffragiis defunctorum. — [5] Haec vocula, quam exhibet cod., superfluit.

Quod Fratres a Vicario Canariae vel aliis, etiam Vicariis Apostolicis se nominantibus, sine licentia recepti et deinde ab eisdem ad alias Provincias licentiati a nullo recipiantur, sed ad suas Provincias, unde recesserant, remittantur.

Numerus Fratrum defunctorum ibidem recitatus: trecenti et duo. Inter quos obierunt in Provincia Burgundiae bonae memoriae frater Franciscus Blonde, Vicarius Generalis, et frater Gulielmus Pickardi, qui laudabiliter rexit Provincias Turoniae, Burgundiae et Aquitaniae, nec non Iohannes Ferandi, famosus praedicator, et dignus memoria frater Antonius Ernst, Vicarius Provinciae Argentinensis. In Provincia Franciae: frater Gontherus, Vicarius eiusdem Provinciae, et frater Iohannes de Rhemis, etiam quondam Vicarius. In Provincia sancti Iacobi: frater Petrus Vela, Vicarius dictae Provinciae. In Aquitania notabilis pater frater Iohannes Amblas.

Cetera ibidem acta habentur in Constitutionibus.

Sixtus autem omni alacritate custos animarum fuit, ex se vir bonus et optimus Pontifex exstitit, qui cupiditatem a se resecavit, iras compressit et malitias omnes exstirpavit et virtutibus semper inhaesit. Urbem Romam coenosam et incompositam ac vetustate multis in locis collabentem et deturbatam pro posse in omnibus instaurare sategit, vias et stratas publicas reformavit ipsasque cultissime et decentissime stravit. Pontem super Tiberim maxima impensa iecit et a se *Sixti pontem* nominavit. Pro augmentatione divini cultus hospitale sancti Spiritus de novo a fundamentis aedificavit. Demum et capellam cum choro in ecclesia sancti Petri, principis Apostolorum, capellam palatii Apostolici, ecclesiam beatissimae Mariae de Populo quasi vetustate collabentem a fundamentis cum ingenti impensa denuo erigere fecit et eam perfectam multis muneribus aureis et argenteis decoravit. Alias quoque omnes ferme Urbis ecclesias aut instauravit aut muneribus decoravit, inter quas sunt hae: Sanctorum Cyri et Iohannis, S. Petri ad Vincula, S. Vitalis, S. Susannae, Ss. Nerei et Achillei, S. Stephani Rotundi, S. Iohannis de Malva, Ss. Omnium Apostolorum, S. Salvatoris in Ponte; atque alia innumera beneficia tam spiritualia quam temporalia ipsi urbi Romae contulit. Insuper bibliothecam, cui similis in orbe non reperitur, libris pretiosissimis uti lucidae doctrinae amator exstruxit et decoravit. Unde ab omnibus instaurator Urbis proclamabatur, et, ut brevibus concludam, nihil in toto pontificatu suo egit, quod merito reprehendi possit, nisi quod ad instantiam Zeneti de Utino, Generalis Ministri, Fratres de Observantia Conventualibus subiicere voluit [1]. Propter quod Dominus ei adversarium suscitavit Andream, Craynensem [2] Archiepiscopum, in Basilea cornua erigentem.

Hic Sixtus Iubilaeum a Paulo Pontifice II. institutum in anno quarto sui pontificatus honorifice celebravit et quinque Martyres de Ordine Minorum voluit per universum orbem apud omnes populos catalogo Sanctorum esse adscriptos, a cunctis fidelibus esse colendos, ut antea per suos praedecessores in Colimbrica [3], regni Portugalliae urbe, ubi corpora eorum requiescunt, de eisdem Sanctis specialiter decretum fuerat. Beatum quoque Bonaventuram, Cardinalem Albanensem, Doctorem maximum, in sanctorum Confessorum numerum retulit. Fuit ante pontificatum et in ipso pontificatu mitissimae consuetudinis et vitae continentissimae, in pauperes Re-

---

[1] De quo cfr. Wadding., l. c. ad an. 1472, n. III. seqq.

[2] Cod. habet hic et infra: *Crevensem*, sed ad an. 1482 et deinde semper, ut hic correximus.

[3] Id est Coimbra; cfr. supra pag. 10, nota 8.

ligiososque munificentissimus, quos omnes uno ordine amavit et fovit ac amplissimis privilegiis aliisque spiritualibus et temporalibus beneficiis indesinenter adiuvit. Nam omnes Mendicantes Religiosos ad aemulationes evitandas in privilegiis et gratiis censuit debere esse aequales. Omnes pauperes Episcopos et Praelatos quotidie reficiebat, ut Archiepiscopum Metellivensem [1] Ordinis sancti Benedicti, Episcopum sancti Angeli Ordinis Eremitarum, Episcopum Stratensem, dum vixerunt. Et pluribus aliis de XV, XII, X aut VIII florenis auri de camera quolibet mense secundum eorum statum providere curavit. Principes etiam pauperes et nobiles, patria extorres, et praesertim Palaeologorum filios Bosniaeque reginam atque alios conplurimos, a Turco pulsos, pecuniis adiuvare non destitit.

Et a primo anno suae creationis summam adhibuit diligentiam, ne Turcorum feritas invalesceret. Quare et primo anno sui pontificatus reverendissimum dominum Cardinalem Neapolitanum [2] contra Turcos misit, qui ut Legatus suae Sanctitatis habuit 80 triremes, computatis galeis regis Siciliae et dominii Venetorum. Rhodianorum milites, a Turcis vexatos, mira et incredibili pietate confovit et adiuvari fecit. Nam misit duas naves oneratas armis, frumento et aliis necessariis Rhodum; quae si non applicuissent, Rhodum fuisset subversum. Praeterea, cum Turcus civitatem Hydruntinensem [3] invasisset, misit dominum Gabrielem Ordinis Minorum, Cardinalem Ss. Sergii et Bachi, Legatum in adiutorium Ferdinando, regi Siciliae, pro recuperatione dictae terrae, quae et recuperata fuit. Insuper, Friderico imperatori et aliis regibus Christianitatis Legatos misit persuadendo pacem, pertractando concordias et ut eorum potentiam cum sua contra inimicos Crucis Christi erigere vellent. Reginae Bosniae dictae, expulsae de suo regno, ad dies vitae quolibet mense in L florenos de camera, dum opus erat, providere, etiam reginam Cypri, de suo regno expulsam, dum Romae existeret, providere curavit. Insuper, et in omnibus regionibus urbis Romae fuerunt certi deputati a sua Sanctitate, qui sub poena praestiti iuramenti habebant providere pauperibus per certam quantitatem pecuniae, fueruntque multae aliae provisiones personis in dignitatibus secreto factae, quas mandans et recipiens novit, nec voluit ipse Papa, quod sciretur. Omnes igitur Christianos potentes obsequentissimos toto tempore vitae suae habuit, praeter solum Andream Craynensem, Slavum, Ordinis Praedicatorum, qui tandem laqueo necem sibi intulit. Viginti Cardinales tempore sui pontificatus creavit, e quibus tres fuerunt Romani et alii Itali, duo Genuenses et quatuor Savonenses, inter quos Petrus et Iulianus S. Petri ad Vincula ex fratre nepotes. Et Iulianus quidem hodie, dum ista scribo, 1508, in Sede Petri Pontifex [4] residet in quinto sui pontificatus anno.

Anno Domini 1475 non fuit capitulum in nostra Provincia, quia praecedenti anno fuit Basileae cum generali etiam provinciale habitum.

Eodem anno obierunt venerandi patres Iohannes Spiegel Ambergensis et Iohannes Schieber, quondam Vicarius Provinciae, tunc Landishuttensis Guardiani, viri religiosi et devoti.

Eodem anno, cum sanctissimus Papa Sixtus IV. annum Iubilaeum a Paulo II. institutum in anno sequenti celebrandum decrevisset et per litteras suas, quae inci-

---

[1] Ita cod., forte pro Metellinensem. — [2] Scil. Oliverium Caraffam. Cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 126 seq. — [3] Cod. *Ydrontinensem*, est Hydruntum vel Hydrus, civitas maritima, nunc Otranto dicta. — [4] Erat Iulius II. (1503-1513).

piunt: *Quemadmodum operosi vigilisque pastoris* etc., per orbem publicasset, intimavit reverendus pater frater Emericus del Kemel, Commissarius Romanus reverendissimo domino Philippo, Cardinali sanctorum Petri et Marcellini, Archiepiscopo Arelatensi, qui familiae plurimum favebat, quod Fratres nostri propter visitationem liminum Apostolorum nimium distraherentur et aliquibus ex eis vagandi et nunquam forsan ad sua loca revertendi daretur occasio, quodque eorum peregrinatio divinum cultum non mediocriter diminueret, et Christifideles, ipsorum Fratrum fautores, in praeiudicium aliorum pauperum in eleemosynis eis elargiendis et domus de Aracoeli de Urbe in receptione dictorum Fratrum nostrorum nimium gravarentur. Qui Cardinalis exposuit praemissa ipsi domino Papae, qui volens, Fratres dictae plenariae remissionis absque huiusmodi peregrinatione fieri participes, vivae vocis oraculo omnibus et singulis Fratribus nostrae familiae, qui, si sacerdos foret, XV Missas diceret, et si alias litterati, unum Psalterium et quinquies septem Psalmos poenitentiales et officium mortuorum; si vero laici forent, trecentas orationes dominicas et totidem salutationes angelicas pro sua Sanctitate et felici statu sanctae Ecclesiae Romanae in uno mense futuri anni Iubilaei persolverent, semel dumtaxat eandem plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem anni Iubilaei concessit, quam consecuturi essent visitantes limina Apostolorum et ecclesias almae Urbis. Et reverendissimus pater frater Iohannes Crohin, Vicarius Generalis, praecepit omnibus Fratribus in virtute sanctae obedientiae, ne levitatis spiritu praeoccupati, vellent ultra pedes suos dare in commotionem ad discurrendum versus Urbem causa indulgentiarum, aut super licentia obtinenda suos molestare Praelatos, cum manifeste repugnarent intentioni Summis Pontificis et loco benedictionis maledictionem acquirerent.

Anno Domini 1474 obiit reverendissimus dominus Petrus[1], Cardinalis sancti Sixti, novellus Protector Ordinis Minorum, Papae Sixti ex fratre nepos. Qui cum Legatus Italiam percurreret, morbo ex intemperato aëre contracto, Romae ingenti Pontificis dolore moritur.

Frater Iohannes Altpart Vicarius Provinciae Argentinensis de Observantia.

Eodem anno, dominica *Cantate*[2], celebratum fuit capitulum provinciale in conventu Tubingensi per reverendum patrem fratrem Iohannem de Lare, Vicarium Provincialem; quo ibidem officium resignante, electus est eius successor reverendus pater frater Iohannes Altpart prima vice, pro tunc existens Guardianus Norimbergensis. Hic fuit natus de Basilea filius pistoris, bonus praedicator.

In hoc capitulo fuit ordinatum, quod commemoratio de S. Cruce fiat infra Octavam S. Bernardini, usque per Superiorum auctoritatem aliud fuerit determinatum.

Et quod in Quatuor Temporibus Adventus Domini fiat de feria, etiam si propriae Laudes non sint. — Cetera vide in tabula.

Eodem anno, pridie kalendas Septembris[3], condidit Sixtus IV. in favorem Ordinis Bullam, quae incipit: *Regimini universalis Ecclesiae* etc., et dicitur *Mare magnum;* in qua approbavit, innovavit et confirmavit *Mare magnum* Clementis IV. et Eugenii IV, Summorum Pontificum, et multa addidit Ordini magnifica privilegia.

---

[1] Riarius Savonensis. — Pro *Sixti* cod. exibet vitiose *Sancti* (Petrus † 5 Ian.).

[2] Dominica IV. post Pascha, quae erat 8 Maii.

[3] 31 Augusti. — De Bulla paulo inferius memorata cfr. Wadding., 1474, n. XVII. seqq., et supra pag. 221, nota 2.

Ipso anno, die IX. Septembris, consecratum est coemeterium Fratrum Minorum in Ingolstadio ex omni sua parte a reverendo patre fratre domino Leonardo Pilhamer de Napurck, Episcopo Microcomensi, decretorum doctore, Vicario in pontificalibus reverendissimi domini et patris, domini Gulielmi, Episcopi Eistadiensis [1].

Anno Domini 1475 [2] celebratur Iubilaeus annus a Paulo II. propter humanae vitae brevitatem institutus et a Sixto IV. confirmatus; quam gratiam contulit ipse Sixtus denuo Ordini his:

Sixtus Papa IV. Dilectis filiis universis et singulis beati Francisci et beatae Clarae utriusque sexus personis ubilibet constitutis salutem et Apostolicam benedictionem.

Etsi pro ministerio pastoralis officii cupimus, cunctos Christifideles aeternae felicitatis esse participes, illis tamen praecipuos favores debemus, qui in eo Ordine Altissimo famulantur, in quo nos, disponente Domino, coaluimus, et ex quo assidue uberes proveniunt fructus, ut nostram caritatem in se recognoscant et in divino servitio roborentur. Quocirca paterna consideratione pensantes, quod pauci ex vobis hoc sacro Iubilaei anno pro consequendis indulgentiis almam Urbem nostram et eius basilicas possint commode visitare, quodque, nisi nostra vobis adesset benignitas, tantae coelestis gratiae dono non sine mentis amaritudine careretis, vestris in hac parte devotis et humilibus supplicationibus inclinati, praesentium tenore auctoritate Apostolica indulgemus atque concedimus, quod omnes et singuli vestrum, nec non omnes et singuli procuratores, operarii, castelliones, conversi, donati [3] atque famuli utriusque sexus locorum et monasteriorum vestrorum altare ecclesiaè, in qua degunt, ac etiam fratres et sorores tertii Ordinis vestri aliquam ecclesiam ipsis commodiorem, confessione prius per vos et ipsos ac eorum quemlibet debite facta, quindecim diebus devote visitando, easdem indulgentias consequuntur, quae per litteras Apostolicas super hoc editas visitantibus dictam Urbem et eius basilicas sunt concessae. Volumus tamen, quod unusquisque vestrum singulis, ut praefertur, diebus orationem dominicam et salutationem angelicam nec non Psalmum *Miserere mei, Deus*, vel loco eius decies *Pater noster* pro exaltatione catholicae fidei et felici statu Romanae Ecclesiae septies flexis genibus dicere teneatur. Ut autem indulgentias praefatas efficacius valeatis consequi, tenore praesentium concedimus indulgemusque, quod confessor idoneus, quem duxeritis eligendum, vos omnes et vestrum quemlibet ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, pro hac vice dumtaxat absolvere et poenitentiam iniungere auctoritate Apostolica possit et valeat, suspensionibus, restrictionibus, Constitutionibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XXV. Aprilis, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXXV, pontificatus nostri anno quarto.

Aliud Breve ad idem.

Sixtus Papa IV. Dilectis filiis universis et singulis Ordinis sancti Francisci et beatae Clarae personis ubilibet constitutis salutem et Apostolicam benedictionem.

Nuperrime pro nostra in vos caritate paterna omnibus et singulis vestrum in-

---

[1] Cod. *Wilhelmi Ep. Eystettensis* (a Reichenau, et Sedem episcopalem tenuit ab an. 1464 usque 1496).

[2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1475, n. III.

[3] Sunt laici dicti, qui sese et sua bona monasteriis donabant et offerebant. Cfr. Du Cange, Gloss.

dulgentias Iubilaei per alias nostras in forma Brevis litteras sub certis conditionibus duximus concedendas, prout in ipsis litteris plenius continetur. Ut igitur huiusmodi indulgentias eo uberius consequi valeatis, quo delictis et peccatis diligentius fueritis emundati, vobis et cuilibet vestrum ac etiam procuratoribus, conversis et castellionibus vestris utriusque sexus harum serie auctoritate Apostolica indulgemus, quod confessor idoneus, quem quilibet vestrum duxerit eligendum, confessione vestra diligenter audita, vos et vestrum quemlibet ab omnibus et singulis criminibus, excessibus et peccatis, etiam in singulis Sedi Apostolicae reservatis casibus, semel dumtaxat hoc anno et semel in mortis articulo, ab aliis vero toties, quoties opus fuerit, absolvere et poenitentiam iniungere possit, valeat elargiri, Constitutionibus, ordinationibus, restrictionibus et suspensionibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Verum quia difficile foret has litteras ad universas mundi partes destinare, volumus et auctoritate Apostolica decernimus, quod harum ac etiam aliarum praedictarum litterarum nostrarum transsumpto, manu notarii scripto et sigillo generalatus dicti eiusdem Ordinis munito, tamquam praesentibus litteris originalibus detur et ea fides adhibeatur, ac si ipsae originales litterae exhibitae vobis forent.

Pro Conventualibus [1]

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XXVI. Aprilis MCCCCLXXV, pontificatus nostri anno quarto.

Eodem anno celebratum fuit generale capitulum [2] Conventualium Urbini; in quo capitulo electus est in Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum reverendissimus pater frater Franciscus Samsonis de Senis, et ipse fuit XXXVIII. in Ordine Generalis Minister post beatum Franciscum et praefuit Ordini XXIV annis [3] et postea obiit; et fuit magister in theologia.

Frater Franciscus Samsonis XXXVIII. Minister Generalis Ordinis Minorum, magister sacrae theologiae.

Eodem etiam anno [4] fuit generale capitulum Fratrum de Observantia familiae ultramontanae Neapoli celebratum, in quo electus est [5] in Vicarium Generalem eiusdem familiae reverendissimus pater frater Petrus de Neapoli prima vice.

Frater Petrus de Neapoli Vicarius Generalis ultramontanus Fratrum de Observantia, prima vice electus Neapoli.

Et eodem quoque anno [6] fuit capitulum generale familiae cismontanae in conventu sancti Audomari, Provinciae Franciae, celebratum per reverendissimum patrem fratrem Iohannem Crohin [7], Vicarium Generalem; quo resignante, ibidem electus est in Vicarium Generalem pro secunda vice reverendissimus pater frater Iohannes Philippi.

Frater Iohannes Philippi Vicarius Generalis Fratrum de Observantia cismontanae familiae, secundo.

---

[1] Haec verba: *Pro Conventualibus,* quae cod. ut rubricam cum litteris rubeis scriptam exhibet, ab auctore cod. msc. apposita sunt respectu Brevis (cfr. infra p. 465 et 466) a Sixto facti pro Fratribus de Observantia. Cfr. etiam infra pag. 462 in fine et pag. 463 in principio.

[2] In festo Pentecostes (14 Maii), ut Wadding., l. c. ad an. 1475, n. VII. dicit. Cfr. etiam De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 193 et tom. III. p. 122. — Pro *Samsonis* cod. *Sampsonis.* Wadding.: dicit: Franciscus Nanis, agnomento Samson, Provinciae Tusciae Minister.

[3] Secundum Waddingum 23 annos, 5 menses, 12 dies gubernavit.

[4] Cod. habet *elegerunt;* sed cum deinde sequatur nominativus, ita correximus.

[5] 19 Maii. — [6] In festo Pentecostes (14 Maii). — [7] Hic habet Wadding.: *Croym.*

In eo capitulo ordinatum est:

Quod cum de nullo festo in Ordine fieri debeat, nisi sit a Sede Apostolica indultum, et non sit certum, quod eadem Sedes fieri concesserit de S. Vincentio confessore et Nicolao de Tolentino, quod de dictis et similibus non fieri securius sit.

Item recepta sunt officia de Conceptione et de Visitatione Virginis Mariae, per concilium Basileense ordinata, tam in littera quam in nota, per totam familiam legenda.

Statutum etiam fuit ibidem, ne quis Fratrum litteras mittere seu portare praesumat regibus, principibus vel eorum officiariis et cetera, quae causa brevitatis omitto, quia habentur [1].

Eodem anno fuit capitulum provinciale in festo sancti Bartholomaei Apostoli [2] in conventu Ingolstadiensi celebratum per reverendum patrem fratrem Iohannem Altpart, Vicarium Provincialem.

In hoc capitulo declaratum est, quod in fine hymnorum in festo Corporis Christi et per Octavam per horas dicatur: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine* etc.

Quod infra eandem Octavam cantetur *Kyrie eleison* solemne.

Quod in festo Nivis [3] legantur novem lectiones de legenda.

Quod ieiunia Ecclesiae non anticipentur per Fratres, sicut consuetum est in dioecesi Ratisbonensi propter festum sancti Wolfgangi [4], ante vigiliam Omnium Sanctorum.

Quod in ieiuniis Rogationum et in angaria [5] Pentecostes servent Fratres consuetudinem dioecesum, in quibus morantur. — Cetera vide in tabula eiusdem capituli.

Eodem anno obiit egregius doctor sacrae theologiae, magister Nicolaus de Orbellis [6] de Provincia Turoniae, de conventu Cholleti [7], qui scripsit in Logicam, Physicam et Ethicam secundum viam doctoris subtilis, et ultimo compendiose lucideque super IV libros Sententiarum, praedicti doctoris dicta summatim complectentes, et consummatis XL annis in dignitate doctoratus, vitam in regulari observantia finivit.

Illo tempore lector erat in conventu Basileensi frater Nicolaus de Ulmo [8], solemnis magister in theologia, de Provincia Franciae. Post hunc legit ibidem in sacra theologia reverendus pater frater Christianus Gareth de eadem Provincia, Flammingus, qui re-

---

1 Supple: in tabula, quae voculae in cod. excidisse videntur. Cfr. De Gubernatis, l. c. tom. III. pag. 122.

2 24 Augusti.

3 Scil. beatae Mariae Virginis de Nive, 5 Augusti. — 4 31 Octobris.

5 Angaria vel angariae sunt idem ac Quatuor Tempora, seu triduana illa ieiunia, quae singulis annis quater celebrantur, scil. in hebdomada tertia Adventus et prima Quadragesimae nec non in hebdomada Pentecostes et tertia Septembris, feria IV, VI. ac sabbato.

6 Vel Orbelius (cod. *de Orbell),* de quo cfr. Wadding., Scriptores, p. 268, Sbaralea, l. c. p. 561, et Fabricius, l. c. tom. V. p. 332. Natus erat Andegavi (Angers) et theologiam docuit in gymnasio Pictaviensi.

7 Ita recte, uti etiam legendum est in fine libr. Sententiarum, 1498 Parisiis edit. Cholletum (de erectione conventus cfr. Wadding., l. c. ad an. 1406, n. 102.) est gallice « Cholet » (Aniou), cod. habet *Tuleti.*

8 Ita cod. probabiliter pro Ulma (Ulm), civitate Württembergae, vel est oppidum Galliae, « Les Ulmes » dictum.

versus ad suam Provinciam, electus fuit ibidem in Vicarium Provincialem. Sub eodem profecerunt multi notabiles patres in studio theologiae sacrae.

Anno Domini 1476, in vigilia [1] Purificationis Mariae, venit reverendissimus pater frater Iohannes Philippi, Vicarius Generalis, Heilbrunnam cum patribus Simone de Gauda [2] Moguntinensi et Henrico Vigilis Leonbergensi [3] Guardianis, et visitavit ambos conventus et invenit ibidem duos fratres laicos scriniatores — quorum principalis dicebatur frater Hermannus — ordinatione capituli provincialis fabricantes stallos chori pro usu sororum sanctae Clarae, sicut iam fabricaverant in Amberga, in Landishuto [4] et postea in Bünicken et Kelheim pro Fratribus; quae concessio propter continuam moram dictorum fratrum iuxta conventum sororum fuit ipsi Generali Vicario molesta, tamen conclusit cum patribus Discretis, quod opus inceptum ad finem perficerent, ne sorores damnum ex factis iam expensis incurrerent. Deinde venit ad Ingolstadium, demum Norimbergam, ubi reperit defunctum fratrem Georgium Axter, sacerdotem, quem in propria persona sepelivit et, visitato ibidem, profectus est ad Provinciam Saxoniae; qua peragrata, rediit ad nostram Provinciam et habuit convocationem capitularem in conventu Moguntinensi, et ibidem avisatum fuit inter cetera:

Quod de festo sanctae Agnetis secundo servetur ordinatio capituli generalis Montis-Lucii [5], licet aliter videatur provisum per capitulum generale in conventu sancti Audomari ultimo celebratum.

Quod rubricae de divino officio non acceptentur, nisi sint conformes Ordinario, et quod in dubiis stetur ordinationi Praelatorum.

Quod Fratres ingredientes chorum genua flectant, demptis sacerdotibus ad celebrationem euntibus vel redeuntibus, qui profunde inclinent, discooperiendo caput, ad Sacramentum.

Quod Guardiani circa monasteria sororum sanctae Clarae non possint licentiare Fratres, ut loquantur sororibus.

Quod per Fratres non fiant structurae vel alii labores in monasteriis sororum etc.

Eodem anno obiit beatus frater Iacobus de Marchia [6] clarus multis miraculis in vita sua, et sepultus est Neapoli in loco sanctae Crucis.

Eodem anno concessit dominus Alexander, Episcopus Forliviensis, Legatus a latere ad Germaniam, ad instantiam reverendi patris fratris Iohannis de Lare, tunc Guardiani conventus Basileensis, praesente et audiente venerando patre fratre Nicolao Vincentii, Discreto eiusdem conventus, omnibus Fratribus et sororibus trium Ordinum sancti Francisci sub Vicario Provinciae Argentinensis plenariam remissionem semel in vita et semel in morte.

Item, dicentibus quinque *Pater noster* [7] ante imaginem Crucifixi vel beatae Virginis quinquies in anno centum dierum indulgentiam, perpetuis temporibus duraturam.

---

[1] I Februarii. — [2] Ita cod. probabiliter pro *Gonda* vel *Gouda*, quae est civitas Hollandiae.

[3] Leonberga, theut. Leonberg, est oppidum Württembergae. — [4] Cod. *Lantzhuta*.

[5] Id est Montluçon; cfr. supra pag. 428 et 429.

[6] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1476, n. VIII. seqq.

[7] Quae vocula abest a cod.

Item, dicentibus tria *Pater noster* coram imagine Crucifixi vel beatae Virginis pro qualibet vice quotidie XL dierum indulgentiam.

Pro disciplina in conventu a Fratribus suscepta XL dies.

Euntibus in processione post prandium et coenam ad ecclesiam cum devotione XL dies.

Item, sororibus Ordinis sanctae Clarae in communi ex devotione crucem portantibus et easdem comitantibus centum dierum indulgentiam, perpetuis temporibus duraturam, concessit.

Consecravit eodem anno, X. kalendas Novembris [1], reverendus pater, dominus Hieronymus, Neutrensis Episcopus, sacrae theologiae doctor, Ordinis Cisterciensis, reverendissimi patris domini Philippi, Episcopi Bambergensis, in pontificalibus Vicarius, exteriorem ambitum in conventu Minorum Norimbergensi quoad septentrionalem et occidentalem eius partes una cum suo hortulo, cum aliae duae eius partes proprius consecratae haberentur, praesente reverendo patre Iohanne Altpart, Vicario Provinciali, et venerando patre Iohanne de Lindenfels [2], tunc eiusdem conventus Guardiano, et pluribus aliis.

Et eadem die contulit dictus reverendus dominus Episcopus omnibus, nedum Fratribus nostris, verum etiam Christicolis cunctis dominicam orationem ante imaginem Crucifixi — quam fecit frater Rufinus — in medio hortuli eiusdem ambitus stantem singulis sextis feriis dicentibus et in Parasceve XL dierum indulgentiam, perpetuo duraturam.

Eodem anno, in profesto sanctae Luciae virginis et martyris [3], obiit illustrissimus princeps dux Fridericus, comes Palatinus Rheni, dux Bavariae sacrique imperii archidapifer et princeps elector etc., nostrae sacrae Religionis fervens amator et defensor, sepultusque est in habitu Ordinis nostri in conventu Heidelbergensi in capella, a se a fundamentis constructa et decorata; requiescat in Christo.

Frater Iohannes de Lindenfels Vicarius Provinciae Argentinensis, prima vice.

Anno Domini 1477, dominica [4] ante Ascensionem Domini, celebratum fuit capitulum provinciale in conventu Bambergensi per reverendum patrem fratrem Iohannem Altpart, Vicarium Provincialem; quo ibidem resignante officium [5], electus fuit in eius locum reverendus pater frater Iohannes Heilmann de Lindenfels, tunc Guardianus conventus Norimbergensis, prima vice.

In hoc capitulo hortabantur patres:

Quod Sixtina [6] non practicetur quoad administrationem Sacramentorum Eucharistiae et Extremae Unctionis, nisi in casu inevitabili, et nec sic, nisi iuxta formam statuti capituli Pforzhemensis sub reverendo patre fratre Antonio Ernst confecti, in quo habetur de recursu ceterorum conventuum ad conventus potiores pro consilio.

Quod in absolutione casuum reverendo patri Vicario reservatorum nullus utatur auctoritate Sixti IV. concessa in Brevi [7], cuius principium est: *Nuperrime pro nostra*

---

[1] 23 Octobris.

[2] Cod. *Lindenfells;* est oppidum magni ducatus Hassiae-Darmstadii.

[3] 13 Decembris. — [4] Id est dominica V. post Pascha, quae erat 15 Maii.

[5] Cod. *officio.*

[6] Scil. Bulla, quae supra pag. 457 memorata est.

[7] Cfr. supra pag. 458.

in vos etc., ubi continetur illa clausula: « ab aliis vero toties, quoties », quam clausulam noluit ad Fratres de Observantia extendi [1].

Eodem anno, exigentibus officialibus domini Philippi, Episcopi Bambergensis, decimas a sororibus sanctae Clarae Norimbergae, et causa ad Papam delata, ita scripsit eidem Episcopo:

Sixtus Papa IV. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nuper nobis expositum fuit, quod dilectae in Christo filiae, Priorissa et conventus monasterii sanctae Catharinae, Abbatissaque et conventus Ordinis sanctae Clarae oppidi Norimbergae, Bambergensis dioecesis, Observantiae regularis, ad solutionem decimarum coguntur praeter privilegia et exemptiones, a sancta Apostolica Sede Ordinibus earum concessas. Quare nos, qui pro ministerio officii pastoralis eas huiusmodi in [2] privilegiis et exemptionibus tueri ac, quantum cum Deo possumus, providere debemus, ut spirituali consolatione fruantur, humilibus et honestis super hoc nobis exhibitis supplicationibus inclinati, ad tuam Fraternitatem scribendum duximus. Hortamur igitur et monemus te in Domino, quatenus boni piique Praelati officio nihil vel exigas vel exigi patiaris a conventibus ipsis, sed potius pro huiusmodi sanctae Sedis honore religionis zelo in suis privilegiis et exemptionibus tuearis, ut merito possis in Domino commendari.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XV. Iulii 1477, pontificatus nostri anno sexto.

Eodem anno, die sanctorum Dionysii et sociorum [3], erecta est Universitas Tübingensis [4] per dominum, dominum Eberhardum, comitem de Württemberga, postea primum ducem in illa prosapia; quae schola universalis hodie floret, et ab eo tempore est ibidem studium sacrae theologiae a Fratribus nostris continuatum.

Eodem anno laboraverunt Conventuales pro recuperatione conventuum Moguntinensis et Oppenheimensis et tantum effecerunt, quod Sixtus Papa Fratres de Observantia volebat subiecisse Conventualibus; et ut fide digni retulerunt, qui eam legerunt, Bulla ad hoc iam erat conscripta, licet nondum bullata. Sed postquam rumor ad aures regum et principum et ceterorum, praesertim ducis Mediolanensis, pervenisset, litteras et ambasiatas ad ipsum sanctissimum dominum Papam in favorem sacrae Observantiae miserunt, quarum consideratione a proposito revocatus, dixit: « Ecce totus mundus pro Fratribus de Observantia est ». Unde ad Fratres nostros conversus, confirmavit praedecessorum suorum privilegia, in favorem sacrae Observantiae concessa. Asserunt, beatum fratrem Iacobum de Marchia ipsi Pontifici inter cetera dixisse, quod, si Fratres de Observantia Conventualibus, eius monitione contempta, subiiceret, male periturus esset, sicut Paulus II, qui appoplexia subito interiit [5].

Eodem anno, die XXIII. mensis Novembris, concessit idem sanctissimus Papa Sixtus reverendo patri fratri Emerico de Kemel, Commissario Romano, ad suae Sanctitatis pedes prostrato, gratias sequentes:

Quod quilibet Frater Ordinis sancti Francisci familiae ultramontanae de Obser-

---

[1] Cfr. infra pag. 465 et 466 et supra pag. 459, nota 1. — [2] Haec vocula abest a cod. — [3] 9 Octobris. — [4] Cod. *Tuwingensis* et deinde *Wirtenberg.*

[5] Cfr. supra pag. 451.

vantia posset sibi eligere idoneum confessorem, qui eum in quibuscumque et quantumcumque enormibus absolvere et dispensare in omnibus irregularitatibus quomodocumque contractis praeterquam ex bigamia et homicidio voluntario, atque etiam plenariam remissionem et indulgentiam illi conferre posset. Et addidit proprio motu vivae vocis oraculo: « Et concedimus has gratias semel in vita et semel in morte ».

Deinde octava die, eodem Commissario iterum ad suae Sanctitatis pedes prostrato extendit dictas gratias ad omnes sorores sanctae Clarae et Tertiarias curae Fratrum subiectas pro capacitate earundem, voluitque sua Sanctitas, ut hae gratiae tabulae futuri generalis capituli annotarentur, et quod dicti Fratres et sorores pro sua Sanctitate et felici statu Ecclesiae exorarent. Et ita mutavit Deus illam intentatam persecutionem in gaudium et consolationem Fratrum.

Anno Domini 1478, in festo Pentecostes [1], celebratum est capitulum generale familiae cismontanae de Observantia in conventu Castri Rudolphi [2], Provinciae Turoniae, per reverendissimum patrem fratrem Iohannem Philippi; quo ibidem resignante, electus est Vicarius Generalis reverendus pater frater Gulielmus Bertho [3], natione Brito, genere nobilis, sed multo nobilior religione et sancta conversatione. Hic fuit vir magnae modestiae et zelo caritatis Fratres admonens cum pietate ad observantiam regulae, desolatos paterne consolando. Biennio tantum fuit in officio, et deinde, visitando nostram Provinciam Argentinensem, moritur et in conventu nostro Ingolstadiensi sepelitur, ut inferius [4] dicam. In hoc capitulo factae sunt modificationes aliquorum statutorum generalium capitulorum, videlicet de correctione delinquentium: Quod quicumque Frater repertus fuerit publice vel occulte turbator pacis fraternae etc. Et de modo exterius conversandi, quando alicui Fratri datur licentia vel obedientia alibi etc. — Cetera vide in tabula.

Frater Gulielmus Bertho Generalis Vicarius cismontanus de Observantia.

Eodem tempore [5] congregati patres de Observantia ultramontani in capitulo generali Papiae celebrato, praesidente reverendissimo patre fratre Petro de Neapoli, Vicario Generali, et ibidem resignante, elegerunt in Vicarium Generalem reverendissimum patrem fratrem Angelum de Clavasio secunda vice. Hic fuit iuris peritissimus et compilavit illam famosam Summam, quae dicitur *Angelica*, valentem omnibus confessoribus et praedicatoribus in dubiis casuum conscientiae fluctuantibus, ad quam velut ad securissimum quendam portum recurrant.

Frater Angelus de Clavasio secundo Generalis Vicarius familiae ultramontanae Observantium.

Eodem anno, die sanctorum Abdon et Sennen [6], consecrata est ecclesia Fratrum Minorum in Amberga et quatuor in ea altaria a reverendo patre et domino Iohanne,

---

[1] 10 Maii. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1478, n. X.

[2] Vel Radulfi, gallice « Châteauroux ».

[3] Wadding., l. c. habet Gulielmus Bertholdi; Tableau Synoptique de l'histoire de tout l'Ordre séraphique par le R. P. Marie-Léon Patrem, Paris 1879: Guil. Berthold, et Fort. Hueber, l. c. 3 Augusti, convenit cum nostro auctore.

[4] Ad annum 1481.

[5] 10 Aprilis, dicit Wadding., l. c. ad an. 1478, n. VIII. De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 124 dicit: sub festo Pentecostes.

[6] 30 Iulii.

Episcopo Hierapolitano, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, magistro theologiae, Vicario in pontificalibus reverendissimi domini Henrici, Episcopi Ratisbonensis, praesente reverendo patre fratre Iohanne Xantes, eiusdem loci Guardiano, et pluribus tam Fratribus quam saecularibus.

Eodem anno[1] fuit capitulum Provinciae in conventu Rietfeldensi iuxta Novam Civitatem circa festum sancti Laurentii per reverendum patrem fratrem Iohannem de Lindenfels, Vicarium Provincialem; quod capitulum fuit inibi celebratum ob preces quorundam nobilium de Curia illustrissimi principis Alberti, marchionis Brandenburgensis, superiori anno in capitulo Bambergensi praesentium et hoc ipsum petentium, qui tamen, cum ipsum capitulum celebraretur, absentes fuerunt bello implicati in marchia antiqua pro ipso domino suo.

Capitulum Rietfeldense 1478.

In hoc capitulo fuit declaratum, quod festa principalium patronorum ecclesiarum nostri Ordinis, in quorum honorem ipsae ecclesiae sunt constructae seu consecratae, vel quorum nomina sortitae sunt, ut in Rietfelden sancti Wolfgangi Episcopi etc., sicut maiora duplicia peragantur, nisi aliud in posterum declaretur.

Quod confessores monialium, apud eas continue moram trahentes, sicut in Alspach[2] et in Pfullinga, cum sociis suis, non habent vocem passivam in electione Discreti, pro tempore ad capitulum transmittendi.

Item, intimatum est, quod nobis a Sede Apostolica sit concessum, quod ad pronuntiandum seu promulgandum excommunicatorie non possumus cogi, nisi per Bullas Apostolicas specifice fuerimus requisiti seu specialiter nominati.

Item, ad compescendas multas deordinationes, quae pro tempore in communitate fiunt, ordinatum est, quod socii Vicariorum locum post praedicatores in omni sessione conventuali habeant.

Anno Domini 1479, in profesto[3] sancti Sebastiani, obiit illustrissimus princeps dominus Ludovicus, dux Bavariae Superioris et Inferioris et comes Palatinus Rheni, sacrae nostrae Religionis praecipuus promotor, qui suis favoribus et auxiliis reformari fecit conventus Landishuttensem et Ingolstadiensem tempore Papae Pauli II, et aliis suis beneficiis Fratres debitores sibi fecit.

Capitulum Romanum Conventualium generale.

Eodem anno, in festo Pentecostes[4], celebratum fuit capitulum generale Fratrum Conventualium Romae per reverendissimum patrem fratrem Franciscum Samson de Senis, Ministrum Generalem totius Ordinis. In quo capitulo concessit sanctissimus Papa Sixtus omnibus Fratribus Ordinis facultatem eligendi sibi confessorem idoneum, quem quilibet duxerit eligendum, qui, confessione eorum audita, ipsorum singulos ab omnibus eorum criminibus, excessibus et peccatis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, semel dumtaxat ipso anno et semel in mortis articulo, ab aliis vero toties, quoties opus fuerit, absolvere et poenitentiam iniungere posset etc. Hanc concessionem quoad absolutionem a casibus reservatis «toties quoties» limitavit pro Fratribus de Observantia per Breve sequens:

---

[1] Haec vocula desideratur in cod.

[2] Vel Alensbach; situm erat prope civitatem «Kaysersberg» in Alsatia.

[3] 19 Ianuarii.

[4] 30 Maii (Pascha erat 11 Aprilis). Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1479, n. III, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 124, qui tamen dicunt: 28 Maii in festo Pentecostes.

Sixtus Papa IV. Dilecto filio Vicario Generali ultramontano Ordinis Minorum Fratrum de Observantia.

Dilecte fili, salutem etc. Pro nostra in sacrum Ordinem beati Francisci, sub quo, dante Domino, coaluimus, praecipua caritate indulsimus praesenti anno, dum generale capitulum dicti Ordinis Romae celebraretur, omnibus et singulis personis eiusdem, quod confessorem eligere et a casibus, Praelatis eorum reservatis, absolvi valerent. Quae quidem res, quoniam, sicut accepimus, multum ad peccandum prócliviores reddere eosque a iugo obedientiae seducere posset, idcirco cupientes desuper opportune providere, tuis etiam in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et tenore praesentium declaramus, quod Fratres tuae curae subiecti in casibus, reservatis Ministris, non possint nisi de tua aut Vicariorum Provincialium licentia absolvi, non obstantibus litteris nostris, sub quacumque forma verborum eisdem Ministris ac Fratribus concessis, ceterisque contrariis quibuscumque. Et insuper, ad evitandos discursus Fratrum eorundem concedimus, quod Vicarii Provinciarum possint absolvere omnes Fratres a censuris et sententiis ecclesiasticis ac cum eis dispensare secundum tenorem concessionis felicis recordationis Clementis Papae IV, praedecessoris nostri, ac additionis nostrae, non obstantibus etiam limitatione seu restrictione postmodum a nobis facta, qua id solum ad Ministrum Generalem et eius Vicarios limitari et restringi disposueramus. Ceterum quia difficile foret praesentes nostras litteras ad omnes mundi partes, in quibus necesse sunt, destinare, volumus et dicta auctoritate decernimus, quod harum transsumpto, manu alicuius publici notarii subscripto et sigillo officii tui munito, ea prorsus fides adhibeatur et in omnibus stetur perinde, ac si litterae eaedem originaliter exhiberentur et ostenderentur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die III. Decembris, anno Domini MCCCCLXXIX, pontificatus nostri anno nono.

Item, eodem anno concessit sequens Breve ad continendum Fratres in obedientia Vicariorum:

Sixtus Papa IV. Dilecto filio Vicario Generali ultramontano Ordinis Minorum de Observantia.

Dilecte etc. Fecisti nobis nuper humiliter supplicari, quatenus dignaremur benignitate paterna opportuno tibi adesse remedio ad continendum in observantia obedientiae Fratres tuae curae subiectos, quorum aliqui plerumque vagantur ex eo, quia nonnulli dicti Ordinis Fratres tuae curae non subiecti litteras et indulta a nobis se habere asserunt recipiendi Fratres de Observantia contra et praeter formam litterarum felicis recordationis Pauli Papae II, praedecessoris nostri, super concordia Observantium et Conventualium Fratrum dicti Ordinis editarum. Quocirca recolentes, quod nos, dum nos in Minoribus ageremus, suasores ipsi Paulo praedecessori fuimus edendi huiusmodi litteras, quodque nec fuit nec est nostrae intentionis praedictis litteris concordiae, quas utiles et pernecessarias esse cognoscimus, in aliquo quoad haec derogare; volumus et praesentium tenore declaramus, quod quicumque Frater tuae curae subiectus absque tua licentia aut sui Provincialis Vicarii praesumeret recedere, ipso facto excommunicationis poena ligatus sit, quam poenam ultra illas in illis litteris contentas receptores quoque illorum incurrant, quibuscumque litteris, privilegiis et indultis in genere vel in specie locis aut personis quibuslibet per nos concessis, etiam si talia essent, quod de eis eorumque totis tenoribus habenda esset expressa et specifica ac de verbo ad verbum mentio specialis, quae omnia ha-

rum serie revocamus, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XVI. Octobris, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXXIX, pontificatus nostri anno nono.

Eodem anno, VII. kalendas Augusti [1], donavit et confirmavit praedictus Pontifex Sixtus Maximus indulgentias ecclesiarum, domorum et oratoriorum Ordinum Minorum et sanctae Clarae per universum orbem constructarum et aedificatarum et quae construi et aedificari contigerit in futurum. Et ut congrua devotione et veneratione a Christifidelibus visitentur, et quae imperfectae sunt, perficiantur et ad complementum deducantur ac complete conserventur et manuteneantur, nec non paramentis et aliis ad divinum cultum inibi necessariis debite ornentur, ipsique Christifideles ad dictas ecclesias eo libentius confluant et ad praemissa manus porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae conspexerint se refertos; de omnipotentis Dei misericordia, omnibus et singulis, qui dictas ecclesias et oratoria in singulis sancti Francisci centum annos et totidem quadragenas, et sanctorum Antonii de Padua, Ludovici Episcopi, Bernardini confessoris et sanctae Clarae et beatae Elisabethae festivitatibus quinquaginta annos et totidem quadragenas, devote visitaverint, est largitus in Bulla incipiente: *Sacri Praedicatorum et Minorum Ordines.*

Eodem anno fuit aestas sicca et arida, quod homines ob penuriam aquae per duo milliaria Alamannica aquam veherent, et incurrebant iumenta multa pericula ob penuriam aquarum in Norico et similiter in Moravia.

Reges quoque Mathias Hungariae et Wladislaus Bohemiae eadem aestate percusserunt foedus pacis in Olomutio [2], civitate Moraviae, ubi et praesens fuit venerandus pater frater Paulus de Moravia, olim magister scholasticus in maiori ecclesia Olomucensi ante magistrum Andream de Brunna [3] et magistrum Thomam, tunc Vicarium Provinciae Bohemiae, qui me fratrem Nicolaum Glassberger, declinantem ad locum Olomucensem cum fratre Nicolao Ottonis de Bamberga gratia visitationis parentum meorum, caritative et benigne suscepit et omnem humanitatem exhiberi iussit. Qua regum confoederatione celebrata, profecti sumus cum rege Bohemiae versus [4] per medium haereticorum, qui, videntes nos, mirabantur de nobis, quod calopedia portabamus, ut puta qui prius nullum Fratrem Minorem de Observantia viderant. Unde contigit in civitate Altamuta [5], dum cum socio ad quoddam hospitium divertissem, quidam de secta Hussitarum homo, ut videbatur, operibus pietatis intentus, volebat nobis denarios dare pro sustentione et victu. Cui cum lingua sua respondissem, nos non recipere pecunias, interrogavit, quidnam reciperemus. Me rursus ei respondente, nos solummodo admittere solitos victus necessaria pro sustentatione corporum; ille, nescio an naturali pietate, vel paupertatis amore permotus, nos amplexatus, invitavit ad secum eundum [6] asserens, se nobis omnia in copia ministraturum. Duxit autem nos

---

[1] 25 Iulii.

[2] Cod. *Olomutz.*

[3] Id est theut. Brünn, oppidum Moraviae.

[4] Probabiliter in cod. vocula *Pragam* post *versus* excidit.

[5] Id est « Hohenmauth » in Bohemia, quod oppidum non longe distat a civitate « Leitomischl », supra pag. 253, nota 1. memorata, et a « Chrudim » aliquanto inferius dicta.

[6] Cod. vitiose *eundem.*

ad domum quandam et matrifamilias dixit: « Date his viris sanctis, qui Christi vitam sequuntur, omnia necessaria, ego solvam. Nam omnes sacerdotes deberent sic vivere ». Tuncque respondi, quod non omnes simpliciter, sed illi dumtaxat, qui voto professionis evangelicam perfectionem sponte assumpserint. Ipsa autem domina domus dicebat, se nihil ab eo recepturam, sed velle ipsa opus misericordiae facere, deditque nobis potum et omnia necessaria ad bonam refectionem.

Ego vero, ne cibum gratis acciperem, feci modicam exhortationem ad bonum et interrogavi super obedientia Romani Pontificis et communione sub utraque specie, et an apud eos Religiosi essent. Responderunt, se nihil scire, si difficultas sit inter nos et ipsos ex parte obedientiae Romanae Ecclesiae, sed facere se, sicut sacerdotes eorum eis praedicarent. De Religiosis nihil, inquiunt, scimus, nisi quod nos Christiani satis sumus religiosi — cum tamen omnes in illa civitate seu haeretici seu schismatici essent — subiungentes, olim ibidem fuisse quoddam monasterium, quod Ziska, cum tyrannus et capitaneus in exercitu Taboritarum fuit, destruens evertisset. Et nihil profecimus in eis in fide suadendo. Summo mane profecti cum exercitu regis ad aliam civitatem, quae « Chrudim » appellatur, quaesivimus hospitium et per multas aedes denegabatur nobis hospitium, donec devenimus ad domum amicorum Alexandri, qui tunc Pragae erat in monasterio Caroli Canonicorum Regularium doctor, et ultimo factus est Frater Minor de Observantia; ubi recepti hospitio, mansimus die tota, habuique ibidem disputationem cum quadam perversissima vetula haeretica, quae asserebat, se habere duos fratres, ambos plebanos, et, ut intellexi, ambo erant haeretici. Hanc et omnes alios ibidem praesentes duxi ad inconveniens ex parte assertionis eorum de communione sub utraque specie. Quaesivi enim ab eis, utrum crederent, esse sanguinem in corpore Christi contento sub specie panis, et totum Christi corpus in calice sub specie vini, an vero illud solum sub specie panis et illum solum sub specie vini in calice contineri. Responderunt illi, quod in hostia sub specie panis solum corpus Christi et solum sanguis sine corpore in calice sub specie vini contineatur, et sic se credere. Quibus ego: « Cum sine sanguine non vivat homo, et sanguis sine corpore cruor sit, si, ut dicitis, in corpore Christi sub specie panis contento sanguis non est, non sumitis Deum et hominem vivum et verum, sed cadaver exanime, cum sedes animae sanguis sit, similiter cruorem, non sanguinem ».

Cumque eis dissererem, quod sub specie panis ex vi verborum Christi a sacerdote debita intentione prolatorum sit verum Christi corpus, et sanguis ex concomitantia; similiter in calice sub specie vini verus Christi sanguis, et ex concomitantia corpus etc., dixerunt: « Sacerdotes nostri hoc nunquam nobis dixerunt ». Ego autem respondi eis dicens: « Vestri sacerdotes *caeci sunt et duces caecorum*, de quibus Christus dicit in Evangelio [1]. Dominantur vobis, ut sint apud vos in honore. Et quoniam ipsi a Deo derelicti sunt, ideo fovent vos in erroribus et non dicunt vobis, quae sunt salutis, sed quae libenter auditis. Pueros parvulos sine ratione communicatis contra Apostoli [2] sententiam: *Probet se ipsum homo et sic de pane illo edat.* Quomodo autem potest se ipsum puer probare, cum non habeat usum rationis »?

Haec in summa dixi et reliqui eos in suis erroribus obstinatos. Deinde venimus

---

[1] Matth. 15, 14. — [2] Epist. I. Cor. 11, 28.

in Lzoram, vulgariter « Kuttenberg », consequenter Brodam [1], postremo Pragam, et ibidem clausis ianuis in castro et in summo in sacristia celebravimus. In via nullibi celebravimus nisi in oppido Moraviae Moglitz [2]. Quid autem Pragae egerimus, nimis longum foret dicere, ideo modo supersedeo. Hanc frasbam (sic) idcirco posuerim, ut intelligatur, quam difficile sit, aliquem ibi fructum facere posse, ubi tam immensa est multitudo haereticorum, schismaticorum et apostatarum, nisi Deus singulari gratia peccatis eorum misereatur. Quod utinam eis quam festine contingat, ne perdantur in finem!

Eodem anno, cum fuisset frater Stephanus Fridelini de Provincia nostra Argentinensi ad tempus Romae cum fratre Iohanne Kempt et rediturus ad Provinciam, quam citius et facilius veniret, navem marinam conscendisset, supervenerunt piratae et captas naves hominesque duxerunt in insulam Corsicae, ubi, mercatoribus detentis, Fratres liberos dimiserunt. In ipsa insula Corsicae sunt haec loca sancti Francisci de poenitente [3], id est paupere vita: 1. Nunza [4], muratum castellum; 2. Calve [5], ubi est portus maris; 3. Bonifacius [6], ubi maximum muratum castellum; 4. Arnano [7]; 5. Nebio [8]; 6. Lavenzelascho [9]; 7. Beulia [10], muratum castellum; 8. Loco de Morano [11]; 9. Aleschano [12]; 10. Bulani [13]; 11. Corte [14]; 12. Brando [15] circa Elbam longam; 13. Valle de Pino [16].

Eodem anno, in die sancti Colmanni [17], habita est victoria de Turcis, qui eruperant volentes invadere Christianorum terras [18] et partes Bosniae, quibus restiterunt stipendiarii diversarum nationum pro parte Mathiae, regis Hungariae, aliquibus eorum submersis in flumine, aliis gladio cadentibus.

Eodem anno, feria tertia ante festum sanctae Elisabethae [19], obiit reverendus pater frater Nicolaus Kackman [20], Minister Saxoniae, in Vratislavia et ibi est sepultus.

---

[1] Id est « Böhmisch-Brod ». — Immediate ante cod. *Kuttberg* pro *Kuttenberg*.

[2] Vel potius « Müglitz ». — [3] Ita fortasse verbum abbreviatum *ponie* in cod. legi potest.

[4] Wadding., l. c. ad an. 1447, n. LXXI dicit: *Nunta*, Rudolphus et Hueber: *Nuncia*, et est ital. « Nonza ».

[5] Wadding. cum aliis *Calvium*, et est italice « Calvi ».

[6] Ita etiam Wadding., l. c. ad an. 1304, n. XXXIX, et 1331, n. XXI, et alii, est italice « S. Bonifacio ». — [7] Ita cod., sed recte scribitur Ornanum, ital. « Ornano » prope Aiaccio.

[8] Ita italice; lat. Nebicum, vel Nebium, ut exhibet Hueber, apud alios deest.

[9] Ita cod., Wadding., l. c. ad an. 1440, n. XXVII, *Avenzolasche* (Ariincolasche), Rodulphus: *Avenfolasche*, et Hueber: *Vanuilascha*, sed recte est *Venzolasca* prope Bastiam.

[10] Recte *Bigulia*, ut habent auctores cit., ital. est « Biguglia ».

[11] Recte scribitur « Mariana », civitas prope Bastiam.

[12] Ita cod., probabiliter pro « Calenzana », Wadd. et Rodulph.: *Alisanum*, Hueber: *Galensium*.

[13] De hoc nec Wadding. nec alii mentionem faciunt.

[14] Ita italice; Hueber: *Carthae*, alii hunc locum non commemorant.

[15] Ita italice; Hueber: *Brandus*, alii nihil de hoc dicunt.

[16] Nullus alius de hoc quidquam exhibet. — [17] 13 Octobris.

[18] Hanc voculam, quae probabiliter in cod. excidit, adiungimus.

[19] 19 Novembris; et erat anno 1479 feria VI, et feria III. die 16 Nov. — In cod. desunt verba *festum sanctae* ante *Elisabethae*, et paulo superius *anno* post *Eodem*.

[20] Wadding., l. c. ad an. 1440, n. XXVII. scribit probabiliter rectius: *Lackmann*. Apud alios legitur: *Lackemann*, vel etiam *Lagkmann*.

Hoc etiam anno in autumno post festum sancti Dionysii[1] venerunt de Norimberga ad Ambergam lignifabri, daturi consilium, quomodo subveniretur ecclesiae iam antea noviter consecratae, quae ruinam minabatur, quia murus fuerat ad plenum exsiccatus nec aequalis. Nam contra ambitum erant ligna in duplo longiora et murus bassus, propter quod stare non potuit, licet illi lignifabri reverendo patri Iohanni Altpart, tunc Guardiano Norimbergensi et Commissario, spem darent ipsi structurae subveniendi. Cumque multa ligna in gravem iacturam conventus caederentur, non valuerunt ruinam instaurare, sicut spoponderant. Unde fuerunt ligna eadem anno sequenti de ecclesia remota et ad fabricam domus infirmorum eiusdem conventus adaptata, ne in usus saecularium devenirent de consecrata ecclesia sumpta, prout iure vetatur.

Anno Domini 1480, dominica *Iubilate*[2], fuit capitulum provinciale celebratum in conventu sancti Udalrici prope Barr in dioecesi Argentinensi per reverendum patrem fratrem Iohannem de Lindenfels, Vicarium Provincialem; quo ibidem resignante, electus est in eius successorem reverendus pater frater Iohannes de Lare, grandaevus, sanctimonia vitae et morum honestate conspicuus.

Frater Iohannes de Lare Vicarius Provinciae Argentinensis, tertia vice electus 1480.

In hoc capitulo intimatum est, declarasse Papam Sixtum IV, Fratrem *solum* orantem in Quadragesima non teneri ad duplicandum litanias post septem Psalmorum recitationem.

Item exhortatum fuit per Definitores et Vocales, quod Fratres omnes et singuli, quos rationabilis causa non excusat, iudicio sui Guardiani post Completorium ad dimidiam horam, post Matutinum vero ad quartale unius horae se devote recolligere studeant, cum hoc eis, status sui attenta qualitate et conditione, debeat esse editissimum, quae exhortatio etiam ad sorores sanctae Clarae extenta est. Nam Fratres de Rheno non habebant communiter consuetudinem se recolligendi, sicut Fratres in Bavaria; propter quod exhortatio facta est.

Gratiae concessae Guardianis in eodem capitulo:

Primo, quod possent licentiare Fratres suos intra Provinciam dumtaxat et non extra, nisi in casu inevitabili per Discretos iudicato.

Secundo, quod possent mittere Fratres suos, praemissa examinatione et consilio Discretorum, ad sacros ordines usque ad sacerdotium exclusive.

Tertio, quod possent recipere tam ad probam quam ad professionem Fratres clericos dumtaxat.

Quarto, quod haberent auctoritatem a censuris et casibus reservatis absolvendi Fratres de nostra familia undecumque ad eos declinantes, more consueto et in occultis tantum.

Quinto, quod pro praeteritis possent absolvere tam novitios quam professos omnimoda auctoritate Vicarii.

In hoc capitulo datus fuit per electionem Guardianus conventui Ambergensi frater Lucas Bergau[3], qui fuit involuntarius ad structuram ecclesiae iam tunc inceptam perficiendam.

---

[1] 9 Octobris.

[2] Dominica III. post Pascha, quae hoc erat anno 23 Aprilis.

[3] Cod. *Bergaw*.

Eodem anno, dominica *Iubilate* [1], congregati in convocatione in Lipsia Fratres Conventuales et Martiniani elegerunt in Ministrum Saxoniae XXX. fratrem Eberhardum Hillemann, sacrae theologiae doctorem, de Custodia Lubicensi, qui celebravit haec capitula: MCCCCLXXXII Budissinae [2]; MCCCCLXXXV in Stendalio; MCCCCLXXXVIII celebraverunt capitulum in Vratislavia magister Nicolaus baccalaureus et magister Iohannes Rochau [3], professores sacrae theologiae, eius Commissarii, et conveniebant Martiniani cum Conventualibus in capitulis.

Frater Eberhardus Hillemann XXX. Minister Saxoniae, magister in sacra theologia.

Dum eodem anno reverendus pater frater Iohannes Altpart, Guardianus Norimbergensis, omnia arma et insignia civium, hinc inde inordinate in ecclesia Fratrum pendentia, de consensu dominorum de consilio in unum locum ordinate coadunare disposuisset, familia « der Waltstromer » impetrarunt litteras Apostolicas, quibus mandabantur eorum arma ad priorem locum reponi, unde remota erant.

Dilectis filiis Guardiano et Fratribus loci Norimbergensis Ordinis Minorum de Observantia.

Sixtus Papa IV. Dilecti filii, salutem etc. Cupit dilectus filius Franciscus Waltstromer, incola Norimbergensis, arma et insigna progenitorum suorum, quae circa sepulturam eorum in vestra ecclesia sita erant et nuper a vobis oblitterata sunt, reponi, ne illorum memoria, qui clari et benefactores loci vestri fuerunt, obscuretur, neve ipse et posteri sui ab eleemosynis vobis impendendis properes retrahantur. Quare ipsius Francisci honestis in hac parte supplicationibus inclinati, devotionem vestram hortamur in Domino et in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis in singulos vestrum vobis poena mandamus, ut arma insigniaque huiusmodi, quae posteris calcar ad virtutem esse solent, ubi prius fuerant, reponi permittatis, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XXV. Aprilis MCCCCLXXX, pontificatus nostri anno nono.

Eodem anno fuerunt tres fratres uterini de Provincia Coloniae in nostra Provincia Argentinensi, quorum fuerunt nomina: Iohannes, Henricus, Gulielmus de Laides, e quibus morabatur Iohannes in conventu Norimbergensi; Henricus erat magister novitiorum in conventu Bambergensi; Gulielmus, qui fuit optimus scriptor, morabatur in conventu Ingolstadiensi. Ex his duos, videlicet Iohannem et Henricum, vocavit reverendus pater frater Iohannes Altpart ad conventum Ambergensem, ut fabricarent struem ligneam supra ecclesiam, cui superponeretur tectum et tabulatum arcuale, iuxta morem, quo solent in Hollandia ecclesiae construi et tegi. Qui construxerunt omnia adiutorio carpentariorum, non tamen supra ecclesiam erexerunt, divertentes ad Norimbergam, ubi, adiuncto eis fratre Henrico Lentzinger laico, arte lapicida seu cementario, ordinatione praedicti patris Commissarii in monasterio sanctae Clarae

---

[1] Cfr. supra pag. 470, nota 2. — Pro *Lipsia* cod. *Leyptz.*

[2] Cod. *Budissin, Stendel.*

[3] Cod. habet *Rochaw* (Rochow?). — In cod. quodam msc. bibliothecae Paulinae Lipsiae (n. 1525), qui inter Miscellanea theologica etiam catalogum Ministrorum Provincialium Provinciae Saxoniae intra an. 1450-1460 exaratum continet, scripsit dictus Iohannes ipse, ut dicit cl. P. Ehrle (Innsbrucker Zeitschrift für kathol. Theologie 1883 p. 770) fol. 15ª: Ioh. Rathaw (Erfordiae), fol. 15ª et 80ᵇ: Ioh. Rothaw in Magdeburg.

aedificaverunt quendam murum cum ponte pro introitu regularis ostii cum scala, opus sumptuosum et minus utile, quod postmodum reduci et claudi muro oportuit, quia inutile et fatigativum semper fuit, et ianuam in ecclesia muro tunc obstructam, quae hodie exstat, rursum aperiri et ostiis et seris aptari. Vicarius autem Provincialis, reverendus pater frater Iohannes de Lare, audiens, dictos fratres de Laides ideo involuntarios esse ad erectionem fabricae ecclesiae Ambergensis, quia Guardianus eis necessaria victus non dabat, assumptis secum illis fratribus, contulit se Ambergam et correcto Guardiano, providit, eis necessaria victus dari. Quo facto erexerunt omnia sub tecto.

Eodem anno MCCCCLXXX illustrissimus princeps Albertus, dux Superioris et Inferioris Bavariae ac comes Palatinus Rheni, gener Friderici imperatoris III, dedit operam preces porrigendo Sixto IV. Pontifici, ut reformarentur monasteria Minorum et sororum sanctae Clarae oppidi sui Monacensis, impetravitque Bullas reformatorias sub dato XII. kalendas Maii[1] dicti anni, deputatis in eis exsecutoribus ipsius reformationis reverendis patribus et dominis Episcopo Frisingensi et Abbatibus monasteriorum Tegernsee[2] et Ebersberg. Qui cum se excusassent, quod dictae reformationi interesse non valerent, ipse princeps, assumptis secum venerabilibus patribus Iohanne de Lare, Vicario Provinciali Provinciae nostrae Argentinensis, ac Iohanne Altpart, Guardiano Norimbergensi, ac Iohanne Ulrici Eysenflam, Guardiano Bambergensi, Fratrum de Observantia Ordinis Minorum, in praesentia venerabilium dominorum Ulrici Arsinger, legum doctoris, sancti Petri oppidi Monacensis, et Iohannis Diczesau[3] Augustensis, et Eistadiensis Canonicorum, et Iohannis Pyrckamer, utriusque iuris doctoris, et ipsius principis consiliariorum pro testibus rogatorum, dicti conventus Minorum Monacensis Guardiano et Fratribus legi fecit Bullas dictas, requisivitque eos, ut reformationem et visitationem in se suscipere vellent. Qui Guardianus et Fratres hoc facere nolebant et litteras tam Pauli Papae II. pro concordia editas, quam Sixti Papae IV. super inhibitione et alias eis concessas in medium producebant, asserentes, reformationem et visitationem vigore praedictae Bullae dictis Episcopo et collegis Abbatibus directae, quae praedictis litteris ab eis exhibitis sufficienter non derogabat, fieri non debere nec posse.

Fuit tunc ibidem lector, frater Iohannes Sartoris, de villa quadam prope Monachium ex paupere sartore genitus, quem dictus princeps in studio sustentaverat. Huic saepenumero dixerat ipse princeps, quod intenderet utrumque conventum reformare, et ab eo quaesierat, si, reformato conventu, in Observantia vivere vellet, et ipse responderat, quod reformatio sibi placeret et in ea perseverare intenderet. Hic itaque lector inter ceteros suos confratres reformationi obstinatius resistebat conabaturque, quantum valebat, eam impedire et praedictis venerabilibus patribus de Observantia convicia inferebat dicens: «Hi non sunt Fratres Minores, sed Fratres de Bulla».

Cumque haec et his similia multa, audiente principe, eis indigna obiiceret, nec posset eius importuna garrulitas reverentia praesentium cohiberi, allocutus est eum princeps ipse, dicens: «Pater lector, numquid me vobis dicente, quod reformare intenderem hunc conventum, et beneplacitum vestrum super hoc inquirente, respon-

---

[1] 20 Aprilis. — [2] Cod. *Tegerensee.* — [3] Cod. *Diczesaw.*

distis mihi, placere vobis reformationem, promisistisque mihi velle in ea manere»? Cui lector ipse, interpretando verba et promissa sua dolosa, dixit, quod intendisset de reformatione per Ministrum fienda, non de illa per Fratres de Observantia. Respondit ei princeps: «Observat autem Minister regulam et observantiam»? Tunc ille nihil habens, quod responderet, confusus obmutuit et cum ceteris suis complicibus, cum quibus antea pactus fuerat, quod nullus eorum in Observantia maneret, si non possent obsistere, exivit conventum et se in civitate in una domo receperunt, ubi iussit eis princeps necessaria victus dari.

Clenodia autem aurea et argentea et calices plurimos et meliora paramenta altarium et casulas et dalmaticas et cetera quaeque pretiosa conventus, cum eis de reformatione fienda innotuerat, furtim abduxerant ad Augustam; pro quibus sorte missa, quis quid tolleret, dispergebantur, alii ad alios conventus Conventualium, alii ad Austriam, alii ad plebanos iuxta silvam Bohemicam, ubi prius terminarii fuerant, divertentes, et nullus eorum reformationem amplecti voluit. Post aliquot tamen annos tres eorum redierunt, videlicet frater Albertus, socius et capellanus reverendi patris domini Ulrici Branberger, suffraganei Episcopi Frisingensis, frater Erasmus Schaltdorfer [1], qui tempore reformationis ipsius Venetiis studio vacabat, et frater Iohannes Summerle. — Patet ex dicto furto ab eis commisso, nullum consilium salubrius fore, quam quod, usquequo exsecutum est, occultum tenetur. Consilia enim publica hostibus cautelae sunt etc.

Expulsis igitur Conventualibus, et Fratribus de Observantia, qui in monasterio Inderstorf Canonicorum Regularium eventum rei exspectabant, Monachii in quadam domo collectis et cum cruce ad eos allata conventum ingressis, misit princeps ad Curiam pro suppletione, si qui commissi erant in reformatione conventus, defectuum et confirmatione reformationis; quibus impetratis, stetit reformatio in pace. Primus Guardianus in reformatione in eodem conventu institutus fuit venerabilis pater frater Petrus Cristanni, de Vratislavia oriundus, qui tunc praedicator conventus Norimbergensis erat.

Eodem tempore in profesto XI millium Virginum [2] reformatus est conventus sororum in Monachio. Cum enim reverendus pater frater Iohannes de Lare, Vicarius Provincialis, cum praedictis Praelatis et dominis monasterium intrasset, hortatus est eas, ut sua vota Domino exsolverent et se regulari observantiae secundum mandatum Apostolicum subderent. Responderunt, libenter se omnia facturas, et verba bona et plena compositione falsae affabilitatis et ostensione bonae voluntatis dederunt. Vicarius autem Provincialis et ceteri patres credentes verbis earum et omnia sine fraude et dolo esse putantes, reliquerunt priorem Abbatissam in officio, videlicet dominam Dorotheam Ersingerin, et assignaverunt eis Fratres, qui eis in Divinis ministrarent, videlicet fratrem Petrum Waldung pro confessore et fratrem Franciscum Nebling pro socio et fratrem Bernardum Puch [3] pro praedicatore, mandantes, ut regulam servarent, et promittentes eis missuros aliquas sorores de Norimberga, quae eis in observantia regulari adiutorio essent et forma. Sicque rebus compositis, abierunt ad conventum.

---

[1] Cod. *Schalltdorffer*.

[2] 21 Octobris.

[3] Vel: Buch.

Eodem anno[1], die XVIII. mensis Novembris, hora Tertiarum accesssit sanctissimum dominum Papam Sixtum IV. reverendissimus pater frater Angelus de Clavasio, Vicarius Generalis familiae ultramontanae, cum socio suo fratre Alberto de Foro Iulii et supplicavit, quod Religio nostra possit celebrare festum de quinque Fratribus martyrizatis in Marochio. Qui sanctissimus Papa declaravit et voluit, quod ipsi quinque Martyres apud omnes populos universaliter habeantur et sint catalogo Sanctorum adscripti in die sancti Marcelli[2] de mense Ianuarii, sicut longe antea per predecessores suos in civitate regni Portugalliae, ubi eorum corpora requiescunt, de eisdem Sanctis specialiter decretum fuerat. Haec statuit XX. die mensis Novembris, anno praedicto 1480.

Deinde supplicavit frater Albertus, quod possimus facere de sancta Anna festum maius duplex; similiter de sancto Iosepho maius duplex, et concessit.

Item, quod Fratres nostri utriusque familiae habeant in singulis locis, ubi morantur, eandem indulgentiam, quae est ad sanctam Mariam de Angelis, eo tempore et die visitando ecclesias locorum, in quibus morantur, ac si ecclesiam sanctae Mariae de Angelis ingrederentur, et hoc concessit Fratribus tantum.

Item, septima die Decembris, cum praedictus reverendissimus pater frater Angelus de Clavasio cum praedicto socio, fratre Alberto, denuo Pontificem accessisset, postulavit frater Albertus:

Quod omnes indulgentiae, tam plenariae quam non plenariae, quae sunt in ecclesiis Romae, eisdem diebus sint in ecclesiis locorum Fratrum citramontanae et ultramontanae familiae; concessit pro Fratribus tantum.

Item, eidem Vicario declaravit Sanctitas sua, quod non intendit, quod propter aliquam Bullam, aut aliquod Breve factum vel faciendum, gratiae vel indulgentiae factae et concessae Fratribus eorumque locis, concernentes Fratres tantum, suspensae aut revocatae sint, aut suspendantur[3] vel revocentur in futurum, cum tales gratiae in nullo derogent camerae Apostolicae.

Item, decrevit, quod festum Praesentationis Virginis Mariae fiat XXI. Novembris maius duplex, et accipiatur officium Nativitatis eiusdem, mutato nomine.

Item, quod faciamus officium Visitationis Mariae.

Item, quod fiat officium Conceptionis Mariae cum Octava duplici, quod est modo quoad Octavam mutatum[4].

Item, mandavit, quod fiat Octava de festo Omnium Sanctorum et dies octava duplex, et quod infra eandem non fiat de aliquo festo, nisi fuerit duplex.

Item, indulgentiae plenariae Romae concessae Fratribus tantum:

In primis Aracoeli in Natali Domini, in die Circumcisionis, in diebus sanctorum Bernardini et Antonii.

In sancto Francisco trans Tiberim est indulgentia plenaria in die sancti Francisci.

In sancto Marco Romae indulgentia plenaria, videlicet in die Epiphaniae, in Octava Corporis Christi; item, a II. feria maioris Hebdomadae sanctae usque ad feriam III. dominicae Resurrectionis.

---

[1] Haec vox, vel *tempore* in cod. excidisse videtur.

[2] 16 Ianuarii, quo die etiam nunc festum eorum celebratur. — [3] Cod. *suspendentur*.

[4] Ita cod., manus posterior delevit verba: quod est... mutatum; ea de causa, quia festum dictum celebratur cum Octava duplici.

In sancta Maria de Populo Romae indulgentia plenaria qualibet die sabbati Quadragesimae maioris, in Purificatione beatae Mariae, in Annuntiatione, in Visitatione, in Assumptione, in Nativitate et in Conceptione eiusdem.

Istas et omnes alias indulgentias, quae sunt Romae, concessit Papa Sixtus Fratribus tantum in suis locis, et debent Fratres, quando occurrit una de praefatis indulgentiis, dicere quinque *Pater noster* et totidem *Ave Maria* pro Papa et Ecclesia.

Hoc etiam anno, XXI. die mensis Novembris, missae fuerunt de monasterio in Norimberga Ordinis sanctae Clarae ad Monachium tres sorores, videlicet Felicitas Trautmannin [1], Felicitas Gralatin et Catharina Adelmannin, quae postea facta est Abbatissa. Duae priores olim etiam missae fuerant ad reformandum conventum Egrensem.

Eodem anno praedicata fuit crux, et data plenaria indulgentia pro defensione insulae Rhodiae, et multa pecunia fuit sublata a Commissariis et dominis Iohannitis.

Item, eodem anno, pridie nonas Decembris [2], dedit Sixtus Papa IV. indulgentias plenarias pro recuperatione civitatis Hydruntinensis, quam quidam satelles, ab imperatore Turcorum missus, desolaverat, multis Christianis ibidem trucidatis. Et hanc indulgentiam voluit Papa solummodo per Fratres nostros publicari etc., ut infra patebit.

Praedicto anno, quo Sixtus Papa IV. praedictos [3] quinque Martyres de Ordine Minorum in Ecclesia Dei exaltavit, iniquus et maledictus Mahometus in inferna est demersus. Nam scribit frater Paulus Waltheri — qui ipso tempore fuit Commissarius sacrorum Locorum ac Fratrum sancti Francisci de Observantia in Ierusalem et in monte Sion, et olim Guardianus Basileensis fuerat et postmodum confessor sororum in Sefflingen factus est — in libro « de Terra Sancta et locis Terrae Sanctae », quem conscripsit ad dominum Iohannem Fax de Risenberg, parte VI, quod anno eodem, videlicet MCCCCLXXX, divina permissione venit maxima tempestas super civitatem Meccam [4], et tanta tonitrua et coruscationes terribiles et fulgura terribiliter descenderunt super fanum et templum, ubi maledictum corpus Mahometi sepultum erat, quod destruxerunt et percusserunt sepulcrum Mahometi cum eius corpore maledicto in profundum terrae, quod nec videri nec reperiri potuit amplius. Et dixerunt aliqui, quod ter una die sic terribiliter tonitrua super mischeam descenderunt. Et post aliquot dies inceperunt fodere et quaerere Mahometistae sepulcrum cum ossibus et non invenientes, coeperunt reaedificare mischeam, et cum iam structura quasi consummata esset, iterum venit tempestas et totum aedificium iterum deiecit. Et ex illo facto multi Saraceni coeperunt titubare in lege et haesitare in secta eorum. Audientes haec ipsorum doctores, sed potius seductores, inierunt consilium inter se, quid facturi essent.

Surrexit tunc ex illis magis famosus ipsorum doctor, filius Belial, dolositate et iniquitate plenus et congregans anno Domini MCCCCXXXI in civitate Alcairo [5] regem et maiores populi et omnem populum civitatis, quantum potuit, ascendens cathe-

---

[1] Cod. *Trawtmannyn, Gralatyn, Adelmannyn.*

[2] 4 Decembris.

[3] Cfr. supra pag. 474, nota 2.

[4] Cod. *Mecham.* — [5] Idem est ac Kairo.

dram, seminavit semen inimici et omnis perditionis, clamans lamentabiliter et dicens: « Audite populi beati Mahometi, prophetae nostri, nuntii Dei! O quam bonum et quam gratiosum habemus prophetam! Deus propter peccata nostra voluit nos omnes de terra delere, ipse vero intercessit suis precibus pro nobis rogavitque Deum, ut illa plaga descenderet super corpus suum et demergeret illud in profundum terrae et parceret nobis; quod et factum est, sicut videtis hodie, et nos liberati sumus. Laudate ergo Deum et honorate Mahometum, qui sua pietate recepit hanc plagam super se et liberavit nos. Quapropter iuvate, ut reaedificetur suum templum, et non dubitetis in fide et lege nostra ». Et sic totum populum reduxit ad errorem pristinum et confortavit in secta eorum maledicta, et ambulant, ut prius, viam iniquitatis et aeternae damnationis. Sicque stulti et errantes perdiderunt Mahometum confusibiliter, in quem spem suam vanam constituerant. Et nemo Christianorum dubitare debet, quin Deus hoc permisit, ut diabolus tolleret maledictum corpus ad damnatam animam, iam diu in poenis tormentatam, ut sit in poenis perpetuis cum corpore et anima socius et consors luciferi et angelorum eius, et ut nobis Christianis innotescat, quod lex et secta sordida et impudica Mahometi et Saracenorum cessabit et confusibiliter cadet sub potenti manu Dei, et erit gloria Domino nostro Iesu Christo in saecula saeculorum. Amen. — Haec ille.

Anno Domini 1481, proxima die [1] post Conversionem sancti Pauli, visitavit reverendissimus pater frater Gulielmus Bertho, Vicarius Generalis, sorores Ordinis sanctae Clarae in Norimberga, cum iam Fratres in Nova Civitate et Bambergae et in conventu [2] visitasset, quibus spiritualem consolationem impendendo, allocutus est eas adhortando, ut Domino Deo, sponso earum, praeparatis lampadibus in via contemplationis et devotionis occurrant et perfectionis semitam post sanctam Claram, matrem primiceriam, amplectantur [3]. Et benedictione eis imprecata, perductus est in curru sororum cum sociis et fratre Leonardo Engelhardi ad montem beatae Mariae prope « Meng ». Et visitatis ibidem Fratribus et aliquibus iuxta regulam examinatis officio praedicationis iniuncto, diem illum in exhortatione Fratrum ibidem peregit. Sequenti autem die coepit nimium aegrotare. Cumque Fratres loci ipsum rogarent, ut se reduci permitteret ad Norimbergam, ut saltem consilio medicorum posset convalere, noluit consentire, dicens ad Fratres: « Grandis nobis restat via »; rogavitque Guardianum, ut disponeret, quod ad conventum Ingolstadiensem duceretur, sperans in via convalescere, ut ad Monacenses conventus noviter tunc reformatos diverteret. Guardianus autem, frater Iohannes Lierhamer, disposuit pro eo parvum vehiculum et associavit ei duos fratres notos in via, quorum unus fuit Iacobus Kolor de Hungaria, qui necessaria pro ipso et comitibus ac equis providerent, dimisitque eum.

Invalescente autem infirmitate, vix pervenit ad conventum Ingolstadiensem. Cumque diem ibidem transegisset, coepit manus Domini super eum aggravari, et videns Fratres coram se assistentes, dixit: « *Cupio dissolvi et esse cum Christo* [4]: ideo peto, apportate mihi Dominum meum »; rogavitque, sibi administrari ecclesiastica Sacramenta. Acceptis igitur devote ecclesiasticis Sacramentis, paulisper pausans, oravit

---

[1] Id est 26 Ianuarii.

[2] Scil. Norimbergensi.

[3] Cod. *amplectentur*.

[4] Philip. 1, 23.

septem Psalmos cum Fratribus. Et iterum post parvulam moram, elevatis oculis ad coelum, in medio psallentium Fratrum animam suam Domino commendans, in Christo obdormivit in festo sanctae Dorotheae virginis et martyris [1] cum luctu et planctu suorum sociorum et omnium Fratrum totius conventus, sepultusque est in choro Fratrum in praesentia multorum collegiatorum ac magistrorum et aliorum notabilium virorum. Requiescat in pace. Defuncto Generali Vicario praedicto, rexit familiam tamquam Commissarius reverendus pater frater Iohannes de Lare, Vicarius Provinciae Argentinensis, usque ad profectionem ad capitulum generale.

Interim dum Generalis Vicarius moritur, praedicta domina Dorothea Ersingerin, Abbatissa in « Anger » Monachii, usa non sano consilio cum suis complicibus, quae prius dicebat libenter velle regularem vitam amplecti, dedit per cratem extra septa monasterii quaedam pretiosa clenodia magistro Curiae, quem nominant « Pfleger », mediante sacrista sive laico famulo, qui consueverat altaria in ecclesia, ubi populus ad Divina convenit, praeparare. Qui timore et conscientia ductus, ne videlicet maiora mala et scandala evenirent huic monasterio noviter reformato, secreto propalavit rem istam nonnullis, consilium requirens. Qui indicarunt hoc illustri principi duci Alberto, qui concito vocavit magistrum Curiae sororum praedictum et, scrutatis singulis, comperit, non bonam habere voluntatem Abbatissam ipsam et sorores quasdam ei adhaerentes. Refugere enim satagebant, si ad hoc eis facultas fuisset. — Ideo non est facile credendum mulieribus, quia non est malitia supra malitiam mulieris, quia dolose simulabat, se velle observantiam amplecti etc.

Princeps autem curavit, ne qua earum pedem in commotionem dare posset, et intravit conventum Fratrum et interrogavit patrem Guardianum, qualiter singula agerentur circa monasterium sororum. Guardiano autem, qui sine suspicione erat, respondente, quod bene agerentur, subiunxit princeps dicens: « Aliter scimus, pater Guardiane ». Audiens autem Guardianus a duce singula, mirabatur valde et visitans monasterium, comperit, plura fieri, quae non conveniebant regulari observantiae. Et compertis singulis, quae acta fuerant per Abbatissam, reprehendit eam tamquam dissipatricem observantiae regularis, et deposuit eam conventus et elegit in locum eius dominam Felicitatem Trautmannin, et Priorissam instituerunt aliam Felicitatem Gralatin, quae de Norimberga ad reformandum conventum eundem venerant [2]. Deinde miserunt ad Vicarium Provincialem pro confirmatione electae Abbatissae et aliarum officialium. Qui misit ad praedictas reformatrices adhuc tres alias sorores de Norimberga, quarum erant nomina: Barbara Schwertzin, Agnes Herdegin et soror Gertrudis Kolbin, servitialis et laica, quae exiverunt de Norimberga in profesto [3] sanctae Apparitionis sancti Michaelis in expensis illustrissimi principis Alberti, ducis Bavariae. Supradicta autem Dorothea Ersingerin, deposita Abbatissa, et soror Magdalena Salldorferin et soror Erentraut de Reich [4] missae sunt de Monachio ad Norimbergam in monasterium sanctae Clarae, ubi manserunt usque ad obitum suum, Domino servientes cum multa aedificatione et exemplaritate in observantia regulari; quae nisi de loco Monacensi mutatae fuissent, nunquam pacatae fuissent vel profecissent.

---

[1] 6 Februarii.

[2] Haec vocula, certo supplenda, in cod. deest.

[3] 7 Maii.

[4] Cod. *Erentrawt de Reych.*

Vicarius autem Provincialis, reverendus pater frater Iohannes de Lare [1], Commissarius super totam familiam, vacante generalatu, cum proficisceretur ad celebrandum capitulum generale in conventu Montis-Lucii Provinciae Burgundiae, obiit in via in die sancti Eleutherii Papae [2] in quodam castro et perductus in conventum Divioni [3] eiusdem Provinciae, ibidem est sepultus.

Eodem anno, die sancto Pentecostes [4], celebratum est capitulum generale Fratrum de Observantia in conventu Montis-Lucii, Provinciae Burgundiae, per reverendum patrem fratrem Gulielmum [5] Leminandi, Vicarium Provinciae eiusdem ac Generalem Commissarium, vacante generalatu, et ibidem electus est in Vicarium Generalem pro tertia vice reverendissimus pater frater Iohannes Philippi.

Frater Iohannes Philippi Vicarius Generalis familiae cimontanae pro 3.ª vice.

In hoc capitulo ordinatum est, quod fiat de quinque Martyribus Ordinis festum duplex die XVI. Ianuarii.

Item, quod in quolibet conventu familiae post Missam conventualem cantaretur responsorium [6] de historia Machabaeorum: *Congregatae sunt gentes etc.*, cum verso [7] et collecta pro necessitate christianae religionis et expeditione sanctae cruciatae.

Item, dominus Papa tunc dedit Fratribus et sororibus de Observantia plenariam remissionem omnium peccatorum semel in vita et semel in morte, et quod possent ab omnibus casibus et censuris, suae etiam Sanctitati quomodocumque reservatis, absolvi.

Item, ibidem denuntiati sunt defuncti Fratres in 16 Provinciis nostrae familiae a praecedenti generali capitulo: 763 [8], inter quos in Provincia Burgundiae obiit reverendus pater frater Iohannes de Lare, Vicarius Provinciae Argentinensis; in Provincia Franciae reverendus pater frater Bartholomaeus de Valle 78, et frater Nicolaus Busardi sexaginta annis in Observantia laudabiliter perseveraverunt; in Provincia Turoniae inter alios venerandus pater frater Gihardus Bonocelli circiter sexaginta annos et Petrus Carelli et Divo Gedandi quasi totidem virtuose vixerunt; in Provincia Argentinae reverendissimus pater Gulielmus Bertho, Vicarius Generalis, quorum omnium memoria perpetuo glorificetur.

---

[1] Wadding., l. c. ad an. 1481, n. VIII. scribit *de Larre*, et de Gubernatis, l. c. tom. III. p. 128: *de Larte;* cfr. supra pag. 348, nota 3.

[2] 26 Maii. — Pro *Eleutherii* cod. *Euleutherii.*

[3] Vel Divione, gallice Dijon, cod. *Donyonii.*

[4] 10 Iunii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1481, n. VIII, et De Gubernatis, l. c. tom. III. pag. 128 et 129.

[5] Cod. *Wilhelmum;* Wadding.: *Gulielmus Etemandus,* De Gubernatis: *Gul. Ermandus.*

[6] Quod habetur in Breviario, dominica I. Octobris, ad V. lectionem, et continuat: in multitudine, ut dimicent contra nos, et ignoramus, quid agere debeamus: Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. Tu scis, quae cogitant in nos: quomodo poterimus subsistere ante faciem illorum, nisi tu adiuves nos? Cfr. I. Mach. 5, 9. 10.

[7] Scil.: Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae. Et rege eos et extolle eos usque in aeternum; habetur in Breviario feria II. in Precibus ad Laudes. Collecta habetur in Missali in Missa contra paganos et sonat: Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates et omnium iura regionum: respice in auxilium Christianorum, ut gentes paganorum, quae in sua feritate confidunt, dexterae tuae potentia conterantur. Per Dominum nostrum.

[8] De Gubernatis: 622.

Eodem anno et die [1] congregati patres ultramontanae familiae in capitulo Ferrariae, cui praesedit reverendissimus pater frater Angelus de Clavasio, Vicarius Generalis, elegerunt in Vicarium Generalem pro secunda vice reverendissimum patrem fratrem Petrum de Neapoli, quem confirmavit Generalis Minister, frater Franciscus Samson.

Frater Petrus de Neapoli Vicarius Generalis ultramontanus 2.ª vice.

Eodem anno, VI. kalendas Augusti [2], confirmata est reformatio conventuum Provinciae Daciae per dominum Papam Sixtum IV, facta ad instantiam Christierni [3], Daciae, Swediae [4] et Norwegiae regis, et reverendorum dominorum Iohannis, Archiepiscopi Lundensis [5], Olarii Roskildensis [6] et Caroli Ottoniensis [7] Episcoporum, et Guardianorum et Fratrum eiusdem Provinciae, et fuerunt ibi conventus ab omni iurisdictione, superioritate et dominio Ministrorum penitus et omnino exempti et obedientiae et iurisdictioni Vicarii per eos electi et Vicarii Generalis citramontanae familiae de Observantia perpetuo subiecti, concessis eisdem conventibus et Fratribus omnibus privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, quibus Fratres de Observantia dictae familiae in genere vel in specie gaudent, fuitque eadem Provincia familiae incorporata, et destinati sunt Fratres ex aliis Provinciis ad Provinciam dictam propter Fratrum paucitatem ibidem. Inter quos missi fuerunt de Provincia Coloniae quinque sacerdotes obedientia capituli generalis Montis-Lucii praedicti [8], data ad patrem infrascriptum:

In Christo sibi carissimo fratri Michaeli de Lira Ordinis Minorum patres omnes Vicarii Provinciales, Custodes atque Discreti Discretorum nostrae congregationis generalis cismontanarum partium in conventu Montis-Lucii etc. salutem et pacem.

Cum nuper per reverendissimum recolendae memoriae patrem Gulielmum Bertho, dictarum cismontanarum etc. Vicarium Generalem, Provincia Daciae de favore et assensu sanctae Sedis Apostolicae sacrae nostrae familiae quoad conventus iam reformatos et, Deo favente, reformandos consultissime incorporata fuerit, veniantque ipsius Provinciae supposita velut novellae plantationes etc.

Item, missus est frater Bernardus Blochen, Guardianus conventus Kampensis [9] Provinciae Coloniae, cum aliis Fratribus in adiutorium dicto Commissario ad dictam Provinciam Daciae.

Eodem anno, die tertia Decembris, revocavit dominus Papa Sixtus IV. Breve quoddam, quod anno praecedenti sororibus Coletanis concesserat et aliis eiusdem re-

---

[1] Wadding., l. c. ad an. 1481, n. VII, dicit: 13 Maii; et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 126: 15 Maii. Cfr. supra pag. 478, nota 4.

[2] 27 Iulii.

[3] Vel Christiani I, qui erat 1474 Romae, et mortuus est 22 Maii 1481.

[4] Vel rectius Sueciae (Sueziae), theut. Schweden.

[5] Ita recte, cod. *Lindensis;* est enim Lundium (Lundinum) Scanorum vel Lunda Gothorum, id est « Lund », civitas Sueciae.

[6] Vel *Roeskildensis;* est enim Roeskilda (Roeskilde) civitas in insula « Seeland » sita. Cod. vero habet *Rosaldanensis.*

[7] Ita recte cod., est enim Ottonia i. e. theut. Odense, oppidum in insula « Fünen » situm.

[8] Cod. *praedicto.*

[9] Ita recte, cod. *Compensis;* est enim « Kampen », civitas Hollandiae ad fluvium « Yssel » sita, et pertinebat ad Custodiam de Deventria (Deventer).

formationis, ut ad obsequium suum possent recipere omnes Fratres undecumque venientes sine licentia suorum Superiorum.

Eodem anno Domini MCCCCLXXXI, dominica [1] ante festum sancti Laurentii, celebratum fuit capitulum provinciale Provinciae Argentinensis in conventu Heidelbergensi per reverendum patrem fratrem Iohannem Altpart, Guardianum Norimbergensem ac Commissarium Generalem eiusdem Provinciae, ubi fuit ipse pro secunda vice electus in Vicarium Provincialem; Guardianus Norimbergensis factus est tunc frater Iohannes Ulrici Eysenflam [2]; et Guardianus Heidelbergensis et lector frater magister Iodocus Kutzenbach, et Viceguardianus ibidem frater Thomas Friess. Definitores istius capituli fuerunt frater Iohannes de Lindenfels, Guardianus Basileensis et Discretus Provinciae, frater Iodocus Kutzenbach, lector et Discretus conventus Heidelbergensis, frater Stephanus Fridelini, lector et Discretus conventus Norimbergensis, et frater Caspar Waler, praedicator et Discretus conventus Moguntinensis.

Frater Iohannes Altpart Vicarius Provincialis Provinciae Argentinae pro 2.ª vice 1481.

Item in hoc capitulo fuit ordinatum, quod receptio iuvenum alias conditionatorum immutatas voces habentium in illis dumtaxat locis evitetur, ubi cathedralium ecclesiarum et generalium studiorum gloriosa dignitas consistit nec non et principum residentiae et Fratrum ultra quadragenarium numerum numerositas perseverat.

Item, cum etiam studium litterarum litteras nescientibus per sacram nostram regulam [3] prorsus inveniatur interdictum, hortata est universitas Vocalium una cum patre Praesidente, ut fratres laici litteras prorsus ignorantes vel imperfecte illarum notitiam habentes a suis Praelatis diligenter cohibeantur, cum hoc professioni suae contrarium et operi eorum praeiudiciale nec non et fomentum plurimarum phantasiarum caput destruentium et instabilitatem inducentium fore cognoscatur.

Avisatum fuit, secundum quod avisavit pater Emericus de Kemel, Commissarius Romanae Curiae, in capitulo generali, ut patres de cetero se non tantum intromittant de negotiis Clarissarum, sed eas inducant, ut cum saecularibus dominis se componant et cum aliis similiter facere studeant.

Item, quod servetur debita forma litterarum Discretorum ad capitulum transmittendorum, peregrinis inventionibus sive additionibus resecatis.

Item, quod recollectio [4] post Matutinum et Completorium servetur modo per patres in praecedenti capitulo ordinato, nisi Vicario Provinciali secundum qualitatem quorundam conventuum quoad aliquid fuerit aliter visum.

Item, quod Visitatores Tertiariarum non se occupent nisi cum his, quae ad suum officium spectant et quod, quando aliqua soror esset induenda sive ad professionem recipienda, non sit necessarium, Visitatorem oportere illuc venire, sed ipsa ad eum accedat, vel saltem proximus Guardianus hoc facere possit, ubi Visitatoris adventus non posset commode exspectari, ita tamen quod Guardiani de aliis se non intromittant.

Item, quod confessores monialium non vadant ad aliquam aliam domum in civitatibus nec spatientur aut extra portam vadant sine licentia Guardiani.

---

[1] Scil. dominica VIII. (5 Augusti) post Pentecosten; festum S. Laurentii erat feria VI.

[2] Cod. hic *Ysenflam*.

[3] Cap. X. — [4] Cfr. supra pag. 470.

Item, quod studentes nullam propinam doctoribus aut huiusmodi faciant sine licentia Guardiani et Vicarii Provincialis.

Item, quod Tertiariis, volentibus ad aliam Religionem transire, licentia non detur, nisi approbatae regulae monasterium habeant, ubi indubitate recipiantur, ne per mundum vagentur.

Anno Domini 1482, in mense Ianuario, reverendus pater frater Emericus Kemel Ordinis nostri Minorum de Provincia Saxoniae, pridem Commissarius Generalis in Curia Romana, ante biennum a Sixto, Summo Pontifice, Commissarius et Nuntius Apostoticus in facto cruciatae Hydruntinensis institutus, veniens Norimbergam, subdelegavit Commissarios patrem Iohannem Ulrici Eysenflam, Guardianum Norimbergensem, per dioecesim Ratisbonensem, Iohannem Gurr, Guardianum Ambergensem, per dioecesim Frisingensem, patrem Petrum Cristanni, Guardianum Monacensem etc., ut Fratres cruciatam praedicarent et cistas erigerent etc.; et propter hoc fiebant multi discursus in maximum gravamen Fratrum et benefactorum eorum. Nam praeter Bullam, quae incipiebat: *Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi* etc., dederat ipse dominus Papa in Brevi infrascripto Fratribus nostris de hoc singulare mandatum.

Sixtus Papa IV. Dilectis filiis universis Fratribus Ordinis Minorum, de Observantia nuncupatorum in partibus ultramontanis, praesentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum dilectum filium Emericum de Kemel, Ordinis praedicti professorem, ad partes istas ultramontanas ad praedicandum sanctam cruciatam contra perfidos Turcos adeo in christianam rempublicam saevientes in praesentiarum destinemus cum facultate etiam alios quos ad id cognoverit idoneos Fratres deputandi, cupiamusque pro tanta rei necessitate, ut negotium per ipsum Emericum ad votivum possit perduci effectum, debite providere volumus ac vobis et cuilibet vestrum in virtute sanctae obedientiae districte praecipientes mandamus, quatenus eidem Emerico in praemisso sanctae cruciatae negotio omnia, quae statuet, mandabit et ordinabit, assistere et parere, omni exceptione et dilatione cessantibus, debeatis. In quo rem immortali Deo, cuius causa agitur, acceptam ac nobis et huic sanctae Sedi Apostolicae gratissimam efficietis.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XV. Martii 1480, pontificatus nostri anno decimo.

Dicta igitur cruciata fuit Fratribus multum molesta, sed fructuosa populo ad salutem animarum. Nam multi homines, me interdum casus audiente, in maximis periculis impedimentorum matrimonialium erant, quibus consulebatur.

Eodem anno, die XVIII. kalendas Maii [1], dominica *in Albis* post omnium sanctorum Ordinum supplicationem canonizavit et adscripsit dominus Papa Sixtus IV. catalogo Sanctorum beatum Bonaventuram, Cardinalem, Episcopum Albanensem, Doctorem Seraphicum Ordinis Minorum, olim Generalem Ministrum, exstructo in ecclesia principis Apostolorum immenso ligneo aedificio, et sermone oratorio ab Octaviano [2], iuris consulto et advocato consistoriali, habito cum explicatione miraculorum ac ipsius Sancti operum recitatione, et festum eius dominica secunda mensis Iulii singulis

---

[1] 14 Aprilis.

[2] A Martinis (ita etiam supra pag. 400 pro *Mantinis*, quod habet cod., est legendum) dictus. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1482, n. II. seqq., ubi sermo memoratus integer habetur et etiam

annis solemniter celebrandum instituit, et omnibus, qui die ipsa festi vel per Octavam divinis officiis in ecclesiis Fratrum ubilibet constitutis interfuerint, septem annos et totidem quadragenas et peccatorum remissionem, quae in singulis aliorum nostri Ordinis Sanctorum festis ex indultis Apostolicis generaliter promulgatis Romani Pontifices concesserunt, de iniunctis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit et largitus est.

Eodem similiter anno iniquitatis filius, frater Andreas de Ordine Praedicatorum, Archiepiscopus Craynensis, dignitatis et auctoritatis ipsius, qui in throno Dei sedet, immemor et Ordinis conditionis et salutis suae oblitus, timorem Dei et Ecclesiae reverentiam et obedientiam penitus abiiciens, in tantam prorumpere ausus est insaniam, ut os in coelum ponens, lingua eius transeunte super terram, in sanctam Sedem Apostolicam et in Sixtum Papam, immo verius in ipsum Deum, Redemptorem nostrum, cuius vices gessit in terris, impia, falsa, sacrilega, blasphema, horrenda ac detestanda verba, quae pias aures vehementer offenderunt, dicere eaque in scriptis redigere et, ut facilius per universum orbem in multorum scandalum citiusque evolarent, in eisdem redigi et imprimi facere ac principibus ecclesiasticis et saecularibus universisque Christifidelibus dirigere et mandare, Basileae generale concilium propria temeritate publice et palam indicere et iam pronuntiatum et inceptum esse improbe affirmare, et ut ad ipsum venirent Christifideles Papam requirere et citare, cardinalatus dignitatem ac capellum rubeum simili temeritate et insania sibi assumere illumque deferre pseudoque apostolum sive presbyterum cardinalem sub titulo sancti Sixti se publice nominare et pro tali se gerere, et utne amplius Papa pontificale exerceret officium interdicere eumque etiam haereticum verbo et scriptis nominare, ac plura alia, quae insani aut arreptitii et a mente penitus alieni potius quam compositi hominis esse censebantur, polluto ore proferre ac proclamare non erubuit et in eis perseverare non erubescebat. Et quamquam per nonnullos, etiam Religiosos probos timeratosque viros, magno fidei zelo accensos, persaepe fuerit reprehensus, aures tamen suas more aspidis surde obturans, suam damnatam, reprobam atque perversam opinionem continuans, ad diversa alia loca et oppida se conferebat et ibidem mala malis accumulando, multorum Christifidelium mentes seducere non omittebat, in tantum ut sapientes viri Basileenses ei consenserint, putantes, concilium ipsum erigere et sibi utile fore, vota desuper in maiori consulatu apud Praedicatores recipiendo.

Fratres autem Minores resistebant ei quam maxime: pater Emericus de Kemel, Apostolicus Commissarius, et pater Guardianus Basileensis, Iohannes de Lindenfels, et interdictum a Summo Pontifice in Basilea positum observabant, aliis iam seductis nihil curantibus de interdicto. Propter quod maximam sustinebant Fratres persecutionem Basileae, ut necesse fuerit aliquos inde mutare. Henricus etiam, institoris Ordinis praedicti Praedicatorum magister in theologia et Inquisitor haereticae pravitatis, contra eundem Craynensem Archiepiscopum epistolas mittebat corripiendo insaniam eius, ut rediret ad cor. Ipse autem publice Basileae in sua libertate ambulabat et omnia contemnebat et per totam aestatem et autumnum in magna pompa

---

Bulla canonizationis; vide etiam Doctoris Seraph. S. Bonaventurae Opera omnia, tom. I. p. XXXIX (Quaracchi 1882). — Festum S. Doctoris nunc in Ordine celebratur 14 Iulii sub ritu duplici II. classis cum Octava.

perseverabat, quousque, interveniente caesareae maiestatis auctoritate et mandato, profesto [1] sancti Thomae Apostoli captus est. Nam veniens orator Imperatoris ad Basileam, vir utique in perorando singularis et decus Religionis nostrae, scilicet Antonius Gratia Dei, in theologia magister insignis, praesentibus tunc aliis Apostolicis Commissariis: domino Episcopo Sedunensi [2], Antonio de Aqua mortua, Bartholomaeo, archidiacono Placentinensi, Praeposito collegiatae ecclesiae in Lucerna, ac fratre Emerico supradicto, convocato senatu et duce Subaudiae Philippo, marchioneque de Rotteln [3], comite etiam de Dyersteyn [4], et aliis nobilibus atque doctoribus, exhibuit litteras imperiales — prius facta disertissima oratione — quarum continentia in praesentia dicti Andreae Craynensis, quem tangebant, et in latino et in vulgari fuit lecta et etiam exsecutioni demandata.

Qui quidem Andreas, non obstantibus improperiis sibi per litteras Imperatoris illatis, coepit, cunctis audientibus, retexere, quomodo tamquam verus Ecclesiae filius et non tamquam schismaticus, etiam tamquam Archiepiscopus et Apostolorum successor concilium instruxisset quoquo modo, et concilium Basileae adhuc dependeret, et quod Ecclesia a tempore expulsionis patrum a dicta civitate maneret schismatica, essetque paratus pro ea subire nedum vincula, sed et mortis iudicium. Cui cum per oratorem praefatum ex parte caesareae maiestatis iniungeretur, ut ea, quae inique contra Papam deposuit, iuste revocaret, affirmantem eum levius habiturum, si huiusmodi revocationem faceret; coepit se excusare, quod Papam non diffamaverit asserens falsa, et vera fore revocanda affirmando. Tunc auctoritate imperatoria idem Andreas in conspectu multorum, qui prius auctoritate Papae capi non potuit, manu violenta captus est et in turri in vincula publicis et ferreis nexibus coniectus est; factumque est, ut is, qui praesidem concilii se esse frontose iactavit, tunc mancipium factus est publicae turris, in ignominiam tantae temeritatis. Illud opus captionis profesto sancti Thomae Apostoli, ut dictum est, anno Domini MCCCCLXXXII factum est. Nisi enim auctoritas Imperatoris intervenisset, maximum in Ecclesia schisma subortum fuisset. Omnes enim aemuli domini Papae ad domini Imperatoris consensum respiciebant pro concilio celebrando. Sed illa duo capita Ecclesiae, scilicet dominus Imperator et dominus Papa, concorditer se habebant tamquam pastores gregis Christi, et illorum conciliastorum conatus ut pulveres exsufflati inventi fuerunt; sed et Basileensibus bonum utile, quod sperabant, evanuit. Frustra labores laboribus intexentes, volebant habere concilium, vota, ut praemissum est, apud Praedicatores recipiendo, facti sunt toti mundo ludibrium. — Nec mirum! Subita enim et sine intellectu consultatio non laudem, sed vituperium meretur. Utinam consultius egissent et patris sui verenda exemplo Sem et Iaphet contexissent! Facti sunt in canticum etiam longius vitam agentibus. Nec in dies et annos tantus excessus valuit

---

[1] 20 Decembris.

[2] Sedunum, theut. Sitten (Sion) est oppidum Helvetiae, et Aqua mortua immediate post memorata est « Aigues mortes », civitas Galliae.

[3] Vel Rotelen, castellum in Badena situm, non longe distans a Basilea, et pertinebat ad dominium marchionis de Baden-Durlach.

[4] Vel Dierstein, est theut. « Dürrenstein », civitas Austriae ad fluvium « Danubium » prope « Krems » sita.

contegi. Nam nec satis erat, illum honorificum turpiter et tamquam reum criminis et poenae laesae maiestatis in conspectu multorum, hoc est, violenta manu capere, qui prius in aëra, Pontifice contempto, extollebatur, sed cum hoc in vincula coniectus fuit. O mutatio fortunae, quam vertibilis es! offers [1] quae non sperantur; largiris quae ruborem pariter et languorem conferunt!

Eodem tempore scripsit venerandus pater frater Natalis de Pomerat, Commissarius in Curia Romana, ad reverendissimum patrem Vicarium Generalem familiae nostrae cismontanae de indulgentiis ista:

Ceterum, pater venerande, obtinui his diebus a sanctissimo Domino nostro vivae vocis oraculo gratias et communicationem indulgentiarum, sicut audivit vestra Paternitas in capitulo generali a reverendo fratre Emerico de Kemel, quas concessit Papa Vicario Generali cismontano pro utraque familia. Volui clarius certificari, et eodem modo, quo fuerunt concessae Vicario Generali cismontano, conceduntur ultramontano, non solum pro Fratribus, sed et pro sororibus sanctae Clarae et Tertiariis sub obedientia Generalis Vicarii. Etiam servitores domestici possunt ipsas promereri. Patres familiae cismontanae dicunt diebus indulgentiarum « septem Pater noster » cum totidem « Ave Maria ». Sorores etiam sanctae Clarae habent communicationem statutorum, factorum per magistrum Gulielmum de Casali totius Ordinis Ministrum Generalem, quae fuerunt facta auctoritate Apostolica ad petitionem sororis Coletae, citra tamen obligationis vinculum, sed sicut visum fuerit praefato Vicario Generali cum consilio proborum patrum et seniorum.

Item, sorores nostrae gaudent privilegiis, exemptionibus et gratiis in genere concessis sororibus Coletanis.

Item, confessores sororum possunt absolvere eos, qui non ex malitia intrant in suis monasteriis.

Item, Fratres possunt ire de licentia suorum Superiorum ad ecclesiam et loca, ubi habitant Fratres, regimini sororum deputati.

Ex sacro conventu Araecoeli, die sancto Pentecostes.

Durante tribulatione Basileae concitata, revocavit dominus Papa Sixtus cruciatam praedicandam; unde quia putabant homines, quibus iam denuntiata erat, quod suam substantiam inaniter expendissent, necessario oportuit, eam renovari in locis, ubi iam denuntiata erat, hoc Brevi:

Dilecto filio Emerico de Kemel, Ordinis Minorum de Observantia professori, Commissario nostro, Sixtus Episcopus, servus etc.

Cum iam pridem pro cruciata in ultramontanis partibus publicanda te nostrum Commissarium cum certis facultatibus fecerimus; quia tamen a nonnullis dicitur, nos cruciatam revocasse, volentes super hoc providere, tenore praesentium decernimus et declaramus, cruciatam praedictam, ad quam te Commissarium delegimus, nunquam fuisse nec esse a nobis revocatam aut suspensam, teque in futurum posse ad ipsius plenariam executionem cum facultatibus tibi concessis procedere, mandantes tibi in virtute sanctae obedientiae, quatenus capsas per te, aut per alios tuo nomine

---

[1] Ita hic locus corrigendus esse nobis videbatur. Pro lectione: *vertibilis es! offers* cod. primitus habebat: *vertibilis essendo;* sed manus posterior apposuit correctionem ita: *vertibilia essendo offers.*

et commissione super oblationibus cruciatae positas aperias et quae inde extraxeris, Romae ad ecclesiam Araecoeli pro cruciata deputatam quamprimum mandes. Nos enim tibi eandem cruciatam libere praedicandi in locis, in quibus iam capsae positae sunt, et non aliis, et facultates tibi concessas exercendi et praedicandi per te, vel alios a te instituendos iuxta tenorem et facultatem litterarum tibi concessarum, quousque capsas praedictas levaveris, tenore praesentium plenariam concedimus facultatem et potestatem.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXXXII, octavo kalendas Augusti [1], pontificatus nostri anno XI.

Anno Domini 1483 praedictus Andreas, olim Craynensis Archiepiscopus, Basileae in turri vinctus, sperans libertati restitui, si poenitentiam ostenderet de contractis in Summum Pontificem criminibus, revocavit quae falso contra Papam deposuit, ut in inferius scripto instrumento habetur.

In nomine Domini. Amen. Serie praesentis instrumenti cunctis ipsum advertentibus secundum veritatem percrebeat [2], quod sub anno a Nativitate Domini eiusdem MCCCCLXXXIII, indictione prima, die vero iovis, secunda mensis Ianuarii, hora VI. post meridiem vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Sixti, divina providentia Papae IV, anno XII, Basileae et in turri *an dem Spalen* coram me, notario publico infrascripto, personaliter constituti venerabiles, circumspecti et religiosi viri: domini Iohannes Alantsee, procurator domus Carthusiae in minori Basilea Constantiensis dioecesis, et Thomas, confessor sanctimonialium de Clingentall, Ordinis Praedicatorum, Iacobus Hugonis, in Decretis licentiatus, Antonius de Laufen [3], consularis et Nicolaus Rusch [4], protonotarius civitatis Basileensis, mihi notario, organo dicti magistri Iacobi, bona fide concorditer et unanimiter retulerunt in effectu subsequenti, quomodo Religiosus frater Andreas de Croatia Ordinis Praedicatorum, olim Archiepiscopus Craynensis, iam ob gravissima in Summum Pontificem contracta crimina compeditus, saepius per medium praefati fratris Thomae, confessoris, institerit [5] apud reverendos patres dominos Antonium Gratia Dei, tam sanctissimi domini nostri Papae praelibati quam sacrae caesareae maiestatis, Antonium, Priorem Aquae mortuae, sanctae Apostolicae Sedis oratores, et magnificum senatum civitatis Basileensis pro audiendo revocationem suam, quam super divulgatis certis articulis criminosis pro salute animae suae facere intenderet. Cumque nullus praefatorum se de hoc intromittere vellet, cum desuper nec auctoritatem vel commissionem haberent, tandem tamen post frequentatas instantiarum opportunitates permissi sunt accedere ipsum fratrem Andream dicti dominus Antonius, Prior Aquae mortuae, et fratres Iohannes Alantsee et Thomas confessor ad audiendum intentionem illius, ne poenitentia sua postergari videretur ab eis; quibus tunc ipse frater Andreas dixisset, se velle revocare articulos suos, exigendo et petendo ab ipsis modum et formam ipsius faciendae revocationis. Quibus denegantibus et suae ipsius conscientiae relin-

---

1 25 Iulii.

2 Ita cod. pro *percrebescat.*

3 Cod. *Lauffen;* Laufen est civitas Helvetiae.

4 Ita legenda est vox in cod., vel *Kusch,* forte pro *Busch.*

5 Ita recte, vel etiam insteterit; cod. habebat primitus *instetirit,* sed nunc lectionem a manu posteriore male correctam exhibet *instetarit.*

quentibus, si quid facere intenderet, idem frater Andreas deputavit et nominavit praefatos dominos referentes ad audiendum, ab eo et per eum dictam revocationem fieri. Quapropter ex permissione etc. Et infra post longum processum: idem frater Andreas coram me constitutus et licet compeditus, tamen non nisi ad iustitiam primum per se ipsum sciscitatus et certificatus a me, me esse notarium, deinde etiam non exhortatus, non inductus, non informatus, non circumventus, non compulsus, uti asseruit, verum, ut praedicitur, pro salute animae suae et restitutione famae sanctissimi domini nostri Papae coram me, notario publico, et praememoratis dominis referentibus, super hoc in testimonium requisitis, reclamavit, confessus fuit ac alia suo ore de verbo ad verbum dixit et pronuntiavit, prout sequitur:

« Ego Andreas, Archiepiscopus Craynensis, anno Domini MCCCCLXXXIII, secunda Ianuarii, hora inter sextam et septimam post meridiem, sanctissimum dominum nostrum Sixtum, divina providentia Papam IV, et Sanctitatem suam, fateor, diffamavi et multa scripsi verbis et scriptis publice affigendo, scripta ad diversa loca mittendo, quae quidem scripta et verba ex passione mentis et ex livore processerunt, iniuste impieque scripsi et dixi contra Patrem meum; quare omnia revoco et annulo, irrito et reprobo, recognoscens ipsum dominum et patrem Superiorem meum, subiiciens me sibi tamquam Superiori meo spirituali, et serenissimo Imperatori, principi meo, supplicans autem Sanctitati suae, quod sit maior misericordia sua quam offensio vel culpa mea, quomodocumque vel qualitercumque dixerim vel fecerim contra Apostolicam Sedem vel Sanctitatem suam, revoco et annullo, irrito et reprobo et dico esse falsa et nullius momenti ».

Super quibus omnibus et singulis praemissis idem frater Andreas unum vel plura publicum seu publica fieri et publicari petiit per me notarium instrumentum vel instrumenta. Acta sunt haec in praesentia illorum dominorum referentium supranominatorum, anno, indictione, die, mense, loco, hora et pontificatu, prout supra. Et ego Iohannes de Lewenstein [1] clericus etc.

Cum hanc confessionem et reclamationem, ut praemittitur, dictus frater Andreas fecisset, solutus est a compedibus, quibus vinciebatur, et liber, in secura tamen custodia inclusus, ambulabat, et missi nuntii ad Curiam Romanam, quid de eo faciendum esset, interrogaturi. Interim autem ipse in patientia fractus, pro eo quod non poterat liber in publicum prodire, et desperationem incurrens, arrepto manutergio, in ipsa custodia ante reversionem nuntiorum de Curia crudeles suas manus in se ipsum vertens, factus Iudae socius, semetipsum suspensum suffocavit. Comperto autem, quod sibi ipsi necem intulisset, suspensus ita relictus est in turri, donec nuntii de Curia venerunt. Et tunc intromissi sunt ad eum, et videns eum unus eorum sic horribiliter pendentem, dixit: « O maledicte, cur hoc fecisti? Nesciebas, quod misericordem dominum habebas » ? Et lictor commissum cadaver eius inclusit in vase, ut proiiceret in Rhenum. Quod cum de ponte proiiceret, subito vas in fundo collisum cadaver in Rhenum vomuit, et abysso absorptum est. — Haec de illo inobediente et rebelli Craynensi.

Eodem anno Domini MCCCCLXXXIII in Quadragesima obiit Monachii reverendus pater frater Petrus Cristanni, eiusdem conventus Guardianus, solemnis praedicator

---

[1] Probabiliter pro *Loewenstein*.

et compilator multorum tractatuum et sermonum solemnium, ut raro eis similes invenerim.

Capitulum Monacense 1483.

Ipso anno, dominica *Iubilate* [1], celebratum est capitulum provinciale in conventu Monacensi per reverendum patrem fratrem Iohannem Altpart, Vicarium Provincialem; in quo capitulo obiit frater Simon de Gauda [2], olim Guardianus Moguntinensis et alibi.

Definitores huius capituli fuerunt venerabiles patres Iohannes Ulrici Eysenflam, Guardianus et Discretus conventus Norimbergensis, Iohannes Kaufmann, Guardianus et Discretus conventus Bambergensis, Fridericus Allt, Guardianus et Discretus conventus Landishuttensis, Iohannes Funck, Guardianus et Discretus conventus Weissenburgensis.

Discretus Discretorum ad futurum generale capitulum frater Iohannes Ulrici Eysenflam.

Item, voluit idem capitulum universum ac per modum statuti ordinavit, quod nullus frater laicus librum aliquem habeat in privato praeter regulam et ea, quae statum nostrum concernunt. Illis autem, qui non didicerunt litteras in Ordine, concessum fuit, quod in communitate libros positos legere possint, et hoc in diebus celebribus.

Hortamenta eiusdem:

Ad communem pacem inter Fratres conservandam hortati sunt patres capituli, quatenus iuxta multiplicia hortamenta patrum melius studeant celare secreta, vitare colloquia mala et otia et captivare intellectum suum in obsequium Christi [3], iuxta statutum capituli Bambergensis, sub poena probationis caputii, aut aequivalenti.

Item, quod fratres laici non sunt ponendi in electione Discreti pro auditoribus ex debito.

Item, quod nullus Guardianus licentiat Fratres dumtaxat visitationis gratia seu visendi propinquos extra terminos sui conventus.

Eodem anno celebraverunt Fratres in Provincia Bohemiae capitulum in Brunna Moraviae, in quo fuit electus in Vicarium Provincialem Bohemiae frater Alexander de Iauer [4].

Frater Alexander de Iauer Vicarius Provinciae Bohemiae.

Eodem anno post Octavam Visitationis Mariae in Cracovia in loco *Pontis regalis* apud sanctum Bernardinum obiit pater frater Simon de Lypnicza [5], praedicator egregius in lingua polonica. Hic anno Domini MCCCCLXXII interfuit translationi sancti Bernardini in capitulo Aquilano, et fuit vir omni virtute in observantia regulari ordinatus; ultra mare navigavit, loca illa perlustrans, quae Dominus Salvator noster suis vestigiis consecravit. Tandem cum gaudio ad Provinciam Poloniae remeans, fructus uberes suis devotissimis praedica-

---

[1] Dominica III. post Pascha, quae erat 20 Aprilis.

[2] Ita cod., probabiliter iterum pro « Gouda »; cfr. supra pag. 461, nota 2.

[3] Alluditur ad II. Cor. 10, 51.

[4] Cod. *Iawer;* est enim « Iauer » civitas Borussiae in provincia Silesiae sita.

[5] Vel Lypnica (Lipnica), civitas Austriae in districtu « Galliziae » sita. De hoc Beato, cuius festum in Ordine 17 Iulii celebratur, cfr. Wadding., l. c. ad an. 1483, n. VIII. seqq., et Fort. Hueber, l. c. 17 Iulii.

tionibus in horreum Domini congregavit. Postremo vocatus a Domino per mortem, in choro Fratrum non sine refulgentia miraculorum sepelitur. Nam eius meritis sex mortui suscitati sunt, et innumera miraculorum prodigia patrata. Propter quod, dum multi viri et mulieres ad eius sepulcrum confluerent, et ex hoc Fratres inquietarentur, coacti sunt Fratres post quinquennium eius corpusculum in marmoreo clausum mausoleo antroso [1] auctoritate Apostolica in ecclesiam transferre, ubi quotidiana fiunt miracula. Ad cuius sepulcrum continentur hi versus, quos reverendus pater frater Ladislaus, Vicarius Provinciae Poloniae, iuxta numerum litterarum eius nominis composuit: S. I. M. O. N.

Serve Dei, Simon, tu Francisci proles,
Iesum mellifluum pro nobis, quaesumus, ores.
Mellifluam Matrem Domini tu semper amasti,
O quam ferventer nomen Domini reboasti:
Nos non despicias, quos verbo saepe cibasti.

Eodem anno infra Octavam Pentecostes misit dominus Papa Breve suum Abbati sancti Aegidii Norimbergae, quo annuit, ut tertia pars pecuniarum cruciatae praedictae per fratrem Emericum praedicatae, quae (in) hospitali sancti Spiritus conservabantur, iuxta petitionem dominorum eiusdem civitatis conquerentium, dictum hospitale elapso anno magna damna in possessionibus et redditibus passum, eidem hospitali cederet pro necessitatibus pauperum in eo degentium, et duae aliae partes ad cameram Apostolicam per tutam viam integre et cum effectu mitterentur, contrariis quibuscumque. Tuncque venit quidam Commissarius Apostolicus, Bartholomaeus de Camerino, et tulit pecuniam eandem, consentiente consulatu, ut partem suam haberent. Nec potuit Guardianus conventus, subdelegatus Commissarius, contra consulatum vel dictum Commissarium certare, cum se sufficientem auctoritatem habere ostenderent et bonam quietantiam in scriptis darent. Et consulte fecit. Quid enim Fratribus de illa pecunia, nisi labor et dolor, crucem praedicando, ut se in litem pro ea ponerent, ut Romana implerentur marsubia! O Deus, qualis obedientia! Ideo patres nolebant se amplius de indulgentiis intromittere. Pater Emericus de Kemel Basileae erat et libros [2] de actibus concilii Basileensis per unum Fratrem Gallicum transcribi procuravit. Eosdem libros voluerunt Basileenses Fratribus auferre, dum adhuc Andreas Craynensis in libertate apud eos male ageret, quibus contradixit pater Guardianus, iustam rationem allegans, unde ipsi libri Ordinis essent.

Eodem anno, feria quarta ante festum sancti Michaelis, expulsi sunt Fratres nostri cum aliis catholicis de Praga, quodam pseudopresbytero, nomine Gira, plebano in *Curia laeta*, campanam pro seditione et tumultu percutiente, ut haeretici arma sumerent contra Catholicos, et in illa furia occisi sunt XXV viri catholici meliores et praestantiores de Praga absque illis, quos per alios dies haeretici occidere et decollare non cessabant.

Ipso anno, in vigilia [3] sancti Francisci, obiit reverendus pater frater Nicolaus Ca-

---

[1] Cod. *antrosum.*

[2] In cod. habetur post *libros* vocula *duos*, sed, ut videtur, auctor ipse eam delevit.

[3] 3 Octobris.

roli, primus Custos, Vicarius et reformator huius nostrae Argentinensis Provinciae, et sepultus est Moguntiae in conventu Fratrum, ubi postea duo venerabiles patres, videlicet Iohannes de Lindenfels et Iohannes Ulricus[1] Eysenflam, iuxta eum sunt tumulati.

Anno Domini 1484, in mense Ianuario, reformatus est conventus noster Ulmensis et deinde monasterium in Sefflingen[2], Ordinis sanctae Clarae, auctoritate domini Sixti Papae IV, exsequentibus Bullas reformationis dominis Abbatibus in Hirsavia[3] et in Blaubura[4] Ordinis sancti Benedicti, Spirensis et Constantiensis dioecesis, ad instantiam et preces illustris viri Eberhardi senioris, comitis de Württemberga et montis Pelgardi, ac oppidanorum ipsius oppidi Ulmae Constantiensis dioecesis; et in festo Purificationis[5] Mariae eiusdem anni facta est ibidem convocatio et mutatio multorum Fratrum per Provinciam, sicut solet fieri in capitulis provincialibus. Tunc quoque erat status Provinciae satis gravis, quia multi Fratres exacerbati magis quam consolati fuerunt propter partialitatem vel singulares favores, quos Vicarius Provincialis in visitatione ostendebat; unde fuit de hoc in sequenti capitulo statutum.

Frater Iohannes Crohin Vicarius Generalis cismontanus Fratrum de Observantia 2.ª vice.

Eodem anno, die Pentecostes[6], celebratum fuit capitulum generale in familia nostra cismontana prope oppidum Brugas[7] Provinciae Franciae per reverendissimum patrem fratrem Iohannem Philippi, Vicarium Generalem; quo resignante, ibidem electus est in Vicarium Generalem pro secunda vice reverendus pater frater Iohannes Crohin, tunc Vicarius Provinciae Franciae.

In eodem capitulo incorporata est nostrae dictae familiae Provincia Angliae, gubernanda per Commissarium reverendissimi patris Vicarii Generalis, donec haberent plura loca, et ex tunc habent etiam Vicarium Provincialem, sicut infra dicetur.

Item ordinatum fuit, quod antiphonae ad Matutinum: *Vos Sancti Dei inclyti* etc., et ad Vesperas: *Francisci floret hortulus*, cum verso et collecta: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., ob reverentiam Sanctorum Ordinis nostri post commemorationem beatissimi Patris nostri Francisci suo tempore ubique uniformiter cantentur vel legantur.

Item, quod fiat de sancto Bonaventura dominica secunda Iulii[8] cum Octava, recipiente festa occurrentia, et dicantur horae Virginis; Officium de Doctore Pontifice, antiphona ad Magnificat: *O Doctor optime*, Introitus: *In medio Ecclesiae.*

Item, festum Omnium Sanctorum fiat cum Octava, et illa recipit festum duplex, sed officium Virginis dicitur.

---

[1] Ita hic et deinde semper in cod. exhibetur pro voce *Ulrici,* prius scripta.

[2] Cod. hic *Seflingen* (Söflingen).

[3] Cod. hic *Hyrsaw;* cfr. supra pag. 417, nota 3.

[4] Cod. habet *Blabeyeen;* Blaubura est theut. Blaubeuren, civitas Württembergae, ubi olim erat magnifica abbatia Ord. S. Benedicti. — Paulo inferius cod. *Wyrtenberg* pro *Württembergae* et *Ulm* loco *Ulmae.*

[5] 2 Februarii. — [6] Die 6 Iunii.

[7] Id est Brugge (Bruges, Brugae), civitas Belgii (Flandria). — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1484, n. XLVIII, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 130.

[8] Verba: « dominica secunda Iulii » manus posterior delevit, eo quod festum nunc, ut iam dictum est, die 14 Iulii celebratur.

Quod, quando dies Animarum cadit in dominica, conformemus nos saecularibus sacerdotibus, et feriam amplius non faciamus propter Octavam Omnium Sanctorum.

Quod festum Praesentationis fiat in illis locis, quibus consuetum est.

Quod in festo XI millium Virginum debeat dici officium de Virginibus, ad Magnificat antiphona: *Prudentes Virgines.*

Quod historiae de Conceptione et Visitatione Mariae Basileae in concilio ordinatae [1] dicantur. — Cetera vide in tabula.

Summa Fratrum defunctorum: 800. Nam in Provincia Franciae 185, inter quos venerabilis pater frater Zegerus, quondam Vicarius Generalis, frater Iohannes Derfin, magister sacrae theologiae, et VIII Guardiani. In Provincia Castellae XXVI, inter quos fuerunt frater Alphonsus Durant, Custos Hispalensis, et frater Gulielmus Surin, socius Vicarii Generalis. Provincia Provinciae XLV; Turoniae XCVI, inter quos frater Thomas de Glien, utriusque iuris doctor; Aragoniae XXXV; Argentinensis LXVIII, inter quos venerabilis pater Nicolaus Caroli, primus Vicarius et reformator eiusdem; Sancti Bonaventurae XXXIV; Sancti Iacobi XXVI; Coloniensis CXXIII, inter quos venerabilis pater Michael de Lira, ter Vicarius Provincialis Coloniensis et primus Vicarius et plantator Observantiae in tribus Provinciis, Scotiae, Hiberniae et Daciae, et ibi obiit in senectute bona; Daciae frater Bernardus Lochen, Commissarius Provinciae Angliae; Aquitaniae XVIII; Portugalliae XXV, inter quos venerandus pater frater Alpharus, sacrae theologiae magister, quondam Minister eiusdem Provinciae, et frater Aegidius Thymarensis, multo tempore Vicarius; Sancti Ludovici LXXIII, inter quos duo Guardiani; Hiberniae XXX; Scotiae VII; Sanctoyo [2] XXVII; Daciae alii VII.

Item, in eodem capitulo hortabatur reverendissimus pater Vicarius Generalis cum capitulo universo, quatenus Fratres omnes secundum suam professionem studio sanctae orationis et recollectionis spiritualis vigilanter intendant, ut relictis tumultibus saecularium, soli Deo placere cupientes, suam vocationem et electionem per bona opera certam facere satagant, de virtute in virtutem proficiendo viriliter, ut ad bravium beatitudinis aeternae pervenire mereantur. Locus sequentis capituli designatus fuit Tolosae anno Domini 1487.

Frater Angelus de Clavasio Vicarius Generalis familiae ultramontanae pro 3.a vice.

Eodem anno et die fuit capitulum generale familiae ultramontae in Monte Alvernae [3], ubi fuit electus in Vicarium Generalem tertia vice reverendissimus pater frater Angelus de Clavasio. Et anno ipso obiit reverendissimus pater frater Petrus de Neapoli, antecessor eius.

Frater Paulus de Vinczow Vicarius Provinciae Bohemiae de Observantia.

Eodem anno Fratres in Provincia Bohemiae congregati in capitulo provinciali in Oppelia [4], elegerunt in Vicarium Provincialem reverendum patrem fratrem Paulum Moravum de Vinczow sive de Nova Civitate [5], olim scholasticum in Olomutio, ut superius [6] dixi.

---

[1] Cod. *ordinata.*

[2] Vicariatus Sanctoyani, erat erectus 1477, ut dicit Wadding., l. c. ad an. 1477, n. XXIII.

[3] Vel Alverniae, (rectius Alverno), in Tuscia prope Aretium. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1484, n. XLIV, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 129.

[4] Cod. *Oppell;* est enim theut. « Oppeln », oppidum Borussiae in provincia Silesia situm.

[5] Theut. Neustadt, oppidum Moraviae, non longe distans ab Olomutio, pro quo cod. hic *Olumuncz.* — [6] Pag. 467.

Ipso anno Domini MCCCCLXXXIV, cum Sixtus Papa IV, olim de Ordine nostro, multa Ordini suo, sanctae Clarae et aliis omnibus Ordinibus magnifica privilegia contulisset et multa praeclara opera pro augmentatione divini cultus et reipublicae utilitate fecisset, plenus [1] dierum et bonis operibus appositus est ad Patres. Cuius corpus sepeliri fecit reverendissimus dominus, dominus Iulianus, Cardinalis S. Petri ad Vincula, eius ex fratre nepos, maxima funerali pompa et exsequiarum celebritate in novo sacello apud sanctum Petrum in Vaticano.

Dominus Innocentius Papa octavus.

Cui successit in pontificatu eodem anno, idus (sic) [2] Augusti, Iohannes Baptista, Cardinalis sanctae Caeciliae, et Innocentius VIII. vocatus fuit. Hic statim post suam electionem ad petitionem reverendissimi patris fratris Angeli de Clavasio, Vicarii Generalis ultramontani, confirmavit omnes gratias, a domino Sixto Papa IV. concessas.

Concessit etiam, quod, quando interdictum ponitur alicubi ab aliquo Legato, et matrix Ecclesia non servat, non tenentur Fratres interdictum servare, et solum tenentur ad observantiam interdicti, quando directe imponitur interdictum a Summo Pontifice, non autem, quando a quocumque Legato ponitur. Haec gratia derogat Extravaganti [3] Pii Papae II: *Sciens inimicus humani generis*, quae astringebat Fratres ad Observantiam interdicti, quando ponebatur per Commisarios Apostolicae Sedis, etiam si matrix Ecclesia non observabat etc.

Capitulum Provinciae Argentinensis in Leonberga.

Frater Iohannes de Lindenfels Vicarius Provinciae Argentinensis 2.ª vice 1484 Leonbergae.

Eodem anno fuit capitulum provinciale in conventu Leonbergensi, dominica [4] post festum sancti Bartholomaei Apostoli, per reverendum patrem fratrem Iohannem Altpart, Vicarium Provincialem; quo ibidem resignante officium, electus est in eius successorem reverendus pater frater Iohannes de Lindenfels, secunda vice, tunc Guardianus et Discretus conventus Basileensis.

Definitores fuerunt venerandi patres: frater Iohannes de Lindenfels, electus dictus, frater Caspar Waler, Guardianus et Discretus conventus Heilbrunnensis, frater Stephanus Fridelini, lector Norimbergensis et Discretus Crucenacensis [5], et frater Iacobus Dieffenbach, Vicarius et Discretus loci in Fremersberg.

Quia tunc multa verba in Provincia volabant, quomodo declarationes Summorum Pontificum per hunc sic, per alium vero aliter exponerentur, et illi de stricta, alii de laxa observantia inconsulte dicebantur; statutum fuit, quod quicumque de cetero talia vel similia dixerit, aut novitatem aliquam contra regulam, statuta sive bonas et laudabiles consuetudines introduxerit, vel certe Guardiano suo in regimine

---

[1] Cod. *plus.* — Obiit Sixtus 12 Aug. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1484, n. I-XII, et Ciacon., l. c. — Supra pag. 451, nota 3. erronee posuimus *XXIII* pro *XIII,* quod recte cod. habet.

[2] Ita habet erronee cod., vel excidit numerus ante *idus.* Ioh. Bapt. Cibo Genuensis electus est *quarto kalendas Septembris* (27 Augusti). Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1484, n. XIII, et Ciacon., l. c.

[3] Cfr. supra pag. 402.

[4] Dominica XIII. post Pentecosten, quae erat 28 Augusti. — Festum S. Bartholomaei Apostoli est 24 Augusti.

[5] Ita cod. primitus; sed manus posterior delevit verba: et Discretus (scil. conventus) Crucenacensis, et iuste, quia fr. Steph. Fridelini, ut habetur supra pag. 480, erat *lector et Discretus conventus Norimbergensis,* et sic probabiliter etiam hic legendum est.

sui conventus, regulae, declarationibus et statutis bene proportionato, contradixerit, graviter puniatur. Si vero aliquis Guardianorum aliter, quam reverendo patri Vicario Provinciali bonum visum fuerit, regere et practicas novas, expositiones declarationibus non conformes superinducere voluerit, ab officio indispensabiliter absolvatur.

Item, quod nullae aliae declarationes seu expositiones regulae in communitate legantur, nisi quae alias per statutum generale legi sunt ordinatae.

Item, avisatum fuit, quod Fratres de tertio Ordine sine expressa licentia Vicarii Provincialis ad Ordinem nostrum non recipiantur.

Declaratum fuit, quod ieiunia banni [1], quae in quibusdam dioecesibus celebrantur, non obligant nos ad sui observantiam, sed quod cautela adhibenda est, si Fratres abstinere nolunt, ne saeculares vel alii scandalizentur.

Quod Octava sancti Antonii cum commemoratione tantum agitur infra Octavam Corporis Christi, et non serventur caerimoniae duplicis festi.

Quod festum simplex veniens infra Octavam, infra quam occurrentia celebrantur, non celebratur in dominica, nisi habeat propria responsoria.

Quod Fratres praesentati de licentia Praelatorum suorum possunt audire confessiones monialium alterius Religionis, habentium etiam ad hoc licentiam suorum Superiorum.

Socius Vicario Provinciali frater Caspar Waler fuit datus.

Anno Domini 1485 [2], tribulatione sedata, quae excitata fuerat per Andream Craynensem, hominem pestiferum, ut superius [3] iam est relatum, hoc anno quidam Fratres nostri, spiritu procellae ducti, volentes in Provincia divisionem facere, sub specie devotionis et fervoris induxerunt dominum Georgium, ducem Bavariae, ut pro eis intercederet apud Summum Pontificem et eis locum quendam aedificaret; quod idem princeps satis approbavit et per quendam vagum Fratrem Ordinis sanctae Brigittae, nomine Wolfgangum Zandiceller, qui aliquando in conventu Landishuttensi in cella cum Fratribus nostris morabatur, hanc Bullam impetravit:

Innocentius VIII. Venerabilibus Fratribus, Pattaviensi [4] et Frisingensi Episcopis, ac dilecto filio, Abbati monasterii sancti Viti Salisburgensis dioecesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eximiae devotionis affectus nec non integra fides, quibus dilectus filius nobilis vir Georgius, comes Palatinus Rheni, Inferioris et Superioris Bavariae dux, erga nos et Romanam Ecclesiam clarere dignoscitur, promeretur, ut petitiones suas, illas praesertim, quae religionis propagationem aut divini cultus augmentum et animarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittimus. Sane pro parte praefati Georgii ducis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse fervore devotionis accensus, cupiens terrena in excelsa, et transitoria in aeterna felici commercio commutare, ob singularem quem [5] ad beatum Franciscum et eius Ordinem ac per-

---

[1] Ieiunium banni vel bannitum fuit magnum et intensum ieiunium, quod ad Dei bannum seu poenam iramque avertendam ab iis suscipiebatur, qui se banno divino dignos agnoscebant. Cfr. Du Cange, Glossar.

[2] Scriptura huius loci et sequentium usque ad an. 1495 est exarata ab alia manu.

[3] Pag. 456, 482 et 485.

[4] Vel Passaviensi; est Passau, civitas Bavariae.

[5] Cod. *quam*.

sonas, quae eorum exemplari vita, verbi Dei, evangelicae lectionis praedicationibus ac aliis bonis operibus non cessant animas lucrifacere Creatori, gerit devotionis affectum, summopere desiderat atque proponit, de bonis sibi a Deo collatis construi et aedificari facere in dominiis suis et in locis ad hoc [1] convenientibus et honestis aliquas domus pro perpetuis usu et habitatione Fratrum dicti Ordinis, qui secundum primaevam dicti Ordinis institutionem et illius regulae puritatem vitam ducere ipsamque regulam cum testamento eiusdem Sancti sine aliquibus glossis, statutis et privilegiis observare teneantur, si sibi super hoc Apostolicae Sedis auctoritas suffragaretur. Quare pro parte eiusdem ducis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi domus huiusmodi cum ecclesiis, campanilibus humilibusque campanis, claustris, refectoriis, dormitoriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis et supellectilibus, paupertati evangelicae convenientibus, pro usu et habitatione Fratrum huiusmodi construi et aedificari faciendi, ac quibuscumque dicti Ordinis Fratribus, qui praefatam regulam cum testamento praedicto pure et ad meram litteram observare voluerint, iuxta congruentiam domorum huiusmodi, quas construi et aedificari faceret, ad praedictas domus se transferendi et illas pro eorum usu et habitatione recipiendi licentiam concedere aliasque in praemissis opportune providere de Apostolica benignitate dignaremur.

Nos igitur, qui divini cultus augmentum et religionis propagationem animarumque salutem supremis desideramus affectibus, pium et laudabile praefati ducis propositum plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, aut duo vel unus vestrum eidem duci domus praedictas cum ecclesiis, campanilibus, humilibus campanis, claustris, refectoriis, dormitoriis, hortis et hortalitiis, et aliis necessariis officinis ac supellectilibus, paupertati evangelicae convenientibus, pro usu et habitatione Fratrum dicti Ordinis, qui inibi praedictae regulae sinceritatem et praefati testamenti formam sine ullis omnino glossis, statutis aut privilegiis, quibus ius aliquod vel aliquam rem acquiri possit, in evangelica paupertate et primaeva institutione praedicta simpliciter et pure vivant, in aliquibus locis ad hoc convenientibus et honestis dicti dominii sine alicuius praeiudicio construi et aedificari faciendi, nec non ex quibuscumque praefati Ordinis domibus aliquos Fratres, qui praefatam regulam, ut praemittitur, vellent observare, secundum domorum huiusmodi construendarum exigentiam evocandi, ac Fratribus ipsis, quos per ipsum ducem evocari contigerit, ad ipsas domus se transferendi et illas pro eorum usu et habitatione recipiendi et inhabitandi auctoritate nostra licentiam largiamini, iure tamen parochialium ecclesiarum, infra quarum limites domus ipsas aedificari contigerit, in omnibus semper salvo.

Nos enim, si licentiam huiusmodi per vos concedi contigerit, ut praefertur, domibus et Guardianis ac Fratribus, in eis pro tempore degentibus, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, a Romanis Pontificibus, nostris praedecessoribus, praefato Ordini concessis, et quibus illae [2] personae secundum regulae puritatem huiusmodi uti, potiri et gaudere possint ac poterint, quomodolibet in futurum potiantur, gaudeant et utantur, auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium

---

[1] Verbum *hoc* desideratur in cod.

[2] Cod. *illius*.

specialis dono gratiae indulgemus, non obstante felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, Calixti III. nec non et Pauli II. ac Sixti IV, Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, et aliis Constitutionibus et ordinationibus ac litteris Apostolicis sub quavis verborum forma, quibus earum tenores, etiam si de eis earumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad praemissa specialiter et expresse derogamus, statutisque et consuetudinibus dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae 1485, septimo kalendas Iunii [1], pontificatus nostri anno primo.

Haec Bulla fuit ad tempus occultata ab his, qui negotium promovebant, donec, veniente Vicario Provinciali ad conventum Landishuttensem, ibidem per quosdam Fratrum ei indicatum fuit, ac tunc cognitum est, socium ipsius Vicarii Provincialis, fratrem Caspar Waler, principem huius negotii esse, qui etiam frater Caspar Waler, proditis suis machinationibus, fugam iniens, solus contra formam statutorum et Religionis honestatem ad Generalem Vicarium abiit quasi zelator, sed revera seditiosus observantiae regularis conturbator, sicut ex sequentibus claret.

Eodem anno [2] Romae obiit reverendissimus dominus frater Gabriel de Verona, Cardinalis sanctae Romanae Ecclesiae, olim socius beati patris Iohannis de Capistrano ac Vicarius Fratrum familiae in Provinciis Austriae, Bohemiae et Poloniae.

Maximilianus rex Romanorum ex domo archiducum Austriae etc. 1486.

Anno Domini 1486, die XXVI. mensis Februarii, congregati electores imperii in oppido Francofurto [3], praesente ibidem serenissimo principe, domino Friderico, imperatore Romano, elegerunt in regem Romanorum illustrissimum principem Maximilianum, archiducem Austriae et Burgundiae etc., filium ipsius Imperatoris, fautorem praecipuum observantiae nostrae regularis.

Capitulum Ambergense.

Eodem anno, dominica *Iubilate* [4] post Pascha, celebratur capitulum provinciale in Provincia Argentinensi in conventu Ambergensi, praesidentibus reverendissimo et reverendo patribus Iohanne Crohin [5], Generali, et Iohanne de Lindenfels, Provinciali Vicariis. In quo nullum statutum de novo conditum est, sed hortabantur reverendissimi patres Vicarii Generalis et Provincialis cum capitulo universo, quod caveant sibi omnes a novis inventionibus, stentque deinceps sententiae ipsorum reverendorum patrum Vicariorum et Definitorum inferius scriptae secundum modum et formam, quibus prohibentur, et relaxantes articulum paupertatis seu extendentes ad quosdam actus prohibitos et illicitos, sub poenis regularibus et arbitrariis Praelatorum arceantur. Cessent nihilominus scrupolosi dicere, praedicare, scriptitare et affirmare propositiones quasdam brigosas inferius declaratas et prohibitas, sub poenis ut supra.

Secretum. In nomine Domini. Amen.

Noverunt universi patres et fratres Ordinis Minorum Provinciae Argentinae de

---

1 26 Maii.

2 Secundum Wadding., l. c. ad an. 1487, n. XIV. obiit 1487, secundum Ciaconium 1486.

3 Cod. *Franckfurt.*

4 Dominica III, et erat 14 Aprilis.

5 Cod. hic exhibet *Chroin,* et deinde modo *Chrohin,* modo *Chroyn,* modo *Crohin.*

Observantia nuncupati, praesentes et futuri, quod nos Vicarii Generalis et Provincialis, Definitores quoque provincialis congregationis, in conventu Ambergensi anno Domini MCCCCLXXXVI, dominica tertia post Pascha capitulariter adunati, volentes et ex praecordiis desiderantes, prout ex nostris nobis incumbit officiis, communi paci et caritati patrum et fratrum dictae Provinciae, cooperante gratia Spiritus sancti, pro futuro consulere, circa quasdam opiniones, quae super intellectum sacrae regulae nostrae et determinationum Apostolicarum possent quandoque, sicut a quibusdam motae feruntur, moveri, diversis diversimode sentientibus, definimus et determinamus, quod contra intentionem sacrae regulae nostrae ac declarationum Apostolicarum, et per consequens damnabile foret, sentire, praedicare vel sustinere et multo plus practicare actus et modos vivendi seu faciendi subsequentes et similes, videlicet:

Habere amicos spirituales, qui indifferenter recipiant pecuniam ab offerentibus, sive id fiat publice sive occulte.

Sustinere huiusmodi, quod interpretative censetur idem esse quod et habere, qui videlicet sine scitu Guardiani indifferenter recipiant, nondum constituto de necessitate praesenti, praeterita vel imminenti, vel recurrere ad illos pro rebus curiosis, sumptuosis vel superfluis et huiusmodi frivolis obtinendis per medium pecuniae, cum debeat esse causa necessaria, per regulam expressa ac Summorum Pontificum declarationes, vel eis similes.

Deponere vel deponi facere pecuniam de una manu in aliam aliquid iuris praetendendo, rogari tamen possit principalis dans in casu, quem ponit declaratio Nicolai.

Oblationes pecuniarias in Missa vel post illam deponi facere vel sustinere et ad illam recurrere vel pro illa mittere.

Quod et qualiter exponatur pecunia, praecipere vel computum exigere.

Pecunias depositas pro causis seu intentionibus determinatis ad alias convertere et extendere seu extendi facere.

Pecunias sic depositas aliter quam in suis veris necessitatibus expendere vel expendi facere, ut pro extraneis, parentibus vel aliis notis ad dandum illis vel praestandum aut aliquod xenium propinandum.

Procurationes seu provisiones superfluas vini vel grani aliter, quam per declarationem Clementis conceditur, scienter vel notabiliter excedere.

Eleemosynam pecuniariam pro necessitate depositam, licet vera, in longum tempus reservari permittere et non statim expendi procurare.

Aedificia notabilia nova sine capituli vel Provincialis Vicarii licentia erigere.

Ornamenta et vasa excessive pretiosa seu picturas curiosas recipere.

Libros et utensilia, concessa Fratri pro sua necessitate, cambire, vendere, destruere vel quomodolibet alienare.

Delicatas carnes vel pisces pro sanis usualiter sine necessitate, vel superfluas in quantitate notabili pietantias, aut apparatus multiplicitate scienter procurare, vel pietantiam ipsam carnium vel piscium tamquam ordinario iure debitam a suis Praelatis exigere: hos, inquimus, actus et similes illicitos tamquam observantiae regulari incompatibiles et dissonos iudicamus et reprobamus et admitti scienter a quoquam prohibemus.

Et e contrario simili modo dicimus et definimus, quod nulli Fratri licet affirmare, praedicare vel docere publice vel privatе, defensare vel scribere sequentes

articulos, nec eos oportere servari[1] a Fratre Minore, tamquam obligato per regulam et declarationes Summorum Pontificum, videlicet:

Quod illicitum sit Fratri Minori et mortale, nisi in arcta necessitate, petere rem necessariam ab eo, qui emere deberet illam, si vellet eam dare.

Quod sic petere, ut supra, est recurrere ad dantem vel habentem pecuniam contra regulam et declarationes.

Quod petens, sibi dari Breviarium ab eo, qui non habet, petit pecuniam.

Quod pro carnibus recentibus non liceat ad habentem vel dantem eleemosynam pecuniariam pro illarum solutione recurrere, et hoc facere sit contra regulam.

Quod usus carnium est per regulam vel fuerit aliquando interdictus.

Quod nascitur alia obligatio, elicita ex illis verbis: *Ministri tantum et Custodes*, in quarto regulae capitulo, per argumentum a contrario sensu, videlicet quod ergo pro aliis necessitatibus prohibeantur Ministri et Custodes sollicitam curam gerere, quia ibi aliae necessitates non exprimuntur.

Quod si illud non sequeretur, tunc sequeretur, quod pro rebus quantumcumque vilibus liceret eis ad amicos recurrere, et quod frustra et nugatorie exprimerentur in regula tantum illae duae necessitates, si conditor regulae intenderet per huiusmodi expressionem alias etiam necessitates excludere.

Quod ideo recursus ad amicos spirituales pro libris et aedificiis sit alias per regulam prohibitus et ex dispensatione permissus.

Quod regula non admittit huiusmodi recursum nisi in necessitate inevitabili.

Quod Nicolaus ponit in declaratione, quod Fratres nihil debent recipere sub colore providentiae in futurum — quamvis utique hoc non debeant facere ad thesaurizandum, vel ad vendendum seu distrahendum, vel ad ullam superfluitatem aliam, quae derogat tantae paupertati.

Quod non licet recurrere ad amicos spirituales pro re quantumcumque necessaria, si illam mendicando commode possim habere vel per oblationem liberam — quod dictum possit sustineri, si illam rem commode possim habere mendicando vel per oblationem liberalem, quia superfluum videretur recurrere ad amicos spirituales.

Quod beatus Franciscus super omnia commendaverit nobis mendicitatem.

Quod pecunia non comprehendatur sub liberali oblatione — nam utique potest comprehendi, sicut expresse declarationes innuunt.

Quod sub liberali oblatione intelligantur illa solum comprehendi, quorum usus est Fratribus licitus.

Quod talis debeat esse necessitas, pro qua liceat ad amicum spiritualem recurrere, quod sine magno detrimento vel periculo ipsa carere non possimus, quia requiritur arcta necessitas.

Quod sub illis verbis « cessantibus eleemosynis » etc., non possit ibi intelligi pecunia, sed tantum omnes res, cuius usus est nobis licitus — nam contrarium innuit declaratio.

Quod pecunia non sit eleemosyna saltem comparative quoad nos, quia scriptum est[2]: *Absconde eleemosynam in sinu pauperis.*

---

[1] Cod. *servare.*

[2] Eccli. 29, 15; Vulgata: Conclude eleemosynam in corde pauperis.

Quod possumus per eleemosynas satisfacere creditori, non tamen per pecunias, quia illas recipere non possumus — cuius contrarium est verum, cum nihil possimus recipere ad alienandum seu satisfaciendum creditoribus nostris, alioquin res sic a nobis receptae censerentur pecuniae.

Has, inquimus, et similes propositiones dicimus et definimus nimium suspectas et periculosas, et per consequens non praedicandas vel disseminandas, et ita fieri, de cetero firmiter prohibemus, cum non modicam inquietudinem huiusmodi propositionum assertio conscientiis attulerit timoratis et errare fecerit plurimos a via veritatis et virtutum, obedientiae videlicet et caritatis fraternae, cum earum occasione defensionis scripti sint libelli vel quaestiones vel tractatus illiciti, redolentes distorsionem intellectus declarationum Apostolicarum ac etiam generantes confusionem impeditivam veritatis cognoscendae. Reddiderunt etiam plures ad obediendum suis Praelatis difficiliores et ad divisionem fraternae caritatis et unitatis procliviores. Ne ergo deinceps talia aliquis praesumat attentare, firmiter prohibemus, mandantes universis Fratribus nobis subiectis in virtute salutaris obedientiae et sub poena contumacis inobedientiae, ut infra unius diei naturalis spatium omnes suos tractatulos vel scripturas, praetactam doctrinam sapientes, sine tergiversatione quos in potestate habent, videlicet penes se, suis immediatis Praelatis, scilicet Guardianis, cum ad suos conventus redierint, exhibeant et resignent; qui vero non haberent ipsos ad manus, sed aliquibus fortasse commodassent, nihilominus revelare teneantur eisdem. Et illi, scilicet patres Guardiani, teneantur requirere et receptos comburere publice coram communitate, signanter eos, qui infra exprimuntur, videlicet eum, qui intitulatur: « De differentia recursus ad amicos spirituales », et incipit: Notandum, quod in provisione Fratrum Minorum triplex provisionis genus attenditur. Item, quaestionem, quae incipit: Utrum liceat pro carnibus recentibus et aliis huiusmodi ad eleemosynam pecuniariam recurrere. Item, aliam: Utrum recurrere ad pecunias pro qualibet re licita liceat, quam mendicando habere possunt. Item, alium tractatulum, qui intitulatur: « De observantia paupertatis ex declarationibus Nicolai et Clementis, medulla intellectus in veritate ». Hos, inquimus, omnes, et si qui alii sint similes, novellam hanc doctrinam sapientes, iubemus per obedientiam tolli de medio.

Verum, cum ex scriptis reverendorum patrum Vicariorum Generalium praedecessorum, nec non Provincialium Vicariorum interdum apparere possunt verba quaedam obligatoria, praeceptum sapientia vel prohibitionem, per quae a tranquillitate sua titubare possent vel nutare conscientiae timoratae: hinc est, quod, ut reddamus vos omnes ad Deo serviendum sine timore superfluo promptiores, quo ab huiusmodi fueritis obligationibus absoluti, praesentium serie, talium verborum obligationes si aliquae reperiantur in dictis scriptis nostris vel praedecessorum, per quae (quas?) vestrae redderentur inquietae conscientiae, nos Vicarii Generalis et Provincialis praetacti vos et quemlibet vestrum de gratia speciali ab huiusmodi praeceptis et prohibitionibus absolvimus, et ad ea observanda vel fugienda non esse constrictos tamquam sub peccati mortalis obligatione, quantum in nobis est, decernimus, nisi in quantum alias per regulam, declarationes Apostolicas vel statuta generalia aut provincialia, vel aliud ius divinum vel humanum remaneretis ad talia facienda vel fugienda, quae huiusmodi praeceptis aut prohibitionibus innuuntur, certius obligati, excepta dumtaxat hac pagina, salva etiam Ordinis disciplina, videlicet punitione regulari per Praelatos Ordinis pro demeritis vestris in visitationibus vel capitulis infligenda, cui vos astringi

volumus, si forte, quod absit, contraveniendo his ordinationibus et aliis, quae sub praecepti vel prohibitionis forma videbuntur editae, quidquam ausu temerario praesumeretis vel attentaretis. Verumtamen per reprobationem et prohibitionem propositionum secundae partis, videlicet de stricto spiritu, non concedimus, saltem quoad aliquas dictarum propositionum, ut aliquis Frater debeat vel possit praedicare vel sustinere contrarium vel contrarias, tum ne laxis amplius habenae laxentur, tum propter pacem conservandam fraternae caritatis, quae damnose violatur per tales disceptationes, tum ne rursum in idem opinionum barathrum se praecipitent Fratres, tum quia, ubi dubium oriretur talium, resolutio per declarationem Nicolai Sedi Apostolicae reservatur. Et interim in talibus dubiis, si aliqua de novo consurgerent, quae per regulam et declarationes non possint faciliter in promptu et evidenter lucidari, tenentur omnes Fratres suorum se iudicio Praelatorum coaptare et sine quacumque tergiversatione vel dissimulatione parere.

His itaque, dilectissimi patres et fratres, omnes vos et vestrum singulos ex praecordiis obsecramus intente ac per aspersionem sanguinis domini nostri Iesu Christi, qui suum reliquit proprium consilium secundum Bernardum [1], ut subderetur illis, scilicet Mariae et Ioseph, monemus et exhortamur in eodem, quatenus cessent hae quaestiones vel opiniones, nec deinceps sint inter nos schismata. Manducate simpliciter quae vobis apponuntur, nihil interrogantes vel iudicantes de his, quae per regulam non committuntur vobis, dicente regula: « Ministri tantum et Custodes » etc. usque « induendis », nec non secundum Bonaventuram [2] etiam « educandis et alendis »; et secundum declarationem Nicolai III. debent etiam alii Fratres curam huiusmodi gerere diligenter, cum sibi a Ministris et Custodibus commissa fuerit, sub quorum nomine etiam Guardiani comprehenduntur; quod, Spiritu sancto dictante, rationabiliter exstitit ordinatum, ut videlicet quibus huiusmodi cura non committitur, eo liberius contemplationi, officio divino, orationi ac lectioni vacare possint, quo sunt a tanta sollicitudine providenter exempti. Quae faciendo et obedienter implendo cum obedientiae filiis et omnibus Sanctis ad aeternam pacem et felicitatem mereamini pervenire. Et interim propensius pro nobis orare curate.

Datum sub sigillorum vicariatuum nostrorum, generalatus et provincialatus, appensione, ubi supra, die vero Aprilis vigesima.

Igitur quia frater Caspar Waler ob suos temerarios ausus, volens inconsutilem tunicam observantiae regularis in Provincia Argentinensi dividere bifurcatumque caput esse, causam dicto decreto dedit, deprehensus in suis machinationibus, deductis in lucem in dicto capitulo, a reverendis venerandisque patribus dictis Generali et Provinciali Vicariis atque Definitoribus in poenam extra Provinciam pulsus ad Metensem conventumque detrusus fuit, complicibus suis hinc inde in conventibus Provinciae suspensione et privatione actuum legitimorum et officiorum usque ad tempus punitis atque humiliatis.

Definitores in hoc capitulo fuerunt venerandi patres fratres Iohannes Altpart, praedicator et Discretus conventus Ulmensis, Iohannes Ulrici Eysenflam [3], Guardianus et Discretus Norimbergensis, Iohannes Kaufmann, praedicator et Discretus conventus Monacensis, Ulricus Kastell, Guardianus et Discretus Heidelbergensis; socius

---

[1] Sermo III. in Tempore Resurrectionis, n. 4. 5. — [2] In Expositione regulae. — [3] Huc usque cod. habebat semper *Ulrici,* sed in seq. *Ulricus* (vel *Uldaricus*) *Eysenflam* (vel *Ysenflam*).

reverendi patris Vicarii frater Iohannes Machysen; Discretus Discretorum ad generale capitulum reverendus pater frater Iohannes Altpart.

In hoc capitulo ordinatum est, quod in festo Conceptionis Virginis Mariae fiant integrae Vesperae de eodem et commemoratio de sancto Ambrosio.

Ceterum eodem anno reverendissimus in Christo pater et dominus, dominus Albertus, Episcopus Argentinensis, ex domo ducum Bavariae et Palatinatus ortus, reverendo patri fratri Iohanni de Lindenfels, Vicario Provinciali, et Ordini obtulit quoddam monasterium Steygensium in civitate residentiae episcopalis Zabernia [1] situm. Nempe quia totus ille Ordo, in quinque dumtaxat coenobiis manens, sicut ortum habuit a quodam Fratre Ordinis Praedicatorum, qui ex eodem egressus, austeriorem vivendi normam erigens, in quadam eremo iuxta dictum oppidum Zaberniam ad milliare dicta *Steyg* — a quo et Ordo nomen sortitus est — auctoritate Apostolica cum suis complicibus sese recollegit, primariam suae professionis institutionem relinquens, melius aliquid habiturus: ita et totus ille Ordo sive vivendi secta aut modus post ducentos ferme annos ex omni parte collapsus, cum deficerent et capita et membra, compulsi sunt — quia volebant — a Summo Pontifice Innocentio dispensationem obtinere. Cunctis igitur suppositis translatis in ordinem sacerdotum et in ecclesias saecularium Canonicorum, monasteriis habituque relictis, dictus reverendissimus Episcopus ob singularem reverentiam et amorem sancti Francisci de consensu Praepositi Zaberniensis, qui in dicto monasterio prioratui antea praefuit, illud ipsum monasterium, auctoritate fultus Apostolica, observantiae regulari Ordinis Minorum de familia et vicariatu libere obtulit dictumque reverendum patrem fratrem Iohannem de Lindenfels, Vicarium, cum notabilibus patribus Provinciae introduxit, claves dedit atque in praesentia multorum Praelatorum nobilium et magna populi caterva cum maximis tum solemniis tum gaudio et iubilo, accensisque luminaribus in manibus Fratrum et saecularium, omne ius dicti monasterii resignavit Fratribus ipsosque inthronizavit, ipso die Divisionis Apostolorum [2]; quo facto, post decantatum *Te Deum laudamus* Fratres officium Missae decantaverunt, Episcopo praesente etc.

Anno Domini 1487, in mense Ianuario, sanctissimus dominus Innocentius Papa VIII. direxit sequens Breve:

Dilectis filiis Vicario et Fratribus Provinciae Argentinensis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, ac Abbatissis et conventibus monasteriorum monialium Ordinis sanctae Clarae, nec non matribus et magistris ac sororibus domorum tertii Ordinis beati Francisci nuncupati, sub eiusdem Vicarii cura degentibus, Innocentius Papa octavus. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vestris devotis supplicationibus inclinati, ut liceat vobis festum sanctae Barbarae [3], quod, ut asseritis, laici istius vestrae Provinciae solemniter venerantur et colunt, dummodo in die dominico non occurrit, et vobis Abbatissis et conventibus festum sanctae Clarae [4] diebus sequentibus illud ac Octava illius diei [5], prout ex fervore devotionis desiderare videmini, solemni duplici celebrare officio, et festum sancti Ludovici [6], quod eadem octava die celebratur, in aliam diem transferre, et tibi Vi-

---

[1] Theut. « Zabern » in Alsatia.

[2] 15 Iulii. Cfr. supra pag. 264, nota 2.

[3] 4 Decembris. — [4] 12 Augusti.

[5] Cod. habet *diebus*. — [6] 19 Augusti.

cario cum Fratribus et sororibus Ordinum vestrorum, nec non vobis Abbatissis cum monialibus monasteriorum vestrorum, et matribus ac magistris cum sororibus domorum vestrarum super omnibus abstinentiis ciborum et ieiuniorum observatione ac vestimentorum gestatione[1], prout iuxta personarum et temporum aliarumque circumstantiarum exigentiam secundum Deum et rectam conscientiam vobis videbitur expedire, et vobis Abbatissis in vestris monasteriis constitutas in aetate a iure communi requisita in moniales recipere et illarum professionem admittere; et factae de constitutis in huiusmodi aetate receptiones et per eas professiones praetextu Constitutionis in Viennensi concilio editae, exigentis aetatem viginti annorum, infringi non possint[2]: Apostolica auctoritate concedimus per praesentes pariter et indulgemus, praedicta vel quacumque alia Constitutione nec non monasteriorum et Ordinum vestrorum confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate, statutis et consuetudinibus ac regularibus institutis ceterisque contrariis non obstantibus.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XXIII. Ianuarii, anno Incarnationis dominicae MCCCCLXXXVII, pontificatus nostri anno tertio.

Eodem tempore dispensavit Protector Ordinis cum sororibus Ordinis sanctae Clarae in infrascriptis:

Iulianus, miseratione divina Episcopus Hostiensis, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis sancti Petri ad Vincula, sanctissimi domini nostri Papae maior Poenitentiarius, Minorum et sanctae Clarae Ordinum Protector, corrector atque gubernator, venerabilibus et dilectis in Christo Abbatissis monasteriorum praefati Ordinis sanctae Clarae, in Provincia Argentinensi existentibus sub obedientia Vicarii Generalis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, salutem in Domino sempiternam.

Debemus pro officio protectionis nostrae sincero affectu ad ea intendere, quae ad commodum et quietem monasteriorum vestrorum spectare animadvertimus, et iuxta temporum varietatem statuta quoque variare et ea temporum et personarum qualitati salubriter accommodare, quatenus vos ut prudentes virgines accensis lampadibus sponso vestro obviam procedentes, eidem quietius et acceptius famulari possitis. Dudum siquidem bonae memoriae Arnaldus[3] Cardinalis, praedicti Ordinis Protector, ex certa causa, ad tunc forsitan exigente, statuit sub poena excommunicationis, quod in praefatis vestris monasteriis deinceps nulla reciperetur in monialem, quae in aliquo praedictorum monasteriorum, quod ingredi deberet, haberet aliquam consanguineam seu affinem. Postmodum vero bonae memoriae dominus Bessarion, Episcopus Tusculanensis, etiam dicti Ordinis Protector, cognoscens, praelibatum statutum esse a iure communi devium, illud aliqualiter modificavit. Verumtamen non obstante praefata modificatione, Visitator vester ac vos et conventus praedictorum monasteriorum vestrorum non potestis quietari quoad conscientias vestras et super his de opportuno remedio provideri petiistis. Quocirca nos, cunctis diligenter pensatis, cupientes quieti vestrae, quantum in Domino fieri potest, consulere, scrupulum ex mentibus vestris amovere, praevia ratione dicti statuti omnimodam dispensationem vobis una cum Visitatore vestro et capitulis vestris permittimus, volentes ac statuentes hoc scilicet modo, quod, quotiescumque aliqua, quae sic ex

---

[1] Supple: *dispensare,* quae vox in cod. excidisse videtur.

[2] Cod. *possit.*

[3] Cod. *Arnoldus,* scil. de Pelagrua, de quo cfr. supra pag. 120, nota 7.

prohibitis per dictum statutum petierit et voluerit recipi in monialem, quod, non obstante huiusmodi praelibata Constitutione et prohibitione, recipi possit, si ad hoc primum Vicarii et Visitatoris vestri, deinde Abbatissae et maioris partis monialium eius monasterii, in quo recipi debet, assensus et votum accesserint, ita ut in huiusmodi receptione praefata vota monialium capitulariter perscrutentur, interpretantes et declarantes, tam recipientes quam receptas praemisso modo fore et esse ab omnibus poenis, gravaminibus et censuris, in dictis statutis contentis, immunes et liberas, amoventes ex mentibus earundem omnem quem propterea scrupulum habere possent. Et quoniam vos et singulae vestrum nec non et conventus et moniales vestrae praemissorum occasione aliquibus censuris irretitae esse potestis, ex nunc tenore praesentium Visitatori vestro vices in hac parte nostras committimus, ut idem vobis praefatis omnibus et singulis absolutionis beneficium impertiri possit et vos postmodum absolutas fore et esse, declarare, non obstantibus statutis, Constitutionibus et determinationibus praefatis quibuscumque, quas supradicto modo limitandas, modificandas et reducendas esse, ex potestate officii protectionis nostrae duximus. In quorum omnium praemissorum fidem et robur praesentes fieri et nostri maioris sigilli appensione fecimus muniri.

Datum Romae in aedibus habitationis nostrae apud sanctos Apostolos, die XXV. mensis Ianuarii MCCCCLXXXVII, pontificatus praefati sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Innocentii, divina providentia Papae octavi, anno tertio.

Eodem anno et mense concessit sanctissimus dominus Papa Innocentius VIII. fratri Angelo de Clavasio gratias sequentes vivae vocis oraculo:

Quod Guardianus loci nostri omni anno praesentet se Episcopo vel Vicario eius in spiritualibus, vel mittat alium Fratrem pro se et dicat eidem Episcopo: « Reverendissime domine, ecce ego praesento me Dominationi vestrae pro me et omnibus confessoribus, deputatis et deputandis a nostro Vicario pro audiendis confessionibus vestrorum subditorum, petens humiliter, quatenus dignemini esse contentus, ut cum vestra benedictione ipsos audiant in confessione et absolvant. Et si quid auctoritatis vestrae circa casus vobis reservatos velitis nobis concedere, benigne concedatis. Et similiter etiam circa votorum dispensationem dignenimi nos avisare, si quid habemus facere pro salute animarum Dominationi vestrae commissarum ». Quo facto, sive concedant sive denegent, sanctissimus ipse dominus Papa concessit, quod statim confessores praedicti habeant auctoritatem absolvendi ab omnibus casibus, praeterquam Episcopo reservatis a iure. Item, declaravit sua Sanctitas: Quoad primum casum reservatum Episcopo interrogatur[1], secundum opinionem Innocentii et Hostiensis, quod solum est hodie una excommunicatio, quae de iure Episcopis reservatur, scilicet iniectio manuum violenta in personam ecclesiasticam, in quibus pertinet ad Episcopum; et ideo ab aliis excommunicationibus, quae sunt a iure et non reservantur, possunt praedicti confessores absolvere; similiter ab omnibus excommunicationibus, per statuta provincialia vel synodalia promulgatis, quas ipsi Episcopi specialiter sibi vel alteri non reservaverunt, quando statuta fecerunt. Item, concessit Sanctitas sua, quod confessores praedicti possunt dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, exceptis votis peregrinationis ultra duas dietas; Glossa: id est duos dies, non ad tertium etc.

---

[1] Idem est ac: licentia petitur. Cfr. Du Cange, Glossar.

Eodem anno, in die sancto Pentecostes [1], fuit celebratum capitulum generale Fratrum familiae cismontanae ad sanctam Mariam de Angelis prope civitatem Tolosam Provinciae Aquitaniae, praesidente reverendissimo patre fratre Iohanne Crohin et officio cedente; ubi in eius legitimum successorem electus est reverendus pater frater Oliverius Maillardi, Vicarius Provinciae Aquitaniae, vir doctissimus, sacrae theologiae professor, sermone ac praedicatione famosissimus atque in tota Gallia celeberrimus.

Frater Oliverius Maillardi Vicarius Generalis citramontanus eligitur Tolosae 1487.

In quo capitulo Tolosano Provinciae Aquitaniae multa bona pro familia determinantur :

Quoad divinum officium fuerat quidem aliqua innovatio facta, sed quia in sequentibus capitulis revocata, frustra occuparem membrana.

Item, declaratum est, Praefationem specialem de sancto Francisco ordinatam posse etiam in Missis votivis dici.

Item, de dominica occurrente infra Octavas Omnium Sanctorum, quod non oporteat dicere homiliam festi super Evangelium: *Videns Iesus turbas*, dummodo aliter Evangelium occurrat dominicae.

Item, quod officia de festis Conceptionis et Visitationis Virginis Mariae, ordinata in concilio Basileensi et acceptata in capitulo sancti Audomari, serventur in practica ab his, qui habent, alioquin faciant officium de Nativitate eius, mutatis nominibus.

Item, declaratur, quod Missa dominicalis sit de integritate divini officii et ideo nullatenus omittatur.

Item, quod non potentes interesse congregationi generali, legitimo interveniente impedimento, mittant Commissarios iuxta ordinationem Basileae factam cum excusatoriis.

Item, quod non passim recipiantur conversi de Iudaismo , maxime in Hispania.

Item, providetur Provinciis Granatae, Angliae et Canariae de superioritate; sed iam cessat illa propter ampliatum numerum Fratrum.

Item, statutum poenale contra se immiscentes negotiis principum, ferentes litteras clausas vel apertas, sapientes fomentum cuiuslibet partialitatis in praeiudicium pacis, nisi prius habita integra notitia eorum, qui in eis continentur et licentia sui Vicarii Provincialis, stricte servetur.

Caveant quoque Fratres universi studiose frequentias Curiarum dominorum et dominarum, et spiritualibus exercitiis magis inhaereant [2] orationis, devotionis ac lectionis exactae, relegatis aliis discursibus inutilibus, occupationibus quoque frivolis et stationibus otiosis, ut de Deo ac spiritualibus et de sui status sublimissima perfectione in bonitate sentiant. Et ad haec per Praelatos verbis et exemplis inducantur, ut, divino officio devote et cum multa maturitate et diligentia persoluto, tempus aliquod accipiant, in quo spiritum Domini et mentem beatissimi Patris nostri Francisci imbibere valeant, Christi unctione et gratia se his dulcius infundente.

In hoc capitulo numerus defunctorum Fratrum fuit: in Provincia Aquitaniae 9; Franciae 99, inter quos fuit venerandae memoriae pater frater Iohannes Philippi,

---

[1] 3 Iunii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1487, n. II, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 131, ubi habentur etiam ordinationes paulo inferius memoratae.

[2] Ita De Gubernatis, cod. *inhaereatur*.

sacrae Observantiae, verae paupertatis et simplicitatis zelotes praecipuus, qui tribus vicibus hanc nostram familiam in generalatus officio laudabiliter gubernavit, conventum Lineii [1] Provinciae Franciae fundari procuravit, ubi tandem et quietis locum accepit, piis laboribus consummatus; siquidem et Provinciis Franciae, Burgundiae et Aquitaniae in provincialatu praefuit. In Provincia [2] 59; Saxoniae 64; Turoniae 40, inter quos frater N. Troardi, quandoque Provincialis Vicarius illius Provinciae; Aragoniae 31, inter quos frater Franciscus Deylli, ter Provincialis Vicarius; Argentinae 24; Sancti Iacobi 47, inter quos venerandus pater frater Didacus de Artensa, defunctus in officio provincialatus; Coloniae 60; Sancti Bonaventurae 4; Portugalliae 15, inter quos frater Antonius de Heldis, bis Vicarius Provincialis; Sancti Ludovici 3; Hiberniae 15; Scotiae 3; de Sanctoyo 42; Daciae 15; Britanniae 16, inter quos venerandus pater frater Natalis de Pameretis, in officio provincialatus defunctus; in Anglia 7, inter quos venerandus pater frater Leo Leonis, Commissarius ibidem; in Canaria 10; in Curia Romana 6, inter quos reverendus pater, memoria dignus frater Emericus de Kemell, ad plures annos inibi Commissarius et in quibusdam negotiis Apostolicus nuntius, orator et Commissarius.

Eodem anno Innocentius VIII. ad instantiam venerandi patris fratris Bernardini de Gwaza, Commissarii Romani, concessit gratias sequentes et favores, quas idem pater ad dictum capitulum Tolosanum detulit:

Primo concessit patribus et fratribus et sororibus trium Ordinum sancti Francisci, quod possint eligere confessorem de consensu suorum Praelatorum, qui eos et eas possint absolvere de quibuscumque casibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, exceptis certis in Extravaganti Sixti.

Item, quod Vicarii Generalis et Provincialis pro tempore existentes possunt dispensare cum Fratribus, qui attingunt saltem 24. annum, ut promoveantur ad sacerdotium et in eo ministrent, et hoc in casu necessitatis aut evidentis utilitatis.

Item sua Sanctitas supplet omnes defectus ignoranter commissos tam in receptione Ordinum quam administratione Sacramentorum.

Item, confirmavit omnia privilegia a suis praedecessoribus, potissimum Sixto IV, data et concessa nostrae sacrae familiae.

Item, concessit, quod Fratres praesentati Episcopis possunt absolvere ab omnibus excommunicationibus, a iure latis et Sedi Apostolicae specialiter non reservatis, excepta excommunicatione pro iniectione manuum violenta in personam ecclesiasticam, in quantum talis casus pertinet ad Episcopum.

Item, quod Vicarii Generalis et Provincialis possint benedicere corporalia pro Fratribus et Ordine nostro sive nobis subiectis. Aliorum vero ornamentorum consecrationes possunt dicti Vicarii committere inferioribus Praelatis, si viderint expedire.

Eodem anno, dominica [3] infra Octavas Assumptionis Virginis Mariae, fuit capitulum provinciale celebratum in conventu Oppenheimensi per reverendum patrem fratrem Iohannem de Lindenfels; in quo electus fuit rite et canonice in Vicarium Provincia-

---

[1] Cod. *Lynei;* est enim Lineium (vel Liniacum, Lignacum) civitas Galliae et dicitur « Ligny ». — De dicto conventu cfr. Wadding., l. c. ad an. 1480, n. XXIX.

[2] Scil. Provinciae (Provençe).

[3] Scil. dominica XI. post Pentecosten, quae erat 19 Augusti.

lem reverendus pater frater Iohannes Altpart pro tertia vice, cum iam fuisset Commissarius et praedicator conventus Ulmensis.

Frater Iohannes Altpart[1], pro 3.ª vice eligitur Vicarius in Oppenhemia 1487.

In quo capitulo plura tam pro divino cultu quam morum uniformitate sunt ordinata:

Quod festum sanctae Barbarae non transferatur de loco suo.

Sanctissimus dominus Innocentius concessit ad instantiam reverendi patris fratris Bernardini de Gwaza, Commissarii Romani, quod Fratres ex obedientia extra conventum missi, aut ita manuali labori intenti, sive etiam infirmi, quod non possunt ecclesias visitare, dicant quinque « Pater noster » et totidem « Ave Maria », et habebunt omnes indulgentias, quas ea die haberent, si ecclesiam personaliter visitarent.

Item ordinavit, ut pro Fratribus leprosis extra locum habitationis Fratrum, intra tamen septa conventuum et non extra, fierent domicilia, ibique caritas possibilis eis exhiberetur.

Item, avisatos reddidit electores Discretorum ad capitula provincialia, ne passiones aut affectiones sequantur, sed virum maturum expertumque eligere satagant, qui rebus gerendis suas possit porrigere partes.

Et quod Discreti in sessione mensae sub et non supra suos Guardianos sedeant, si sint praesentes.

Item, quod caveant Fratres ab ingressu Abbatiarum quarumcumque monialium et recursu inutili ad pecun[ia]s, sive pro curribus agibilibus, sive etiam pro disponendis sumptuosis prandiis et [...]nis more reddituatorum; et ne sic passim declinent ad loca Fratrum commorantiu[m] apud sorores sanctae Clarae; et similiter accessum ad nundinas arceant Francofordienses.

Definitores autem capituli fuerunt venerandi patres fratres Stephanus Fridelini, praedicator sororum in Norimberga et Discretus, Iohannes Strauss, confessor sororum in « Anger » et Discretus conventus Monacensis, Leonardus Engelhardi, Guardianus et Discretus conventus Rubeacensis, et Iacobus Dieffenbach, Praesidens et Discretus loci sanctae Ursulae in Fremersberga[2].

Eodem anno in capitulo generali[3] apud sanctam Mariam de Angelis eligitur in Vicarium Generalem familiae ultramontanae reverendus pater frater Iohannes de Segistro, vir doctus et devotus.

Frater Iohannes de Segistro Vicarius Generalis familiae ultramontanae 1488.

Anno Domini 1488 praefuit Provinciae Bohemiae quoad Fratres Observantiae de familia in vicariatu reverendus pater frater Paulus de Moravia, vir maturus et sincerus.

Frater Paulus de Moravia Vicarius Provinciae Bohemiae Fratrum de Observantia.

Anno eodem Norimbergae in die sancto Pentecostes[4] fuit celebratum capitulum sub praesidentia reverendorum patrum fratrum Oliverii Maillardi, Vicarii Generalis, et Iohannes Altpart,

---

[1] Ita scripsimus usque huc hoc nomen, cod. modo Alltpartt, modo Altpartt, modo Altpart habente. Cod. tamen nunc hic et in textu et deinde exhibet *Alphart* et postea etiam *Asphart*.

[2] Cod. hic *Fremersberck*.

[3] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1487, n. 1, et De Gubernatis, l. c. tom. III. pag. 131, qui pro *Ioh. Segistro* exhibent probabiliter recte *Ioh. Sigestro*.

[4] 25 Maii.

Provincialis. In quo plures notabiles patres nedum ex societate dicti reverendissimi patris Oliverii, Generalis Vicarii, verum etiam ex Provincia nostra Argentinensi fuerunt, habita nihilominus solemnis disputatio sub praesidentia eximii doctoris fratris Stephani Brulifer [1], in theologia magistri Parisiensis, suo aevo doctissimi, pro tunc studii nostri Moguntinensis rectoris, superattendente nihilominus dicto reverendissimo patre Oliverio Maillardi, Vicario Generali, respondente vero fratre Paulo Scriptoris, ingenio clarissimo lectore Tübingensi [2], praesentibus plurimis viris clarissimis doctoribus tum Religiosis, tum saecularibus. Denique et senatus ipse Norimbergensis, praesentibus proconsulibus, sacras venerandasque reliquias tum Lanceae Salvatoris, tum maximae Crucis particulae, tum etiam aliarum notabilium petiarum, pro reverentia tam venerabilis congregationis omnibus Fratribus in ecclesia hospitalis magni, ad quam ex more processionem solemnem ordinaverant, lucide ac clare ostenderunt deosculandaque [3] praebuerunt. Ubi dum Missarum solemnia celebrius decanterentur, saepe dictus reverendissimus pater frater Oliverius, Generalis Vicarius, latino eloquio collationem egregiam fecit ad clerum, interprete reverendo patre fratre Iohanne Altpart, Vicario Provinciali. Sed multo amplius movebant corda audientium, quandoque nec intelligentium, verba, mores devoti, gestus cordiales, proferendi modus, voxque suavior, utique latentis quid habens energiae Galli latina enuntiatio, quam quandoque disertissimae linguae germana familiariorque [4] dicti interpretis clara elucidatio. Vidisses tunc non tam devotum femineum sexum, quam barbarorum virorum latinae ignarum linguae coetum, oculis manibusque in virum erectis, devotionis lacrymas ubertim fundere, dare gemitus, pectora tundere, cum idem reverendissimus Pater solitis exclamationum telis de dulcissimo corde Iesu corda tangeret. Certe expertus loquor; audivique a quampluribus, nunquam [5] sic tacta, liquefacta sic corda et lumina ab aliquo sermone reportasse devotionemque sensisse. — Sed ad capitulum redeamus, in quo dictus reverendissimus pater Oliverius tanta dabat responsa obscuraque deducebat in lucem, ut omnium ingenia stuperent. Statuta tamen seu ordinationes nullas voluit facere, ne pusillorum animos illaquearet. Omni tamen qua potuit efficacia Fratres cunctos ad observantiam regulae, declarationum papalium ac statutorum Barcinonensium fecit hortatos.

Definitores autem huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Iohannes de Lindenfels, Guardianus et Discretus conventus Basileensis, Iohannes Ulrici Eysenflam [6], Guardianus et Discretus conventus Norimbergensis, Iodocus Kutzenbach, Guardianus et Discretus conventus Bambergensis, et Iohannes Flacht, Guardianus et Discretus conventus Ulmensis.

Anno Domini 1490 in conventu de Fonte apud Rupellam [7], Provinciae Turoniae,

---

[1] Cfr. Wadding., Scriptores pag. 320, et Sbaralea, l. c. p. 666.

[2] Cod. *Thuwingensi.* — [3] Ita cod., sincerius legeretur: *deosculandasque*.

[4] Cod. *familiorque.* — [5] Supple: eos.

[6] Cod. hic *Udalricus Ysenflam;* cfr. supra pag. 498, nota 3.

[7] Id est La Rochelle, civitas Galliae. — Cum auctore nostro convenit Chronologia, l. c. t. I. p. 145. Wadding. autem, consentiente ei De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 132, affirmat, capitulum an. 1489 in festo Pentecostes (7 Iunii) celebratum esse, et alterum familiae ultramontanae paulo post memoratum eodem anno, die 28 Maii.

Frater Iohannes Crohin pro tertia vice eligitur in Vicarium Generalem Rupellae.

eligitur in Vicarium familiae cismontanae reverendus pater frater Iohannes Crohin, praesidente reverendissimo patre fratre Oliverio Maillardi ac officio cedente. In quo capitulo nihil novi ordinatur, immo pro relevatione conscientiae patres capituli omnium statutorum obligationem quoad culpam auferunt hortanturque Fratres, ne eleemosynas pecuniarias sine vera necessitate deponi sustineant, sub periculo propriae salutis, nec quis secum bursarium ducat seu depositarium, sub poena privationis officii ac actuum legitimorum. Servetur quoque statutum generale de electionibus Guardianorum, quantum erit possibile bono modo. Ut de triennio in triennium celebrentur tantum duo capitula provincialia.

De divino officio stetur antiquae consuetudini de Missa dominicali, quando festum, vel Octava cadit in die dominica. Et quoad festa solemnia habeant effectus festorum solemnium ista hic expressa, videlicet Nicolai Episcopi, Antonii Abbatis, Sebastiani, Vincentii, Inventio S. Stephani, Iohannis et Pauli et Clementis. Omnia autem alia localia in Calendario communi scripta minora seu simplicia auctoritate Apostolica iudicamus in hac parte nobis data, nisi sint duplicia aut semiduplicia. Festa S. Iosephi, S. Annae et S. Elisabethae duplicia de cetero fiant eadem auctoritate. Et Octavae Conceptionis, S. Bernardini et S. Bonaventurae auferantur nec amplius celebrentur. Ipsorum tamen sanctorum Bernardini et Bonaventurae officium proprium et quinque [1] Martyrum Ordinis auctoritate Apostolica dicere possunt.

Finaliter ex parte totius capituli universis Fratribus committitur, ut vigilia [2] permaxima insudent Deo placere ac spiritum Domini inquirere. Quod ut liberius faciant universis et singulis Fratribus et sororibus sanctae Clarae et Tertiariis nobis subditis conceditur a sanctissimo domino Innocentio absolutio ab omnibus censuris et poenis et remissio omnium peccatorum.

Sequitur numerus defunctorum: in Provincia Turoniae 32; Franciae 63, inter quos reverendus pater frater Reginaldus de Nanseyo, bis Vicarius Franciae et Commissarius Romanus. In provincia Castellae 100; Saxoniae 22; Aquitaniae 4; Aragoniae 40; Argentinae 22; Sancti Iacobi 34, inter quos frater Petrus de Sarmica, ter Vicarius, et Iohannes de Cammoris, bis Vicarius; Coloniae 60, inter quos frater Gulielmus Amorferdiae (?) in officio provincialatus, et frater Iacobus Horn, comes in saeculo; Sancti Bonaventurae 5; Portugalliae 12; Sancti Ludovici 5; Hiberniae 18; Scotiae nullus; Daciae 3, Britanniae 12; de Sanctoyo 91, inter quos frater Bernardinus de Castro, qui fuit Vicarius Provincialis.

Frater Angelus de Clavasio Vicarius Generalis ultramontanus 4.ª vice eligitur Urbini 1490.

Eodem anno [3] celebratum fuit capitulum generale patrum ultramontanorum Urbini, in quo electus fuit rite et legitime reverendus pater frater Angelus de Clavasio quarta vice, vir multum doctus.

Iisdem etiam temporibus in convocatione patrum Provinciae Saxoniae in conventu Ascaniae [4] electus fuit in Ministrum dictae Provinciae reve-

---

[1] Clarius habet De Gubernatis: proprium, si qui habuerint, et legendam quinque etc.

[2] De Gubernatis: ut summa vigilantia insudent.

[3] Cfr. supra pag. 505, nota 6.

[4] Ascania vel Ascherslebia, theut. « Aschersleben » est civitas Borussiae in provincia Saxoniae sita.

rendus pater frater Ludovicus de Segen, baccalaureus formatus theologiae de Custodia Thuringiae, 16 die mensis Iunii. Sed hunc virum bonum iniqui ferre non potuerunt, unde et coactus conscientia, resignavit et cessit officio, ut infra [1] dicetur.

Frater Ludovicus de Segen Minister Provincialis Saxoniae Ascaniae eligitur 1490.

Eodem anno, in festo Assumptionis gloriosae Virginis Mariae, celebratum est capitulum provinciale in conventu Crucenacensi [2]. In quo, cedente officio provincialatus reverendo patre fratre Iohanne Altpart [3], in eius successorem legitime eligitur reverendus pater frater Iohannes de Lindenfels pro tertia vice, pro tunc Guardianus et Discretus conventus Basileensis.

Frater Iohannes de Lindenfels Vicarius Argentinensis 3.ª vice eligitur in conventu Crucenacensi 1490.

In quo ordinatur, ut alium seriose verberans pugno vel instrumento quomodocumque laedens velut is, qui alium verbis lacessit iniuriosis, ad formam statuti Salmantini alias modificati puniatur, et qui principibus seu aliis quibuscumque personis secreta Ordinis seu Fratrum detegunt, graviter puniantur secundum exigentiam delicti etiam usque ad probationis caputium.

Item vocatus [4] ad portam maxime per mulieres, ad illas nisi licentiatus a Praesidente non vadat, praedicatore conventus et confessoribus, ad portam dum saluti animarum intendunt, alias minime, seclusis. Nec aliquis sine licentia personas utriusque sexus, ut ad se ad portam seu conventum veniant, invitet.

Item, per Vicarium superflua in libris, calicibus et aliis quibuscumque auferantur cum consilio et voto conventus, demptis mediocribus et vilioribus, quae per se Vicarius auferre potest.

Insinuatur quoque intentio Summorum Pontificum Sixti IV. et Innocentii VIII. in quibusdam Brevibus patefacta, quod Fratres nullatenus possint eligere ad nutum confessorem, qui a quibusvis casibus et censuris eos absolvat, prout in confessionalibus continetur, sine licentia aut scitu suorum Praelatorum, sub poenis a Visitatore infligendis.

Denique Fratres mantellos, pileos et saccos aliaque superflua a cellis amoveant ad communitatem ponendo, demptis continuis terminariis.

Ad sermonem quoque exempli causa veniant fratres laici, clerici et sacerdotes novelli. In melioribus autem se omnes occupent. — Alia etiam complura in schedula extra tabulam observantiae nostrae accommoda sunt ordinata, quae transeo brevitatis causa alibi scripta.

Definitores autem huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Marcus Dieffenbach, Guardianus et Discretus conventus Heidelbergensis, Fridericus Allt, Guardianus et Discretus Ingolstadiensis, Iohannes Keller, praedicator et Discretus conventus Kayserspergensis, Iacobus Dieffenbach, Praesidens et Discretus loci in Fremersberga [5].

Frater Alexander de Silesia Vicarius Provinciae Bohemiae.

Circa idem tempus in Provincia Bohemiae fuit Vicarius Fratrum Observantiae de familia venerandus pater frater Alexander de Silesia [6].

---

[1] Ad an. 1498.

[2] Cruzenacum (vel Crucinacium), theut. « Kreuznach », est oppidum Borussiae in provincia Rhenana ad fluvium « Nahe » situm. — [3] Cod. hic *Asphart.*

[4] Cod. *vocati,* sed deinde *licentiatus* et *vadat.* — [5] Cod. *Fremerssberg.* — [6] Cod. *Schlesia.*

Anno Domini 1492, in mense Septembri [1], Innocentius Papa VIII. moritur, qui ad [2] sacrae regularis observantiae ac familiae conservationem multa accommoda dedit omninoque privilegia, gratias, concessiones et indulgentias a suis praedecessoribus datas et concessas confirmavit. Cui in regimine apostolatus successit [3] Alexander VI, Catalaunus, vir grandaevus, sed robustus corpore, nepos Calixti III, qui eum in Cardinalem ordinavit. Et quia in huius electione quorundam conatus Cardinalium frustra quasi rete ante oculos pennatorum deprehensus est, ut locum indignationi electi Pontificis darent, cedere ad tempus melius arbitrabantur; inter quos quia Iulianus Cardinalis sancti Petri ad Vincula non minimus in suspicione erat, ad regem Franciae et civitatem Avenionem, ubi et archiepiscopatum tenebat, se contulit. Interea quia officium Protectoris nostri Ordinis tunc occupabat, sed, eo a Curia amoto, vacabat, Summus Pontifex Cardinalem Portugallensem in Viceprotectorem Ordini nostro dedit. — Sed redeamus ad caput, unde recesseramus, Summum Pontificem, qui in primo anno ad instantiam patrum, scilicet Angeli de Clavasio, Vicarii Generalis, aliorumque patrum III. kalendas Aprilis [4] 1493, pontificatus anno primo, declaravit per litteras Apostolicas in forma Brevis emanatas: quod Vicarii nostri sint veri et indubitati Ministri nostri, prohibendo, ne quis sub nomine et habitu Fratrum Observantiae de familia infra limites domorum suarum [5] mendicet, neve dicant, quod Fratres sub Vicariis viventes non sint veri Fratres Minores, nec etiam eosdem Fratres nominent *de Bulla* aut *Beguttas* [6] sive alio quovis nomine ignominioso, nec litteras aut libellos huiusmodi sapientes conficiant aut scribant, sub poena excommunictionis latae sententiae.

Dominus Alexander Papa VI. 1492.

Eodem anno, videlicet 1492, dominica *Iubilate* [7], celebratum fuit capitulum provinciale Argentinense in conventu Landishuttensi sub praesidentia reverendi patris fratris Iohannis Crohin [8] et Iohannis de Lindenfels, Vicariorum Generalis et Provincialis; in quo idem reverendissimus pater Vicarius [9] Generalis multa dubia solvit, admonitiones, exhortationes atque ordinationes pro manutenentia sacrae regularis Observantiae trium Ordinum sancti Francisci fecit, extra tamen tabulam Definitionis, quas hic inserere nimis longum atque vanum arbitror. Intra tamen tabulam ambo reverendi patres cum capitulo universo hortantur, quatenus Fratres recordentur, quod suas immolaverint voluntates cultui Dei Christique eius, Salvatoris nostri, vivendo in obedientia, paupertate, castitate perfectis. Quare multum debet unusquisque intellectum fundare regulae, declarationum papalium statutorumque tam familiae quam Provinciae, accingique ad illarum observantiam perfectam, ne coram supremo iu-

---

[1] Secundum Ciacon., l. c.: 8 kldas Augusti i. e. 25 Iulii, et Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 130: 24 Iulii obiit, aetatis anno 60, pontificatus vero 7. mense 10. die 27.

[2] Haec vocula desideratur in codice.

[3] 11 Augusti electus est.

[4] 30 Martii.

[5] Cod. *suorum* et paulo inferius *ne etiam* pro *nec etiam.*

[6] Idem est ac Beghardos, vel Beguinas in sensu malo pro « simulatore ». Cfr. Du Cange, Glossar.

[7] Dominica III. post Pascha, quae erat 15 Maii.

[8] Cod. hic *Chroyn.*

[9] Haec vocula abest a codice.

dice et districto eius iudicio tamquam falsarii convincamur, cum de Observantia censeamur et nominemur.

Attendant insuper Fratres universi, ut in inquisitione seu visitatione Praelatorum Vicarii Generalis et Provincialis et suorum Commissariorum requisiti teneantur dicere veritatem nedum de his, de quibus expresse sollicitantur, verum etiam de aliis, quorum notitia proficere crederetur ad exstirpationem vitiorum et profectum virtutum, etiam si secreta sint, hac distinctione salva, etiam si sub sigillo secreti alter ab altero recepisset aliquid celandum; quod fieri non licet nec potest, excepta sacramentali confessione, saltem in praeiudicium visitationis seu inquisitionis Praelatorum, etiam boni communis, quod consistit nedum in vitiorum exstirpatione et promotione virtutum, verum etiam in famae communis conservatione. Est enim secretum, secretum [1] confessionis sacramentalis, quod nulla ratione licet revelari. Si tamen per aliam viam etiam quis sciat delictum Fratris, non minus tenetur revelare, quam si non sciret illud per confessionem, ac per hoc non revelatur confessio. Est et aliud secretum non sacramentale, et illud est duplex: unum, quod scitur solitarie, ut quod solus vidit et audivit, et in omnem eventum Praelatus potest praecipere, quod sibi tale secretum reveletur, etiam si tangat solam personam delinquentis, non ad publicandum seu publice puniendum, sed secrete et ad praecavendum in futurum de recidivo. Et quod sic secrete sciret, etiam si delinquentem corripuisset caritative et iurasset non revelare, nihilominus debet Praelato praecipienti revelare, nisi Praelatus foret fatuus seu iniquus, qui vellet talem publicare. — Aliud est secretum habitum per sigillum secreti, hoc est, quod nullo modo detectum fuisset, nisi praesumpsisset conferens, quod suscipiens secretum tenuisset. Et de tali secreto nec potest Praelatus praecipere, nec subditus tenetur obedire, nisi secretum illud tale foret, quod vergeret in detrimentum et praeiudicium communitatis, cui communitati magis obligatus foret suscipiens quam tradenti. In tali enim casu et Praelatus inquirere potest, et subditi eius ei revelare debent.

Insuper acceptat universale capitulum statutum poenale contra appellantes in Ordine, sic dicens: Appellatio in nostro Ordine sub interminatione maledictionis aeternae et anathematis nulla fiat, cum non venerimus contendere, sed delicta emendare. Et qui contra fecerit, ipso facto ab omni actu legitimo sit suspensus. Et nisi infra diem naturalem resipuerit, a communione Fratrum separetur. Nam appellationem fieri Bonifacius Papa VIII. firmiter in Ordine inhibuit, deliberatione et maturitate debitis prius observatis. Per hoc tamen in nullo praeiudicare volumus, sicut nec possumus, regulae in illo passu [2]: « *Ubicumque sunt Fratres, qui scirent et cognoscerent* » etc., salvo intellectu per beatum Bonaventuram in expositione eiusdem passus exposito, sic dicentem: « *Qui scirent*, per experientiam, *et cognoscerent*, per certum iudicium ». Et infra: « Per se scilicet vel per nuntium, forma tamen statutorum Ordinis observata in eundo, quia istud dictum [3] non est exemptum ab obedientia statutorum », ne videlicet sine socio sibi deputando quis abeat, et quoad crimina reservata, nisi crimen sit publicum.

---

[1] Ita habet cod.

[2] Cap. X; et vide Expositionem regulae S. Bonav. in hunc capitulum.

[3] In editionibus legitur *debitum*.

Definitores huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Andreas de Traunkyrch Guardianus et Discretus conventus Basileensis, Iohannes Ulrici Eysenflam[1], Guardianus et Discretus conventus Norimbergensis, Ludovicus Buffell, Guardianus et Discretus conventus Monacensis, Caspar Waler, praedicator et Discretus conventus Heidelbergensis.

Anno Domini 1493 celebratum fuit capitulum generale Fratrum familiae cismontanorum in conventu Florentiaci[2], Provinciae sancti Ludovici, in die sancto Pentecostes, sub praesidentia reverendissimi patris fratris Iohannis Crohin; in quo, cedente eo officio, electus fuit in eius successorem Vicarium Generalem reverendus pater frater Oliverius Maillardi, Vicarius Franciae, pro 2.ª vice. In quo in tabula Definitionis ordinatum fuit, quod festum sancti Dominici possit celebrari in crastino Transfigurationis Domini, si dominica non impediat; et quod officium de sancto Bernardino novum acceptatur.

Frater Oliverius Maillardi Vicarius Generalis citramontanus 2.ª vice 1493.

Declaratur etiam, quod per ea, quae in tabula Definitionis capituli immediate praecedentis[3] scribuntur, scilicet: *Omnium autem aliorum statutorum obligationem quoad culpam auferimus*, non intelliguntur per hoc statuta alia generalia et provincialia fuisse revocata, quin ea, quae conferunt ad uniformitatem morum et correctionem delinquentium, exceptis censuris et suspensionibus seu privationibus, quae feruntur ipso facto, debeant pro posse servari et practicari, ac malitiose transgredientes, ut expediri videbitur, propter ea puniri.

Item, cum ad ordinem sacerdotii non debeat quis ascendere faciliter, nisi cui suffragetur aetas et morum gravitas, deinceps cum aliquo non dispensetur, ut sacerdos efficiatur, qui 25. annum nondum attigerit, aut si casus necessitatis emerserit propter sacerdotum paucitatem, saltem qui dispensabit, consilium quatuor Guardianorum simul adunatorum requirat, qui super dispensandi necessitate debeant arbitrari; quorum conscientiae sint oneratae, ut quod erit necessarium, pensatis undique pensandis, ipsi consulant.

Amplius, expositionem illius passus regulae[4], ubi dicitur: *Obediant suis Ministris in omnibus* etc., quem passum nonnulli ausi sunt extorte contrahere ad ea dumtaxat, quae in regula continentur expresse, damnamus et execrabilem iudicamus, et quod ex illis inferunt de impossibilitate condendi statuta et commendandi Missas seu applicandi Missarum intentiones, ita ut, si quis audeat super his in contrarium affirmare vel etiam dubitare pertinaciter, tamquam errans et subversor usque ad debitam revocationem carceri mancipetur. Et idem fiat de subditis, qui verterent in dubium, an obedientia, quae debetur a subditis Praelatis familiae, sit regularis, an secura.

Numerus autem defunctorum Fratrum a proximo generali capitulo: 537. In Provincia sancti Ludovici 14, inter quos fuerunt frater Petrus de Platea, Laurentius de

---

[1] Cod. hic *Ulricus Ysenflamm.*

[2] Florentiacum, gallice « Florenzac », est oppidulum Galliae in Languedoc ad fluvium « Herault » situm. — Festum Pentecostes erat 26 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1493, n. X, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 135.

[3] Cfr. supra pag. 506, in principio. — [4] Cap. X.

Monte, Franciscus Desiderii, suis temporibus Provincialis Vicarius; Franciae 50; Castellae 75; Saxoniae 23; Turoniae 27; Aragoniae 30, inter quos frater Franciscus Benedicti, Provincialis Vicarius; Argentinae 39, inter quos reverendus pater frater Iohannes Altpart, qui ter in provincialatu Provinciae praefuit; Sancti Bonaventurae 7; Sancti Iacobi 36; Coloniae 66; Aquitaniae 14; Portugalliae 25; Hiberniae 24; Scotiae 1; de Sanctoyo 60; Daciae 3; Britanniae 16; Angliae 4; in familia de Tordebelles 8; in Romana Curia 4 etc.

Frater Evangelista de Perusio Vicarius Generalis ultramontanus eligitur Florentiae 1493.

Eodem anno [1] celebratum fuit capitulum generale Fratrum familiae ultramontanae Florentiae. In quo electus fuit venerandus pater frater Evangelista de Perusio in Generalem Vicarium.

Frater Antonius de Lipsia Vicarius Provincialis Bohemiae.

Quo tempore fuit Vicarius Fratrum Observantiae in Provincia Bohemiae venerandus pater frater Antonius de Lipsia [2].

Eodem item anno fuit celebratum capitulum provinciale Argentinense in conventu Kaysersbergensi, dominica [3] infra Octavas Assumptionis Mariae sub praesidentia reverendissimi patris fratris Oliverii Maillardi, Generalis, et Iohannis de Lindenfels, Provincialis Vicariorum. In quo electus fuit venerandus pater frater Caspar Waler, praedicator pro tunc conventus Heidelbergensis, in Vicarium Provincialem in praesentia dicti reverendissimi patris Vicarii Generalis, eo ad hoc multum cooperante ac inducente, eo quod non nosset, quid esset in homine speciem sanctitatis praeferente, quae iam dictum reverendissimum Patrem et complures alios decepit. Nam, ut infra [4] patebit, vasamentum erat malitiae.

Frater Caspar Waler Vicarius Provincialis Argentinensis eligitur Kaysersbergae.

In illo autem capitulo ob statutorum varietatem et multiplicationem nihil novi in tabula ponitur, sed patres eiusdem capituli una cum dicto reverendissimo patre Oliverio hortabantur omnes Fratres ad observantiam regulae, declarationum papalium et statutorum Barcinonensium.

Avisatos quoque cunctos reddidit dictus reverendissimus pater Oliverius, ut summopere caverent a cura et sollicitudine huius saeculi, quatenus de rebus et negotiis saecularibus se nullatenus ingerant [5], potissimum de matrimoniis faciendis sive in matrimonio coniungendis, famulis et famulabus conducendis et debitis exsolvendis, eo quod distrahunt animum a devotione et statui nostro minime conveniunt.

In hoc autem capitulo Definitores fuerunt venerandi patres fratres Fridericus Allt, Guardianus et Discretus conventus Landishuttensis, Iodocus Kutzenbach, Guardianus et Discretus Tübingensis, Iacobus Dieffenbach, Praesidens et Discretus Fremersbergensis, et Iohannes Machysen, socius reverendi patris Vicarii Provincialis.

Soluto autem dicto capitulo, quidam frater Udalricus Kastell, sacerdos, quondam Guardianus conventuum Heidelbergensis et Leonbergensis, ad instantiam comitis Palatini Rheni etc. Philippi, cum quo iamiam plurima familiaria commercia et col-

---

1 24 Maii, dicit Wadding., l. c. ad an. 1493, n. IX, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 134.

2 Cod. hic *Lypczf,* in rubrica *Leypczf* pro *Lipsia.*

3 Scil. XII. post Pentecosten, et erat 18 Augusti; festum Assumptionis erat feria V.

4 Ad an. 1497.

5 Cod. *ingerent.*

loquia habuerat, a sacra familia recessit vigore cuiusdam Brevis, impetrati a dicto principe Palatino, qui eundem fratrem ab suas mirabiles artes et artificia tum in alchimia, tum in industria gemmarum lapidumque pretiosorum, tum medicinarum, ad quae omnia sola praesumptione audaciae, non veritate scientiae probatae experientiae sese ingessit, in suam Curiam collocavit in arcem et diabolum in Israel [1]. Nunquam enim aliquis princeps aut Praelatus Fratrem Observantinum praesumpsit a paternis legibus abstractum ad saecularia negotia implicandum transferre. Exinde siquidem dictum fratrem uni saeculari parochiae seu pastoriae plebanum et pastorem auctoritate Apostolica praefecit, monstruosum utique corpori mundano caput religiosum disparis cultus et voti praeponens. Coepit proinde idem pastor contra regulae suae emissa vota possessiones, praedia, agros et cetera temporalia dirigere atque ut paterfamilias familiae ac domesticis praeesse. Sed nec illo contentus, immo ut secundus post regem alter Absolon ducatus Palatinatusque negotia tractare, patrocinari, procurare, causis litigiosisque actibus non verebatur interponere vices coram principe, ut magis vidisses causidicum quam monachum, rerum saecularium concionatorem quam Fratrem Minorem. Et heros, qui olim nutriebatur inter primos Provinciae in croceis, amplexatus est stercora [2]. Unum tamen silentio praetereundum non puto, quod quamquam aliquibus videretur asylum instabilium Fratrum; attamen, cum Provincia nutaret sub fratre Caspar Waler, solus patribus Provinciae iunctus, secretissima eiusdem machinamenta prodidit, quibus tandem velut in muscipula captus, dictus frater Caspar Waler maximam induit confusionem, ut infra [3] patebit. Aliquamdiu autem, annis ferme octo aut novem, in huiusmodi inquietudine rei saecularis conversatus, tandem in sua dote seu curia pastorali spiritum tradens, sepelitur in conventu Fratrum Minorum Heidelbergensi.

Ea tempestate reverendissimus in Christo pater atque illustrissimus princeps et dominus, dominus Hermannus de Hassia, sacrosanctae Coloniensis Ecclesiae Archiepiscopus, sacri Romani imperii per Italiam archicancellarius, princeps elector etc., peculiaris devotionis zelo motus et accensus, quo mirum in modum Fratres Minores de Observantina familia et obedientia Vicariorum ob eorum exemplarem vitam singulari favore prosequebatur, conventum sive monasterium Brulense [4] propriis quidem expensis et de bonis patrimonialibus suis ad honorem omnipotentis Dei, sanctissimae Trinitatis, sanctissimae Genitricis Dei Mariae, beatissimi Patris Francisci, Omniumque Sanctorum honorem etc. a fundamentis erectum atque ab omni onere civili et munere emancipatum atque liberatum realibus et personalibus ceterisque quibuscumque, ad emunitatem [5] quoque et totalem libertatem secundum conditionem et status Ordinis dicti Minorum exigentiam reductum libere et integre dedit et assignavit, omniaque iura sua omniumque, quorum intererat, ratione fundi aut loci resignando ad eorum habitationem et perpetuum usum, suffultus nihilominus Apostolica auctoritate sanctissimi domini nostri Innocentii Papae VIII, cuius auctoritate fundatum est

---

[1] Alluditur ad I. Mach. 1, 38.

[2] Alluditur ad Thren. 4, 5: Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. — Crocea, vel crocia est genus clamydis longae ad terram usque a parte anteriori aperta, a summo ad imum circa collare rugosa. Cfr. Du Cange, Glossar.

[3] Ad an. 1497, pag. 516.

[4] Id est theut. Brühl, civitas non longe distans a Colonia. — [5] Idem est ac *immunitatem*.

templum et conventus, et Alexandri VI, qua tandem dictos Fratres cum gaudio et maximis quae longum foret narrare solemniis introduxit piissimus Praesul patronusque singularis et amator Fratrum, unde et merito commendatissimus habetur.

Eo tempore reverendus pater frater Iohannes Crohin moritur Perpiniani, sepultus in conventu Fratrum Observantiae, in quo nunc habitant sorores Ordinis sanctae Clarae de prima regula. Fratres autem nostri modo conventum Conventualium magnum tenent, qui quondam erat de Provincia sancti Ludovici, nunc autem Aragoniae, postquam Hispaniarum rex eandem urbem obtinuit.

Frater Hieronymus de Torniellis Vicarius Generalis ultramontanus.

Anno Domini 1495[1] celebratum fuit capitulum generale Fratrum Minorum familiae ultramontanae in Aquila, ubi reverendus pater frater Hieronymus de Torniellis[2] in Vicarium Generalem eligitur, vir maturus, doctus et bonus.

Frater Paulus de Langenberga Vicarius Provincialis Bohemiae.

Vicariatum autem Provinciae Bohemiae tenebat reverendus pater frater de Langenberga.

Quo tempore celebratum fuit capitulum provinciale Argentinense in conventu Ulmensi sub praesidentia fratris Caspar Waler, Vicarii Provincialis, super dominica *Iubilate*[3], in quo prohibitae sunt practicae novae sive inconsuetae in nostra Provincia quorundam praedicatorum, qui imagines in cancellis ostendebant, ne talia in posterum attentarent, et ne quis suos sermones aut imaginum fictiones imprimi faciat seu procuret, immo etiam quamcumque materiam, sine expressa licentia Vicarii Provincialis.

Quia etiam nonnunquam fugientes a saeculo, cum solemnitate induti, absque gloria relinquunt habitum Ordinis, ad saeculum, unde recesserant, revertentes, ordinavit provinciale capitulum, ut de cetero in loco capituli, non in choro, sine solemnitate induantur, nisi esset persona multum insignis, aut parentum instantia sive importunitas aliud exegerint.

Definitores huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Iohannes de Lindenfels, Guardianus et Discretus conventus Moguntinensis, Leonardus Duntzhuser, Guardianus et Discretus conventus Heidelbergensis, Marcus Dieffenbach, Guardianus et Discretus conventus Heilbrunnensis, Bartholomaeus Wyer, Guardianus et Discretus conventus Oppenheimensis.

Anno Domini 1496 fuit celebratum capitulum generale[4] Fratrum Minorum familiae cismontanae in conventu Tolosano, Provinciae Aquitaniae, sub praesidentia reverendissimi patris fratris Oliverii Maillardi, pro tunc Generalis Vicarii. In quo in eius legitimum successorem rite eligitur reverendus pater frater Franciscus Sagarra, Catalaunus, ex Barcinone, pro tunc Vicarius Provincialis Aragoniae. In quo nullum statutum novum editum fuit, quin amplius unaquaeque Provincia in sua consuetudine relicta et traditionibus, dummodo non

Frater Franciscus Sagarra, Catalaunus, Tolosae in Vicarium Generalem eligitur 1496.

---

[1] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1495, n. 1, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 136.

[2] Ita recte, ut exhibent diplomata authentica (cod. omittit semper vocem *de*), vel etiam Hieron. Torniellus. — Electus est 5 Iunii, ut dicit Waddingus. — Inferius cod. *Langenberck* pro *Langenberga*.

[3] Dominica III. post Pascha, quae erat 9 Maii.

[4] In festo Pentecostes (22 Maii). — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1496, n. 1, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 137.

repugnant legi divinae naturali, ecclesiasticae, regulae, declarationibus Summorum Pontificum Nicolai et Clementis, vel statutis Barcinonensibus.

Declaratur tamen de communi voto patrum capituli, quod Fratres non possunt scribere litteras intra vel extra Ordinem aut recipere sine licentia suorum Praelatorum; et contrarium facientes graviter puniantur.

Item declaratur, quod debeat censeri apostata, qui vel in civitatibus vel in villis vadit ad domos, non licentiatus a suo Superiore, aut notabiliter in via aliunde ad medium milliare vel integrum milliare, nec id postea suo Praelato revelat, immo nolente, quod sciret, et per consequens celat, et quod tales debent absolvi publici publice, occulti occulte.

Idem reverendissimus Pater declaravit, quod modus deponendi pecuniam, quem Nicolaus III. ponit in declaratione sua, quod videlicet Fratres dicant, proprietatem apud dantem remanere, non est simpliciter obligatorius et necessarius, licet possit exprimi; conveniens tamen esse, quod servetur, ne dans existimet nos pecuniae possessores aut proprietatis capaces. Nam in tali casu teneor sibi exponere, quod proprietas apud dantem remaneat.

Alia plura dubia resoluta fuerunt per eundem, quae singulis Provinciis in schedulis sunt delata.

Defuncti autem Fratres plures recitati: in Provincia Aquitaniae 12; Franciae 58, inter quos reverendus pater frater Vincentius de Ostendis, electus in Vicarium Provincialem; Saxoniae 46, inter quos reverendus pater frater Iohannes de Brandenburgo, qui fuit bis Vicarius Provincialis; Turoniae 56; Aragoniae 40, inter quos reverendus pater frater Antonius Salvatoris, qui decem annis praefuit Provinciae; Argentinae 70; Coloniae 170; Portugalliae 12; Sancti Ludovici 73, inter quos dignae memoriae reverendus pater frater Iohannes Crohin, qui 27 annis praefuit in generalatu et provincialatu; Hiberniae 28, inter quos unus, qui Observantiam inchoavit ibidem; Scotiae 2; Daciae 5; Britanniae 5; Angliae 4. In Provinciis Castellae, S. Iacobi et de Sanctoyo plures, sed numerus nescitur, quia patres in capitulo non fuerunt praesentes. In Romana Curia unus, socius Commissarii.

Ea tempestate dictus reverendissimus pater frater Oliverius recepit sex conventus Coletanorum in Provincia Aquitaniae, auctoritate Apostolica et beneplacito patrum Guardianorum fultus dictorum conventuum, videlicet Albiensem [1], Rutheni [2], Montis Albi [3], Rapestani [4], Rubei Montis [5], Castrensem [6] et Murat, sed iste post recessit iterum ab obedientia nostra; alios autem sex nostrae familiae unitos ipsa tenet in praesentem diem.

Eodem anno capitulum provinciale Argentinense in dominica [7] infra Octavam

---

1 Albia est gallice « Albi », civitas ad fluvium « Tarn » sita.

2 Ruthenum est gallice « Rodez », oppidum ad fluvium « Aveyron » situm.

3 Mons-Albus (vel Albanus) est gallice « Montauban », civitas ad fluvium « Tarn » sita.

4 Rapestanum, vel Rapistanum est gallice « Rabastens » ad fluvium « Tarn » situm.

5 Rubeus Mons est gallice « Rougemont ».

6 Castrae est gallice « Castres » civitas in districtu « Tarn » sita, ubi etiam habetur sequens oppidum « Murat ».

7 Dominica XIII. post Pentecosten, et erat 21 Augusti; festum Assumptionis (15 Aug.) erat feria II.

Assumptionis Mariae celebratur in conventu Weissenburgensi sub praesidentia fratris Caspar Waler, Vicarii Provincialis. In quo 4.ª vice eligitur in Vicarium eiusdem Provinciae reverendus pater frater Iohannes de Lindenfels, Guardianus et Discretus conventus Moguntinensis.

Frater Iohannes de Lindenfels Vicarius Provincialis Argentinensis 4.ª vice eligitur Weissenburgi.

In quo ordinatum fuit, ut Guardiani conventuum, ad alia loca extra mutati, quamdiu manent in conventu, unde mutantur, praesideant, donec aliquis Praesidentium eiusdem conventus superveniat in tabula assignatus. Et si praedictum Guardianum ante adventum alterius Praesidentium de eodem conventu contigit recedere, alium Praesidentem de consilio Discretorum instituat, donec alius in tabula assignatus appareat. Debent tamen huiusmodi Guardiani sic mutati se quantocius ad recessum expedire.

Praeterea, statutum in capitulo Rietfeldensi de visitantibus thermas sic modificatur, quod omnibus sit via accedendi ad eas praeclusa, nisi consilio doctorum physicorum duorum vel trium, et consensus Fratrum conventus, in quo morantur, accesserit, et morbus alias incurabilis sit; ex tunc reverendus pater Vicarius Provincialis in capitulo cum consilio patrum poterit licentiam dare, nisi periculum esset in mora.

Definitores huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Wendelinus de Lauterburgo [1], Guardianus et Discretus conventus Basileensis, Iohannes Machysen, Guardianus et Discretus conventus Bambergensis, Fridericus Allt, Guardianus et Discretus conventus Landishuttensis, Iohannes Keller, Guardianus et Discretus conventus Kaysersbergensis.

Circa idem tempus Vicarius Fratrum Observantiae in Provincia Bohemiae fuit venerandus pater frater Ambrosius de Langenberga.

Frater Ambrosius de Langenberga [2] Vicarius Provinciae Bohemiae.

Anno Domini 1497 sanctissimus dominus Alexander VI, anno pontificatus sui sexto, confirmavit omnia privilegia Ordinis, maxime concessa per Pium, Paulum et Sixtum, de receptione apostatarum nostrorum per quoscumque.

Eodem anno coepit frater Caspar Waler, Guardianus conventus Heilbrunnensis, dolum iam dudum conceptum parere, fructum scilicet iniquitatis, summo conamine laborans, ut inconsutilem tunicam Observantiae regularis et familiae in hac Provincia Argentinensi huc usque conservatam divideret, oves quoque sub lupino capite in direptionem poneret ipsamque Provinciam dimembraret, immemor beneficiorum a patribus exhibitorum. Nam dum prius in simili conatu fuisset deprehensus, in capitulo Ambergensi, ut supra [3] patet, misericordiam consecutus et citra condignum punitus, etiam in vicariatus officio sublimatus, tandem conversus in arcum pravum, iteravit vias suas, complures litteras tam Ministro Provinciae, Conrado Bondorffer, quam Fratribus, quos cauda sua, ut alter draco cadens de coelo, in profundum abyssi trahere voluit, dirigens; illum quidem, ut, deputatis sibi aliquot conventibus, cum suis complicibus in obedientiam suam reciperet, illos autem, ut eum comitarentur sui voti compotes, calidissimis mediis inducebat. Testantur hoc litterae ultra

---

[1] Cod. *Luterburgck;* Lauterburgum vel Lautraburgum, theut. « Lauterburg », est civitas Alsatiae ad fluvium « Lautram » (Lauter) sita. — Pro *Ioh. Machysen* apud alios legitur *Ioh. Mackeisen.*

[2] Id est theut. Langenberg; cod. hic *Langenbergck,* in textu *Langenberck.*

[3] Pag. 494 et 498.

decem de manu propria et sub suo signeto[1] datae, quae etiam in rei memoriam ipsa eadem nostra Provincia in archivo conservat. Sed nec sic contentus, quin etiam femineum sexum, sorores puta Ordinis sanctae Clarae, suae machinationi inflecteret perversus Adam, Evam alliciendo. Nam praeter alias, quas in novam observationis seu reformationis prolem colligere tentabat[2], nobilem illam marchionis Alberti Brandenburgensis quondam filiam, Dorotheam, in conventu Bambergensi sororum sanctae Clarae Domino famulantem, cum quibusdam sibi adhaerentibus sororibus ad aliud monasterium eiusdem Ordinis, scilicet in oppido Curiae Regnitianae[3] situm, Provinciae Saxoniae, sub specie reformationis ducere, eandem dominam in Abbatissam praeficere, dictum quoque monasterium a iurisdictione Ministri et Vicarii Provinciae dictae, immo etiam Generalis Vicarii familiae medio domini marchionis Friderici, dictae dominae Dorotheae fratris germani, auctoritate Apostolica facere exemptum, quo minus in suis factionibus impediretur.

Haec et his similia plura attentans atque nimis in foetidis emungens, foetere fecit gallinam morbidum ovum. Nam et praeter ea, quae extrinsecus videbantur, latebat anguis in herba, putans et ipse sub sentibus vivere delicias. Igitur currente veridica relatione de suis adinventionibus ad reverendum patrem fratrem Iohannem de Lindenfels, a quo iam antea binies fuerat in astutiis captus et punitus, ut supra[4] patet, non immerito coepit trepidare timore, ubi timor habendus erat, quatenus ex praeteritis praesumeret etiam futura, cum certitudo futurorum sit exhibitio praeteritorum, eo quod semel malus semper talis praesumitur; habito maturo consilio plurimorum patrum et in quampluribus conventibus, tandem missa trina legatione ad eos, quorum intererat, examinandos, comperto, verum fore quod multa fama famaverat, misit ad capiendum dictum fratrem Caspar, dumtaxat in eum eventum, ut responsurus reverendissimo patri Vicario Generali servaretur sub tuta custodia. Quod ille sentiens nec iuris rigorem sufferre valens, noctu aufugit, mirabili ingenio mendacia sua depingens. Siquidem et fratrem quendam laicum, coquum conventus, rei gestae et gerendae ignarum, sibi associans, egit, ut comes Ludovicus de Loewenstein[5], missis armatis equitibus ad portam civitatis Heilbrunnensis, rogaret, ut infirmanti sibi confessor suus, Guardianus, sine mora mitteretur. Cives autem morem referentibus gerendo, aperiunt portam civitatis et eum, quem quaerunt, emittunt. Illi vero mox domini sui iussa complentes, ambobus fratribus equis impositis, secum ad castrum Loewenstein et praesentiam dicti comitis praesentant. Et sic equus fallax ad salutem fallacem deportavit. Et quia fratrem Udalricum Kastell, in Neckarsteinach[6] plebanum, noverat habere Breve quoddam et auctoritatem Apostolicam accipiendi Fratres in suam Curiam, illico se una cum domino Ludovico, comite praedicto, ad eum ut asylum confugit; quo faciente, a principe Philippo in Palatino susceptus in protectionem, e manibus Fratrum ereptus est. Exinde ad Ministrum Provinciae se confe-

---

1 Signetum est parvum sigillum, quod *Secreti* vulgo appellant, quo *litterae clausae* sigillantur, ex obsoleto Gallico *Signet.* Cfr. Du Cange, Glossar. — Paulo inferius cod. *puto* pro *puta.*

2 Supple hic aliud *tentabat,* quod certo in cod. excidit.

3 Cod. *Curiae Regnitz,* theut. « Hof ». — 4 Pag. 498.

5 Cod. *Lewensteyn;* theut. « Löwenstein » civitas (olim comitatus) Württembergae.

6 Cod. *Neckersteynach;* « Neckarsteinach » est oppidum magni ducatus Hessiae Darmstadii ad fluvium « Neccarum » situm.

rens et ab eo aliquamdiu sustentatus est. Et quia patres nostros eam ob causam vigilare, in suam captionem laborare, principesque informatos de negotio et simulata iustitia eius in dies reddere animadvertebat, cedere ad tempus indignationique patrum locumque dare melius arbitratus, ad reverendissimi patris Ministri Generalis praesentiam in Italiam adiit, eidem obedientiam fecit, litterasque ab eo obedientiales ad Ministrum Provinciae nostrae Argentinensis recipiens, sic munitus surreptitiis, revertitur. Quia vero nec istiusmodi litteris tutum a manibus patrum sese existimabat, relicta sindone iustae aequitatis, superiori potestati sese commisit.

Agebatur his diebus regalis dieta Romanae reipublicae in Friburgo Brisgaviensi, multis ibidem tum Praelatis ecclesiasticis, tum principibus saecularibus et nobilium caterva maxima cum Romanorum rege negotiis imperii intendentibus. Et ecce profugus ille adveniens, promotorialibus quorundam nobilium et cautelosis versutiis, quibus semper plenus fuit, per reverendissimum dominum Moguntinensem Archiepiscopum litteras salvi conductus a Romanorum rege obtinuit.

Interim autem diu exspectatus, advenit reverendissimus pater frater Franciscus Sagarra, Vicarius Generalis, qui, negotio comperto pensatoque periculo, in propria persona una cum reverendo patre fratre Iohanne de Lindenfels, Vicario Provinciali, ad regiam maiestatem in dicta dieta adhuc morantem se contulit[1]. Cum autem rei veritatem virique illius motibilis apostatae fallacias, fraudes, deceptiones atque simulatam iustitiam in lucem coram dicto Archipraesule Moguntino, archicancellario sacri imperii, deduxissent patres nostri, revocatoriam prioris salvi conductus et mandatum sive edictum publicum ad omnes officiales saecularis potestatis obtinuerunt, ut nemo eum contra patrum voluntatem detineret, quin amplius eisdem praesidio et auxilio forent, quo ad iustitiam dictus frater Caspar staret coram dicto reverendissimo Archipraesule Moguntino, ad quam diudicandam, ut tutus accederet, iterato salvum conductum impetravit. Verum quia dictus reverendissimus pater frater Franciscus Sagarra cum dicto patre Provinciali quantocius sequebantur gressus a tergo fugientis, reperto eo in Oppenhemia, cum eo de suo reditu in familiam et caulam, unde miserabiliter prolapsus fuerat, coeperunt habere sermonem.

Devictus tandem pietate patrum, promissa eidem misericordia, omnes litteras impetratas a quibuscumque, qualitercumque et cuiuscumque tenoris et auctoritatis in manus dicti reverendissimi patris Vicarii Generalis resignavit atque in gratiam dedit. Igitur dictus reverendissimus pater Vicarius Generalis, ut res tam ardua maturiori fine clauderetur, multos convocavit patres, quorum consilio et assensu, subscriptis propriis nominibus, sententiam in scriptis dedit, dictumque fratrem Caspar Waler male egisse atque ob hoc digne puniendum omnibusque actibus legitimis indignum fore iudicavit. Sicque Provinciae iterum incorporatus, tandemque per reverendissimum patrem Oliverium, Vicarium Generalem, in capitulo generali Albiensi extra Provinciam nostram ad conventum Confluentinum Provinciae Coloniae mutatus est, ob maiorem quietudinem utrorumque. Benedictus Deus, qui tradidit impios. — Sed revertamur ad propositum, unde digressi sumus.

Anno igitur Domini 1498 celebratum est capitulum provinciale Argentinense in conventu sancti Bernardini prope Campidonam[2] in die Ascensionis Domini[3] sub

---

[1] Cod. habet: *Provinciali, regiae maiestati.... moram contulit*, et paulo inferius *motilis* pro *motibilis*. — [2] Campidona est theut. « Kempten », civitas Bavariae. — [3] Id est 24 Maii.

praesidentia dicti reverendi patris fratris Iohannis de Lindenfels, Vicarii Provincialis. In quo, omissis novis ordinationibus, reverendus Pater una cum Definitoribus hortabantur universos Fratres, ut his, quae regulae et statutorum sunt, amplius quam hactenus sese conforment, contradant et mancipent, ne ob nimiam incuriam in abyssum perveniant excessuum, non undis, sed flammis purgandorum.

Prohibentur tamen stricte omnes praedicatores et alii quicumque, ne de cetero praedicent contra patres Conventuales ex parte receptionis pecuniarum, propter conservandam pacem [1], nec tractatus invectivos contra eos vel alios quoscumque faciant, nec aliam materiam quamcumque per se factam absque licentia capituli provincialis imprimi attentent, nec Fratres sic se onerent libris, quod medio pecuniae de loco ad locum illos transportare oporteat, dum mutantur.

Definitores huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Bartholomaeus Wyer, Guardianus et Discretus conventus Norimbergensis, Marcus Dieffenbach, Guardianus et Discretus conventus Pforzheimensis, Paulus Scriptoris, Guardianus et Discretus Tübingensis, et Caspar Schatzgeyer, Viceguardianus et Discretus Monacensis.

Eodem anno reverendus pater frater Ludovicus de la Turre [2] in festo sancti Bonaventurae [3] Mediolani in Vicarium Generalem familiae ultramontanae eligitur.

Frater Ludovicus de la Turre Vicarius Generalis ultramontanus Mediolani eligitur.

Conventus quoque Lipsiensis [4] Provinciae Saxoniae, in quo prius Martinianistae erant, reformatur sub vicariatu Generalis et Provincialis de familia, mense Augusto [5]. Vocatus [illegible]nque reverendus pater Henricus Cantrifusoris, Vicarius dictae Provinciae, cum certis Guardianis et patribus Provinciae intravit conventum, praecedentibus eum consiliariis ducis Georgii, marchionis Misnensis, ac exsecutoribus Bullarum Apostolicarum ac copiosa doctorum multitudine per ducem ad hoc vocatorum, et tandem conventum recepit. Manserunt autem ex Fratribus prioribus una cum Guardiano suo XXX nobiscum [6].

Ea tempestate periculosissima Observantinis, maxime de familia, inimico humani generis faciente, excitata est commotio; qui videns, se ex conventibus, quos ex templis Dei in delubra daemoniorum perverterat, expelli, ad consueta iniquitatis arma sese contulit acrius commovenda. Nam Conventuales sub specie bona venenum abscondentes et sacrae familiae ruinam et destructionem intendentes, coram sanctissimo domino Alexandro VI. permaximis laboribus ac querulosis iniuriis, mendacio refertis et dolis innumeris, proposuerunt vocibus instantes, ut esset secundum regulam unus pastor, atque in tantum persuaserunt Summo Pontifici, ut eis aures benevolas praebuisset, atque ad votum quasi habuissent, eo quod assererent, Fratres Observantinos, maxime de familia, induxisse principes et communitates, ut Fratres

---

[1] Vox *pacem* desideratur in cod.

[2] Ita cod. pro della Torre (rectius lat. *de (a) Turre*), Veronensis, Provinciae sancti Antonii.

[3] 14 Iulii. — Secundum Wadding., l. c. 1498, n. I, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 137: 13 Iulii.

[4] Cod. *Lypczensis*. Cfr. etiam Franz Wilhel. Woker, l. c. p. 20 seq.

[5] 13 Augusti, scilicet in die Ss. Hippolyti et sociorum eius.

[6] Cfr. etiam D. Evers, Analecta etc. II. De Fratrum Minorum conventu Lipsiensi, p. 82, 83, qui tamen in diiudicandis et describendis factis res nimis oculo sinistro considerat.

Conventuales contra formam concordiae Pii, Pauli et Sixti, immo communis iuris, de antiquissimis eorum conventibus, maximis eorum sumptibus et laboribus acquisitis, profugarent atque ipsorum Conventualium sudores in suam converterent abundantiam, immo in opprobrium fidei perurgerent eos ad mahometicam perfidiam sese transferre.

Igitur sanctissimus dominus Alexander, auditis tantis querimoniis, Bullam revocatoriam omnium conventuum reformatorum ab antiquo dedit, quam Conventuales nostrae Argentinensis Provinciae principibus in supradicta dieta Friburgensi exhibentes, postularunt restitutionem conventuum spoliatorum. Fit exinde maxima Provinciarum commotio, concursus ad auctores [1] reformationum: reges, principes et communitates; requiruntur cognati et cogniti, evertuntur Annales, investigantur Bullae, et processus reformationum prodeunt in publicum. Sed ex Dei gratia, dolo comperto, refutatorias reportant. Interim autem, quasi altero Herode, scilicet Ministro Generali, parante parvulis necem, reverendissimus pater frater Hieronymus de Torniellis, qui in principio huius procellae adhuc navem ultramontanae familiae in generalatu gubernabat, accessit Sanctissimum, audientiam obtinuit, praesentibus sex Cardinalibus, atque veritatem rei et eventus edocuit; cui tandem Protector Ordinis, reverendissimus dominus Iulianus, Cardinalis sancti Petri ad Vincula, assentiens, Summo Pontifici suggessit, maximam iniuriam inferri Observantibus, et quod Conventuales nihil praeter subversionem sacrae regularis Observantiae quaererent, affirmante; tandem Summus Pontifex tum persuasionibus Cardinalium, tum scriptis regum et principum in oppositam partem inflexus, Bullam cassari datam atque in nihilum redigi iubet. Verum cum nec sic furibunda malivolorum cessaret machinatio, quinimmo rabidis clamoribus dictus Generalis Minister, Franciscus Samson, cum suis complicibus unum pastorem et caput in Ordine clamarent, electo in Vicarium Generalem reverendissimo patre fratre Ludovico de la Turre, viro doctissimo, decrevit idem Sanctissimus de assensu dominorum Cardinalium, omnino eundem fratrem Ludovicum in Ministrum Generalem toti Ordini sancti Francisci praeferre [2], si quo modo tandem per eum reformationem acciperet in toto. Recusante autem dicto fratre Ludovico, efficacissimis rationibus probavit, quod huiusmodi eius promotio cederet in maximam destructionem Observantiae regularis et ruinam; providendum proinde, ne, unde reformatio sperabatur, destructio sequeretur [3]. Sicque res sopita mansit. Et ecce! *vae unum abiit, et alterum venit* [4], sed fundamentum Ordinis nostri stabile manet, habens signaculum hoc: *Scit Dominus qui sunt eius.* Unde et sancto Francisco promisit, quod quantiscumque tribulationibus concussa fuerit, haec sacra Religio salva semper suo munere manebit [5] etc.

His quoque diebus alia oritur in Saxoniae Provincia Martinianistis tribulatio. Cum enim dictus Minister Generalis nihil profecisset, nos de familia impetendo, tandem in sibi subiectos, scilicet Martinianistas, in Saxonia degentes, desaevit specie secreta. Nam fratrem Martinum de Praga, Ministrum Provinciae Bohemiae, in dictam Provinciam uti Commissarium et Visitatorem destinavit, qui visitando conventus po-

---

[1] Cod. *actores.* — [2] Ita cod. forte pro *praeficere.*

[3] Cod. habet *ne... destructionem sequi.* — [4] Apoc. 9, 12, et locus seq. est II. Tim. 2, 19, ubi Vulgata *Cognovit* pro *Scit.*

[5] Cfr. Thom. a Cel., l. c. Vita II. p. III. cap. XCIV.

tiores Provinciae cum solemni pompa, sua aestimatione et simulato testimonio sanctos asseruit in sui comparatione reperisse Fratres sub Ministro *Martinianam* observantes, de quorum etiam laudabili vita et conversatione testimonium a quibusdam civitatum et oppidorum consulibus, qui nec regulam neque Martinianam viderunt, requisivit et pro sua reverentia obtinuit. Tandem locum et tempus praefixit celebrandi capituli, quod et ipse tenuit in Halberstadio circa festum Purificationis Mariae, volens ibidem omnes reformare, se irreformato manente.

In quo decrevit eisdem Visitator reverendum patrem fratrem Ludovicum, Ministrum Provinciae Saxoniae, virum doctum et pro modulo suae Observantiae, ut videbatur, maturum, depositum ab officio ministeriatus absolvere. Quod. ipse frater Ludovicus sentiens, maturiore usus consilio, ad vitandam sibi ampliorem confusionis notam sponte, quantum negotium patiebatur, coram dicto Visitatore-Commissario et Vocalibus resignavit officio cum effectu, cuius resignatio fuit acceptata. In eius quoque locum electus venerabilis senectutis pater frater Iohannes Hamstatt [1], sacrae theologiae doctor, prius Guardianus Hildesiensis [2], confirmatus per dictum Visitatorem. Qui Visitator-Commissarius modicam laudem et fructum reportavit propter societatem perversam, quae foedum post se rumorem reliquerunt, consueto more viventes.

Frater Iohannes Hamstatt Minister Provinciae Saxoniae, magister in sacra theologia.

Diebus quoque istis, defuncto reverendo patre fratre Georgio Summer, Ministro Provinciali Argentinensi, electus est in eius locum reverendus pater frater Conradus Bondorffer, sacrae theologiae magister. Qui licet ante electionem suam et mortem sui praedecessoris aliquamdiu Fratribus Observantibus de familia familiariter coniunctum et devotum se [3] exhibens, quibusdamex Conventualibus ad Observantiam sese dantibus promisit, se imitaturum eosdem, immo in publicis sermonibus altissimam paupertatem beati Francisci subtilissimis extollebat et commendabat praeconiis, quem exosum alii Conventualium Fratres habebant; sentiens tamen timensque, alienum se fieri a ministeriatu, quem ambiebat, conversus per contrapositionem et ante et post electionem multo amplius in sacram familiam saeviebat, quam antea blandiebatur, per se et suos Observantinos publice et occulte decerpens, carpens, molestans, lacerans, mendaciis lacessens, famae eorum detrahens contumeliisque afficiens, gratum sibi similibus se conabatur reddere per omnia.

Frater Conradus Bondorffer Minister Argentinensis, doctor theologiae.

Ea tempestate sanctissimus dominus Alexander VI, Pontifex Maximus, in forma Brevis inhibuit cunctis cuiusvis status et conditionis, ne Fratres nostros fugitivos reciperent aut retinerent, sub poenis maximis et censuris. Sed patres Conventuales minus curabant, consueta sectantes, ut patres eorum [4].

Anno Domini 1499 celebratum fuit capitulum generale familiae cismontanae Mechliniae, Provinciae Coloniae, sub praesidentia reverendissimi patris fratris Francisci

---

[1] Ita habet cod., apud alios invenitur: Ioh. Hemstaedt, forte pro « de Helmstadio », theut. « Helmstedt », quae est civitas ducatus Brunopolis.

[2] Cod. *Hyldemensis.*

[3] In cod. vocula *se* desideratur.

[4] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1498, n. IX. X.

Frater Oliverius Maillardi eligitur in Vicarium Generalem 3.ª vice Mechliniae anno Domini 1499.

Sagarra in die sancto Pentecostes[1]. In quo eligitur in Vicarium Generalem cismontanum reverendus pater frater Oliverius Maillardi pro tertia vice, cultor ipse sanctae Trinitatis.

In quo quidem capitulo statuta nulla obligatoria fiebant. Hortabantur tamen reverendi patres ad observantiam statutorum Barcinonensium, signanter quoad punctum de electione Guardianorum quoad capitulum locale, quod et observaretur[2], nisi elegissent indignum, ita quod Guardiani non sic passim ponantur ad libitum Vicariorum Provincialium et Definitorum. Sed praecise in aliquo casu particulari, pro aliqua causa urgente, pro aliquo conventu posset capitulum provinciale aliter disponere.

Item, quia in Provincia Angliae multiplicantur conventus et Fratres, de cetero duas voces habebit in capitulo generali. Similiter Hispalensis Custodia, continens Granatam, sit Provincia, dummodo patres Vocales capituli Provinciae Castellae consentiant.

Ex concessione quoque sanctissimi Domini Alexandri VI. possumus celebrare festum Praesentationis Mariae, beati Gabrielis et beatae Catharinae sub officio proprio, qui habuerunt; et quod festum beatae Catharinae sit duplex minus, et Introitus Missae: *Gaudeamus;* festum autem beati Gabrielis sit similiter minus duplex; omnes etiam Octavae beatae Virginis sint minus duplex; et quod in solemnitatibus Sanctorum possumus legere proprias eorum historias, licet in Breviariis non sint scriptae.

Numerus autem defunctorum est: in Provincia Coloniae 64; Franciae 70; Castellae 76; Saxoniae 29; Turoniae 63, inter quos venerandus pater frater Iohannes Fornerii, qui 15 annis rexit Provinciam; Aragoniae 10; Argentinae 52; Aquitaniae 24; Sancti Iacobi 34; Sancti Bonaventurae 10, inter quos venerandus pater frater Franciscus de Ravenna, semel Provincialis Vicarius; Portugalliae 15; Hiberniae 28, inter quos fuit venerandus pater frater Nicolaus Quarit, qui bis rexit Provinciam; Scotiae 6; de Sanctoyo 40; Daciae 21, inter quos fuit venerandus pater frater Laurentius Branderi, qui primum Observantiam introduxit in eam Provinciam et tribus vicibus Vicarius Provincialis fuit; Britanniae 27, inter quos venerandus pater frater Stephanus Brulifer, sacrae theologiae insignissimus doctor Parisiensis; Angliae 4.

Frater Fridericus Beyer Vicarius Provincialis Saxoniae eligitur in conventu Hallensi.

Eodem anno in Provincia Saxoniae in conventu Hallensi eligitur in Vicarium Provincialem venerandus pater frater Fridericus Beyer, olim Guardianus in Chemnitia[3].

Quo tempore Minister Provinciae Coloniensis significavit Ministro Provinciae Saxoniae, quod non posset melius sacram familiam destruere, quam permittendo intrare Coletanos. Ecce consilium Achitophel[4].

Anno eodem celebratur capitulum Provinciae Argentinensis in conventu Zaberniensi sub praesidentia reverendi patris fratris Iohannis de Lindenfels. In quo eli-

---

[1] Id est 19 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1499, n. III, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 137.

[2] Cod. minus bene *observetur.*

[3] Cod. *Kemniptz;* Chemnitia, theut. « Chemnitz », est civitas regni Saxoniae.

[4] Cfr. II. Regum 16, 21.

Frater Iohannes Keller eligitur Provincialis Vicarius Provinciae Argentinensis in conventu Zabernien-si anno Domini 1499.

gitur in Vicarium Provincialem Argentinensem reverendus pater frater Iohannes Keller, vir plurimum devotus atque internus, sed et inter doctos non minimus reputatus.

In quo quidem capitulo statuta nulla fiunt, sed hortatu ferventiori Fratrum universitatem hortatur venerabile collegium patrum Definitorum una cum reverendo patre Vicario Provinciali, quatenus Fratres sui status integerrimi sint aestimatores et veri observatores, attentius metientes omnia et singula in sacra nostra regula atque in ceteris Patrum scriptis contenta, prout prudenter sunt metienda, abstinentes praecordiali voto ab his, quae statum nostrum dedecent, et unde Religio nostra, maxime modernis in differentiis litium, vilis reddi et a favore principum et Praelatorum atque Christifidelium, quorum etiam eleemosynis enutrimur, possit divelli, utque senes mediocres et iuvenes non sic passim instabilitate amplius quam necessitate permoti, a suis conventibus de cetero velint mutari, sed gressum firmius figentes, patienter sui Praelati in hoc exspectent voluntatem.

Frater Iacobus de Gruba Vicarius Provinciae Bohemiae eligitur Oppaviae.

In Bohemia autem Oppaviae [1] eligitur in Vicarium Provincialem venerandus pater frater Iacobus de Gruba.

Anno autem Domini 1500 plura memoratu digna contigerunt, nempe in conventu Interamnae, Provinciae sancti Francisci, in Iubilaeo electus est in Generalem Ministrum Ordinis reveren-

Frater Aegidius Delphinus Minister Generalis Ordinis Minorum, magister theologiae, Interamnae eligitnr.

dus pater frater Aegidius Delphinus de Amelia [2] infra Octavam sancti Francisci [3], postquam vacaverat generalatus XI mensibus et VI diebus. Electus autem fuit ad promotionem, commendationem instantiamque sanctissimi domini nostri Alexandri Papae VI, qui ipsum verum regulae zelatorem aestimabat, utpote qui sanctitatem habitu, gestu, voce et opere duplici iniquitate mentiebatur, hypocrisi sua magnates attrahendo. Hic namque sicut male inchoavit, ita pessime officio finem dedit. Sane in principio suae electionis a veridicis dicitur iurasse et iuramentum voto firmasse Deo, beatae Virgini et beato Francisco, sese nusquam pacem habiturum nec laboribus parsum iri, donec familiam sacram, quae a tempore concilii Constantiensis usque in praesens laudabili conversatione fructus uberes in Ecclesia tulit, destruat.

Igitur dolum, quem concepit, toto conamine in fructum iniquitatis parturire studuit habuitque sui conatus collegam fratrem Bonifacium [4], Coletanum quendam, quos aestimo cometam, qui hisce temporibus apparuit, ignita cauda, face infernali desi-

---

[1] Cod. habet *Opaniae*. Oppavia est theut. « Troppau », oppidum Moraviae. — Gruba paulo inferius memoratum probabiliter est « Graupen » (Kraupen), in lingua Bohemica « Krupka », civitas Bohemiae.

[2] Ita recte, vel etiam « Ameria », oppido Umbriae et patria Aeg. Delphini. Cod. tamen erronee hic pro *Amelia* et supra et in rubrica loco *Interamnae* (nunc « Terni » in Umbria), quod auctoritate Wadding., l. c. ad an. 1500, n. XIII-XV, Chronolog., l. c. t. I. p. 148, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 138, correximus, exhibet *Amicerinis*.

[3] Secundum Wadding., die octava dicti festi, scil. 11 Octobris.

[4] De Ceba, ital. Ceva, oppido Liguriae in Italia, et erat Minister Franciae, et auctor celeberrimi libri intitulati: « Firmamentum Trium Ordinum S. Francisci », ed. Paris 1512.

gnasse, eo quod multorum malorum incentores fuerint post dexteras sibi datas. Hic namque Bonifacius ex semine marchionum de Saffa natus, in servitio, famulatu et Curiis principum educatus, maxime ducum Saxoniae, specialiter Friderici, principis electoris, regisque Hungariae, Matthiae, et aliorum nobilium, arma malitiae et vasa iniquitatis in sacram familiam statim post assumptum habitum vibravit. Venit etenim Norimbergam, maximam pietatis et sanctitatis speciem praetendens, dominica[1] ante festum divi Martini, anno quo supra.

Quo tempore Romani imperii dicta, praesente Romanorum rege, agebatur solemnis. Ex tunc in conventu Fratrum existens, conceptum dolum celabat asserens, se deceptum, quod ad Fratres Martinianos aut Coletanos venisset, et quod maximam differentiam etiam Observantinorum sub habitu sancti Francisci cerneret, ubi pacis et unitatis sperasset quietem reperturum, atque ob id velle omnem conatum adhibere ac operam dare nec parcere laboribus, donec sacrum Ordinem sancti Francisci ad unitatem reduceret, ut essent omnes unius moris in domo, sub uno regulari capite vivendo veluti pastore uno et unico ovili. Praetendebat autem verbis, se familiam ingressurum, sed accessit Curias principum, qui ad diem regalem convenerant, ac promotoriales ad regem Romanorum impetravit, quibus regem insequens, repertumque, praetensa sanctitatis specie, in suam partem deflexit, litteras promotoriales ad Summum Pontificem et Cardinales obtinuit, tandemque litteris munitus regis et principum, ad Romanam Curiam se dedit, Ministrum Generalem requisivit, secreta consilia secum habuit, mentem suam de unione et reformatione universali Ordinis, et per consequens destructionem et exstirpationem familiae, patefecit et aliquamdiu secum mansit.

Hoc anno Alexander VI. dedit auctoritatem Ministris et Vicariis in forma Brevis instituendi confessores pro Fratribus et sororibus tertii Ordinis sancti Francisci, sive regulares sive saeculares sacerdotes eis, qui sunt sub patrum obedientia, sive in communi viventibus vel conventibus, sive segregatim, qui, auditis culpis eorum, possint eis, iniunctis poenitentiis, et absolutionis beneficium et Sacramenta ecclesiastica ministrare libere et licite.

Ea tempestate[2], cum superioribus annis regnante in Hispania aliisque circumiacentibus regnis Ferdinando catholico, rege, et Elisabetha, eius legitima coniuge, regina, fide christiana ferventissima, quidam mercatores et nautae in mari expertissimi, opera et impensa dicti regis insulas quasdam novas maximis periculis, infortuniis et impendiis in remotissimis partibus Oceani versus Indianas partes, Deo auspice, reperissent, in quibus gens barbarica, a nostra fide omnino aliena, bestialiter vivens, nudo corpore pecudum more incedens, morabatur. Quae res cum Fratribus Ordinis Minorum et Observantiae de familia ex Provincia Franciae innotuisset, more elephantis ad sanguinis aspectum animati, post capitulum « Florentiaci »[3] celebratum reverendissimum patrem fratrem Oliverium Maillardi, Generalem Vicarium, pro impetranda licentia accesserunt, viri utique vita maturi, zelo fidei ferventissimi, patientia probati martyrioque apprime flagrantes Fratres. Inter quos erant duo fratres laici, viri corpore robusti, animo devoti et mente ad quaecumque oppro-

---

[1] Scil. dominica XXII. post Pentecosten, quae erat 8 Novembris; festum S. Martini est 11 Novembris. — [2] Cfr. supra pag. 510, nota 2. — [3] Cfr. Card. Hergenr., l. c. p. 190 seq.

bria pro Christi nomine perferenda promptissimi, videlicet frater Iohannes de la Deule, et frater Iohannes Cosin. Hi, obtenta licentia a dicto reverendissimo patre Vicario Generali, ad partes dictas infidelium ultra regnum Granatae perrexerunt in nomine Domini; in quibus tamen partibus propter gentium barbariem infidelium et ignorantiam ideomatis facere fructum nequibant, quamquam plurima paterentur a Saracenis incommoda in tantum aliquando, ut coacti fame et inedia, serpentes manducarent. Cum autem sine fructu ibidem starent, ad alia loca divertere statuerunt; et ecce, Deo duce, ad novas insulas aspirantes, naves illo tendentes reperiunt, in quas naucleri benignitate recepti sunt, eo quod et corpore robusti, religione devoti atque moribus graves videbantur, in quos nec parum aliorum vota aspirabant, utpote qui et corporis valetudine et mentis devotione apud Deum in periculis suffragari possent.

Cumque praedicti Fratres sic, ut praemittitur, ad dictas insulas pervenissent, nec tamen in aliquo ob linguagii ignorantiam proficerent in populo, nihilominus ad quinquennium inibi persistentes maximis persecutionibus, aliquantulum ad idiomatis peritiam pervenerunt. Et quia habitus et vestimenta computruerant, unus ex ipsis Fratribus coepit filare lanam bombicem sibique ac socio, ne nudi incederent, tunicas sive vestes aptare. Finito autem quinquennio, cum praedicarent populis fidem catholicam, repererunt eos satis voluntarios et aptos. Unde et apud se deliberantes, cum essent laici, ad Hispaniam pro adducendis sacerdotibus redire disposuerunt cum nautis, duos iuvenes illius gentis et insulae nondum baptizatos secum ducentes. Cumque in duabus navibus separati unusquisque Fratrum unum iuvenem secum haberet, ut si una navis periret, salvaretur altera, ne effectu fraudarentur per aequora, aut diversa fortuna, et multis periculis velitantes aliquamdiu, tandem partes fidelium applicuerunt. Unus autem ex iuvenibus illis gravissime coepit infirmari, quem Fratres morti vicinum videntes, baptizaverunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti etc., et tandem mortuum in dorso et brachiis ad viciniorem Fratrum conventum deportantes, solemniter novum Christianum quasi laborum suorum primitias sepulturae tradiderunt, alio reservato.

Cum autem dictum reverendissimum patrem Oliverium in Hispaniae partibus reperissent, accedentes eum narraverunt, quae viderant mirabilia in mari et insulis, humili instantia eidem supplicantes, ut sacerdotes ad insulas destinaret. Ille autem reverendissimus Pater, cum rem ipsam regi Hispaniae reginaeque insinuasset, idem rex, gaudio repletus, cum sua inclyta consorte navem cum necessariis aptantes, quamplura clenodia pro divino cultu, videlicet cruces, monstrantias aureas et argenteas, calices, casulas et ornamenta imponentes cum variis tabulis et picturis historiarum et gestorum Salvatoris, quibus gens tam effera ad pietatem duceretur.

Quo audito, multi Fratres ad dictum reverendissimum patrem Oliverium accedentes, illuc mitti se postularunt, viri maturi, martyrio flagrantes, et complures alii ab ipsis excitati. Quorum zelum et fervorem dictus reverendissimus Pater considerans et iuxta regularia instituta eos de vita et constantia fidei examinans, eorum petitioni condescendit.

Anno igitur currente millesimo quingentesimo circa medium Quadragesimae sese praeparantes, tandem sabbato ante dominicam Palmarum Fratres devoti: Iohannes Baudin de Britannia cum duobus aliis singularis devotionis, nec non aliis comitantibus, navim conscendentes, cum nautis per longos maris tractus ad supradictas insulas venerunt, omnem operam et diligentiam adhibentes ad dominicam voluntatem

adimplendam, ut gens illa barbara fidei rudimenta reciperet. Exponentibus autem militibus de thesauris regis et reginae pro divino cultu et ornamentis, plurimum ducebantur illi homines in admirationem et stuporem et cum gaudio volabant ad baptismum, collaudantes Deum.

Praeterea, eodem anno, XXV. die Augusti, exierunt aliqui Fratres sancti Francisci, divino amore ferventes, in insulam Chades [1], insulam Hispaniae circa strictum Sibilliae [2], non longe a columnis Herculis [3], in XXIX diebus venerunt ad insulam Hispanam. Et dum applicarent naves Hispaniae ad quendam portum, quem iam nominant portum *sancti Dominici* [4] a nauclero, qui dicebatur Dominicus, baptizata sunt tria millia hominum. Speratur autem, in brevi multas alias insulas magnas sacrum baptisma suscepturas. Amiraldus autem quidam capitaneus et prior inibi positus, male tractans homines istos novos, bona eorum et uxores auferendo et filias virgines stuprando, accusatus, ab officio depositus, catenis et loris ferreisque compedibus alligatus, in Hispaniam reducitur, alio in eius locum subrogato.

Sunt et aliae insulae sic ab Hispanis nominatae. Prima dicitur « insula Dei », quia Dei providentia et solo eius nutu inventa est; 2.ª insula Ferdinandi, a rege Hispaniae; 3.ª insula Elisabethina, a regina Hispaniae; 4.ª Hispana; 5.ª Hispaniola. Sunt autem homines inibi commorantes natura liberales, simplices et pii, sed magni zelotypi, vivuntque de panibus, confectis ex radicibus odoris et saporis pastinacae, vulgariter *gelbe Rüben;* similiter et ex surgo [5], quod est species milii. Et insulae sunt fertilissimae, carentes tamen omni animali quadrupede praeter cuniculos. Adducta sunt ex Hispania multa paria animalium, quae inibi miro modo prolificant, praecipue porci. Item, adductae sunt vites, quae eodem anno botros protulerunt, similiter frumentum et legumina. Ceterum nullam habent legem nec libros nec litteras, ignorantes, quomodo illuc devenerint, nec putabant, alios homines vivere super terram. Credebant post hanc vitam aliam, in qua melius haberent, nescientes tamen, a quo et ubi. Lanam arboribus procreatam in copia habent et tamen ab antea nudi incedebant; ex qua lana quidam Frater compulsus, filando ipsam, sibi et confratri suo habitum fecit. Habent in Augusto diem longissimum XVIII horarum, alias dies anni aequales sunt, nisi forte ad duas horas; suntque homines illi coloris citrini [6] ad modum foliorum de arboribus cadentium. Ex insula autem Hispaniola miserunt Fratres litteras reverendissimo patri fratri Oliverio, Generali Vicario, qui eos destinaverat, quas anno Domini 1501 in Provincia Saxoniae recepit, exemplar nobis in conventu Norimbergensi relinquens subsequentis tenoris:

Reverendissimo ac dignissimo in Christo patri fratri Oliverio Maillardi, Vicario Generali cismontano Ordinis beati Patris nostri Francisci etc.

Reverendissime atque dignissime Pater et domine! Vestram Paternitatem facio certiorem, quantam nobis Dominus contulerit misericordiam, quia ipse, qui olim Patribus nostris per mare rubrum dux exstitit, etiam nos indignos dignatus est in-

---

[1] Vel Gades, i. e. Cádiz.

[2] Vel Sevilliae (Sevilla). Strictum (gallice détroit) idem est ac via stricta, montium fauces.

[3] Id est « Gibraltar ».

[4] Id est Santo Domingo, portus Insulae S. Dominici (Santo Domingo, vel Haiti sive Hispaniola).

[5] Cod. vitiose *sorgo;* surgum, vel surgus est Indicum frumentum.

[6] Id est coloris flavei, aurei.

columes concedere, ad istas insulas pervenire, in quibus tanta invenitur animarum multitudo, quod est [illegible]abile dictu. Sed mirabilius, quod omnes sine contradictione aliqua et cum maxim[illegible]ffectu Domini appetunt baptismum. Unde bene potest verificari illud Salvatoris nostri in Evangelio [1]: *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Pauco tempore, videlicet dum starent naves in porta, tria millia animarum receperunt fidem Christi. Quamobrem multum gaudere debes de prole Christi multiplicata, maxime per ministerium filiorum tuorum. Sed quia non te fugit, mi colendissime Pater, istam esse professionem nostram, fidem Christi in nobis et in proximis nostris, divina adiuvante gratia Christi, multiplicare; ideo rogo Paternitatem tuam ob amorem Iesu Christi, ut ista praedices et manifestes filiis atque subditis tuis, ut omnes, quibus Dominus animarum suarum zelum infuderit, qui velint crucem Christi suaque vestigia sequi et ad insulas istas venire, eos benigno favore prosequaris. Insuper, in capitulo generali coram patribus hoc insinuans, ut omnes simul conformiter sine Praelatorum perturbatione et scandalo aliqui Fratres per omnes Provincias et Custodias ad hoc assignentur et cum benedictione Dei totiusque capituli ad partes istas mittantur. Et quia frater Franciscus Ruyz, qui propter suam debilem complexionem, et ut adiuvet nos coram Domino Archiepiscopo et suis regalibus maiestatibus, ad Hispaniam mittitur, longiorem faciet vestrae Paternitati relationem de omnibus. Valeat et oret pro me et suis filiis, qui mecum sunt, qui plurimas tibi mittunt salutes et tuam humiliter postulant benedictionem.

Datum in insula, Hispaniola nuncupata, 12 die Octobris, anno 1500.

Anno Domini 1501 fuit celebratum capitulum provinciale Argentinense in conventu nostro Pforzheimensi in dominica [2] infra Octavam Corporis Christi sub praesidentia reverendorum patrum Oliverii, Generalis, et Iohannis Keller, Provincialis Vicariorum. In quo statutum nullum fit simpliciter, avisamenta tamen aliqua et informationes quaedam in schedula datae.

Frater Hieronymus de Torniellis Vicarius Generalis ultramontanus 2.ª vice eligitur Urbini 1501.

Quo tempore in generali capitulo patrum ultramontanorum, Urbini celebrato, eligitur reverendus pater frater Hieronymus de Torniellis secunda vice in Generalem Vicarium dictae familiae. Et sanctissimus dominus noster Alexander VI. eo anno communicavit privilegia omnium Ordinum Praedicatorum, Augustinensium et Carmelitarum nobis per omnia, et e converso nostra eisdem, ut simus pares.

Ceterum finito dicto capitulo Pforzheimensi, habita fuit solemnis et publica disputatio super materiam immaculati Conceptus virginei in ecclesia Fratrum Minorum conventus Heidelbergensis. Cum enim quidam ex nostris, pro tunc praedicator conventus eiusdem, praedicasset, eandem Virginem fuisse sine peccato originali conceptam etc., Fratres Praedicatores non multo post, affixis conclusionibus, in schola publica Universitatis oppositum determinaverunt. Unde motus dictus praedicator et lector, frater Iohannes Spengler, aestimans se suosque sermones hac in parte reprehensos, de scitu atque consensu principis Palatini et licentia reverendissimi patris fratris Oliverii, Generalis Vicarii, qui et ipse conclusiones pro parte immaculati con-

---

[1] Matth. 9, 37.

[2] Quae erat dominica II. post Pentecosten et quidem dies 14 Iunii.

ceptus posuit, solemnem publicamque disputationem, longe lateque missis schedulis, intimavit. Cum autem patres Praedicatores, nescio quid formidarent, etiam furorem indignationemque utriusque status et conditionis tam potentum quam communis populi — qui huic pietati tamquam vulgatae sinceraeque veritati fovet — ferre non valerent, commotis doctoribus Universitatis et quibusdam nobilibus, persuasum habuerunt dictum illustrem principem Palatinum, ut disputationem illam ut seditionis et tumultus populi, immo et scandali fidei excitativam et perturbativam, praetensis fucatis rationibus, impediret. Assentiente autem dicto principe consulibus dictorumque sentimentis, ut actum tam solemnem de suo assensu et voluntate hinc inde et circumcirca promulgatum impediret non ante, quam die proxima praecedente disputationis actum, et cum iam turba plurima ad diem assignatam conveniret et de civitatibus et castellis et villis properarent, ut viderent finem, iam dictus illustris princeps dementatus tam Praedicatorum quam utriusque censurae et status complicum praetensis rationibus, accersito dicto reverendissimo patre Oliverio in concilium, cum nullum in nos haberet imperium, persuasum immo et rogatum habuit, allegatis multis rationibus et causis praetensis, ut a disputatione cessaret et huiusmodi palestri conflictu.

At quia dictus reverendissimus pater Oliverius, Generalis Vicarius [1], hoc ipsum nostrae famae et doctrinae plurimum cernebat praeiudiciale, et ne forte in fabulam et proverbium versi, quasi ante pugnam, solis verborum foliis perterriti, videremur proiecisse arma; exindeque confusionem pro gloria indutos [2] ipsi Praedicatores — ut assolent — in tectis praedicarent, levi prece amittendaeque principis gratiae principis ducti cessisse quod impossibile videbatur obtinere: nullo pacto nec suasu dicti principis, nec, iteratis missis ad eum Episcopis, comitibus et militibus, eiusdem nuntiis, deflecti potuit nec voluit cedere, quamquam dicti Praedicatores iam ante in omnibus quasi inviti voluntatem in manum principis posuissent. Altera ergo die, cantata prius solemniter a Fratribus Minoribus Missa de immaculata Conceptione Virginis, ad ecclesiam, locum certaminis, properant, locatis hinc inde Fratribus, quorum intererat, praesidente dicto reverendissimo patre Oliverio actumque ornata collatiuncula principiante. Ecce, edicto publico tum ex parte principis, tum Episcoporum, tum etiam Universitatis prohibetur sub mulcta, ne quis procedat ad actum, immo nec ecclesiam vel disputationis locum accedat. Sed et ipsi Praedicatores protestati sunt, affixa in valvis dictae ecclesiae charta, non alia causa aut metu, nisi sola principis prece et voluntate devicti, nolle, immo non debere contra tanti principis votum disputationem talem accedere. Quam protestationis schedulam, quia non de scitu et voluntate dictorum Fratrum Minorum suis affixerant ecclesiae portis, facta solemni item protestatione coram notorio et testibus, eam ipsam cum reverentia e valvis acceptam Praesidenti praesentarunt. Fit exinde commotio et tumultus in populo; alii namque prohibentur ingredi ecclesiam illam, alii quidem ingressi, iubentur exire, nec tamen ipse impeditur actus pro tanto, quin aliqui Religiosi atque doctores, huic edicto non subiecti, morem immaculato Conceptui et patrum coetui gerendo, argumentationibus actum ipsum decorabant, respondente fratre Iohanne Spengler, praedicatore et lectore conventus Heidelbergensis etc.

---

[1] Haec vox in cod. desideratur.

[2] Supple: nos (Fratres Minores).

Ex Praedicatoribus autem nemo aderat. Finita autem disputatione maxima, oritur in domo Holofernis confusio. Mittitur Romam, et commovetur Summus Pontifex atque venerabilium Cardinalium concio tota supra materia Conceptionis Mariae. Siquidem tam serenissimus Romanorum quam christianissimus Francorum aliique reges, principes, duces, communitatesque missis litteris instant, Summum Pontificem debere tantae pietati adhaerere, contrariae parti perpetuum silentium imponendo. Obsistunt patres Praedicatores, multipliciter disputationis actum eiusque personas accusando atque in peius interpretando, neve [1] Virginis intenta laudatio progressum habeat, corpus et substantiam temporalem impendunt. Igitur Summus Pontifex Alexander VI, visis hinc inde utriusque rationibus et motivis, nihil fecit, praeterquam quod Sixtinam [2]: *Grave nimis* etc., confirmavit, atque ut pax utrimque servaretur, censuras alias in contravenientem fulminatas servari voluit, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Sed nec sic antiqui hostis, cuius caput sub pedibus Virgo iam tenebat, cessabat versutia, quin cauda sua reliquias domus Aehab involveret in necem Naboth Israelitae, hominis Dei. Siquidem ea tempestate cum quidam emeritae militiae veteranus, utriusque iuris et theologiae doctor, in oppido insigni imperiali Francofurto [3] plebanus, coram multa plebe in sua ecclesia de immaculata Virginis Conceptione praedicaret; ecce, quidam doctor, sed bullatus et sub camino creatus, in insidiis latens, ut caperet virum in sermone, ut ex eius ore accusaret eum; dum plebanus ipse diceret Virginem gloriosam sine peccato originali conceptam, dictus doctor bullatus, frater Wigandus Wirt, Ordinis Praedicatorum, in conventu eorundem Fratrum Francofurttensi lector [4], qui in insidiis latuerat, audaci impudentia publice clamabat in populo: «Mentiris, inquit, mentiris». Ex tunc fuit tumultus factus in populo, quod, nisi seditiosus ille sub mantellis et velaminibus quarundam muliercularum et alias se celatum fecisset, certe in ecclesia ipsa, utpote qui emunitatem violasset, aut extra opprobrium hominum factus, dignas exsolvisset poenas. Clanculum igitur discedens, a loco ire et turbationi morem gerere arbitratur [5]. Quoniam autem velut alter Ismael frontosa impudentia Iacobita ille neminem se timere fatebatur, omnibus iniuriosus erat, manus omnium excitavit contra se, dum obtrita fronte immaculatam Virginem maculatam ostendere nititur cunctis; ideoque cunctis maculandus atque spernendus, ut infra patebit, ostendetur, ad alia properantes.

Siquidem illis diebus altera ex parte non destitit versutus ille hostis, iniquitatis suae vasa movens, in Fratres Minores debachari. Nam antedictus reverendissimus pater Aegidius, Generalis Minister, una cum suo collega, quasi dextra manu, Bonifacio, et ipsi quasi Simeon et Levi, vasa iniquitatis bellantia, quasi totam domum Iacob commovebant. Non multis enim interiectis diebus, id est secundo electionis suae anno, dolum, quem in sanctos conceperat, exsecutioni volens demandare suasu dicti fratris Bonifacii, utpote in Curiis regum Franciae et Hispaniae noti, se contulit, Praelatis quoque Ecclesiarum blandiens miris coloribus fucatisque sponsionibus, praeferens, totum Ordinem sancti Francisci se reformaturum. Reges et reginas, Archiepiscopos, Episcopos, nobiles ac communitates simulata sanctitate, cum esset de irrefor-

---

[1] Cod. *neque.* — [2] Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1503, n. X-XII, ubi habetur Bulla integra.

[3] Cod. hic *Franckfurtt.* — [4] Ita correxit manus posterior; cod. exhibebat primitus *Prior* pro *lector.*

[5] Cod. *arbitratus.*

matis, in favorem traxit, faciens nihilominus, quantum a foris agebatur, fidem reliquiis quibusdam Sanctorum. Siquidem ferens secum dentem sancti Francisci ac manicam caputii sive habitus eius, deosculanda dedit magnis et devotis utriusque sexus personis; quo fiebat, ut omnes Fratres cum conventibus suis in Sardinia se obedientiae ipsius subderent, qui prius de familia ultramontana fuerant. Inde autem progrediens, ad Hispaniarum provincias se dans, tracto rege Ferdinando et Elisabetha regina in suam partem nec non et Archiepiscopo Toletano, plures conventus inibi reformavit, expropriavit, secum ferens spolia. Unde visum est patribus, sacram nostram Observantiam et familiam a tempore Calixti, quando sanctus Iohannes de Capistrano vixit, tantas instantias, turbationes et commotiones non passam, etiam a regibus et Ecclesiarum Praelatis, quantam nunc, et hoc totum ex inductione et suasu dictorum Aegidii, Generalis Ministri, et Bonifacii. Siquidem suis astutiis omnes conventus et Fratres Provinciae Aragoniae de familia ad obedientiam Ministri attraxerunt, sacra familia, sub qua patres eorum profecerant, relicta. Et quia secundum doctores[1] inimico domestico nemo periculosior, unde est, quod sunt iam antichristi multi, qui ex nobis prodierunt et ex nobis erant; qui enim manducabant panem nobiscum, magnificabant supplantationem. Erant enim tunc duo fratres germani in Provincia sancti Ludovici, scilicet frater Dominicus de Fossano, eo tunc eiusdem Provinciae Vicarius, et Franciscus de Fossano, Guardianus Avenione[2] et in aliis locis, qui et ipsi in apostaticum iter declinantes, familiam, matrem suam, reliquerunt; quorum scilicet Dominicus per omnia dicto Generali adhaerendo atque contra sacram familiam suadendo, factus erat in arcem et diabolum in Israel[3]; quem idem Minister Generalis doctorem effecerat theologiae, sed indoctum et minus idoneum, quod subtili ingenio plures, qui alta quaerebant subsellia, volentes dici nomine, etsi non re ipsa effici magistri, allectos in suam partem deducebat. Nam et saepe dictum fratrem Bonifacium, armis militaribus assuetum atque exercitatum, theologiae sacrae creavit magistrum, cornutam utique bestiam, bonos Fratres ventilantem; recepitque sine differentia Fratres de familia sub anathemate apostatico ad se fugientes, praesumpta auctoritate gradibus variis sublimando de stercoribus levatos.

Frater Martialis Boulier eligitur in Generalem Vicarium familiae citramontanae anno 1502.

Anno Domini 1502 celebratum fuit capitulum generale Fratrum citramontanorum[4] de familia in conventu Albiae, Provinciae Aquitaniae, in festo Pentecostes[5], praesidente reverendissimo patre fratre Oliverio Maillardi ac officio cedente. In quo reverendus pater frater Martialis Boulier, quondam Commissarius in Romana Curia, tunc Vicarius Provinciae Aquitaniae, in Vicarium Generalem electus fuit.

In quo nihil novi statutum aut ordinatum fuit, sed dumtaxat per modum declarationis significatum patribus, quod Guardiani et eorum Vicarii et confessores monialium habeant auctoritatem Praelatorum in foro conscientiae.

Et quod festum sanctae Barbarae virginis fiat minus duplex et cum propria

---

[1] Boethius, III. de Consol. prosa 5. — Cfr. S. Bonav. Opera (Quaracchi) t. II. p. 501, nota 8, et Matth. 10, 36. — [2] Cod. *Avinionis.*

[3] Cfr. I. Mach. 1, 38.

[4] Ita recte correxit manus secunda; cod. exhibebat *ultramontanorum.*

[5] 15 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1502, n. XXIV, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 212. — Cod. semper falso *Buolier* vel *Bonlier* pro *Boulier.*

historia, qui habuerint; similiter festum sancti Gabrielis minus duplex, auctoritate Summi Pontificis speciali.

Numerus autem defunctorum est: in Provincia Aquitaniae 61; Franciae 100, inter quos venerandus pater frater Christianus Gareth, bis Provincialis, qui etiam in conventu nostro Basileensi aliquot annis magna cum diligentia proficue non minus quam utiliter in sacra theologia legit, et venerandus pater frater Quintinus Caulier, XXV annis continue Guardianus conventus Metensis, cuius sepulcrum his versibus inscribitur: « Hac iacet in tumba frater venerabilis olim, Quintinus Caulier Metensis, qui fuit annis Guardianus quinque viginti, primo kalendas aspera Septembris iussit mors claudere vitam, milleno semel centeno quinquies anno »; Castellae 80; Saxoniae 32, inter quos venerandus pater frater Fridericus Beyer, Vicarius Provincialis; Aragoniae 30; Argentinae 60; Sancti Iacobi 54; Coloniae 111, inter quos venerandus pater frater Hermannus Zutphaniae, quondam Provincialis, et Thomas Gaude, qui post sexagesimum in Ordine annum eo die, quo habitum sumpsit, vitam finivit in Observantia; Sancti Bonaventurae 12, inter quos venerandus pater frater Petrus Figuli, qui bis Vicarius Provincialis fuit; Portugalliae 25, inter quos quatuor interfecti a Saracenis; Sancti Ludovici 13; Hiberniae 18; Scotiae 26; de Sanctoyo 54, inter quos venerandus pater Franciscus de Spinosa, Vicarius Provincialis; Daciae 27; Britanniae 29; Granatae 23, inter quos venerandus pater Petrus de Marchena, semel Vicarius Provincialis; Angliae 42.

Eodem anno in festo sancti Antonii de Padua[1] obiit Tolosae sanctae et beatae memoriae venerandus pater frater Oliverius Maillardi, vir vitae sanctitate et doctrinae tam scholasticae quam declamatoriae in cancellis coram clero et populo incomparabilis, sacrae familiae et observantiae regularis indefessus observator et propugnator, usque in hanc horam multis signis et miraculis coruscans, sepultus in conventu sanctae Mariae de Angelis prope Tolosam in domo capitulari.

Frater Victorinus de Prussia Vicarius Provinciae Bohemiae de familia eligitur.

Ea tempestate electus fuit in Vicarium Provincialem Bohemiae venerandus pater frater Victorinus de Prussia in conventu Brunnensi.

Frater Bartholomaeus Wyer Vicarius Provinciae Argentinae eligitur Moguntiae anno 1502.

Quo anno etiam celebratum fuit capitulum provinciale Argentinense in conventu Moguntino sub praesidentia reverendi patris fratris Iohannis Keller, in quo electus fuit reverendus pater frater Bartholomaeus Wyer in eius legitimum successorem. In quo quidem capitulo praeter declarationem dubiorum in schedula nulla fit ordinatio nova in tabula Definitionis.

Definitores huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Wendelinus de Lauterburgo[2], Guardianus et Discretus conventus Moguntinensis, Leonardus Dierentzhuss[3], Guardianus et Discretus Landishuttensis, Gregorius Heilmann[4], praedicator et Discretus Heilbrunnensis, Sigismundus Wentzel, Guardianus et Discretus Rietfeldensis.

---

[1] 13 Iunii.

[2] Cod. hic et deinde semper *Luterburg;* cfr. supra pag. 515, nota 1.

[3] Ita exhibet nunc cod. ex correctione a manu posteriore facta, et est probabiliter idem ac ille, qui supra pag. 513 vocatur *Leon. Duntzhuser;* primitus habebat *Hyntermeyr* pro *Dierentzhuss.*

[4] Cod. *Heylmann,* sed infra ad an. 1522 et deinde habet *Hailmann.*

Ea etiam tempestate dictus reverendissimus pater Aegidius, Minister Generalis, omnibus, quibus poterat, venenum, quo familia interiret, sub melle absconditum propinare contendens, totum Ordinem, tam Observantinos quam Conventuales, Coletanos, Lupinos, Clarenos [1], Amadaeistas, Martinianistas et quoscumque ad unum vivendi modum reducere cupiens, ut esset unus pastor et unum ovile; ut id commodius fieret, captabat benevolentiam reverendissimi patris fratris Martialis Boulier, Vicarii Generalis, atque ut patres notabiliores Provinciarum vicinarum convocaret, miris obtinuit cautelis. Fit ergo prima convocatio patrum aliquorum tam Conventualium quam Observantinorum de familia et Coletanorum, proponuntur varia media, quae alibi latius annotantur, atque ut facilius rem caperent partes, potissimum ex parte familiae, dixit coram, non esse vel fuisse unquam mentis suae, quod simpliciter Fratres de familia suis provisionibus renuntiarent, quinimmo ad tempus et tempora attentando proposita unionis materiam et media probarent, et interim ipsae provisiones ponerentur sub tuitione et conservatione parlamenti Parisiensis, aut aliquorum Ecclesiae Praelatorum, cum solemni protestatione eas libere et licite revocandi et rehabendi ac restituendi in integrum in pristinam libertatem Apostolicae provisionis.

Quibus auditis, dictus Minister Generalis potiores patres familiae praesentes in unionem allectos pro parte consentaneos habuit, nisi quod non licebat quidquam concludere sine assensu omnium, quos tangebat, in capitulo proximo generali congregandorum atque in hoc recessus hinc inde parabatur. Minister vero sentiens, se repulsam habuisse, egit, quomodo Chrysostomus super Matthaeum dicit, «quod, si aquae meatus una ex parte occlusus fuerit, aliunde facit exitum». Unde et convocavit generale capitulum in conventu Trecensi [2] celebrandum, volens habere tam de Observantia quam Conventuales in unum. Sed Fratres nostri de familia sua provisione gaudentes, nec comparere personis nec scriptis voluerunt. Cum suis autem in his, quae animo conceperat, procedens, plures ordinationes et statuta pro reformatione Conventualium et Coletanorum edidit, quorum nullum servatum fuit. Siquidem et Conventuales sua libertate gaudentes nec in minimo obtemperare volebant. Egit tamen unum ibidem, quod, deposito Ministro Provinciali Franciae, dictum fratrem Bonifacium, magistrum theologiae creatum sub camino, Ministrum Franciae de facto et nullo iure fecit, dans eidem plenariam commissionem et facultatem nedum in Francia, verum etiam in circumcirca iacentibus Provinciis visitandi, reformandi, instituendi, destituendi etc. ac singula faciendi in conventibus, quae ipse faceret aut facere posset, si adesset. Exinde simul, quandoque separatim, circumeuntes mare et aridam, fucum quendam et speciem ab extra in omnibus conventibus Conventualium reformationis praetensae inducentes, maximum rumorem acquisierunt apud magnates, sed et non modicum thesaurum reportant ex clenodiis et iocalibus pretiosis, quae conventibus auferens sub titulo reformationis et expropriationis, in terram Sennaar, id est alie-

---

[1] Cod. *Clarinos*, et deinde *Ammodaeitas* pro *Amadaeistas*, sed postea semper habet *Amedaei* loco *Amadaei*, a fratre Amadaeo, ipsorum institutore, sic dicti.

[2] Trecae, vel Tricasses sive Augustobona est « Troyes », civitas Galliae. Wadding., l. c. ad an. 1503, n. III, cui assentit De Gubernatis, l. c. tom. III. 212, vult, capitulum memoratum Trecis an. 1503 vel 1504 celebratum esse.

nam asportavit[1]. Habebat autem regem Franciae cum dominis de parlamento Parisiensi et reverendissimum dominum Archiepiscopum Rothomagensem, Cardinalem Legatum Apostolicum, cum plena facultate, qui sibi erant auxilio et consilio in factionibus attentatis maxime ratione reformationis et unionis, quae cunctis res bona videbatur, non videntes anguem in herba latitantem.

Anno Domini 1503, 19[2] die mensis Augusti, Alexander VI. miserabili morte exstinguitur; siquidem veneno intoxicatus[3] cum tribus Cardinalibus moritur. Miserabile monstrum corpus eius relinquitur aspicientibus atque horridum, quod nec tangere volebant, qui sibi prius proximi in palatio erant; a quo infecti nonnulli post eius mortem contagione letifera, vita functi sunt, inter quos frater Conradus Hehli, sacerdos, socius principalis patris Commissarii citramontani, Erhardi Boppenberger, unus erat.

Pius III. eligitur in Summum Pontificem, amator praecipuus nationis Germanicae.

Eligitur autem in eius locum Cardinalis, Senensis dictus, Pius III, vir bonus et iustus. Unde gaudet tota Alamannia. Sed heu, gaudium eorum statim vertebatur in luctum. Nam sedit tantum dies XII, *consummatusque in brevi, explevit tempora multa*[4].

Iulius II. eligitur in Summum Pontificem, nepos Sixti quarti.

Dominicus Grimanus Cardinalis S. Marci, Protector Ordinis Minorum et S. Clarae.

Eligitur quoque in eius locum reverendissimus dominus Iulianus, Cardinalis sancti Petri ad Vincula, dictus Iulius II, qui antea Generalis Protector Ordinis fuerat. Unde et quam statim in eius locum et successorem, Ordinis Protectorem, posuit Dominicum Grimanum, Venetum, Cardinalem sancti Marci etc.

Quo comperto, supradictus Aegidius, Generalis Minister, aestimans, se habiturum tam Summum Pontificem quam Protectorem ad vota, confisus nihilominus de favore et gratia regum Hispaniae et Franciae, similiter Archiepiscopi Rothomagensis, Cardinalis et Legati, aliam instituit patrum convocationem, in civitate Blesis[5] in praesentia dictorum regis Franciae et Cardinalis celebrandam. Ad quam cum reverendissimus pater Martialis Boulier, Vicarius Generalis, cum patribus Vicariis Franciae, Aquitaniae, Turoniae, Burgundiae ac Britanniae, nec non patre Ludovico de Anhalt[6], Alamanno, Commissario Provinciarum Saxoniae, Argentinae et Coloniae, nec non fratre Nicolao Gilberti, Commissario Parisiensium sororum sanctae Clarae de Ave Maria, viro eminentissimo vita et

---

[1] Alluditur ad Danielem 1, 2.

[2] 12 Augusti, ut dicit Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 133.

[3] Est error. Alexander obiit quidem repentina morte, non autem veneno, sed febri lethali. Cfr. Card. Hergenröther, l. c. et Dr. H. Brück, l. c. p. 442.

[4] Sap. 4, 13. — Secundum Ciacon., l. c. et Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 133 sedit 26 dies.

[5] Id est « Blois », civitas Galliae (Orleannais) ad fluvium Ligerim sita. — Immediate post *Blesis* exhibebat cod. primitus *in Campania*, quae verba manus posterior iure delevit. In districtu Campaniae (Champagne) sita est supramemorata civitas « Troyes ». Secundum Wadding. (et De Gubernatis, l. c.), hoc anno supra (pag. 531, nota 4.) memoratum capitulum erat. Ait enim: « Habita hoc anno (1503) comitia generalia in coenobio Trecensi in Gallia, scribit Petrus Rodulphus (l. c. f. 204); alii volunt coacta in conventu Blesensi, et Marcus Ulyssiponensis fuisse celebrata anno praecedenti »; et subiungit: « Certe non nisi hoc anno vel potius sequenti, et in conventu Trecensi ».

[6] Cod. *Anhallt*.

doctrina, venisset; habita[1] aliquamdiu collatione inter se, audito dicto Generali Ministro eiusque intentione de unione facienda in Ordine, optima res quibusdam visa est patribus; nisique constantia patrum aliorum familiae, quibus mens sanior inerat et iam caput et caudam serpentis sub velamine fucati sermonis Ægidii Ministri et Bonifacii cautelis latentem aspiciebant, obstetisset, res acta fuisset. Igitur ut procedunt ambae partes ad praesentiam regis Franciae et Cardinalis, in praesentia plurimorum peritorum et consiliariorum dicti regis Francorum proponit coram eis reverendissimus pater Aegidius, Generalis, astante sibi fratre Bonifacio, plurima media unionis, omni quo[2] potuit inducens apparenti suasu Ordinis sacri unionem, reformationem et reductionem in eum statum, quo tempore beati Patris Francisci et institutionis regulae erat, saltem pro tanto, etsi non pro toto; quae omnia alibi reperies.

Patres autem familiae, postulata, admissa habitaque aliquali deliberatione interlocutoria, omnibus rationibus persuasivis ad unionem explosis, consultissime responderunt, suum non esse in eo, quod omnes tangit, respondere, sed patrum in generali capitulo congregandorum. Moleste autem valde Minister et qui cum eo erant abbreviatum responsum ferentes, indignati sunt. At ne putarent patres nostri de familia, fictitium fore quod gerebatur, idem Minister coram rege, Cardinali omnibusque ad rem vocatis obtulit libere, ut[3] dicebat, venerando patri Martiali sigillum generalatus cum officio, petens absolutionem, dicens, se non venisse propter officia, quin potius velle infimum locum tenere, utensilia coquinae et domus mundare, purgare claustrum, et similia facere, saltem ut caput reformatum in Ordine haberetur, et tanta temeritas et pompa Ministrorum Provincialium de Conventualibus reprimeretur etc. Cum autem patres de familia a dato responso cedere nullatenus vellent, indignatur[4] Cardinalis, superbiae potius quam humilitati id ipsum deputans et capitositati, potissimum quod voluntatem beati Francisci, immo Dei, qui unitatem diligit, impedire conarentur. Sicque divisi alter ab altero, iterum res mansit in suspenso etc.

Frater Franciscus Zeno Vicarius Generalis ultramontanus eligitur Mantuae 1504.

Anno autem Domini 1504[5] patres de familia in Italia in civitate Mantuae celebraverunt capitulum generale, in quo electus est in Generalem Vicarium ultramontanum reverendus pater frater Franciscus Zeno, Mediolanensis, maturus et doctus.

In Provincia hac nostra Argentinensi capitulum provinciale habitum in conventu Bambergensi, dominica *Exaudi*[6], sub praesidentia reverendi patris fratris Bartholomaei Wyer; in quo, exceptis datis responsis in schedulis, nulla ordinatio vel statutum ordinatum fuit.

Definitores autem fuerunt venerandi patres fratres Iohannes Keller, Guardianus et Discretus conventus Norimbergensis, Caspar Schatzgeyr[7], Guardianus Monacensis

---

[1] Cod. *habito*. — [2] Cod. *qua*. — [3] Ita cod. recte primitus, manus posterior male correxit *et*.

[4] Cod. *indignatus*.

[5] 24 Maii, dicit Wadding., l. c. ad an. 1504, n. VI, et Chronologia, l. c. tom. I. p. 209 et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 213.

[6] Aut erat dominica VI. post Pascha i. e. dominica infra Octavam Ascensionis Domini (19 Maii), quod probabilius videtur, aut erat dom. V. post Pentecosten, quae erat 30 Iunii.

[7] Vel *Schatzgerus* celebris defensor Ecclesiae catholicae contra novatores saec. XV. — *Pfeddershemia* (cod. *Pfederssheym*), theut. « Pfeddersheim », civitas magni ducatus Hassiae Darmstadii.

suppletus, Paulus de Pfeddershemia, Guardianus Kaysersbergensis suppletus, et Caspar Brün, Guardianus et Discretus Oppenheimensis.

Interea necdum fatigatus dictus reverendissimus pater Aegidius, Generalis Minister, a coeptis quievit, sed maturiore usus consilio sub forma liciti rem aggreditur magis cunctis nota, manusque eius adhuc extenta tenens clypeum et hastam. Nam capitulum generalissimum celebrandum ab omnibus, tam Conventualibus quam Observantinis, in Avenione in festo sancti Francisci instituit atque intimavit. Sed quia *nihil occultum, quod non scietur* [1], cum dictus Minister mirabiles adinveniret reformandi practicas, Fratres et conventus expropriando subtilique ingenio aes a barbaris, id est Conventualibus extorquendo — siquidem uni Ministro Provinciali in pecunia et clenodiis trium millium ducatorum abstulit — Fratres reformatos de sua ditione cum irreformatis ponendo, doctoratum, baccalaureatum aliosque dignitatis gradus Fratribus conferendo, clamor magnus nedum a familia, verum a Conventualibus ad aures Summi Pontificis, Iulii II, et Protectoris pervenit. Qui Pontifex Maximus iacturam Ordinis gravem formidans, dictum Ministrum ad comparendum coram eo Romae, missis litteris, peremptorie citavit, responsurum super obiiciendis. Cum autem ad pedes Sanctissimi venisset, suis astutissimis cautelis, promotorialibus regum, Episcoporum et principum impetratis, eundem ad suum conceptum inclinavit, cooperante ad hoc plurimum reverendissimo domino Grimano, Ordinis Protectore, aliis quoque sibi faventibus dominis quibusdam Cardinalibus. Ne autem coeptum iniquitatis opus intermitteretur, ipse frater Bonifacius, Minister Franciae et Commissarius Generalis, cum plena facultate manus suas extendit ultra metas, in vetitum nitens. Nam cum non longe ante hoc Fratres Conventuales conventuum Gandavensis [2], Yprensis et Bethuniae matura deliberatione voluntarie et libere Vicario Franciae pro reformatione una cum conventibus nominatis se subiecissent, et ille, patrum consilio praehabito, vigore decreti concilii Constantiensis acceptasset, reformasset observantiaeque regulari subdidisset — quod utrimque virtute dicti decreti utraque pars facere potuit — dictus Bonifacius, dolens amisisse quod nullo iure recuperare potuit, insidias parans, ad decipiendum muscipulam dictis Fratribus supradictorum trium conventuum, esca posita, aptavit. Accedens namque dictae Provinciae Franciae Vicarium devotum, doctum et maturum, sed minus cautum in rebus gerendis, quem negotio favorabilem blaesis [3] agnovit, mira astutia ab eo album sigillo Provinciae manuque propria munitum poposcit et obtinuit.

Quo habito, falsarius ille scripsit Fratribus trium dictorum conventuum per obedientiam sanctam subque inobedientiae contumacis excommunicationis et privationis actuum legitimorum poenis, ut exirent conventus restituerentque in manus Bonifacii, Ministri Provincialis, sub quo prius fuerant. At illi aestimantes, rem veraciter agi, visis sigillo et signo manuali, ignorantes dolum, quasi iussis sui Praelati parendo, relictis conventibus Yprensi et Bethuniae in manibus dicti Bonifacii, immo Malefacii, recesserunt, dicto Vicario se repraesentantes. Qui illico dolum, mendacium et deceptionem deprehendit, sed remedium adhibere non valuit, nisi eundem in ius tractum

---

[1] Matth. 10, 26.

[2] Gandavia est « Gent », civitas Belgii (Flandria), ubi etiam situm est Ypres vel Yperen; Bethunia est civitas Galliae et dicitur Béthune.

[3] Ita cod. forte pro *blanditiis*. Blaesus (balbus) est qui lingua impeditus est et in sermone tardus.

plures contra eum sententias obtinuit; sed ille Bonifacius cum suis possessionem falso titulo et mentita iniquitate inhabitavit et inhabitat usque in hanc horam conventum Bethuniae.

Frater Iohannes Silvestris eligitur in Vicarium Generalem cismontanum in conventu Lavallis Provinciae Turoniae 1505.

Anno autem Domini 1505 celebratum fuit capitulum generale Fratrum cismontanorum de familia in die sancto Pentecostes[1] in conventu de Lavalle Guidonis, Provinciae Turoniae, in quo electus fuit reverendus pater frater Iohannes Silvestris, Vicarius Franciae, in Generalem Vicarium Fratrum eorundem, sub praesidentia reverendissimi patris fratris Martialis.

In quo institutum fuit, auctoritate Apostolica festum sancti Ioachim, patris beatae Mariae, celebrari per totam familiam in crastino sancti Ioseph sub ritu duplicis minoris.

Item, quod festa cadentia infra Octavas censeantur illa, quae veniunt infra VI dies tantum.

Item, concessum est ad Dei laudem et christianae religionis augmentum et nostrae sacrae Religionis decorem, quod insulae Indianae fiant et sint una Provincia, et quod habeant de cetero unam vocem in generali capitulo; et quod Vicarius Provincialis eiusdem habeat tantam ac talem auctoritatem in utroque foro, quantam et qualem solent habere ceteri Vicarii Provinciales. Ad cuius Provinciae augmentum ex tunc etiam plures Fratres missi sunt, atque auctoritas collata aedificandi seu erigendi conventus et monasteria; nam ante in tuguriis silvarum et antris morabantur.

Item, prohibitum fuit, ne quis de cetero quidquam impetrare audeat in Romana Curia sine licentia suorum Praelatorum et scitu Commissarii Romani, immo nec illo accedere nisi pro negotiis Ordinis et eadem licentia Praelatorum.

Item, prohibetur, ne recipiantur loca remota ab habitatione hominum, ubi Fratres non possunt commode vivere secundum puritatem regulae sine maximis discursibus et distractionibus, spiritum devotionis exstinguentibus.

Ordinatur etiam, ut visitatio Guardianorum et retentio seu depositio fiat per scrutinium unius scribae et duorum testium, per Guardianum cum Discretis ordinandorum, ut moris est, qui seorsum expediant et conscribant, et conscripta post coram communitate legantur et examinentur, antequam eisdem Guardianis dicantur, seu ad eorum retentionem seu depositionem procedatur.

Item declaratur, quod illa clausula capituli generalis Albiensis, videlicet « quod Guardiani et eorum Vicarii habeant auctoritatem Praelatorum in foro conscientiae », intelligitur in casu tantum, quo Guardiani conventum exirent, sive etiam Vicarii; ex tunc enim etiam Vicarii Vicariorum talem haberent auctoritatem.

Numerus autem defunctorum erat: in Provincia Turoniae 88 Fratres; Franciae 120; Castellae 150; Saxoniae 82, inter quos duo patres Provinciales et Custos Livoniae; Argentinae 96, inter quos venerandus pater frater Iohannes de Lindenfels, qui quater Provinciam laudabiliter rexit; Aquitaniae 25, inter quos fuit beatae memoriae venerandus pater frater Oliverius Maillardi, qui trinies generalatui et quinquies provincialatui in diversis Provinciis laudabiliter praefuit, nunc autem crebris miraculis coruscare non desinit; Sancti Iacobi 105, inter quos venerandus pater frater

---

[1] 11 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1505, n. XI, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 213.

Ferdinandus de Fontifero, qui fuit Vicarius Provincialis; Coloniae 180, inter quos venerandi patres, qui praefuerunt Provinciae; Sancti Bonaventurae 25; Portugalliae 26, inter quos venerandus pater frater Gundisalvus, qui bis Vicarius Provincialis fuit, et quidam frater laicus, Angelus dictus, vir utique angelicus, filius cuiusdam comitis, qui etiam magnis coruscat miraculis; Sancti Ludovici 55, inter quos pater venerandae canitiei, qui aliquando Provinciae praefuit; Hiberniae 22, inter quos venerandus pater frater Thaddaeus Thomeron, qui fuit bis Provincialis Vicarius illius Provinciae; Daciae 37; de Sanctoyo 67, inter quos venerandus pater frater Rodericus, qui illi Provinciae laudabiliter praefuit; Britanniae 32; Granatae nescitur numerus; Angliae 9.

Fuerunt autem inibi plura declarata et avisamenta edita, quae longum taediosumque enarrare foret, quae transeo [1], ad alia magis necessaria properando familiae sacrae statum concernentia.

Nam saepe dictus reverendissimus pater Aegidius, Minister, cum ad mentem reduxisset patrum nostrorum de familia responsum, nihil posse in casu unionis praeter patrum quos universos tangebat consensum in capitulo generali congregandorum, audiens [2], in loco capituli coadunatos capitulariter, misit reverendum patrem fratrem Petrum Grandis, Ministrum Provinciae sancti Bonaventurae, quem in theologia magistrum creaverat Lavallis, ad congregationem generalem cum litteris suis, quibus iterum multis persuasionibus hortabatur congregationem generalem, ut in unionem et reformationem universalem consentirent utque sui voti et sentimenti definitionem scriptis significarent. Patres autem, matura et longa deliberatione habita, litteris iterum eidem reverendissimo patri Ministro Generali responsa reverenti humilitate dederunt, quod non recusant unionem, qua alii reformati nobis uniantur; item, summo affectu atque conamine universalem volunt Ordinis reformationem. Item, hortantur eundem reverendissimum patrem Ministrum Generalem, ut [3] assignet nobis in singulis Provinciis certos annis singulis conventus, in quibus omni qua poterimus [4], inducere reformationem volumus regularem iuxta declarationem Summorum Pontificum Nicolai et Clementis, tali tamen moderamine, quod nullo pacto intendimus per hoc a nostris provisionibus recedere, quinimmo usque in finem vitae pro eis decertare. Sicque expeditus dictus Minister tulit responsa, valefaciens cunctis.

Eodem anno celebratur capitulum provinciale Argentinense in conventu Heilbrunnensi in festo Assumptionis Virginis gloriosae sub praesidentia reverendorum patrum Iohannis Silvestris, Generalis, et Bartholomaei Wyer, Provincialis Vicariorum; in quo in Vicarium dictae Provinciae eligitur venerandus pater frater Iohannes Keller secunda vice; sed divina disponente clementia, aut permittente iustitia, duodecima die suae electionis, antequam confirmationem a Ministro reciperet, vita functus coelos petivit, unde non modica commotio suborta fuit.

**Frater
Iohannes Keller
Vicarius Provincialis
Argentinensis 2.ª
vice eligitur Heilbrunnae.**

---

[1] Declarationes memoratae videri possunt apud De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 214.

[2] Supple: eos esse.

[3] Quae vox abest a codice.

[4] Supple *ratione*.

Frater Iohannes de Bamberga Minister Provincialis Saxoniae, osor Observantiae.

Ea etiam tempestate Minister in Provincia Saxoniae erat venerandus pater frater Iohannes de Bamberga.

Frater Henricus Kün, Vicarius Saxoniae 2.ª vice, sacrae theologiae doctor.

Vicarius autem Fratrum de familia in eadem Provincia venerandus pater frater Henricus Kün, sacrae theologiae professor, secunda vice.

Frater Iacobus de Gruba Vicarius Provinciae Bohemiae 2.ª vice eligitur in Olomutio.

Vicarius autem Provinciae Bohemiae Fratrum de familia venerandus pater frater Iacobus de Gruba, secunda vice.

In dicto autem capitulo Heilbrunnensi nullum quidem in tabula statutum fit, hortamenta autem et declarationes aliquae, quas causa brevitatis transeo.

Definitores huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Wendelinus de Lauterburgo, Guardianus et Discretus conventus Basileensis, Henricus Styrner, Guardianus et Discretus Ulmensis, Henricus Hintermeyr, Guardianus et Discretus conventus Landishuttensis, et Gregorius Heilmann, praedicator et Discretus conventus Weissenburgensis.

Quia igitur soluto capitulo et mortuo pastore, orbataque Provincia et filii patre necesse habuerunt sibi de alio providere capite, ne acephali haberentur, missus est nuntius ad reverendissimum patrem Vicarium Generalem, qui se iam ad Provinciam Saxoniae receperat, ut consuleret, quid facto opus; responsisque eius perlatis, venerandus pater frater Bartholomaeus Wyer, qui officio iam cesserat, Commissarius[1] reverendissimi patris Vicarii Generalis quoad actum electionis alterius Praelati et eam concernentia cum plena potestate instituitur, qui mox iussa complens, missis nuntiis ad omnes conventus, patres Discretos de novo, ut oportuit, eligi iubet Ulmamque pro festo sancti Calixti[2] properare. Igitur in loco et die praefixis in unumque patrum Vocalium coetu coacto, eligitur in Vicarium huius Argentinensis Provinciae venerandus pater frater Iohannes Machysen, qui iam trina vice socius principalis patrum Vicariorum Provincialium et in iam dicto capitulo Heilbrunnensi in eodem officio a defuncto Patre de consensu capituli continuatus fuerat[3]. Quo electo et confirmato, non longe post ad capitulum *generalissimum* Romae super festo sancto Pentecostes[4] anno Domini 1506 celebrandum, quemadmodum et alii Provinciales omnes, tam Ministri quam Vicarii, cum Generalibus suis vocantur[5] utriusque familiae, tam cismontanae quam ultramontanae, sub poena excommunicationis latae sententiae et privatione officiorum, cum aliis, quorum intererat, scilicet Custodibus et Discretis, conveniendi. Sane cum dictus reverendissimus pater Aegidius, Minister Generalis, in suo proposito de celebrando capitulo generalissimo Avenione[6] pro facienda unione frustratus fuerat, id ipsum per Summum Pontificem deducere in finem optatum votumque effectui voluit mancipare.

Frater Iohannes Machysen Vicarius Provincialis Argentinensis eligitur in convocatione Ulmensi.

---

[1] In cod. sequitur littera *E.*, sed, ut videtur, superfluit.

[2] 14 Octobris. — [3] Cod. repetit *eligitur,* quod verbum cum superfluat, delevimus. — [4] 6 Iunii.

[5] Cod. *vocatur.* — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1505, n. XV.

[6] Cod. *Avinionis.*

Capitulum generalissimum celebratur, ubi in Generalem Ministrum eligitur Reginaldus[2] de Cotiniola, magister theologiae.

Anno igitur Domini 1506 super festo Pentecostes[1] in alma urbe Roma ex omnibus provinciis et partibus mundi, in quibus sacer Ordo sancti Francisci, tam sub reformatione quam praeter eam, dispersus erat, immo etiam ex insulis maris, tam Terrae Sanctae Ierosolymitanis quam Indianis noviter repertis, conveniunt patres, ambo Generales familiae, Ministri, Vicarii, Custodes et Discreti Discretorum, nedum ex Conventualibus, verum Observantia et omni modo vivendi, scilicet *de Familia, Martiniani, Coletani, Amadaei, Clareni, Lupini, de nova Reformatione, de Caputio* sive *Evangelio.*

Sexta igitur feria ante festum Pentecostes, mane circa horam VII. de communi horologio, missi a Summo Pontifice venerunt duo Cardinales colendissimi, scilicet Dominicus Grimanus, Venetus, tituli S. Marci presbyter Cardinalis, Patriarcha Aquileiensis, Ordinum sancti Francisci et sanctae Clarae Protector, et Marcus, castellanus castri S. Angeli, dictus Senogalliensis[3], tituli sanctae Mariae trans Tyberim presbyter Cardinalis, Ordinis nostri quondam, quos sanctissimus dominus noster Iulius capitulo generalissimo Praesidentes praefecit.

Igitur convenientibus omnibus in unum in conventu Fratrum nostrorum de Aracoeli et inibi in refectorio magno, dicti colendissimi Cardinales fecerunt legi quoddam Breve dicti domini nostri Sanctissimi coram concione patrum tota publice alta voce, in quo Sanctissimus eosdem Praesidentes capituli saepe dicti loco sui constituit, eo quod Sanctitas sua, in altioribus occupata, interesse non posset. Quo lecto, sedentibus patribus altrinsecus ex adverso, Conventualibus, Coletanis, Martinianisque aliisque sub Ministris reformatis a dextris, Observantinis autem de familia utraque sub Vicariis a sinistris, publice singularum Provinciarum totius Ordinis lecta sunt tam ministeriatus quam vicariatus, item Custodiarum et Discretorum missorum officia pro integratione corporis capituli, absentium quoque suppletus numerus ex praesentibus, nonnullis refutatis et ex suo demerito reiectis, omnibus quoque non Vocalibus exclusis, remanentibus Vocalibus. Facta modica persuasione a domino Protectore de unione universali Ordinis, moxque interrogati solum Ministri Conventualium in praesentia omnium Vocalium utriusque familiae, responderunt uniformiter, tribus demptis vel quatuor, quod cuperent manere, sicut prius, et quod Observantes maneant etiam, sicut prius, in provisione ipsorum. Familiam autem nihil desuper interrogaverunt, sed post prandium adunati seorsum patres familiarum idem omnes concorditer concluserunt, et quod constanter defendere vellent provisiones *Eugenianas* neque ob praetensam unionem aut reformationem ab eis deviare; et haec facta sunt in refectorio de Aracoeli.

Post Vesperas, congregato omni capitulo, magnum et prolixum sermonem fecit Generalis Vicarius ultramontanus iuxta stylum nostrum de rationabili separatione nostra; et quomodo Ordo noster non sit divisus, sitque plus Minister Generalis Praelatus noster quam suorum Conventualium, cum possit prodesse, visitando nos iuxta

---

[1] 6 Iunii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1506, n. III. seqq., Chronologia, l. c. p. 210, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 225.

[2] Cod. *Reginal* (Gratianus) *de Cathiniola* (ital. Cotignola, pagus in statu Ecclesiae).

[3] Ita recte; cod. *Cesenagaliensis.* Marcus Vigerius, Savonensis, erat Episcopus Senogalliensis (i. e. Sena-Gallica, ital. Sinigaglia, civitas status Ecclesiae), et ideo dictus est Card. Senogalliensis.

limites suos, et non possit obesse, quia non potest relaxare quidquam circa nos: ergo etc.; sumpto themate[1]: *Haec dies, dies boni nuntii est* etc.

Sabbato vigiliae Pentecostes fuit mane ab universo capitulo Conventualium in Aracoeli cantatum officium de Spiritu sancto, praesentibus etiam Praelatis familiarum, officiante Ministro Tusciae. Post officium Missae, praeeuntibus cereis et cruce ac duobus Cardinalibus praedictis, universum capitulum ingressum est magnum refectorium in Aracoeli.

Deinde Cardinalis de Ordine, reverendissimus dominus Marcus, dixit versiculos et collectas de Spiritu sancto, de beata Virgine, de beato Francisco, de Omnibus Sanctis, et *Actiones nostras* etc.

Deinde a quodam Conventualium fuit facta collatio satis inutilis in commendationem Ordinis a scientia, non autem ab observantia regulae; et tunc Cardinalis iussit, ut supersederet collationator de reliquo.

Emissis deinde sub poena excommunicationis et carceris omnibusque non Vocalibus iussis exire, remanserunt Vocales Conventualium et utriusque familiae.

Deinde in medium fuit vocatus Generalis Minister, frater Aegidius, qui non affuit. Apparuit autem quidam Frater missus ab eo, qui obtulit Cardinalibus sigillum Ordinis et librum Ordinis cum schedula in hunc modum:

« Humilis frater Aegidius, Minister Generalis, petit veniam et dicit culpam. Et de quibus alias in capitulo fuit correctus et punitus, petit, ne iterum puniatur, cum non sit de iure. Et nemo aegre ferat sui absentiam, quia tota nocte habuit vomitum et dolorem stomachi ». Ipse autem Minister Generalis fugam timore carceris versus Neapolim clanculum iniit, absconditus aliquamdiu. Et Cardinales: « Si, inquiunt, non sit ibi error, ignorantia, fraus et dolor, recipimus hanc resignationem, pro quanto patribus Vocalibus placuerit, recepto sigillo Ordinis, quod miserat.

Deinde fuit lectum et publicatum Breve Apostolicum continens, quod Minister Generalis semper post suae electionis triennium esse absolutus debet, post tamen potest reeligi ad aliud triennium, et finito sexennio, non potest eligi nisi post sex annos cessationis sui officii.

Deinde cum a Cardinalibus Vocalibus utriusque familiae offerretur vox activa et passiva in electione Generalis Ministri, etiam in aliis illaesa Eugeniana, et patres de familia nollent; egressi sunt ipsi patres de familiis de refectorio, et Conventuales cum Cardinalibus soli remanserunt, clausis omnibus portis totius monasterii.

Erant autem a bonis amicis circumquaque in circuitu conventus in domibus latitantes dispositi in armis circa 600 viri, ne forte Conventuales vim inferrent nobis.

Conventuales de unaquaque Provincia habuerunt tres Vocales: Ministrum, Custodem et Discretum, paucis exceptis, qui pro maiori parte fuerunt omnes magistri in theologia. Missi in loco Ministrorum vocabantur in hoc capitulo Vicarii, ut magister Georgius de Provincia Argentina dictus fuit Vicarius Ministri Provinciae Argentinae.

In eodem sabbato perstiterunt Conventuales electores in refectorio usque ad horam secundam post meridiem, et tunc, pulsata campanella ad omnium convocationem, fuerunt per ordinem lecta nomina eligentium, et quem quisque elegerit expri-

---

[1] 4 Reg. 7, 9.

mendo; et ita fuit electus in Generalem Ministrum magister Reginaldus de Catiniola, Minister Provinciae Bononiensis, et habuit omnium voces praeter tres vel quatuor, quas habuit frater Antonius Trombeta [1], de Provincia sancti Antonii.

Deinde Cardinalis de Ordine denuntiavit eum electum. Minister Generalis fecit iuramentum fidelitatis Papae in manu Protectoris super quatuor Evangelia, Protector confirmavit electum et electionem, et statim inceperunt *Te Deum laudamus ;* et tunc Conventuales portabant in alto Ministrum ad ecclesiam, et omnes Ministri Provinciales fecerunt ei ibidem obedientiam. Insonabant deinde buccinae quinque tibicinum praecuntium Ministrum ab ecclesia usque ad refectorium, et per totam mensam non fuit alia lectio quam tibicinium, ut plus putares nuptias quam capitulum Fratrum Minorum esse.

In die sancto nihil fuit actum.

Feria II. Pentecostes fuit processio solemnis omnium Fratrum, tam Observantium quam Conventualium et cuiuscumque sectae, ad sanctum Petrum. Numerus dicebatur ab aliquibus 3600, ab aliis autem multo minor dicebatur. Fratres vero de Aracoeli erant circa 800. In sancto Petro fuit Fratribus ostensa Veronica. Deinde omnibus Fratribus adunatis in atrio ante ecclesiam sancti Petri, Papa de fenestra palatii sui ibidem existentis prospiciens, vidit circumspiciendo Fratres seque videndum praebuit et Fratribus signo crucis benedictionem dedit et recessit, clamantibus omnibus qui aderant Italicis lingua italica: « Vivat Iulius Papa! Vivat Iulius Papa »! Et sic singuli Fratres ad sua loca iverunt.

Feria III. Pentecostes, omnibus omnium Congregationum Vocalibus adunatis in palatio sancti Marci ad Protectorem, fuit lectum Apostolicum Breve continens, quod Vicarius Generalis utriusque familiae semper sit triennalis, post cuius cessionem per sexennium nec ipse nec aliquis de eius Provincia in Vicarium Generalem posset eligi. Huic tamen Brevi utriusque familiae Vocales reclamaverunt. Cardinalis Ordinis sub poena excommunicationis prohibuit, ne Fratres procuratores huius Brevis investigarentur vel in numero punirentur. Nam quidam cismontani iuxta stylum Curiae dicebantur illud pro sua ambitione procurasse.

Deinde Praesidentes capituli interrogantes de unione, invenerunt ex omni parte negativam.

Post hoc audierunt querimonias Ministrorum Provincialium et responsiones Vicariorum Observantium, et econtra, omnia in scriptis redigendo. Et tota quaestio fuit de conventibus Conventualium receptis ab Observantibus ultramontanae familiae iuxta stylum Curiae. Unde alia familia partem non habuit in ista altercatione, quia pauca loca antiqua habent, sed quasi omnia nova. Unde et in hac parte non sunt impetiti a Conventualibus.

Feria IV. Episcopus Feltrensis, Generalis Minister et Generalis Vicarius nostrae familiae deputati sunt auditores istarum querelarum, et audierunt in eodem Protectoris palatio. Cardinales vero assidebant disputationi Conventualium in eodem palatio. Omnes tamen disputationes istae non nisi in theologia et philosophia fuerunt, nihilque penitus de statu Ordinis — mira discretio — nihil etiam contra Observantes, quamquam Minister Generalis, Aegidius, depositus, aliud intenderet. Ipse autem re-

---

[1] Vel Tubeta, ut dicit Wadding., l. c. ad an. 1509, n. XXXII, cod. habet *Trumpheta*.

verendus pater frater Aegidius Delphinus percipiens ac intelligens, quod Conventuales ab ipso vellent rationem exigere, quomodo olim in officio hinc et inde conventus ac Fratres spoliasset, eodem sero, quo disputatio fuit, fugit ab Urbe versus Neapolim ad Danielem, capitaneum regis Hispaniae, ablato secum vero sigillo Ordinis, quia aliud, in quo suum nomen sculptum erat, in resignatione miserat Praesidentibus capituli, quia, ut fertur, duplicaverat sigillum.

Eodem die fuit prohibitum sub poena excommunicationis, ne quis Vocalium recederet.

Feria V. Pentecostes, convocatis familiarum Vocalibus in palatio sancti Marci ad Protectorem, Cardinalis Ordinis vocavit Vocales seorsum, unumquemque audiendo super materia Brevis nuper de Generalibus promulgati. Post prandium iterum vocati patres per tres vel quatuor horas exspectaverunt, assidentibus Cardinalibus disputationi Coletanorum in materia philosophiae et theologiae. Aliqui tandem pauci super materia Brevis praedicti auditi fuerunt seorsum ab Episcopo Feltrensi.

Feria VI. iterum vocati Vocales residui, ut de eodem audirentur; tunc Cardinalis Ordinis cum Episcopo Feltrensi abierunt ad consistorium palatii Papae, ubi Fratrum causa fuit agitata. Post prandium habuit Vicarius Generalis nostrae familiae consilium suorum Vocalium de his omnibus.

Sabbato omnes Vocales utriusque familiae fuerunt vocati ad palatium Papae, et erat rumor, quod [1] Papa vellet omnes audire particulariter et seorsum; et cum venissent, nemo fuit admissus ad Papam, sed fuerunt iussi redire, et sic frustra iverant duo milliaria ad palatium et duo revertendo. Viderunt tamen capellas Papae antiquas et Sixti pulcherrimam in pavimento et picturis.

Eodem quoque sabbato praesentatae sunt litterae regis Romanorum domino Papae per capitaneum Switensium, et tamen hoc sabbato adhuc sub dubio erant omnia negotia familiarum.

Dominica Trinitatis, cum sabbato praecedenti venissent litterae regis Romanorum et Switensium — quos et Pontifex habet sui corporis custodes circa 150 — et per capitaneum Switensium simul Papae praesentatae fuissent, ut dictum est, et patres multos Cardinales pulsassent querelis, quod detinerentur frustra, eadem dominica vocati sunt patres, ut sex vel octo venirent ad pedes Pontificis, audituri mentem suae Sanctitatis; et tunc Papa promisit provisionis nostrae confirmationem, omnium conventuum, quos usque in eandem horam habuissent a Conventualibus, confirmationem et ratihabitionem et defectuum suppletionem, si qui in eis obtinendis intercessissent. Motu quoque proprio addidit, suae esse voluntatis, ut omnes Ordinis sectae tantum essent sub duabus obedientiis, scilicet Conventualium et Vicariorum, et quod Coletani, Clareni, Lupini, Amadaei, de Caputio et quicumque alii aut starent sub Ministris, aut Vicariis; et ut infra annum venirent ad nos, vel ad Conventuales; quod nulla foret congregatio aut conventus, qui vel quae non subiiceretur aut submitteretur [2] immediate Ministris, aut Vicariis. Sed de cetero non recipiamus conventus Conventualium; sed si principes volunt nos habere in suis terris, aedificent conventus pro nobis. Et dedit licentiam sic aedificandi et recipiendi.

Item, concessit omnibus et singulis Fratribus et sororibus trium Ordinum sancti

---

[1] Quae vox dediseratur in cod.

[2] Cod. *submitterentur*.

Francisci, ut semel possint confiteri, absolvi et dispensari de toto tempore praeterito cum plenaria remissione, ut in[1] Iubilaeo. Et petivit, quod omnes orent pro sua Sanctitate et noluit assignare certum suffragium, sed dixit: « Faciant ad vota », nec limitavit aliquod tempus acquirendi gratiam.

Sequentibus diebus multis patribus recedentibus, notabiliores remanserunt pro expeditione rerum in Bullis et Brevibus usque ad Octavam Corporis Christi. Et per illud tempus multi labores insurrexerunt patribus. Nam cum super his omnibus, ut dictum est, Bullae et Brevia disponerentur, Coletani, quorum dux erat Bonifacius, Minister Franciae, atque Amadaei, alii quoque Observantini se viderunt omnino desolatos, et reges, principes ac communitates nobis plurimum affectos, lamentantes currebant et sollicitabant, ne nobis iungerentur. Conventualibus enim se tradere non audent timore principum; ideo nonnullorum Cardinalium medio multa impedimenta ultimi puncti conquisierunt. Patres vero, invocatis regum oratoribus, aliquibus etiam Cardinalibus nobis faventibus, omnia iterum et iterum vaciliantia relevaverunt, ut scilicet de praedictis reformatorum sectis unusquisque conventus et locus disquisitionem faceret, et quocumque, sive ad Vicarianos, sive ad Conventuales, maior pars conventus declinaret, illuc Fratres transirent cum conventu vel loco. Sicque Papa et Protector petierunt, ut Observantia insinuet regibus et principibus benevolentiam Apostolicam atque commendet. Seque Papa et Protector ad omnia offerebant; et ait Papa patribus: « Multum, inquit, habetis apud reges et principes favorem, et gaudemus de hoc ». Et sic illis Fratribus conantibus et negotiis absolutionem dederunt etc.

Ad Summum Pontificem scripserunt in favorem sacrae Observantiae:

Maximilianus, rex Romanorum etc., inter alia, quod nunquam vellet Fratres deserere etc.

Rex Hispaniae, Ferdinandus, cum sua conthorali nova, quae multa capitulo generali subsidia misit.

Rex Portugalliae.

Rex Franciae cum regina et Archiepiscopo Rothomagensi.

Rex Angliae inter cetera, quod, antequam quinque conventus reformatos in regno suo velit amittere, potius expelleret omnes Conventuales de regno suo ex 50 conventibus.

Rex Scotiae.

Rex Daciae cum regina et fratribus suis et Praelatis regni sui.

Rex Poloniae, Alexander.

Rex Hungariae, Wladislaus.

Rex Navarrae.

Potentissimus archidux Austriae, Burgundiae, Brabantiae, Flandriae, Hollandiae, Seelandiae, Hannoniae, Lutzenburgensis, ac rex Castellae etc., Philippus.

Rex Siciliae et Ierusalem, et dux Lotharingiae et Barensis.

Illustrissimi duces: Comes Palatinus Rheni, dux Bavariae etc., Philippus, princeps elector.

Dux Bavariae Inferioris et Superioris, Albertus, singularis fautor familiae.

Dux de Deck in Suevia, comes Württembergensis.

Dux de Mecklenburgo[2].

---

[1] Vocula *in* abest a cod. — [2] Cod. *Mechelburg.*

Dux de Brunopoli [1].

Dux Saxoniae et marchio Misnae etc., Georgius.

Primas Saxoniae ac dux Archiepiscopus Magdeburgensis.

Lantgravius Hassiae, magnus princeps et potens.

Fridericus, marchio Brandenburgensis, senior.

Ioachim, marchio item Brandenburgensis, elector imperii.

Marchio Badensis, Rottlensis etc.

Domini de Liga Suevorum.

Domini de Liga Switensi.

Veneti. Domini Silesiae, Liegnitzenses, Saganenses, Oppolienses, Glogovienses, Brixinienses, Munsterburgenses. Barones Moraviae et Bohemiae multi.

Ferme omnes Archiepiscopi et Episcopi Germaniae.

Omnes civitates, in quibus habemus conventus etc.

Igitur dum haec sic Romae agerentur et fierent, videntes Coletani, se nihil prosperari in facto — nempe capite suo amputato, scilicet Generali Ministro, reverendissimo patre Aegidio, adversante nihilominus eis Pontifice Maximo — frater Bonifacius, de quo supra mentionem feci, Minister Franciae, forsitan timens accusari de crimine falsi propter fraudem in receptione conventuum sub falsificatione litterarum, detegique factam collusionem, venit ad reverendissimum patrem fratrem Iohannem Silvestris, nostrae familiae Generalem Vicarium, promittens dolo adstipulata manu, dum Provinciam suam intraret, velle eandem ad obedientiam eiusdem Generalis Vicarii reducere sibique subiicere, et hoc in praesentia aliquorum patrum Provincialium Vicariorum. Similiter et venerandus pater frater Petrus Grandis, quem ad Conventualium accusationem Cardinales, capituli Praesidentes, ab officio ministeriatus Provinciae sancti Bonaventurae deposuerant, eidem reverendisimo patri Generali promisit, se summo conatu laboraturum, ut conventus omnes in eadem reformatos sub Coletanis ad nostram obedientiam reduceret. Dixit et dicta factis pensavit. Siquidem redeunte dicto reverendissimo patre Generali Vicario a Roma ingredienteque Provinciam dictam S. Bonaventurae, recepit viginti conventus Coletanorum, qui sponte communique consensu et voto in praesentia publici notarii et testium obedientiam praestantes, familiae et dicto reverendissimo patri Generali Vicario se submiserunt, celebratoque in eiusdem reverendissimi Patris praesentia capitulo provinciali, dictum venerandum patrem fratrem Petrum Grandis in Vicarium elegerunt. Saepe dictus autem frater Bonifacius ad suam Provinciam festinans, quantum potuit, Fratribus suis persuasit atque volentibus firmiter obstitit, ne se et conventus familiae subderent; utque censuras Apostolicas evaderet atque insultum Conventualium declinaret, a Brevi Apostolico, in capitulo generalissimo dato, publice appellavit appellationemque interpositam Romam mittendo prosecutus est. Ecce fides praestita! Ecce veritas promissa, immo ecce dolus, fraus, mendacium, falsitas, ne dicam periurium tam egregium summi hypocritae, hypocritarum patriarchae! Atque utinam assuetis armis saecularis exuviae saecularia tractando intendisset, ne sacrum habitum sancti Francisci commaculasset! Sed transeo in sordibus mendaciorum relinquens eum, quibus hucusque computruit, ut sordescat adhuc, aliis me accommodando.

Ceterum eodem anno reverendissimus pater frater Aegidius Delphinus, quondam

---

[1] Cod. hic Brunschwigk.

Generalis Minister, devotione multa moritur in familia, quam olim plurimum turbaverat, in conventu beatae Mariae novae Neapoli, familiae tamen prius incorporatus.

Denique in Hispania, videntes Conventuales, Fratres de familia crescere et exaltari, quanto ab eis deprimebantur, timentes, ne conventus suos tollant et gentem, insurrexerunt armata manu, habentes suae factionis similes moribus sibi Saracenos, percusserunt et vulneraverunt Fratres nostros centum viginti in diversis conventibus, loca sacra, immo ecclesias, altaria et vestes sanguine sive cruore inficientes, expulsisque de conventibus, ipsi eos inhabitabant, quos tamen rex Hispaniae iterum pulsos inde cepit impositosque navibus Summo Pontifici destinavit.

Frater Petrus Sigen Vicarius Provinciae Saxoniae eligitur.

Eodem anno venerandus pater frater Petrus Sigen in Vicarium Provincialem Saxoniae super Fratres de familia eligitur, vir venerandae canitiei.

Cernitur quoque cometa circa festum sancti Laurentii, et moritur illustris archidux Austriae, Burgundiae, Brabantiae, Flandriae etc., Philippus.

Ea tempestate frater Wigandus[1], Ordinis Praedicatorum, impudicissimae audaciae et temeritatis quendam tractatum, immo ut verius loquar, libellum famosum a se suisque complicibus confectum, plenum iniuriis, iamiam impressum, in confusionem nostri sacri Ordinis et multorum gravissimorum virorum in publicum deduxit atque, ut maioris esset auctoritatis, in capitulo eorum provinciali in conventu Wympinensi[2] ex consensu patrum capituli venalem cunctis exposuit, immo et quibusdam aere carentibus liberaliter dono dedit. Quem etiam in modum dialogi conscribens — mimitoriis verbis histrionicisque clausulis, ut intuenti claret, innexis — cunctos ad legendum invitavit, atque contra immaculatam Virginis Conceptionem garriens, complures voluit compotes sui voti facere, magnum quid reipublicae christianae arbitratus obtulisse Deoque obsequium praestitisse, dum Christi immaculatam Matrem originali culpa foedatam cunctis declararet sicque notatam innotesceret. Acceperat forte responsum a spiritu maligno, non visurum se mortem, nisi prius confusione repleret Matrem Domini atque maturos viros carperet. Siquidem liber ille plenus blasphemiis est, maxime in eos insaniens, qui immaculatum tenent, praedicant aut honorant Virginis Conceptum. Hos namque nunc Wesselianos[3], nunc de haeresi suspectos, tum stercoristas, tum furiosos, indoctos, neophytos, invidos, malignos, mendaces, protervos, blasphemos, inutiles, christiana pietate vacuos, stolidos et plura turpissima nomina, quae scribere pudet, in eos iaculat vibrataque hasta pungit potissimum Minores Fratres de Observantia, quos sanctae Romanae Ecclesiae inobedientes proclamans, nominat protervos, indoctos, furiis actos, clamosos coram rustica multitudine in tabernis, liea[4] madentes etc.

Cum igitur furiosus ille his similibusque furiis arreptitio more agitaretur, necessarium habuit patrum prudentia occurrere, ne indoctum vulgus — qui Religiosis oppido infesti, aut facile dictis credunt, aut in partem quandoque innocentem detractionis flammivoma iacula proiiciunt — talismodi blasphemiis motum, a Virginis im-

---

[1] De quo cfr. supra pag. 528.

[2] Probabiliter est theut. « Wimpfen », civitas Württembergae ad fluvium Neccarum sita.

[3] A Iohanne Wesselio (1419-1489) sic dictos; de quo cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 238.

[4] Cod. *lieo. Liea,* vel lia (gallice *lie)* idem est ac amurca, faex.

maculatae laudibus dimoveretur, et Ordo Minorum tam celeber confusus redderetur. Unde reverendus pater Vicarius Provincialis pro huiusmodi libelli famosi suppressione non iniurias iniuriis compensare volens, sed iure et iustitia propulsare, consultissime locorum Ordinarios requisitos faciens, obtinuit a reverendissimis dominis Moguntino Archiepiscopo eiusque suffraganeis Wormatiensi, Spirensi, Argentinensi, Basileensi, Constantiensi et Herpibolensi Episcopis mandata prohibitoria, ne libellus praefatus ulterius imprimeretur, venderetur, vulgarizaretur, donaretur, aut quovis quaesito colore aliis communicaretur legendus, sub poena excommunicationis et ducentorum florenorum mulcta etc.

Quo comperto, amplius Wigandus ipse in furorem erumpens, ut alter Eliu Buzites [1] spiritum malignandi continere non valens, maledictis maledicta addens et blasphemias blasphemiis cumulans, litteras patentes in valvis ecclesiae Fratrum Praedicatorum conventus Stuttgartensis [2], ubi tunc prioratum, licet indignus, tenebat, affixit, in quibus expressis nominibus et vocabulis Fratres Minores de Observantia Wesselianicae perfidiae defensores et propugnatores, immo condemnatarum haeresum fautores et suscitatores asseverans, etiam in cancellis et sermone publico ibidem habito coram omni praesente dixit, decem corpora, si sibi superessent, in defensionem sui libelli expenderet. Igitur cum insanus ille multiplicaret blasphemias, Romam citatus, delegatis iudicibus a Romano Pontifice exspectat demeriti sui mercedem. Sed nec sic complices eius ac satellites linguam magniloquam, immo maliloquam, refrenare potuerunt, super sidera suum exaltando Wigandum tractatumque eiusdem contra fidei pietatem iustificando, donec colendissimus atque reverendissimus dominus Bernardinus, Cardinalis, sanctissimi domini nostri Papae ad Germaniam de latere Legatus, interpellatus, vires suas interponendo, sub poena excommunicationis latae sententiae silentium utrimque imponeret, donec iustitia et iure, quid facto opus, determinaretur.

Anno Domini 1507, super dominica *Iubilate* [3] in conventu Rubeacensi Provinciae Argentinae celebratur capitulum provinciale, praesidente reverendo patre fratre Iohanne Machysen. In quo nil novi ordinatur, sed hortatos omnes Fratres dicti capituli patres fecerunt, quatenus regulae amplius quam hactenus intendentes, caverent a procurationibus librorum instrumentorumque variorum, abstinerentque Fratres a variis sculpturis et imaginum impressuris, in melioribus sese occupando exercitiis, videlicet studii et librorum ligaturae.

Definitores autem eius fuerunt venerandi patres fratres Bartholomaeus Wyer, Guardianus et Discretus conventus Norimbergensis, Georgius Feringer, Guardianus et Discretus conventus Basileensis, Caspar Brün, Guardianus et Discretus Moguntinensis, Caspar Schatzgeyr, Guardianus et Discretus Monacensis.

Quo tempore celebratur capitulum generale [4] familiae ultramontanae in conventu sanctae Mariae de Angelis, in quo fuit electus reverendus pater frater Hieronymus

---

[1] Alluditur ad Iob 32, 2.

[2] Cod. *Studgardiensis,* est enim theut. « Stuttgart » (Stuttgartia), urbs Würtembergae.

[3] Dominica III. post Pascha, quae erat 25 Aprilis.

[4] 22 Maii, dicit Wadding., l. c. ad an. 1507, n. XLII, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 215.

de Torniellis in Vicarium Generalem tertia vice. Ad quod capitulum Summus Pontifex quidem interesse voluit, sed propter pericula multiplicia et hostium insidias venire noluit. Attamen eo finito, ad pedes suae Sanctitatis constitutis patribus principalioribus capituli singula optata concessit benigne et liberaliter atque familiam sacram ab infestatione Conventualium conservare promisit.

Frater Hieronymus de Torniellis Vicarius Generalis ultramontanus eligitur 3.ª vice.

His diebus frater Iohannes de Bamberga, minister Saxoniae, dolo plenus in familiam, cessit officio, eligiturque in eius locum frater Ludovicus de Prussia in Godwitz (?).

Frater Ludovicus de Prussia Minister Saxoniae eligitur in Godwitz.

Eodem anno, die vero 23 Octobris, reverendissimus dominus, dominus Laurentius Alemandi, Episcopus Gratianopolitanus [1], iudex et Commissarius Apostolicus in causa et controversia, quae inter patres Conventuales ex una et Observantinos ex altera partibus ratione conventuum nuper auctoritate Apostolica nobis de familia unitorum, quod dicti Conventuales impugnabant, versabatur, auditis hinc inde partibus, rationibusque ac motivis eorum, dedit sententiam definitivam, quod conventus reformati et uniti familiae amplius non redirent ad Conventuales et irreformatos, sed in eisdem Domino, pacis auctori, in pace servirent. Et sunt isti conventus: Lugdunensis [2] sancti Bonaventurae, sanctae Mariae de Angelis eiusdem civitatis, Viennensis [3], Villaefranchae [4], Bastiae [5], Silviniaci [6], Briffrati [7], Divionensis [8], Vallisarduensis [9], Dolae [10], Saleriarum [11], Ledonissalnerii [12], Nozoreti [13], Bellici [14], sanctae Mariae Ægyptiacae prope Camberiacum [15], Dominae nostrae de Myanis [16], Tarentasiae [17], de Clusa [18], Pontis Vallium [19], De Morgsy [20]. Atque utinam sic uniti mansissent!

Hac tempestate surrexit novus stigmatizatus, non miraculo, sed malitia, quem forsan cometa superioris anni portendit utpote maximum malum. Nam in conventu Praedicatorum oppidi imperialis Bernae confoederati Switensibus erat quidam novitius laicus simplicianus, ac per hoc de facili seducibilis, nomine Iohannes Ietzer [21], quem patres conventus ipsius dixerunt, immo verius finxerunt, primum habuisse revelationes mirabiles a quodam patre Ordinis eorum longe ante defuncto super Conceptionem Virginis intemeratae, post aliquot autem menses et dies ab ipsa Virgine gloriosa asseverante, quod fuerit concepta in peccato originali et in eo steterit ad tres horas, et ideo dixerit sive oraverit orationem dominicam dicendo: *Dimitte nobis debita nostra;* quod si non fuisset aliquando in peccato originali, dixisset: *Dimitte eis debita sua;* et in signum huius dederit ei hostiam sanguinolentas guttulas habentem, cruciculas et chartam scriptam, quam tres Priores, scilicet Bernensis, Ba-

---

[1] Id est « Grenoble » in Gallia.

[2] Scil. Lugdunum (Lyon); [3] Vienna (Vienne); [4] Villafrancha (Villefranche); [5] Bastia, vel Bastidia (La Bastie); [6] Silviniacum (Souvigny); [7] Rectius *Brivate* (Brivas, gallice Brioudes); [8] Divio (Diion); [9] Cod. *Vallesardensis* (eremitorium de Valdarde); [10] Dola (Dôle); [11] Saleriae (Sellières); [12] Ledonissalnerium (Lons-le-Saulnier); [13] Nozoretum (Nozeroi, Nozeret); [14] Bellicum, vel Bellica (Belley); [15] Cod. *Cameriacum;* Camberiacum (Chambéry); [16] Myanae (Myans); [17] Tarantasia (Tarantaise); [18] Clusa, vel Clusenum (Cluses); [19] Pontis Vallium (Pont de Vaux).

[20] Ita cod., probabiliter est « Morges ».

[21] Cod. hic et deinde *Yetzer*.

silcensis et Norimbergensis, sigillatam sigillis suis et senatus Summo Pontifici miserunt in signum, quod huius materiae determinatio, videlicet quod vere fuerit concepta in peccato originali, sibi reservata esset. Quam etiam hostiam in altari positam atque ornatam candelis et clenodiis fecerunt, aut saltem permiserunt adorari atque commune vulgus idololatrare; insuper, in confirmationem sui erroris corrosivis artificialibus stigmata in manibus, pedibus et latere apparere instar sancti Francisci, immo Christi crucifixi.

Exinde quoque coeperunt dicti Fratres Praedicatores praedicare et testificari, se habere stigmatizatum quasi alterum Franciscum, qui Fratrum Minorum opinionem tamquam erroneam, revelata veritate, reprimeret. Quid plura? Fit concursus populi, accelerant gentes, properant et confluunt undique ex Helvetiarum provinciis simplices aliqui, ex devotione, ut putabant, adorantes hostiam non consecratam, alii autem novum dictum acclamantes, ridiculum designantes. Coepit denique dictus Frater tamquam divinorum secretorum conscius, abdita rimari et prognostica insinuatione dicere futura, atque ut paucis agam, quia tetigit montem cornuta bestia, captus, vinculatus lorisque mancipatus per senatores dictae civitatis quaestionariis etiam ad chordas traditus atque tractus, cuncta per ordinem figmenta reseravit constantissima veritate contestans, Fratres Ordinis in habitu mutato in specie tam spiritus defuncti quam Virginis Mariae apparuisse, locutos sibi fuisse ac stigmata corrosivis in eo effecisse.

Quo audito, dictae civitatis senatores verecundiae[1] rubore suffusi facies, Priorem, Subpriorem, lectorem sive praedicatorem — qui et doctor theologiae dicebatur — et sacristam sive custodem, omnes dicti conventus, tenentes in conventu proprio manciparunt, custodibus adhibitis, ne quis eis, aut sibi mutuo verba darent. Confessionem autem iteratam dicti Iohannis Ietzer et omnia fore facta dictorum Fratrum Praedicatorum Summo Pontifici per maturos viros transmiserunt, ut sua Sanctitas in his decernat, amplius tantum nefas inquirendo et iuste idololatriae auctores iudicando. Quid autem exinde actum sit, gesta sequentis indicant anni, amodo supersedentes de reliquo.

Anno autem Domini 1508 obiit illustris dux et princeps Bavariae et comes Palatinus Rheni, Philippus, in Germershemia[2], sepultus in sepulcro patrum suorum Heidelbergae, singularis nostrae Observantiae et promotor et fautor, excepto quod fratrem Udalricum Kastell, de quo supra[3] dictum est, ab obedientia Fratrum abstraxit, et Praedicatoribus in disputatione de Conceptu virginali favorabiles praebuit aures. Non multo post sequebatur eundem, hanc vitam finiendo, illustris dux Albertus Monacensis, pater, dominus et singularissimus Ordinis et familiae patronus. Cuius uxor, domina Cunegundis, Romanorum regis soror, post domini principis ac mariti excessum ad domum, dictam *Bütrich*[4], in Monachio de tertio Ordine sancti Francisci sororibus illis vita moribusque adhaerens, vidualis castimoniae iura, donec vixit, servando.

---

[1] Cod. *veruncundiae.*

[2] Cod. *Germersheim,* civitas Bavariae in Palatinatu Rheni sita.

[3] Pag. 511.

[4] Vel *Bittrich.*

Eodem anno in festo sancto Pentecostes[1] celebratum fuit capitulum generale Fratrum Minorum de familia cismontana in conventu beatae Mariae de Iesu prope Barcinonem, Provinciae Aragoniae, sub praesidentia reverendissimi patris fratris Iohannis Silvestris; in quo eligitur in eius legitimum successorem Generalem Vicarium cismontanum reverendus pater frater Martialis Boulier secunda vice.

Frater Martialis Boulier Vicarius Generalis cismontanus eligitur 2.ª vice Barcinone.

In quo fuit numerus Fratrum defunctorum quasi duo millia: in Provincia Aragoniae 60 Fratres, inter quos venerandus pater frater Bernardus Veedima, aliquando Custos Cataloniae; Franciae 130; Castellae 600 Fratres, inter quos venerandus pater frater Iohannes de Tolosa, saepe Vicarius Provincialis; Saxoniae 150; Turoniae 33; Argentinae 70, inter quos fuit venerandus pater frater Iohannes Keller, qui 2.ª vice electus in Vicarium, statim diem clausit extremum; Aquitaniae 32, inter quos venerandae canitiei frater Iohannes Bonogethi, ter Provincialis; Sancti Iacobi 200, inter quos duo Commissarii et 12 Guardiani; Coloniae 104; Sancti Bonaventurae 17; Portugalliae 47, inter quos venerandus pater frater Iohannes de Bercho, septies Provincialis; Sancti Ludovici 32, inter quos venerandus pater frater Iohannes Paratoris, quater Vicarius Provincialis; Hiberniae 26, inter quos duo quondam Provinciales; Scotiae[2] 6, inter quos venerandus pater frater Gulielmus, bis Vicarius; Daciae 50; de Sanctoyo 180, inter quos duo Provinciales Vicarii, quorum unus ter, alter semel praefuerunt; Britanniae 29, inter quos unus quondam Provincialis Vicarius; Granatae 160; Angliae 6, inter quos venerandus pater frater Laurentius Scotus, semel Provincialis; in Provincia sanctae Crucis Indiarum duo, quorum unus, Commissarius Provincialis Vicarii, in via versus capitulum istud defunctus est.

Statuta nulla fiunt, sed tantummodo exhortamenta extra tabulam.

Ceterum, dum patres pergerent ad generale capitulum, supra saepe memoratus frater Bonifacius curiam regis Franciae et Cardinalis Legati insequens, fraudis suae venenum propinans, plenam phialam effudit, suasuque pestiferi machinamenti egit, ut XX conventus Burgundiae, qui sponte se nobis unierant, cum omnibus Fratribus, duobus demptis, ad vomitum redirent[3]; ritumque Coletanorum relictum reassumpserunt, suam Coletam[4], mollis sexus patronam, imitantes, molliores et instabiliores mulieribus facti, nec sine grandi scandalo plebis.

Frater Bartholomaeus Wyer Provincialis Vicarius 2.ª vice eligitur in Provincia Argentinensi.

Eodem anno celebratum fuit capitulum provinciale Argentinense in conventu Ingolstadiensi, dominica[5] infra Octavas Assumptionis Mariae, sub praesidentia reverendi patris fratris Iohannis Machysen, cui successit in officio Provincialis, electus ad id, reverendus pater frater Bartholomaeus Wyer, se-

---

[1] 4 Iunii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1508, n. XVII, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 216. — Cod. *Barcinonam* pro *Barcinonem*.

[2] Quae sequuntur (in cod. a f. 283à usque ad f. 291a) scripta sunt a manu altera, et probabiliter etiam sunt ab alio auctore.

[3] Alluditur ad Prov. 26, 11; II. Petri 2, 22.

[4] Iudicium auctoris quoad hanc Virginem, de cuius vita sanctissima manifeste male informatus fuit, partium studio infectum est.

[5] Domicica XI. post Pentecosten, et erat 17 Augusti, et festum Assumptionis feria VI.

cunda vice. In quo praeter avisamenta perpauca extra tabulam statuta sive ordinationes factae sunt, quatenus antiqua arctius serventur statuta.

Definitores huius capituli fuerunt venerandi patres fratres Iacobus Brünlin[1], Guardianus et Discretus conventus Heidelbergensis, Henricus Hintermeyer, Guardianus et Discretus conventus Landishuttensis, Sigismundus Wentzel, Guardianus et Discretus conventus Rietfeldensis, Wendelinus de Lauterburgo, Guardianus et Discretus conventus Zaberniensis.

Eo tempore frater quidam Paulus de Pfedersen, Iudaeus baptizatus, cum per patres capitulo Ingolstadiensi fuisset incorporatus, ut ad reverendum patrem Ministrum Provincialem, fratrem Conradum Bondorffer, pro electi reverendi patris Vicarii confirmatione se conferret, per Spiram atque Argentinam currens, cum reverendum patrem Ministrum minime reperisset, ad Bünicken rediit. Comperto itaque, quod extra tabulam Definitionis positus esset; insuper, quod patres ad suum negotium examinandum Commissarios misissent, timens pruinam, fugam haud absque magno scandalo dedit. Accessit nempe patres Conventuales, quibus semper infestissimus fuit impugnator, sicut aliorum multorum bonorum Fratrum vexator exstitit. Magnis denique mendaciis verbisque malitiosis patres Ordinis et Provinciae Argentinensis, cuius alumnus fuit, coram Praelatis, etiam nonnullis Episcopis, clero et populo turpiter diffamavit, ut mos est apostatarum. Nimirum patres Conventuales arbitrantes, se habere diabolum ad vexandum Israel, id est bonos Fratres, gaudentes plurimum, eidem consilio auxiliove astiterunt, pecuniam pro negotii expeditione accommodantes. Nam frater ille reverendo patri Ministro, Conrado Bondorffer, ad manum promisit, quod amplius contra Observantinos laborare velit, quam unquam contra Conventuales fecerit. Et quod nequiter promisit, dolose complere tentavit.

Primum namque in Spira appellationem, mendaciis iniuriosisque verbis plenam, valvis ecclesiarum affixit; dehinc promotione ac iuvamine reverendi patris Ministri et aliorum Conventualium festinanter Romam petivit ad impetrandum Rescriptum vel Breve Apostolicum, et dolose atque mendaciter surreptitie obreptitieque obtinuit, tacita veritate. Rediens nempe, auctoritate Brevis aliquos patres Provinciae ad dominum Praepositum ecclesiae Turicensis[2] Ss. Felicis et Regulae, Commissarium et iudicem Apostolicum, citavit.

Videns denique reverendus pater Vicarius Provincialis, frater Bartholomaeus Wyer, periculum per illum dolosum fratrem Provinciae et patribus imminere, post festum Paschae[3], anno 1509, personaliter sese cum certis patribus Turegum contulit, quid frater ille proponere velit, auditurus, habens etiam secum de Basilea procuratorem. Enimvero negotium fuit adeo tumultuose inchoatum, quod pudor esset scribere. Sed praefatus reverendus pater Vicarius videns tumultum, petit a iudice, imponi iurgantibus silentium; quo facto, coepit piis honestisque verbis coram omnibus fratrem Paulum ad obedientiam flectere, promittens ei omnem impunitatem de praeteritis. Et ad pacifice concordandum sequenti die ad domum Iohannitarum *Küssnacht*[4] convenerunt ibique concordarunt, praesente patre Guardiano Basileensi,

---

1 Ita habet cod. semper inferius; hic tamen *Brünle*.

2 Id est Turegum, theut. « Zürich » in Helvetia.

3 Quod erat 8 Aprilis. — 4 Cod. *Kyssnach;* « Küssnacht » est civitas non longe a Turego.

fratre Georgio Feringer [1] etc. Audientes denique patres Conventuales concordiam, magnam contra fratrem Paulum indignationem conceperunt, quia sperabant Observantiam sacram per illum fratrem plurimum turbandam. Sed si boni aemulatores fuerimus, nemo nobis nocebit. Propterea ad concordiam firmandam potiores patres Provinciae Ulmam circa festum sanctae Margaritae [2] fuerunt per reverendum patrem Vicarium vocati, qui propter promissum patris eum misericorditer cum modica poenitentia impunem reliquerunt, salva reverendissimi patris Generalis Vicarii auctoritate, cuius manus patres nullatenus ligare potuerunt. At ille pauperculus audiens reverendi patris Generalis Vicarii adventum ad Provinciam, tamquam reus timuit, ad vomitum reversus, viam suam abiit; misereatur ei Deus.

Acta istius negotii, Breve Apostolicum et cetera multa in reservaculo Provinciae Ulmae continentur.

Frater Philippus de Bagnacaballo, magister theologiae, Minister Generalis.

Anno Domini 1509 [3] capitulum generale Conventualium in conventu Perusino celebratur, et in Generalem Ministrum eligitur reverendus pater frater Philippus de Bagnacaballo [4], magister sacrae theologiae, officio cedente reverendissimo patre fratre Raynaldo de Cotiniola, qui per Sanctissimum Episcopus [5] ordinatur.

Frater Georgius Hofmann, magister theologiae, Minister Provinciae Argentinensis.

Eodem anno in Provincia Argentinensi reverendus pater frater Conradus Bondorffer, magister sacrae theologiae, Minister Provinciae Argentinensis, in conventu Argentinensi circa festum Epiphaniae moritur. Et facta convocatione patrum in eodem conventu circa medium Quadragesimae, frater Georgius Hofmann, magister sacrae theologiae, in Ministrum eligitur.

Ea tempestate Summus Pontifex ad instantiam Bernensium pro examinatione Fratrum Praedicatorum in vinculis Commissarios misit, videlicet reverendissimos dominos Episcopos Sedunensem [6] et Losannensem. Tandem examinatione facta, Bernensibus minime quiescentibus, donec negotium debitum finem sortiretur, Summus Pontifex misit Episcopum iudicem, Achillem de Grassis, qui finalem dedit sententiam; veritate comperta, ipsos Fratres Praedicatores maxima coram multitudine populorum undique confluentium, feria VI. [7] post Pentecosten, coram omnibus publice degradavit et potestati saecularium atque lictorum tradidit, qui eos ad caelos usque miserunt, ut spero, purgatos per ignem, cineres ad fluvium proiicientes.

Anno Domini 1510, prima die mensis Iulii, in Provincia Argentinensi celebratum fuit capitulum provinciale in conventu Tübingensi sub praesidentia reverendissimi

---

[1] Cod. hic *Veringer* (Foeringer?).

[2] Cuius festum celebratur 20 Iunii.

[3] Ita etiam exhibet Rodulphus, l. c. Sed secundum Wadding., l. c. ad an. 1510, n. IX, Chronol., l. c. t. I. p. 215, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 198 et tom. III. p. 217 dictum capitulum celebratum est 1510, et quidem « Romae »; quod rectum esse videtur. — Cod. primitus exhibebat numerum 1519 (forte ex errore scriptoris pro 1510), quem alia manus correxit in 1509.

[4] Ita recte (cod. *Bagnavala*); lat. etiam dicitur Tiberiacum gabeum et est ital. « Bagnacavallo », pagus in statu Ecclesiae situs.

[5] Ragusinus. — Pro *Raynaldus*, quod alii semper scribunt, cod. habebat supra pag. 538 et 540: *Reginaldus*.

[6] Sedunum, (Sion), theut. « Sitten », civitas Helvetiae. — [7] Id est 1 Iunii.

patris fratris Martialis Boulier, Vicarii Generalis, et reverendi patris fratris Bartholomaei Wyer, Vicarii Provincialis.

In hoc capitulo nihil novi fuit ordinatum, sed reverendissimus pater Generalis ferme in omnibus hortamentis de timorata conscientia amplexanda verbum fecit, relaxatam [1] refutando, quae mater est omnium vitiorum.

Huius capituli Definitores fuere venerandus pater frater Iohannes Machysen, Guardianus et Discretus Norimbergensis, venerandus pater frater Georgius Feringer, Guardianus et Discretus Basileensis, venerandus pater frater Erhardus Horoldt [2], Guardianus et Discretus Bambergensis, venerandus pater frater Henricus Castner, praedicator et Discretus Heilbrunnensis; Discretus Discretorum ad generale capitulum venerandus pater frater Iohannes Machysen.

Anno Domini 1511, super festo sancto Pentecostes [3], capitulum generale Fratrum familiae cismontanorum in conventu Rapestani, Provinciae Aquitaniae, sub praesidentia reverendissimi patris fratris Martialis Boulier, Vicarii Generalis, celebratur, et in eius successorem reverendus pater frater Gilbertus Nicolai, magister sacrae theologiae, legitime et rite eligitur.

Frater Gilbertus Nicolai, doctor theologiae, Vicarius Generalis cismontanus.

Eodem anno in Provincia Argentinensi capitulum provinciale infra Octavam Assumptionis Virginis gloriosae in conventu Basileensi celebratur sub praesidentia reverendi patris fratris Bartholomaei Wyer, Vicarii Provincialis, et in eius successorem rite atque legitime venerandus pater frater Wendelinus de Lauterburgo, Guardianus Moguntinensis, eligitur.

Frater Wendelinus de Lauterburgo Vicarius Provinciae Argentinensis.

In illo denique capitulo magna fuit Fratribus reverentia exhibita, primum nempe per venerandos dominos Canonicos maioris ecclesiae fuerunt patres rogati atque invitati ad faciendos sermones ad populum in profesto et festo Assumptionis gloriosissimae Virginis Mariae, quod alias nusquam fuit consuetum. Insuper, in gloriosissima festivitate dominus Telimonius, Episcopus Tripolitanus, Ordinis Eremitarum, in conventu Fratrum solemniter Missam in pontificalibus celebravit; finita vero Missa, patres et fratres de conventu — numero centum — processionaliter ad ecclesiam maiorem venerunt; dehinc, cum venerandis dominis Canonicis ac toto clero et saecularibus per ambitum ecclesiae atque planitiem ante ecclesiam ad capellam sancti Iohannis usque circuitum solemniter fecerunt, concomitante reverendissimo domino Episcopo Basileensi, domino Christophoro de Utenheym, pontificalibus splendide adornato. Tandem ad ecclesiam redeuntes, praefatus reverendissimus dominus Pontifex officium Missae solemniter devoteque cantavit, stantibus dominis Canonicis ex una parte chori et Fratribus ex altera. Finita autem Missa, reverendissimus dominus Episcopus Basileensis cum reverendissimo patre, Episcopo Tripolitano, processionem Fratrum ad conventum cum domino Praeposito ceterisque Canonicis e vestigio sequebantur, cum illo pauperum coetu Fratrum pransuri.

Dominica die rector almae Universitatis Basileensis cum doctoribus atque mul-

---

[1] Cod. *relaxata*.

[2] Ita cod. forsitan pro *Herold*.

[3] 8 Iunii. — Cfr. supra pag. 514, nota 4.

tis magistris eiusdem gymnasii in tabula fuit, cum Canonicis ecclesiae collegiatae sancti Petri. Item, domini senatores cum multis feria III. in mensa fuere. Item, IV. feria Religiosi civitatis Basileensis fuerunt invitati.

In illo capitulo per patres fuit ordinatum, quod in singulis conventibus omnes antiquae et laudabiles consuetudines ad unam tabulam conscribantur, ne frequens mutatio Guardianorum frequenter novam inducat consuetudinem morum.

Definitores huius capituli fuerunt venerandi patres frater Wendelinus de Lauterburgo, Guardianus et Discretus Moguntinensis, frater Iacobus Brünlin, Guardianus et Discretus Heidelbergensis, frater Henricus Hintermeyer, Guardianus et Discretus Landishuttensis, frater Caspar Schatzgeyr, lector, praedicator et Discretus Ingolstadiensis.

Eodem anno, 15 die mensis Septembris, obiit venerandus pater frater Erhardus Boppenberger[1] in conventu Perusino Italiae, qui per plures annos officium commissariatus Romae laudabiliter gessit, omnibus gratus, omnibus carus. Quantas pro familia nostra tribulationes laboresve sustinuerit, noverunt patres tunc temporis existentes. Nempe contra machinationes reverendissimi patris Ministri Generalis, fratris Aegidii Delphini, murum se opposuit. Contra denique libellum famosum Wigandi Wirt, Ordinis Praedicatorum, iudicialiter coram Cardinalibus in Urbe plus quam quatuor annis fortissime pugnavit. Sed proh dolor! ante finem rei vel sententiam mortuus est. In extremis tamen negotium patri Commissario Romano et fratri Iacobo Lewardie, Commissario Provinciae Coloniensis, commisit. Tandem frater Wigandus Wirt per magistrum sui Ordinis compulsus fuit, tractatum suum famosum publice revocare et condemnare in civitate Heidelbergensi in ecclesia collegiata sancti Spiritus; quod et publice fecit in festo sancti Mathiae Apostoli[2] magna coram multitudine doctorum, clero et populo anno Domini 1513.

Eodem anno[3] Minister Generalis, reverendissimus pater frater Philippus de Bagnacaballo moritur, et reverendus pater magister Gomesius[4] Generalis Commissarius auctoritate Apostolica institutus fuit. Vacavit enim officium generalatus ad annum et dimidium. Nam ea tempestate maxima tribulatio et guerra in Italia atque Lombardia fuit, insurgente rege Franciae contra Summum Pontificem Iulium II; conabatur denique ipsum de Sede Summi Pontificis deponere. Et schisma fuit inchoatum. Nempe novem Cardinales Mediolani fuerunt congregati et quoddam idolum creaverunt in commissarium Summi Pontificis, absque tamen voluntate Papae atque aliorum Cardinalium. Quapropter Summus Pontifex, coacto concilio Romae Cardinalium Episcoporumque, regem Franciae et Cardinales sibi adhaerentes excommunicaverunt et deposuerunt ac alios loco illorum creaverunt. Et tres magistri de Ordine Fratrum Minorum, videlicet magister Raynaldus de Cotiniola, qui prius Minister Generalis fuit, magister Antonius Trombeta et magister Gomesius, qui Generalis Commissarius Ordinis fuit, ad episcopatus dignitatem assumpti fuerunt.

---

[1] In manusc. quodam anonymo saec. XVIII. (circa 1792) exarato, in bibliotheca Ecclesiae cathedralis Bambergensis asservato et nobis humanitate et comitate reverendissimi domini Dr. Friderici de Schreiber, Archiepiscopi Bambergensis, per bibliothecarium dom. Dr. I. Lingg, Canon., liberaliter ad usum misso, pro quo gratias agimus maximas, habetur *Poppenberger*.

[2] 24 Februarii.

[3] Id est 1511, 10 Septembris. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1511, n. VII. — [4] Cod. *Cometius*.

Item anno 1512 tempore Iulii, Summi Pontificis, multa proelia atque sanguinis effusiones in Italia atque Lombardia contigerunt et usque ad mortem Pontificis durarunt [1] etc.

Anno Domini 1513 in festo [2] Mathiae Apostoli Papa Iulius II. Romae moritur, et dominus Iohannes de Medici in Summum Pontificem rite atque legitime eligitur et Leo X. nominatur, vir pacis et bonus. Nam Cardinales, qui tempore Iulii de Roma ad regem Franciae confugerant, ad gratiam recepit, facta tamen prius poenitentia coram concilio; et maxime dominus Bernardinus, tituli sanctae Crucis, videlicet in veste humili culpam suam dixit, petendo veniam; et sic cum gratia a Summo Pontifice ad cardinalatum de novo fuit receptus et pristino honori restitutus.

Papa Leo decimus.

Eodem anno, dominica *Iubilate* [3], in conventu Rietfeldensi, Provinciae Argentinensis, fuit capitulum provinciale celebratum sub praesidentia reverendi patris fratris Wendelini de Lauterburgo, Vicarii Provincialis. In isto capitulo pauca fuerunt ordinata.

Definitores eiusdem capituli fuerunt venerandi patres: frater Bartholomaeus Wyer, Guardianus et Discretus Basileensis, frater Iohannes Machysen, Guardianus et Discretus Norimbergensis, frater Erhardus Horoldt, Guardianus et Discretus Bambergensis, frater Benedictus Luterburger [4], Guardianus et Discretus Heilbrunnensis; Discretus Discretorum ad capitulum generale venerabilis pater frater Michael Fries [5], principalis socius reverendi patris Vicarii Provincialis.

Eodem etiam anno in festo Pentecostes [6] capitulum generale Conventualium in civitate Assisii celebratur, et reverendus pater frater Bernardinus de Prato [7], magister sacrae theologiae, in Generalem Ministrum eligitur, postquam generalatus plus quam ad annum cum dimidio vacaverat.

Frater Bernardinus de Prato, magister sacrae theologiae, eligitur in Generalem Ministrum.

Anno Domini 1514 in die sancto Pentecostes [8] in conventu Antverpiensi, Provinciae Coloniensis, capitulum generale celebratur et reverendus pater frater Martialis Boulier, Vicarius Provincialis Aquitaniae, tertia vice in Generalem Vicarium eligitur, licet propter infirmitatem corporis absens fuerit.

Frater Martialis Boulier 3.ª vice in Generalem Vicarium familiae citramontanae eligitur in capitulo Antverpiensi.

In isto capitulo nonnulla Indulta et Brevia Apostolica sanctissimi domini Summi Pontificis Leonis X. fuerunt lecta et publicata, sacrae observantiae plurimum accommoda, et habentur in conventu Basileensi cum ceteris Bullis.

---

1 Cfr. Card. Hergenröther, l. c. t. II. p. 133 seqq.

2 A cod. absunt verba: in festo; secundum alios, v. gr. Card. Hergenröther, l. c. obiit 21 Februarii. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1513, n. I.

3 Dominica III. post Pascha et erat 17 Aprilis.

4 Ita cod. forte pro « de Lauterburgo » (vel, ut cod. semper habet, « de Luterburg »).

5 Cod. *Michahel Fryes.*

6 15 Maii; ita etiam recte Wadding., l. c. ad an. 1513, n. IX, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 199 et tom. III. p. 222, contra Rodulphum, l. c., et auctorem Chronologiae, l. c. p. 216, qui volunt, capitulum dictum an. 1512 celebratum esse.

7 Vel Pratus (erat ex familia Prato) ex Cherio, ital. « Chieri » (Chiers) in Lombardia.

8 4 Iunii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1514, n. VII. Pro *Antverpiensi* cod. *Antwerppiensi.*

Frater Caspar Schatzgeyr in Vicarium Provinciae Argentinensis eligitur 1514.

Eodem anno in conventu Heidelbergensi infra Octavam Assumptionis gloriosissimae Virginis Mariae capitulum provinciale celebratur, et reverendus pater frater Caspar Schatzgeyr, Guardianus et Discretus conventus Ingolstadiensis, in Vicarium Provinciae Argentinensis rite eligitur. Qui primus iuxta Indultum Apostolicum ex consensu Protectoris Ordinis, scilicet domini Grimani, illico post electionem, soluto capitulo, usus est officio et sigillo, non exspectata reverendi patris Ministri Provincialis confirmatione. Nam Sanctissimus, Leo X, sic statuit et ordinavit in quodam Brevi, quod incipit: *Vestra devotio* etc., ita tamen, quod confirmationem infra sex menses iuxta ordinationem Eugenii IV. petere deberet a reverendo patre Ministro Provinciali.

Item, in illo capitulo ex consensu generalis capituli fuit gratanter acceptum, quod de cetero patres Guardiani semper in capitulo provinciali sint Vocales, et conventus eligere debeat pro se Discretum, et semper simul ad capitulum proficiscantur. Et si Guardianus non venerit ad capitulum, eius vox non est supplenda per capitulum.

Praeterea, Guardiani in omni sessione mensae et in capitulo tenebunt superiorem locum, et post omnes patres Guardianos sedebunt Discreti, nisi aliquis notabilis inter Discretos esset, qui merito per reverendum patrem Vicarium ascendere iuberetur.

Item, Guardianus habet etiam vocem activam in electione Discreti, non passivam, quoniam per se ex illa ordinatione habet ad capitulum proficisci. — Item, multa in tabula habentur.

Definitores istius capituli fuerunt venerandi patres: frater Iacobus Brünlin, Guardianus et Discretus Heidelbergensis, frater Georgius Feringer, Guardianus et Discretus Moguntinensis, frater Caspar Schatzgeyr, Guardianus et Discretus Ingolstadiensis, frater Michael Fries, Guardianus et Discretus Ulmensis.

Anno Domini 1515 Ludovicus[1], rex Franciae, in Circumcisionis Domini festo moritur, postquam regis Angliae sororem in uxorem duxerat. Delphinus in regem assumitur nomine Franciscus. Iste denique rex Ludovicus semper inquietus et in armis fuit et raro prosperum successum habuit. Rex autem Franciscus multum bellicosus fuit et ducatum Mediolanensem, capto eorum duce, obtinuit. Licet Switensibus[2] magnam stragem fecerit, attamen cum eisdem confoederatus, semper plus pecuniis quam armis vicit triumphavitque.

Eodem anno, videlicet 1515, mortuus est reverendissimus pater frater Martialis Boulier in Provincia Granatae, dominica Quadragesimae, in conventu Beatiensi[3]. Et trina vice officium generalatus habuit atque familiam rexit, quamquam in tertio transitu annum minime compleverit. Quapropter pater Petrus de Montibus Occae[4], Vi-

---

[1] Id est Ludovicus XII. (1498-1515); Franciscus I. erat eius nepos.

[2] Cod. hic *Schwitensibus*.

[3] Id est Beatiae, vel Biatiae, hispanice «Baeza», vel Baeça, prope quam civitatem secundum Wadding., l. c. ad an. 1506, n. LV. conventus S. Francisci erat.

[4] Ita recte, ut patet ex litteris diversis papalibus ad Vicarium Provinciae Bethicae (Baeticae) sive Granatensis, Petrum de Montibus Occae directis. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1516, n. LXII. — *Montes Occae* vel Aucae (hispanice Sierra d' Occa) sunt montes ab antiqua civitate *Auca* supra «Burgos» olim sita (nunc destructa est) sic dicti. Cod. habet *de Montesdoca* et deinde *Bedetiae* pro *Baeticae*.

carius Provincialis Baeticae, auctoritate Apostolica familiam usque ad capitulum generale Rothomagense rexit.

Item, eodem anno facta est reformatio conventus Friburgensis Brisgaviae, Provinciae Argentinensis, VI. die mensis Augusti, videlicet in festo Transfigurationis. Nam Summus Pontifex Leo X. ad supplicationem serenissimi domini imperatoris electi, Maximiliani, dedit Commissarium ad hoc sanctissimum opus perficiendum, cum auctoritate subdelegandi, reverendissimum dominum Laurentium Campegium [1], electum Episcopum Feltrensem. Sed quoniam multis arduis negotiis impeditus, negotio reformationis personaliter interesse nequivit, quapropter [2] subdelegavit venerabiles viros, videlicet reverendum patrem dominum Abbatem in Schuteren, Ordinis sancti Benedicti, dominum Iohannem Wyder et dominum Praepositum in Waldkirch [3], cuilibet in solidum.

Dominus siquidem Abbas rogatus commissionem humiliter acceptavit atque exsecutioni solemniter — die qua supra VI. mensis Augusti — demandavit, praesentibus ibidem ex parte caesareae maiestatis nobilibus viris, scilicet domino Leone de Staufen, milite vicem gerente in Ensen, cum ceteris nobilibus et doctoribus caesareae maiestatis consulibus, nec non Friburgensis oppidi burgimagistro atque magistro Zumpftarum aliisque senatoribus oppidi ad hoc per Commissarios per iuramentum vocatis et compulsis, etiam pluribus civibus de communitate pro custodia deputatis. Fuit denique vocatus in virtute sanctae obedientiae auctoritate Apostolica reverendus pater Vicarius Provinciae Argentinensis tunc temporis pater Caspar Schatzgeyr, qui denique solus comparere noluit. Vocavit nempe ad se nonnullos patres Provinciae, videlicet patrem Guardianum Basileensem, Bartholomaeum Wyer, patrem Guardianum Norimbergensem, Iohannem Machysen, patrem Guardianum Zaberniensem, Wendelinum de Lauterburgo, patrem Guardianum Ulmensem, Michaelem Fries, patrem Guardianum Tübingensem, Wernerum Zachmann, qui et primus Guardianus ibidem fuit institutus; et fratrem Henricum Castner, primum praedicatorem, et fratrem Iohannem Hafenbrack, primum lectorem [4] sacrae theologiae, cum aliis viginti Fratribus, qui in primis ibi laborem ac dolorem sustinuere etc.

Patres denique Conventuales gravissimo animo factum receperunt, ubique clamantes, sese iniuste spoliatos atque de conventu expulsos. Nam ad Summum Pontificem caesareamque maiestatem lamentabiles clamores lamentationesque vehementes de iniuria eis facta proferunt, consilium auxiliumve ubique quaeritantes, ad Romanam Curiam pro iuvamine currunt et tam senatum, vel regentes caesareae maiestatis in Ensen, quam cives Friburgenses solemniter citaverunt. Tandem etiam Guardianum Friburgensem suis cum Fratribus molestaverunt, in multis insidiantes eis. Attamen, divina gratia opitulante, in his omnibus nihil profecerunt nisi bursam evacuando. Nam serenissimus Imperator apud Summum Pontificem et ubique negotium tamquam suum proprium defensavit usque in finem.

Haec concertatio plus quam annum duravit, tandem in generalissimo capitulo totaliter exstinctum est; partibusque perpetuum silentium impositum est.

---

[1] Vel de Campegio (Campeggio), cod. *Compegii.* — [2] Ita cod. pro *ea propter.*

[3] Cod. *Waltkilch,* theut. « Waldkirch » est civitas magni ducatus Badenae, ubi habetur etiam inferius memorata « Staufen ». — [4] Ita, textu postulante, correximus; cod., neglecta constructione, habet: *fr. Henricus Castner primus praedicator, et fr. Iohannes Hafenbrack, primus lector.*

Anno Domini 1516, dominica *Iubilate*[1], celebratum est capitulum provinciale in Provincia Argentinensi in conventu sancti Udalrici prope « Barr » sub praesidentia reverendi patris fratris Caspar Schatzgeyr. Nihil speciale ibi actum est.

Definitores capituli fuere venerandus pater frater Bartholomaeus Wyer, Guardianus conventus Basileensis, venerandus pater frater Iohannes Machysen, Guardianus conventus Norimbergensis, venerandus pater frater Wendelinus de Lauterburgo, Guardianus conventus Zaberniensis, venerandus pater frater Nicolaus Seitz, Guardianus Monacensis.

Frater Gilbertus Nicolai 2.ª vice in Generalem Vicarium familiae citramontanae eligitur in capitulo Rothomagensi.

Eodem anno super festo Pentecostes[2] celebratum est capitulum generale in conventu Rothomagensi, Provinciae Franciae, sub praesidentia reverendi patris fratris Petri de Montibus Occae[3], Provincialis Baeticae, auctoritate Apostolica, et rite ac legitime electus est secunda vice in Generalem Vicarium reverendus pater frater Gilbertus Nicolai, Vicarius Provincialis Franciae.

Eodem anno pater Bonifacius, Minister Franciae, contra Fratres de Observantia, sub provisionibus concilii Constantiensis et Eugenii IV. viventes, tumultum impetuosum excitavit, tractatum denique famosum[4] conficiens, quo ferme totum mundum turbavit atque implevit, volens, fieri unionem reformatorum, ut sibi placuit, in Provincia Franciae quam maxime; quapropter coram senatu atque parlamento Parisiensi patres convenit. Nempe post longissimas concertationes parte ex utraque senatus parlamenti negotium quam grave ad Summum Pontificem Leonem X. et concilium Lateranense transmiserunt, ubi denique utraque pars comparuere. Porro, Summus Pontifex negotium quam grande quatuor Cardinalibus ad examinandum commisit, qui, diligenter partibus auditis, negotium arduum videntes totum Ordinem tangens, consulte atque prudenter generalissimum capitulum totius Ordinis auctoritate Apostolica convocare anno 1517 super festo Pentecostes[5] ordinaverunt.

Patres nempe huius Provinciae Argentinensis convocationem in conventu Pforzheimensi[6] pro electione Discreti Discretorum ad praefatum generalissimum instituerunt, die 27 Ianuarii anno 1517, et electus fuit pater Iohannes Machysen, Guardianus Norimbergensis.

Item, unum notabile occurrit notatu dignum, quod silentio praetermittendum videtur minime. Nam ille pater Bonifacius, Minister Provinciae Franciae, qui istius generalissimi capituli et commotionis totius Ordinis seminarium materiamque ministravit[7], cum omnes patres sese ad proficiscendum ad Urbem praepararent, ipse tractatum suum famosum ceterosque sui capitis conceptus iterum a parlamento Parisiensi approbari voluit, IV. feria ante dominicam[8] Palmarum. Sed quoniam repulsam cum indignatione recepit, consternatus ad conventum rediit et in die Palmarum

---

1 Dominica III. post Pascha, et erat 13 Aprilis.

2 11 Maii. — 3 Cod. iterum *Montesdoca* et deinde *Bedetiae* pro *Baeticae*.

4 Scil. « Firmamentum Ordinis » supra pag. 522, nota 4. memoratum.

5 31 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1516, n. XLVIII et XLIX, ubi habetur Bulla convocationis.

6 Cod. *Pfortzen*. — 7 Ita cod., forte sincerius *ministraverat*.

8 Vocula *dominicam* a cod. abest; feria IV. erat 1 Aprilis.

vita functus est, ante summum altare sepultus anno 1517, coram iusto iudice capitulum celebravit; requiescat in pace. Amen.

Anno Domini 1517 super festo Pentecostes [1] auctoritate Apostolica celebratum fuit capitulum *generalissimum* Romae in conventu de Aracoeli, in quo, absoluto reverendissimo patre fratre Bernardino de Prato, Cheriensi [2], per Summum Pontificem a generalatus quo tunc fungebatur officio, reverendissimus pater frater Christophorus [3] de Foro Livii, Generalis Vicarius cismontanus, rite et concorditer in Generalem Ministrum — in primo scrutinio — totius Ordinis Minorum Fratrum sancti Francisci in praesentia et praesidentia reverendissimorum dominorum Dominici [4], Episcopi Portuensis, Ordinis Minorum Protectoris, tituli sancti Marci, Petri [5], sancti Eusebii, et Laurentii [6], sanctorum Quatuor Coronatorum Cardinalium, electus est et tandem a sanctissimo domino nostro, domino Leone X. Summo Pontifice, confirmatus.

Frater Christophorus de Foro Livii primus Minister Generalis de Observantia Romae eligitur.

Item, Summus Pontifex duas Bullas edidit; una vocatur *Unionis* [7], quae incipit: *Ite vos in vineam meam, ait homo ille Paterfamilias* etc.; altera vocatur Bulla *Concordiae* inter Generalem *Ministrum* totius Ordinis et Generalem *Magistrum* Fratrum Conventualium eiusdem Ordinis, quae incipit: *Omnipotens Deus, cuius perfecta sunt opera etc.*

In prima Bulla *Unionis* haec in summa continentur:

In primis vult et ordinat Summus Pontifex, iuxta [8] regulam sancti Francisci *unum Ministrum Generalem* totius Ordinis praefici cum plenaria potestate, quae ex regula sibi competit etc.

Item, ne caput membris suis sit deforme, vult et mandat, quod nullus Frater in Ministrum Generalem eligatur, nisi vitam ducat reformatam et pro reformato a communitate reformatorum habeatur.

Item, Minister Generalis per sex annos ad plus generalatus fungetur officio, infra quem terminum, si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium et Custodum, Ministrum Generalem non sufficientem etc., ut regula dicit, alium sibi eligere possunt etc. Quibus quidem sex annis, ut praefertur, expletis, ipso facto sit absolutus a generalatus officio et pro tali ab omnibus habeatur. Electio vero successoris fieri debeat a solis Ministris et Custodibus reformatis, tam cismontanis quam ultramontanis, in capitulo generali dicti Ordinis in festo Pentecostes in loco, quem Minister Generalis cum capitulo generali proxime praecedenti duxerit assignandum; ad quod capitulum omnes Ministri et Custodes sive Vocales, tam cismontani quam ultramontani, accedere teneantur etc.

---

[1] 31 Maii. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1517, n. XX, ubi (n. XXIII. et XXX.) etiam habentur Bullae *Unionis* et *Concordiae* paulo inferius memoratae, Chronologia, l. c. t. I. p. 218 seq. et 227 seq., et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 227 seqq.

[2] Id est de Cherio; cfr. supra pag. 453, nota 7.

[3] Numayus dictus. — Pro *Foro Livii* cod. *Forlivio.*

[4] Scil. Grimani. — [5] De Accoltis dicti, Episcopi Anconitani. — [6] Cognomine Puccii.

[7] Cfr. etiam Bullarium Rom. sub Leone X. ad an. 1517.

[8] Cod. praemisit verbum *quod.* In Bulla dicitur: Pontifex, prout in regula S. Franc. continetur, unum... praefici omnibus et singulis Fratribus eiusdem Ordinis cum.

Alia multa ibi ponit de capitulis et electionibus. Vide Bullam.

Item, in eadem Bulla sequitur: Et ut in Ordine, quantum cum Deo fieri potest, pax conservetur et caritas per amplius inter cismontanos et ultramontanos Fratres eiusdem Ordinis nutriatur, ordinamus, quod, si Minister Generalis, ut praefertur, per sex annos de cismontanis Fratribus fuerit, sequentibus sex annis de ultramontanis Fratribus eligi debeat, quem modum alternatis vicibus in perpetuum volumus ab ipsis Fratribus observari. Verum quia conspicimus, ipsum Ordinem per universam Christianitatem mirum in modum dilatatum esse, ne ob huiusmodi amplitudinem debito pastoralis regiminis careat officio [1]; decernimus, quod, si Minister Generalis de cismontanis electus fuerit, instituat [2] in partibus ultramontanis unum Generalem Commissarium, ab eisdem Fratribus ultramontanis eligendum. Et sic e converso in cismontanis etc. Qui quidem Commissarius per triennium solum commissionis fungetur officio; quo triennio elapso, novus Commissarius per Generalem Ministrum in capitulo generali, ut supra, est eligendus etc.

Item, de capitulis aliqua ponit. Et Ministris Provincialibus ponit magnum processum in hac Bulla, signanter quod sint triennales tantum, et poterunt infra terminum deponi, si videbitur expedire.

Item, de unione ponit. Volumus et declaramus, sub nomine *Reformatorum* ac pure et simpliciter regulam sancti Francisci huiusmodi observantium comprehendi omnes et singulos infrascriptos, videlicet Observantes, tam de familia quam reformatos sub Ministris, ac fratris Amadaei, de Coletanis, Clarenis, de sancto Evangelio, seu de Caputio, ac Discalceatos nuncupatos, aut alios similes, quocumque alio nomine nuncupantur et regulam ipsam beati Francisci pure et simpliciter observant. Ex quibus omnibus supradictis unum corpus insimul facientes, eosdem ad invicem perpetuo unimus, ita quod de cetero, omissa diversitate nominum praedictorum, Fratres Minores sancti Francisci regularis Observantiae vel simul, vel disiunctive nuncupentur vel nuncupari possint et debeant.

Item, gravem censuram consequenter ponit contra iniuriantes Fratribus cum iniuriosis nominibus, dicendo vel nominando bullistam, bigotum etc., si fecerint iniuriose.

Item, inhibetur sub excommunicationis latae sententiae poena omnibus et singulis Conventualium secundum privilegia viventium Praelatis ac Fratribus, ne aliquem ex praefatis reformatis recipere audeant ad morandum ad conventum non reformatum. Similiter et dictis reformatis Fratribus sub eadem poena, ne ab obedientia suorum Ministrorum ullatenus recedant, nisi Ministro Generali vel capitulis provincialibus videbitur expedire.

Item, in secunda Bulla, quae *Concordiae* dicitur inter *Ministrum* Generalem totius Ordinis sancti Francisci et *Magistrum* Generalem Fratrum Conventualium, in summa haec continentur:

Primo, quod Generalis Ministri totius Ordinis per solos Ministros reformatos fieri debet electio. Et Fratres Conventuales cum privilegiis, eis a Sede Apostolica concessis, viventes ac redditus et possessiones aliave bona temporalia secundum huiusmodi privilegia retinere volentes, statuimus et ordinamus, quod unum ex eisdem Fratri-

---

[1] Apud alios legitur *beneficio* pro *officio*.

[2] Ita Bulla a Chronologia et De Gubernatis exhibita, cod. *institueret*.

bus Conventualibus, vita et moribus idoneum, sibi eligere debent, qui eorum *Magister* Generalis appelletur, et eorundem Fratrum Conventualium sub dictis privilegiis viventium curam gerere et electionis de se factae confirmationem a dicto Ministro Generali totius Ordinis petere [1].

Frater Antonius Marcellus primus Generalis Magister Fratrum Conventualium.

Patres denique Conventuales cum privilegiis, ut praefertur, viventes, in domo sanctorum Apostolorum etiam de Urbe dicti Ordinis ad id pro hac prima vice legitime congregati, dilectum filium Antonium Marcellum, vita et moribus idoneum, in Magistrum Generalem Fratrum Conventualium elegerunt, quem Summus Pontifex per se confirmavit.

Statuit tamen Summus Pontifex aliqua per eosdem Ministrum et Magistrum aliosque ipsius Ordinis professores firmiter inviolabiliterque observanda motu proprio et ex certa scientia ac matura cum eisdem Cardinalibus praesidentibus deliberatione praehabita :

Primo videlicet, quod praefati Antonii, Magistri Generalis Fratrum Conventualium, successores, ab eisdem Fratribus Conventualibus pro tempore electi, confirmationem ab eodem Ministro Generali et successoribus eius, Ministris Generalibus totius Ordinis, quemadmodum Vicarii Generales, tunc de familia nuncupati, petere tenebantur, petere teneantur; ac quod Magister nunc et pro tempore electus ad Fratrum Conventualium regimen, iuxta dictam nostram ordinationem *Magister Generalis Fratrum Conventualium* in perpetuum appellari debeat.

De Provincialibus Magistris dicit Bulla, quod in singulis Provinciis deputati ad regimen Fratrum Conventualium de cetero *Magistri* Provinciales Fratrum Conventualium, cum suis sigillis, vocari et a Ministris Provincialibus regularis Observantiae in Provinciis iuxta morem dicti Ordinis, respective pro tempore existentibus, confirmationem electionum de eis pro tempore factarum eo modo, quo Vicarii Provinciales, olim de familia nuncupati, a tunc Ministris Provinciarum Fratrum Conventualium petere tenebantur, etiam petere teneantur etc.

Post in Bulla ista continentur plura praecepta et censurae excommunicationis, ne patres sese offendant in locis vel monasteriis vel Fratribus recipiendis etc. — Haec sufficiant his, qui Bullas non viderunt.

Item, hic unum addendum, ne ingratitudine arguamur. Nam rex illustrissimus atque christianissimus Portugalliae, Emmanuel, pro isto generalissimo capitulo, Romae celebrato, quinque millia ducatos obtulit. Sed patres, discretione utentes, mille et quingentos receperunt dumtaxat. Ille namque rex devotissimus secundam benedictionem addidit primae. In capitulo denique Rothomagensi dedit pro capitulo [2]... et pro tanta familia plus quam pro mille ducatis species aromaticas liberaliter expendit.

Praeterea, non multo post tempore Summus Pontifex Leo X, nescio quo spiritu motus, triginta unum Cardinales creavit, inter quos de Ordinibus Mendicantium tres elegit, videlicet magistrum Ordinis Praedicatorum, item, magistrum Ordinis Augustinensium, item, Generalem Ministrum Ordinis Minorum de Observantia, noviter in generalissimo capitulo Romae electum, videlicet reverendissimum patrem Christophorum de Foro Livii. Quapropter pro electione alterius Generalis Ministri fuit aliud

---

[1] Supple *debeat*. — [2] In cod. habetur spatium vacuum.

Frater Franciscus Lychetus, magister sacrae theologiae, in Ministrum Generalem eligitur.

generale capitulum institutum in conventu Lugdunensi, dominica secunda[1] mensis Iulii, anno 1518. Et ibidem electus fuit venerandus pater frater Franciscus Lychetus, Provinciae Brixiensis, magister sacrae theologiae, in praesentia et sub praesidentia reverendissimi domini Christophori de Foro Livii, Cardinalis de Aracoeli, qui auctoritate Apostolica generali capitulo praesedit et omnia acta capituli ordinavit atque confirmavit.

In illo capitulo pauca fuerunt ordinata, nisi aliquarum Provinciarum divisiones, tum propter amplitudinem terrarumque spatia, tum etiam propter pacem servandam inter Provinciarum patres, videlicet Provincia Franciae, Provincia Saxoniae et Provincia Turoniae etc.

Modo ad Provinciam Argentinensem revertamur. Nam postquam venerandi patres huius Provinciae Argentinensis de capitulo generalissimo, in Urbe celebrato, redierunt, in conventu Monacensi super festo Assumptionis gloriosissimae Virginis capitulum provinciale celebratum est per reverendum patrem Caspar Schatzgeyr[2], Ministrum eiusdem Provinciae, auctoritate Apostolica institutum. Et in eodem capitulo rite et legitime reverendus pater frater Iohannes Machysen, Guardianus Norimbergensis, in Ministrum Provincialem huius Provinciae electus est. Et est *primus Minister de Observantia* capitulariter electus anno Domini 1517. Item, in eodem capitulo electi sunt tres Custodes iuxta ordinationem patrum, qui tres voluerunt esse Custodes in Provincia, videlicet Rheni, Bavariae et Sueviae[3]. In Custodia Bavariae electus est pro Custode reverendus pater frater Caspar Schatzgeyr; item, in Custodia Rheni venerandus pater frater Wendelinus de Lauterburgo electus et datus est, Guardianus Zaberniensis; item, in Custodia Sueviae electus et datus est venerabilis pater Michael Fries, Guardianus conventus Ulmensis. Et iuxta determinationem capituli generalissimi debent esse triennales, sicut Ministri.

Frater Iohannes Machysen primus Minister Provincialis de Observantia in Provincia Argentinensi anno 1517.

Item, ne error, vel confusio in Provincia contingat, ordinaverunt patres, quod Custodia Rheni complectatur conventus: Basileensem, Moguntinensem, Rubeacensem, Friburgensem, Weisenburgensem, Oppenheimensem, sancti Udalrici, Kaysersbergensem, Crucenacensem et Zaberniensem, decem conventus.

Secunda Custodia, videlicet Bavarica, habet novem conventus, scilicet Norimbergensem, Bambergensem, Monacensem, Ingolstadiensem, Landishuttensem, Ambergensem, Kelheimensem, Rietfeldensem, Mengenbergensem.

Tertia Custodia, videlicet Suevica, etiam habet novem conventus: Heidelbergensem, Ulmensem, Pforzheimensem, Heilbrunnensem, Tübingensem, Leonbergensem, Lenzfriedensem[4], Fremersbergensem, Bünizensem[5].

Eligentur autem ipsi Custodes a suis Custodiis sive in capitulo provinciali sive custodiali. In qua electione vocem habebunt patres Guardiani et Discreti. Poterunt

---

[1] Quae erat VII. post Pentecosten et 11 Iulii. — Cfr. Wadding., ad an. 1518, n. XXXV. et 1518, n. I, ubi etiam de sequentibus fusius agitur.

[2] Cod. hic *Schatzgeüwer*. — [3] Cod. hic *Schweviae*.

[4] Id est theut. « Lenzfried », civitas Bavariae.

[5] Ita cod., superius vero habet Büniken.

tamen eligi non solum ex Custodia, verum etiam ex omni nostra Provincia. Qui quidem Custodes ultra triennium non continuabuntur in officiis, poterunt nihilominus infra triennium deponi. Et debent a conventibus ad capitulum provinciale vel custodiale visitari, sicut alii Ordinis Praelati etc.

Quoad iurisdictionem in capitulo generali vel provinciali determinabitur: Ad praesens non maiorem auctoritatem habeant, quam prius Commissarii habuerunt, nisi reverendus pater Minister Provincialis ampliorem conferre voluerit; possunt tamen in conventibus suarum Custodiarum in mensa praesidere, cum sint regulares Praelati.

PRIMA APPENDIX [1].

CONTINUANTUR TABULAE PROVINCIALES ET GENERALES.

Hic auctoritate Apostolica nomen ministerii provincialatus quoad nomen Fratribus de Observantia fuit datum et nomen vicariatus mutatum, et tunc etiam sigillum fuit a primo Ministro Provinciali mutatum et illi adaptatum, quo ab antiquo Ministri superiores usi sunt. Attamen, dicit Minister Provincialis, quia Magister sigillum ministeriatus penes se habet, ne angelus satanae se in Angelum lucis transformet, et ut unum ab altero dignoscatur; duplicem feci differentiam: 1. nostrum est sculptum litteris textuve [2], alterum antiquis et quasi capitalibus; 2. nostrum habet in capite signum T, alterum crucem. Haec omnia scripsit nostro conventui Ingolstadiensi in privatis litteris frater Iohannes Machysen ex conventu Norimbergensi 1517, 12 Novembris [3].

Anno Domini 1519, dominica *Iubilate* [4], celebratum fuit capitulum Provinciae Argentinensis in conventu Oppenheimensi per reverendum patrem fratrem Iohannem Machysen, in quo ipse ab officio non fuit absolutus, quia tantum intermedium fuit.

Definitores huius congregationis fuerunt reverendi patres fratres Caspar Schatzgeyr, Wendelinus de Lauterburgo, Nicolaus Seitz, Conradus de Rubeaco.

Numerus defunctorum Fratrum a proximo capitulo usque ad praesens 50.

Anno Domini 1520 fuit celebratum capitulum in conventu Ambergensi super festum Assumptionis Mariae, et electus fuit in Provincialem reverendus pater frater Caspar Schatzgeyr.

Definitores: reverendi patres fratres Michael Fries, Alexander Molitoris, Iohannes Reder, Iacobus Brünlin.

Numerus defunctorum 53.

Custos Custodum ad capitulum generale reverendus pater frater Conradus, Guardianus Basileensis.

---

[1] Quae nunc (in cod. a fol. 291a usque ad finem i. e. fol. 297a) sequuntur, sunt adiuncta ab alio tam auctore quam scriptore.

[2] Ita scripturam cod., quae est dubiae lectionis, legendam esse suspicamur; potest enim etiam legi *fextune* vel *fentune;* sed tale verbum nullibi invenitur. — Du Cange, Glossar., commemorat litteras *cubitales*, « quae eaedem sunt ac *grandes, quadratae, unciales;* quo postremo nomine vocabantur litterae maiusculae, quoniam uncia, id est pedis duodecima parte constabant ».

[3] Cum hoc verbo desinit fol. 291a; fol. 291b et 292a continent brevem indicem materiarum codicis; deinde fol. 292b continuatur textus.

[4] Dominica III. post Pascha, quae erat 15 Maii. — Paulo inferius cod. *Casparus Schatzgeir.*

Anno Domini 1521 capitulum generale fuit celebratum in conventu Carpensi [1], Provinciae Bononiae, sub reverendo patre fratre Paulo de Soncino [2], et electus est idem reverendus pater, et reverendus pater frater Franciscus de Angelis [3] in Commissarium Generalem ultramontanum [4] electus est in hac congregatione. Leo X. concessit facultatem eligendi.

Anno Domini 1522 fuit capitulum celebratum in conventu Norimbergensi super dominica *Iubilate* [5]. In hoc intermedio capitulo fuit continuatus in officio Provincialis Minister; socius reverendi Patris Conradus Roggenburger.

Definitores huius congregationis fuerunt reverendi patres fratres Wernerus [6] Zachmann, Henricus Castner, Nicolaus Seitz, Gregorius Heilmann.

Numerus defunctorum Fratrum 54, inter quos fuit Iohannes Machysen.

Anno Domini 1523 fuit celebratum capitulum in conventu Landishutano [7] super festo Assumptionis Mariae, et electus fuit canonice in Provincialem Ministrum reverendus pater frater Henricus Castner, sub quo fuerunt Fratres 560; socius Provincialis frater Rufus Fabri.

Definitores: reverendi patres fratres Alexander Molitoris, Michael Fries, Iohannes Reger, Matthaeus Rumel.

Numerus defunctorum Fratrum a proximo capitulo 21.

Anno Domini 1525 fuit celebratum capitulum in conventu Crucenacensi per reverendum patrem Praesidentem Gregorium Heilmann; in quo capitulo electus fuit in Provincialem Ministrum Alexander Molitoris; huius socius fuit frater Wendelinus Fabri.

Definitores: reverendus frater Benedictus de Lauterburgo, frater Wernerus Zachmann, frater Nicolaus Seitz, frater Daniel.

Numerus defunctorum Fratrum 39.

Anno Domini 1526 fuit celebratum capitulum generale Assisii, in quo reverendus pater frater Franciscus Angelorum coactus fuit continuare suum officium [8].

Ordinatum fuit inter alia, ut in omni Provincia et natione per Provinciales erigantur studia.

Numerus defunctorum 3000.

---

1 Civitas « Carpum » est ital. « Carpi ». — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1520, n. XXIII. seqq. et 1521, n. III, Chronologia, l. c. p. 248, et De Gubernatis, l. c. tom. I. p. 200 et tom. III. p. 247.

2 Cod. *Sunzino;* Soncinum est italice « Soncino ». Fr. Paulus post mortem (1520 Budae in Hungaria) Generalis Ministri, Lycheti a Leo X. Vicarius institutus erat.

3 Vel. Quinnonius dictus, postea Minister Generalis.

4 Id est pro Fratribus extra Italiam morantibus.

5 Dominica III. post Pascha, quae erat 11 Maii.

6 Cod. hic *Bernerus* et deinde *Macheisen* pro *Machysen* et hic ac inferius *Hailmann* loco *Heilmann.*

7 Et capitulum generale « Burgis » (Burgos) in Hispania in festo Pentecostes, ubi, Paulo a Soncino in itinere ad capitulum apud Avinionem mortuo, Franciscus ab Angelis Quinnonius in Ministrum Gen. electus est. Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1523, n. I, Chronologia, l. c. t. I. p. 252, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 251.

8 Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1526, n. XI, Chronol., l. c. t. I. p. 254, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 265.

Definitores ex cismontanis 6, item ex ultramontanis 6, nimirum Provinciae Coloniae, Portugalliae, Flandriae, S. Ludovici, Burgensis, Britanniae.

Anno Domini 1528 [1] fuit celebratum capitulum in conventu Tübingensi per reverendum patrem fratrem Mathiam Wintzel, Provinciae Coloniae Ministrum et Commissarium Generalem, ac reverendum patrem fratrem Alexandrum Molitoris; in quo electus fuit reverendus pater frater Nicolaus Seitz.

Definitores fuerunt Gregorius Heilmann, Iacobus Norimbergensis, Mathias Friburgensis, Iohannes Wintzler.

Post hoc capitulum, proh dolor! incepit deficere nostra amplissima Provincia, et in primis defecit Basileensis conventus. Commissarius ille Generalis Ministri, qui tabulis provincialibus omnibus subscripsit, et suum sigillum impressit, quod fuit pulcherrimum, nimirum continens in se divum Franciscum, et haec sequentia verba: « Inclytae nationis Germaniae Commissarii Generalis sigillum ». In hoc capitulo prima vice continetur frater Iohannes Ferus, qui fuit scriptor, lector in artibus et praedicator in conventu Moguntinensi.

Eodem anno [2] fuit celebratum capitulum generale in conventu Parmensi, Provinciae Bononiae. Fuerunt et sicut in aliis capitulis electi Commissarius Generalis, Curiae, Procurator Ordinis etc. Definitores et 12 electi fuerunt more consueto; inter nostros ultimus fuit Iohannes Wintzler, Custos Provinciae.

Hic ordinatum fuit, ut nullus revertens de haeresi Lutherana recipiatur [3], nisi in provinciali capitulo facta prius diligenti inquisitione de eius vera poenitentia.

Item, apostata si capi non possit per Praelatos Ordinis, recurratur ad brachium saeculare.

Anno Domini 1531 fuit celebratum capitulum in conventu Friburgensi, et electus fuit in Provincialem Ministrum reverendus pater frater Alexander Molitoris.

Definitores fuerunt reverendi patres fratres Alexander Molitoris, Wendelinus Heidelbergensis [4], Benedictus Tübingensis, Daniel Crucenacensis.

Numerus defunctorum 56.

Custos Custodum reverendus pater frater Iohannes Wintzler [5].

Anno Domini 1534 fuit celebratum capitulum in conventu Ingolstadiensi; in quo electus fuit [6] reverendus pater frater Maisenbach.

Definitores: reverendus pater frater Mathias Maisenbach, Nicolaus Monacensis, Iacobus Norimbergensis, Iohannes Franciscus Koch; Custos Custodum ad capitulum generale, et socius Ministri Provincialis Nicolaus Simerin.

Numerus defunctorum 38.

---

[1] Cod. habebat primitus 1529. — Pro *Wintzel* ms. Bamberg. *Winzel.*

[2] Scil. 1529. — Cfr. Wadding., l. c. ad an. 1529, n. XVIII, Chronologia, l. c. t. I. p. 259, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 270.

[3] Cod. *non recipiantur* et deinde *eorum* pro *eius.*

[4] Cod. *Haidlbergensis;* Heidelberga, theut. « Heidelberg », est civitas Badensis ad Neccarum sita.

[5] Anno 1532 erat Congregatio generalis Messanae et etiam Tolosae; cfr. Wadding., l. c. ad an. 1532, n. III, Chronologia, l. c. t. I. p. 262, et De Gubernatis l. c. tom. III. p. 274 et 276.

[6] Scil. in Provincialem Ministrum fr. Mathias Maisenbach (Meisenbach). — Pro Franciscus *Koch,* quod habet ms. Bamberg. cod. exhibet Franc. *Roch.*

Anno Domini 1535 [1] fuit celebratum capitulum generale in conventu sanctae Crucis, Provinciae sancti Ludovici; in quo electus fuit reverendus pater frater Vincentius Lunellus. Electiones officiorum et statuta fuerunt facta, sicut in aliis capitulis.

In hoc capitulo ordinatum fuit, ut quilibet Minister Hispaniarum teneatur dare [2] quolibet tertio anno quatuor Fratres probos et idoneos pro novis Insulis.

In hoc capitulo et propter multitudinem Fratrum ex duabus Custodiis duae Provinciae erectae sunt in novis Insulis, et hoc auctoritate Apostolica. Quarum prima fuit vocata Provincia *sancti Gabrielis*, altera *sancti Evangelii.*

Item, apud Indos in regione Peru nova Custodia fuit instituta, quae *Custodia de Peru* [3] vocabitur.

Conventus Parisiensis, tam in capite quam in membris, immediate Generali Ministro perpetuo subiectus est.

Definitores huius capituli fuerunt, sicut semper. Inter nostros tertius Caspar Schatzgeyr [4], Commissarius Saxoniae.

Mortui sunt 1775. Item, 18 et multo plures, quorum numerum novit Deus, a Turcis martyrizati fuerunt.

Anno Domini 1537 fuit celebratum capitulum in conventu Bambergensi, dominica *Iubilate* [5]; in quo fuit electus reverendus pater frater Alexander Molitoris; socius Provincialis, ut prius.

Definitores: Alexander Molitoris, Wendelinus Moguntinensis, Iohannes Wintzler, Iohannes Horn.

Numerus defunctorum Fratrum 40, inter quos reverendus pater Casparus Wurmrauscher, qui in multis conventibus Guardianus fuit, Erasmus Schaltdorffer, promotor coelestis coronae rosarii. Hic prohibet dolor; defecit conventus Tübingensis et lectores theologiae.

Anno Domini 1540 fuit celebratum capitulum in conventu Moguntinensi; in quo electus fuit canonice Iohannes Wintzler.

Definitores: frater Iohannes Ferus, Discretus Moguntinensis, Iacobus Norimbergensis, Caspar Heidelbergensis, Sigismundus Monacensis; socius Provincialis frater Bernardus Molitoris.

In hoc capitulo Iohannes Ferus factus est praedicator cathedralis ecclesiae.

Numerus defunctorum 30.

Anno Domini 1541 [6] fuit celebratum capitulum generale in civitate Mantuana; in quo electus fuit reverendus pater frater Iohannes Calvus. Commissarii, Definitores, Procurator fuerunt electi, sicut in aliis capitulis. Inter nostros Definitores ultramontanos primus fuit frater Iohannes Wintzler.

Anno Domini 1543 fuit celebratum capitulum provinciale Argentinense in con-

---

[1] Et quidem Niciae (ital. Nizza); cfr. Wadding., l. c. ad an. 1535, l. c. n. XXX, Chronologia, l. c. t. I. p. 266, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 281.

[2] Verba: teneatur dare, supplevimus ex De Gubernatis, ubi habentur ordinationes, in quibus ante *quatuor* habetur *tres vel.*

[3] Vel Peruana.

[4] Wadding. falso: *Segerus;* cod. hic *Casparus Schatzgerus.*

[5] Dominica III. post Pascha et erat 22 Aprilis.

[6] Cfr. Chronologia, l. c. t. I. p. 267, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 284.

ventu Zaberniensi, super dominica *Iubilate* [1], et in eo canonice et rite electus fuit reverendus pater Alexander Molitoris; socius reverendi patris Ministri pater Bernardus Zandel.

Definitores: reverendi patres Alexander Molitoris, Wendelinus Fabri, Henricus Roch [2], Hieronymus Much; Custos Costodum ad generale capitulum doctissimus pater frater Caspar Herolt.

Numerus defunctorum 43, inter quos fuerunt 3 Guardiani et Georgius Kner; sanctae Clarae et tertii Ordinis 31.

Hic defecerunt et ablati sunt multi conventus: 1. Heilbrunnensis; 2. Leonbergensis; 3. Lenzfriedensis; 4. Locus sanctae Mariae prope Büniken [3], qui semper in tabulis ultimus conventus numerabatur; 5. Ulmensis.

Anno Domini 1547 [4] celebratum fuit capitulum generale Assisii in conventu Mariae de Portiuncula; in quo rite electus fuit in reverendissimum Generalem reverendus pater Andreas Insulanus, Custos Algarbiorum.

Commissarius Generalis, Curiae, Procurator Ordinis, 12 Definitores fuerunt electi et instituti, sicut consuetum est. Inter nostros Definitores ultramontanos quintus fuit Alexander Molitoris, Provinciae Argentinensis Minister. Commissarius in tota Terra Sancta, monte Sion, Bethlehem instituitur frater Bonaventura Cursaly [5].

Mortui sunt a capitulo Mantuano proximo 4987.

Anno Domini 1548 fuit celebratum capitulum provinciale in conventu Monacensi, dominica *Iubilate* [6], et in eo electus fuit reverendus pater frater Wendelinus Fabri.

Definitores huius capituli: reverendi patres fratres Iohannes Wintzler, Sigismundus Betz, Iohannes Horn, Ambrosius Rubeacensis; socius Ministri Provincialis frater Georgius Klostermaier.

Defuncti sunt Fratres 46, inter quos multi Guardiani, Definitores et alii insignes fuerunt.

Hic defecerunt conventus sancti Udalrici et Rietfeldensis [7].

Anno Domini 1551 fuit celebratum capitulum in Kaysersberga, et electus est canonice reverendus pater frater Henricus Roch.

Definitores: reverendi patres Henricus Roch, Landishutanus, frater Molitoris [8] Pforzheimensis, Gabriel Zaberniensis, Caspar Herolt; socius reverendi patris Provincialis frater Bonaventura Laim.

Numerus defunctorum 29, inter quos fuit reverendus pater Alexander Molitoris et duo Guardiani.

In hac tabula primus institutus fuit Erhardus Röselmaier in magistrum iuvenum [9].

---

[1] Dominica III. post Pascha, quae erat 15 Aprilis. — [2] Ita cod. semper, probabiliter pro *Koch*. — [3] Cod. hic *Benüken*.

[4] Cfr. Chronologia, l. c. t. I. p. 270, et Gubernatis, l. c. tom. III. p. 288.

[5] Ita cod., sed apud alios habetur Bonav. Corcetus, Provinciae Dalmatiae Custos.

[6] Dominica III. post Pascha et erat 22 Aprilis.

[7] Ita cod. primitus; manus posterior verba: et Rietfeldensis, delevit.

[8] Id est Bernardus Molitor, Guardianus Pforzh. (cod. Pforzensis).

[9] Anno 1553 erat capitulum generale Salmanticae, et electus est in Generalem fr. Clemens Monilianus. Cfr. Chronologia, l. c. t. I. p. 279, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 298.

Anno Domini 1554 fuit celebratum capitulum provinciale in Pforzheimensi conventu, dominica *Iubilate* [1], in quo electus et confirmatus fuit reverendus pater Wendelinus (Fabri), Guardianus Heidelbergensis.

Definitores: reverendi patres Wendelinus, Heidelbergensis Guardianus, Iohannes Ferus, Guardianus Moguntinensis, Wolfgangus Schmilckoffer, Sigismundus Betz; Custos Custodum ad capitulum generale cismontanarum partium reverendus pater Bonaventura Laim.

Numerus defunctorum Fratrum 40. Post hoc capitulum obiit reverendus pater Iohannes Ferus.

Anno Domini 1557 fuit celebratum capitulum provinciale, in quo electus fuit canonice in Ministrum Provincialem reverendus pater Iohannes Textoris, qui fuit doctissimus vir, concionator imperatoris Caroli V, fuit et ferventissimus in Religione [2].

Anno Domini 1560 fuit coactum provinciale capitulum in Sefflinga, et ibidem canonice electus est in Ministrum Provincialem reverendus pater frater Georgius Klostermaier.

Definitores huius capituli fuerunt reverendi patres Georgius Klostermaier, Wolfgangus Schmilckoffer [3], Sigismundus Betz et Erhardus Finsinger, Guardianus Ingolstadiensis.

Numerus defunctorum Fratrum 39.

In hoc capitulo pater Nasus [4] fuit primo institutus concionator in conventu Ingolstadiensi.

Sequuntur conventus, qui adhuc fuerunt in Provincia hoc anno, secundum antiquum ordinem: 1. Moguntinensis; 2. Bambergensis; 3. Monacensis; 5. Ingolstadiensis; 5. Landishutanus; 6. Rubeacensis; 7. Oppenheimensis; 8. Kaysersbergensis; 10. Friburgensis; 11. Kelheimensis; 12. Locus sanctae Ursulae in Fremersberga. Et in omnibus conventibus his adhuc fuerunt Guardiani.

Anno Domini 1563 fuit celebratum capitulum provinciale in Sefflinga, et in eo electus fuit reverendus pater frater Wolfgangus Schmilckoffer.

Definitores huius congregationis fuerunt: reverendus pater Georgius Klostermaier, qui tamen non potuit secundum statuta Ordinis esse Definitor; 2. reverendus pater Wolfangus Schmilckoffer, postmodum electus in Provincialem; 3. Aegidius Gruntner; 4. Iohannes Nasus.

Numerus defunctorum Fratrum 26.

Conventuum ordo hoc anno: 1. Moguntinus; 2. Monacensis; 3. Ingolstadiensis; 4. Landishutanus; 5. Kaysersbergensis; 6. Zaberniensis; 7. Friburgensis; 8. Locus sanctae Ursulae in Fremersberga; 9. Kelheimensis.

---

[1] Dominica III. post Pascha, quae erat 15 Aprilis.

[2] Hoc anno 1557 erat congregatio generalis Romae, et 1559 capitulum generale Aquilae, ubi electus est in Ministrum Generalem Franciscus Zamora; cfr. Chronologia, l. c. t. I. p. 320, et De Gubernatis, l. c. t. III. p. 346.

[3] Cod. hic *Schmilckhoffer*.

[4] Pater Iohannes Nasus, ab auctore Universitatis Ingolstadiensis Annalium, ut dicit ms. Bamberg., *omnis haeresis mastyx et schismaticorum vexator* dictus, erat, ut pater Schatzgerus, celebris defensor Ecclesiae catholicae contra novatores saec. XVI.

Anno Domini 1565 fuit celebratum capitulum generale in Hispania in conventu sancti Francisci, Vallisoleti, Provinciae Castellae [1]. Finito sexennio doctissimi patris Francisci Zamorensis Hispani, qui fuit etiam in concilio Tridentino, electus fuit reverendus pater frater Aloysius Puteus. Commissarius Generalis et Commissarius in Curia, Procurator Ordinis, item et 12 Definitores fuerunt electi et instituti, sicut alias consuetum fuit. Pro utraque familia fuerunt tres reverendissimi olim Generales, reverendissimus pater Franciscus Zamora, reverendissimus pater frater Andreas Insulanus, reverendissimus pater Angelus de Aversa. Nostra Provincia nullum habuit Definitorem Generalem, quia, nescio ob quam causam, non interfuerunt generali capitulo, quod tamen nobis firmiter praeceptum est.

Ordinatum hic fuit inter alia, quod Custos Custodum eligatur in principio vel fine capituli; quod capitula provincialia intermedia possint celebrare Provinciales, aut non, prout expediens fuerit; quod nemo, qui natalium defectum patitur, iuxta sacri concilii Tridentini canonem ad residentiam vel regimen vel dignitatem admittatur.

Ceterum capellanias, quas vocant perpetuas, per conventiones praesertim et instrumenta publica recipi prohibemur, et recepta omnino resignentur, conventionesque et pacta rescindantur. Sed liceat per modum eleemosynae, dumtaxat Missarum subsidia, quae libere oblata fuerint, recipere.

Ordinatur, quod ex duabus Custodiis Mechoacan et Xalisco in novis Insulis una Provincia fiat, quae vocatur Ss. Petri et Pauli.

Provincia S. Iosephi dividatur in duas Provincias, et altera vocetur de Nomine Iesu.

Provincia [2] (XII Apostolorum) de Peru (dividatur in 5 Provincias) et unam Custodiam, (videlicet hoc modo): Custodia Granatensis novi regni vocetur Provincia sanctae Fidei; Custodia S. Pauli vocetur Provincia S. Francisci de Chito [3] in Peru; Custodia Trinitatis de Chile intitulabitur Provincia Ss. Trinitatis; civitas regum (erit Provincia) XII Apostolorum, quae servat suum nomen, quia est mater omnium Provinciarum; civitas Argentina cum toto districtu regalis audientiae (in Provinciam erigitur) et vocabitur Provincia S. Antonii Chiarcarum; regnum Terrae firmae cum Carthagena et Tuluth fit Custodia, subdita Provinciae XII Apostolorum.

Custodia Portugalliae intra montes (censeatur inter) Provincias nobis subditas.

Numerus defunctorum Fratrum 3803, quorum 50 sunt martyrizati in Gallis.

Anno Domini 1566 celebratum fuit capitulum provinciale in Monachio, et in eo electus fuit in reverendum patrem Ministrum Provincialem reverendus pater frater Erhardus Röselmaier.

Definitores huius congregationis: reverendus pater Erhardus Röselmaier, Leonardus Graff, Iohannes Piscator et Iohannes Nasus.

Numerus defunctorum 28.

Defecerunt hic (conventus) Moguntinus et Kaisersbergensis.

---

[1] Custodiae Palentiae (cod. *Provinciae* loco *Castellae*). — Cfr. Chronologia, l. c. t. I. p. 325, et De Gubernatis, l. c. t. III. p. 351.

[2] In sequentibus verba in parentesibus ad claritatem et intelligentiam textus ex Chronologia et De Gubernatis adiicienda putavimus.

[3] Id est « Quito ».

Anno Domini 1569 fuit celebratum capitulum provinciale in conventu Ingolstadiensi, in quo electus fuit in reverendum patrem Ministrum Provincialem reverendus pater frater Leonardus Graff.

Definitores: reverendi patres Leonardus Graff, electus post in Provincialem, Wolfgangus Schmilckoffer, Aegidius Gruntner, Iohannes Nasus; Custos Custodum ad capitulum generale venerandus pater Iohannes Nasus electus fuit.

Numerus defunctorum 10, sororum 18.

Sub hoc capitulo Zaberniensis conventus defecit, proh pudor! nec alii loco huius et aliorum subrogati sunt.

Anno Domini 1571 [1] fuit celebratum capitulum generale Romae, et electus fuit et cooptatus in Generalem Ministrum totius Ordinis (Christophorus de Capitefontium [2]).

Commissarii et Generalis et Curiae et Procurator Ordinis in Curia eadem fuerunt electi et instituti; item et Definitores.

Statuta inter alia haec facta sunt praecipua:

Expleto tempore Definitorum, nullo prorsus gaudeant privilegio aut praerogativa; tempore autem suo gaudent.

Ministri Provinciales visitent cellas, vel res Fratrum more antiquo.

Fratres celebrent officium divinum sive Breviarium novum, et servetur ad amussim Calendarium novi Breviarii. Licebit tamen festa Ordinis iuxta rubricam Breviarii celebrare; similiter et Missale.

Definitores possunt esse Guardiani in eodem capitulo, dispensante tamen Ministro Generali, aut Commissario iuxta diplomata Apostolica.

Servetur canon concilii Tridentini in confessariis offerendis bis in anno monialibus.

Omnes lectores teneantur legere qualibet septimana lectionem casuum conscientiae.

Sacerdotes confessores debeant examinari ab Episcopo de habilitate et scientia.

Provincia, quae non habet tres saltem domos studio litterarum occupatas grammaticae, logicae, theologiae, careat nomine Provinciae et fiat Custodia.

In omni loco legantur casus conscientiae pro hebdomada.

Quicumque equo aut curru per publicas vias civitatum negotietur, poena carceris mancipetur, quod scandalosum est.

Quicumque linteaminibus utantur, voce activa et passiva priventur.

Abbatissae ter exhibeant confessores extraordinarios suis monialibus.

Mortui a capitulo Vallisoleti ab anno 1565 numero 3954.

Eodem anno fuit celebratum capitulum provinciale in conventu Monacensi in festo Nativitatis Mariae, et in eo electus fuit reverendus pater frater Erhardus Röselmaier in Ministrum Provincialem.

Definitores: reverendi patres Wolfgangus Schmilckoffer, Ioachimus Hertel, Iohannes Piscator, Franciscus Kem.

Numerus defunctorum 6.

Ordinatum fuit in hoc capitulo et a verbo ad verbum repetitum, ut novum Breviarium et Missale ad amussim servetur.

---

[1] Cfr. Chronologia, l. c. t. I. p. 328, et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 354.

[2] Id est » Cheffontaines », civitas Galliae. Verba *Christophorus* etc. desunt in cod.

Ab hoc anno per multos deinde annos fuerunt maximae lites et rixae inter Fratres exortae, non sine maximo detrimento et scandalo saeculi.

Anno Domini 1574 fuit intermedium capitulum celebratum, et unanimiter in officio ministeriatus fuit retentus reverendus pater frater Erhardus Röselmaier.

Definitores[1]: reverendi patres fratres Wolfgangus Schmilckoffer[2], Leonardus Graff, Georgius Kner, Georgius Leesch.

Numerus defunctorum Fratrum 2.

Fuit in hoc capitolo magna dissensio, quia patres propriam tabulam fecerunt; similiter et propriam excudit reverendus pater Nasus.

Hic conventus Oenipontanus[3], ab imperatore Maximiliano I. ante multos annos fundatus et a Ferdinando imperatore constructus et completus, fuit incorporatus nostrae Provinciae Argentinae. Et primus Guardianus inter Germanos fuit institutus frater Iodocus Grasmann; nam antehac erant in eo conventu Fratres Italici ex Provincia sancti Antonii per 15 annos. Propter penuriam enim Fratrum in nostra Provincia petitioni imperatoris Ferdinandi patres nostri satisfacere non potuerunt, alioquin statim in principio Fratres Germanos ibidem collocasset. Praedicator: frater Dominicus Hess. Secundus Guardianus: Leonardus Graff; praedicator aulicus pater Andreas Admontanus, praedicator conventus ex capitulo provinciali institutus frater Valentinus Frizius. In sua tabula pater Nasus et annexit nostrae Provinciae conventus duos, scilicet Sebatinensem[4] et Bulsanum Tyrolenses, sed hoc iterum multis de causis in sequenti capitulo provinciali, cuius Praesidens fuit admodum reverendus pater Michael Alvarez, cassatum.

Anno Domini 1576 fuit celebratum capitulum provinciale in conventu Oenopontano S. Crucis, in quo Praesidens fuit admodum reverendus et doctissimus religiosissimusque pater frater Michael Alvarez, reverendissimus Generalis Commissarius nostrae Provinciae, Bohemiae, Austriae, S. Salvatoris in Hungaria.

Definitores electi fuerunt reverendi patres Leonardus Graff, Georgius Kner, Iohannes Dominicus, Iohannes Bernardinus. Custos Custodum ad capitulum generale frater Franciscus Kem electus fuit; socius reverendi patris Ministri Provincialis frater Iohannes Dominicus Hess.

Hic fuit iste conventus[5] a toto capitulo incorporatus Provinciae nostrae; sed Custodiae Tyrolensis unio non fuit acceptata.

Minister Provincialis canonice et magna cum laetitia electus et confirmatus fuit reverendus pater frater Georgius Kner, Guardianus Ingolstadiensis.

Numerus defunctorum Fratrum 10.

Anno Domini 1579 fuit Parisiis celebratum generale capitulum, in quo, finito octennio reverendissimi patris Christophori de Capitefontium, rite et canonice electus fuit reverendissimus pater frater Franciscus Gonzaga, Minister Provinciae sancti Antonii[6], qui erat vir magnae sanctitatis et de multa doctrina, de principum prosapia natus.

---

[1] Haec vocula desideratur in cod. — [2] Manus posterior, ut videtur, delevit hoc nomen.

[3] Oenipontum, theut. «Innsbruck».

[4] Cod. *Schwatz,* Sebatum, theut. «Schwaz», et deinde *Bulzanum,* theut. «Bozen».

[5] Scil. Oenipontanus.

[6] Venetiarum; erat ex oppido «Gazoli», et Episcopus Mantuanus. — Cfr. Annal. Min. Continuatio ad an. 1579, n. XVIII, Chronol., l. c. t. I. p. 333 et De Gubernatis, l. c. tom. III. p. 361.

Commissarii Generalis et Curiae, Procurator Ordinis, Guardianus Ierosolymitanus et Terrae Sanctae Commissarius, 12 Definitores electi et instituti fuerunt iuxta morem consuetum. Inter nostros Definitores primus fuit reverendus pater Georgius Kner, in primo scrutinio ad hoc electus. Fuerunt in hoc capitulo [1]... Fratres, quibus aliquoties rex ipse Galliae affuit, praesertim eorum publicis disputationibus, concionibus et mensae, gratissimumque se erga illos ostendit. Fuerunt etiam in hoc capitulo quatuor ex novis Insulis.

Anno Domini 1580 fuit celebratum capitulum provinciale in conventu Landishutano, in quo electus fuit in reverendum patrem Ministrum Provincialem reverendus pater frater Iohannes Piscatoris.

Definitores huius venerabilis congregationis fuerunt reverendi patres fratres Wolfgangus Schmilckoffer, Iohannes Franciscus, Iohannes Piscatoris, postmodum electus in Provincialem, Cyprianus Cyponius, praedicator Ingolstadiensis.

Conventuum numerus: Bambergensis, Monacensis, Ingolstadiensis, Landishutanus, Kelheimensis, Fremersbergensis. Et sic partim per haereticos, partim per negligentiam Fratrum ablati sunt huic Provinciae sanctissimae et amplissimae 22 conventus.

Hoc anno et instante hoc capitulo facta fuit divisio conventus Friburgensis, Oenipontani et Brixinensis, et fuerunt per Summum Pontificem ad instantiam quorundam coniuncti Custodiae Tyrolensi. Ex quibus conventibus facta fuit una Provincia.

SECUNDA APPENDIX [2].

DE CONVENTIBUS:

Basileae.

Anno Domini 1260 [3] fuit data area et fundus, vulgariter *Alment*, ab Episcopo Basileensi Berchtoldo et Canonicis maioris ecclesiae et civibus Basileensibus ad aedificandum monasterium atque ecclesiam pro Fratrum habitatione.

Item, anno 1443 [4] tempore concilii Basileensis fuit conventus reformatus maximo labore per patrem Leonardum Meyer, pro tunc Guardianum. Cuius anima requiescat in sancta pace.

Et fuerunt in Provincia Argentinensi sex conventus reformati dumtaxat, videlicet Basileensis, Rubeacensis, Norimbergensis, Tübingensis, Pforzheimensis et Fremersbergensis. Et super hos auctoritate concilii Commissarius fuit reverendus pater frater Nicolaus Caroli etc.

---

[1] Sequitur spatium vacuum, ubi primitus scriptus erat numerus quidam, qui tamen postea deletus est.

[2] Quae nunc sequuntur, habentur in principio cod. a fol. 1a usque ad fol. 5b.

[3] Secundum ms. Bambergense sedem fixerunt extra muros an. 1233; anno 1250 translati sunt intra civitatem per Episc. Bertholdum. — Cfr. etiam Dr. Adolf Koch, Die frühesten Niederlassungen der Minoriten im Rheingebiete etc., Leipzig 1881, p. 11, qui auctoritate Fr. Bernardi Müller, Chronicon Franciscanorum Prov. Argent., 1704, posuit an. 1231.

[4] Cfr. supra pag. 309.

Moguntiae.

Anno Domini 1253[1] inceperunt Fratres aedificare conventum Moguntinum, primum lapidem ponente reverendissimo in Christo patre et domino, domino Gerhardo, Archiepiscopo Moguntino. Qui conventus post anno 1330 cum ecclesia et omnibus quasi officinis combustus est. Sed fidelium devotione adiuti, Fratres eundem refecerunt in structuram, quae modo manet. Huic conventui praefuit multis annis doctissimus ille frater Iohannes Ferus[2] ultra annum 1531. Reformatio conventus facta est anno 1469[3].

Heidelbergae.

Circa annum 1268[4] quidam Herbordus de Neckerau[5], dives valde, cum sua uxore, dicta Kübissin, fundavit propriis expensis conventum Heidelbergensem pro habitatione Fratrum Minorum extra muros eiusdem oppidi iuxta fluvium Neccarum in via versus Spiram ad iactum balistae a porta, ubi aliquamdiu in simplicitate manserunt Domino famulantes. Cum autem dictus conventus ob bellorum incommoda bis incendio fuisset devastatus, circa annum 1331[6] incolae dicti oppidi, plurimum devoti Ordini, timentes, ne tandem propter dissensionem ducum Bavariae et Palatinatus Fratres omnino a loco diverterent, intra muros oppidi conventum construere satagebant. Unde gratiosa domina Mechtildis de Nassau, illustris principis ducis Ruperti senioris, comitis Palatini ac sacri imperii archidapiferi, mater, pro fundo conventus aream contulit, in quo cum gaudio Fratres conventum erigere festinabant. Dictus autem dux Rupertus, cum adhuc esset infans, generosae matris intentionem adimplere volens, primum lapidem pro choro posuit. Aedificatisque ibidem pauperculis casallis, sanctissimus dominus Iohannes XXII, anno pontificatus sui primo, commisit Episcopo Curiensi[7], ut Fratres de priori loco extra portam ad novum intra muros introduceret, quod et factum est anno 1331, II. idus Septembris[8].

Anno autem 1375 supradictus dux Rupertus cum sua devota coniuge, domina Elisabetha de Namurcka[9], praedictam aream ampliarunt, muro circumdederunt; ecclesiam, domum versus coemeterium, item aliam versus castrum cum ambitu et aliis necessariis pro tunc aedificiis summa cum devotione construxerunt, ubi usque modo Fratres Domino famulantur. Reformatio conventus facta est 1426[10].

Pforzhemiae.

Anno 1270[11] intraverunt Fratres oppidum Pforzhemiam in dominio marchionum de Badena, ubi, paulatim divulgata fama et vitae honestate, coeperunt aedificare mo-

---

[1] Cfr. Dr. Koch, l. c. p. 31.
[2] De quo ms. Bamberg. p. 71. — Cfr. supra pag. 443.
[3] Duae ultimae propositiones sunt adiunctae a manu posteriore.
[4] Secundum ms. Bamberg. p. 56 iam an. 1248.
[5] Cod. *Neckeraw*. — [6] Ms. Bamberg.: 1320.
[7] Curia Rhaetorum est theut. «Chur», civitas Helvetiae. — [8] 13 Septembris.
[9] Namurca (Namurcum) est «Namur», civitas Belgii.
[10] Ultima propositio est a manu posteriore. — Cfr. supra pag. 283.
[11] Ita etiam ms. Bamberg. p. 57. — Cod. *Pfortzen* pro *Pforzhemia* et *Paden* loco *Badena*.

nasterium et ecclesiam. Circa annum 1274 aedificata ecclesia et Fratres a pluribus Episcopis Alemanniae pro fabrica indulgentias impetraverunt, ubi Fratres in brevi valde profecerunt, loca conventualia construendo. Reformatio huius conventus facta est 1443.

Sefflingae.

Anno Domini 1237 sancta Clara misit sorores aliquas sanctas virgines ad Bohemiam et Alemanniam per Tridentum, ubi monasterium pro eis erectum est; venerunt Ulmam, ubi aliquae ex ipsis remanentes, coeperunt aedificare pauperculum quoddam monasterium sive habitaculum in quodam loco, dicto *Uff dem Griess*, ubi modo est hospitale S. Elisabethae satis opulentum; ubi primum sub regula seu institutionibus S. Benedicti vixerunt, observantes nihilominus constitutiones S. Clarae, matris suae; tandemque regulam sancti Benedicti relinquentes, institutionibus S. Clarae totaliter inhaeserunt. Prima autem Abbatissa vocabatur Hedwigis. Erat autem tunc temporis quidam maturus et devotus Frater Ordinis nostri Minorum, Albertus nomine, cuius ducatu et directione sorores illae in omni sanctitate viventes, valde profecerunt, aedificantes habitaculum in dicto loco, ubi tunc erat quaedam curia, nomine *Münchhof uff dem Griess*, quam quidam nobilis, Udalricus de Freiberg[1], libere dictis sororibus obtulit. Cum autem sorores illae devote ibidem aliquot annos habitassent, ob nimiam inquietudinem et importunitatem locum mutare decreverunt extra oppidum Ulmam. Quod audiens quaedam devota matrona, comitissa de Dillinga[2], ex consensu et favore comitum de Dillinga aream in Sefflinga dictis sororibus obtulit et dotavit monasteriumque ibidem fundavit pro septuaginta duabus sororibus Ordinis S. Clarae, ipsa S. Clara adhuc vivente. Unde et monasterium illud «Sefflinga», hortus B. Mariae Virginis nominatum, in Superiori Alemannia primum fuit, in quod sorores illae devotae et sanctae intraverunt, primum anno 1258 in die Purificationis beatae Virginis; cui Alexander Papa IV. eadem privilegia communicavit, quae sorores S. Clarae in sancto Damiano habuerunt, ut litterae eiusdem testantur. Quaedam etiam sorores devotae ex ordinatione S. Clarae, dum adhuc in humanis ageret, ex Colonia, ibidem Ordine S. Clarae plantato, ad Ulmam redierunt, ferentes secum tria capita sanctarum Virginum ex societate S. Ursulae, quae hodie in Seffllinga manent. Sicque monasterium illud in Superiori Alemannia quasi mater aliorum monasteriorum Ordinis sanctae Clarae fuit, utpote: Anger in Monachio, sanctae Caeciliae in Pfullinga, sanctae Mariae Magdalenae in Norimberga, sanctae Agnetis in Herbipoli, et aliorum quamplurimorum[3], quae a dicto monasterio «Seefflingae» ortum et progressum sumpserunt. Reformatus est hic conventus anno 1484.

Pfullingae.

Anno domini 1250, vivente adhuc S. Clara, inchoatum est monasterium Ordinis sanctae Clarae prope Pfullingam in ecclesia S. Caeciliae virginis a devotis et nobilibus dominabus Irmela sive Irmegilda et Mechtilda circa festum S. Martini.

---

[1] Cod. *Frybergk.* — [2] Willburgis dicta. Pro *Dillinga* cod. *Dillingen;* est civitas Bavariae, et pro *Sefflinga* semper *Sefflingen.*

[3] Cod. *aliarum quamplurimarum.*

Anno vero Domini 1252 in festo S. Othmari Abbatis [1] venerunt sorores ex Ulmae sive Seflingae monasterio, quod iam inchoatum fuerat, licet nondum consummatum, et introductae sunt solemniter in dictum monasterium prope Pfulligam.

Anno autem Domini 1278 in festo S. Catharinae [2] illae duae devotae matronae supra nominatae receperunt habitum Ordinis S. Clarae, in quo inibi sancte viventes, felici fine vitam clauserunt in Dei famulatu.

Brixinae.

Anno 1254 tempore Innocentii IV. sorores in monasterio extra muros civitatis Brixinensis in « Runckada », cuius ecclesia hodie in honorem S. Elisabethae dedicata est, acceperunt regulam et modum vivendi S. Clarae. Nam antea sub nulla certa regula viventes, honeste tamen valde conversabantur, a mundo abstractae. Quam quidem regulam Gregorius IX, in Minoribus constitutus, sanctae Clarae dedit observandam, sicut et Honorius III. ante fecerat; similiter et Innocentius IV, qui anno eius primo Abbatissas in Ordine haberi instituit, et redditus in dicto monasterio haberi decrevit, et monasterio S. Damiani prope Assisium incorporavit. Nam antea Priorissas tantum habuerunt et *pauperes Dominae* vocabantur, ut patet in litteris Episcopi et Capituli Ecclesiae Brixinensis. Dominus quoque Raynaldus, Episcopus Hostiensis, post Alexander Papa IV, secundus Ordinis Protector, dictum monasterium prope Brixinam Ministro Austriae subiecit, consentiente Innocentio, anno eius IX, quod et Alexander IV, anno sui pontificatus III. confirmavit. In quo loco sorores multum tam coram clero quam populo honeste viventes profecerunt.

Alensbachii.

Anno domini 1283, XV. kalendas Augusti [3] incepit nova plantatio Ordinis sanctae Clarae in monasterio Alensbachio [4] prope Kaysersbergam, in quo ab initio eiusdem monasterii habitaverant moniales Ordinis S. Benedicti, quarum levitate et prodigalitate, dum ab Ordinis regulaeque suae rigore declinassent et bona monasterii ex integro dilapidassent, tandem traditum est sororibus Ordinis S. Clarae, quae antea in oppido Kienshemia [5] iuxta ecclesiam parochialem asseruntur moram traxisse, prout inibi adhuc Ordinum tam Minorum quam S. Clarae imagines parietibus depictae testantur. Prima igitur die ingressus ad dictum monasterium 40 personae nobiles et honestae, saeculum relinquentes, Ordinem S. Clarae assumpserunt, et in praesentia dominorum terrae et primatum [6], utriusque sexus innumerabili multitudine de circumadiacentibus civitatibus, oppidis et villis terrisque cum maxima solemnitate habitum Ordinis assumentes, monasterium intraverunt, in quo et in sancta regula viventes, valde profecerunt.

---

[1] 16 Novembris. — Pro *Pfullinga* cod. *Pfullingen.*

[2] 25 Novembris. — [3] 18 Iulii.

[4] Cod. *Alensbach prope Keysersperg.*

[5] Cod. *Künsheym;* civitas «Kiensheim» sita est in Alsatia.

[6] Supple: ac praesente (vel: assistente); aut legendum est: primatum ac utriusque sexus innumerabilis multitudinis.

Heilbrunnae.

Primum quidem monasterium Ordinis sanctae Clarae fuit iuxta oppidum imperiale Heilbrunnam in quadam villa, dicta *Fleyn*, in solo et dominio nobilium de Thalheim[1], qui pauperculis sororibus plura bona temporalia intuitu divini honoris contulerunt, prout in litteris desuper confectis sub anno Domini 1293 reperitur. Aestimo autem, sorores primas similiter ex Seffling ibidem Ordinem S. Clarae plantasse, adiunctis aliquibus ex Pfullinga. Procedente autem tempore, ob bellorum incommoda et loci penuriam ad oppidum Heilbrunnam sunt translatae cum omni supellectili et attinentiis suis, ubi monasterium quoddam humile et exiguum in angulo civitatis aedificantes, in penuria Domino famulabantur. Quibus tandem inibi moram trahentibus, iterum domicelli nobiles de Thalheim donaria in certis possessionibus dederunt, prout litterae sub anno Domini 1331 desuper confectae testantur. In quo loco adhuc manent, Domino famulantes.

Bambergae[2], S. Clarae.

Anno Domini 1341 inchoatum est monasterium sororum Ordinis sanctae Clarae in civitate Bambergensi in platea *Zinckenwerd* per devotam quandam virginem Catharinam Zollnerin, et primus lapis positus. Anno vero 1343 in die sancti Thomae Canturiensis[3] sorores eiusdem Ordinis sunt introductae, ubi hodie manent, Domino famulantes.

Fremersbergae.

Circa annum Domini 1411 in latere montis «Fremersberg» deorsum inter Badenam[4] marchionum et Steinbachium habitavit quidam devotus frater silvanus nullius Ordinis approbati, nomine Henricus Mülhansen. Hic in dicti montis latere coepit aedificare quandam capellam ligneam in honorem Ss. Trinitatis, beatae Virginis Mariae et sanctae Ursulae, quae una cum altari eius fuit consecrata anno Domini 1413. Cum autem devotio populi cresceret circa simplicitatem illius devoti Fratris, aliquos ad se venientes simplicianos in suam confraternitatem, vel potius societatem recepit. Unde et ipse, motus pietate et Ordinarii fretus auctoritate, aliam ecclesiam paulo maiorem ex lapidibus, devotione sibi assistente fidelium, construi procuravit, circa annum Domini 1415.

Et quia illustris princeps dominus Iacobus, marchio Badensis, Fratrum Minorum Observantiam in Pforzhemia[5] iam introduxerat, et dictus frater Henricus iam mortuus fuerat, tradidit eandem capellam eisdem Fratribus Minoribus cum illa paupercula domo per silvanos constructa, resignando omnia in manus reverendi patris fratris Caroli, tunc Vicarii Provincialis dictorum Fratrum, circa annum 1451[6]. Qui

---

[1] Ita msc. Bamberg., cod. *Talheym*.

[2] Cod. *Bambergk* et deinde *Fremerssbergk*. — [3] 29 Decembris.

[4] Cod. *Baden* et deinde *Steynbach;* Steinbach est civitas Badensis.

[5] Cod. *Pforzenheym*.

[6] Probabiliter ipse auctor scripsit *o* supra *1* (1450).

princeps, Deo et beato Francisco devotus, anno Domini 1453 debitum universae carnis exsolvens, posteris sui generis domum dictam quasi memoriale salutiferum tuendum et protegendum, immo et in sancta Observantia conservandum dereliquit. Igitur Fratres Minores dicti locum praefatum acceptantes, maximis laboribus in eum quem nunc videmus statum evexerunt, devotione fidelium et potissime domus marchionum sibi assistente; ubi usque hodie perseverantes, Domino devotum exhibent famulatum.

Leonbergae [1].

Fratres Minores in oppido Leonberga et circa inveniuntur habuisse tria loca suae habitationis sive mansionis. Primo quidem in «Mallinstein» in silva prope villaggium «Gerlingam», ubi nunc Fratres silvani nullius Ordinis existentes manent. Ex tunc generosus dominus Eberhardus Württembergensis, barbatus, impetravit Bullam a sanctissimo domino nostro Pio II. Pontifice Maximo anno Domini 1459, vigore cuius construxit quoddam eremitorium in valle subtus oppidum Leonbergam apud capellam S. Mauritii, vulgariter *Beyssen*, in quo et Fratres collocati aliquamdiu moram in paupertate et simplicitate traxerunt.

Anno autem Domini 1467 in crastino [2] sanctae Luciae dictus comes vigore supradictae Bullae transtulit Fratres ad oppidum Leonbergam cum maxima solemnitate, praesente reverendissimo domino Suffraganeo reverendissimi domini Spirensis Episcopi, facta processione solemni et iucunda a dicto loco *Beyssen* usque ad supradictum oppidum Leonbergam et ecclesiam ibidem Fratribus deputatam. Quo die fuit consecratum altare sancti Michaelis, et exinde Fratres loca conventualia adaptaverunt construendo, aedificando et laborando fideliter, donec perfecerunt, non sine maxima animi distractione et anxietate; ubi et modo famulantur Domino.

Sancti Udalrici prope Barr.

Ecclesiam sancti Udalrici prope villagium Barr aliquando habuerunt Fratres silvani; quae fuit aedificata et multis gratiis et indulgentiis dotata circa annum Domini 1283 tempore Nicolai Papae IV.

Anno autem Domini 1460, aut circiter, fuit assignata Fratribus Minoribus de familia; quam et domos pro sua habitatione aedificare et ad modum regularem reducere studuerunt ex diversis eleemosynis, cooperantibus sibi multum venerabili domina Susanna de Eptingen, Abbatissa in Andlavia [3], et nobili matrona Susanna de Utenheym, quae largissimis eleemosynis suis fundatrix, erectrix quasi totius aedificii meruit dici. Attamen, quia locus pro monasterio satis arctus erat, dominus Ludovicus de Andlavia, miles in Wörth [4], partem notabilem pro fundo monasterii dedit; qui etiam ecclesiam de novo erectam consecrari fecit anno 1463. Licet autem

---

[1] Cod. semper *Leonbergk;* Leonberga est theut. «Leonberg», civitas Württembergae; deinde cod. *Mallinsteyn* et *Gerlingen.*

[2] 14 Decembris.

[3] Id est «Andlau» in Alsatia, cod. hic et deinde *Andelaw.*

[4] Civitas Alsatiae; cod. *Werdt.*

primum Fratres inibi habitaverint speciali auctoritate Summi Pontificis, attamen sanctissimus dominus Paulus II. factum habuit ratum, et nihilominus sanctissimus dominus Sixtus IV. Bullam pro eodem conventu et Kaysersbergensi dedit, omnia confirmantem et supplentem defectus.

Rietfeldii [1] prope Novam Civitatem.

Anno Domini 1459 [2] illustres principes Iohannes et Albertus, marchiones Brandenburgenses, impetrarunt a sanctissimo domino nostro Pio II. licentiam recipiendi ecclesiam S. Agathae virginis et martyris in Rietfeldio prope Novam Civitatem iuxta fluvium « Aisch », in qua plura fiebant miracula ad intercessionem S. Wolfgangi Episcopi. Ex tunc Fratres Minores aedificare loca conventualia et officinas iuxta loci quantitatem, assistentibus eisdem praedictis dominis marchionibus et devotione fidelium, coeperunt.

Anno autem Domini 1460 devota matrona, domina Usmerin, civissa Norimbergensis [3], relicta vidua Friderici Usmer, expendit in aedificationem conventus et ornamenta ecclesiae ultra sexcentos florenos. Hunc ergo conventum sive locum tempore reverendi patris fratris Iohannis de Lare, Vicarii Provincialis, et venerandi patris fratris Caroli, Commissarii, recepit venerabilis pater frater Albertus Büchelbach, Guardianus Norimbergensis. Primus autem Guardianus eiusdem loci fuit venerabilis pater frater Iohannes Kosla, missus illo anno Domini 1462, sub quo conventus plurimum profecit in structuris et moribus.

Mengenbergae [4].

Anno Domini 1459 sanctissimus dominus Pius II. ad instantiam illustris principis Ottonis, ducis Bavariae et Palatini Rheni etc., assignavit ecclesiam beatae Mariae Virginis in monte prope villagium *Meng* Fratribus Ordinis Minorum de Observantia et aream iuxta pro loco sive conventu erigendo. Qui quidem ex diversis eleemosynis inceperunt aedificare loca conventualia, cooperante plurimum Deo et beato Francisco devota matrona Anna Usmerin, civissa Norimbergensi, vidua relicta Friderici Usmer, quae in subsidium aedificii et rerum necessariarum ultra sexcentos florenos expendit. Unde conventum erectus est, dirigente negotium venerabili patre fratre Alberto Büchelbach, Guardiano Norimbergensi.

Lenzfriediae.

Conventus prope Campidonam [5] multis laboribus et periculis a sui principio vix tandem ad perfectum deductum est. Nam anno Domini 1458 fuerunt Fratres introducti per quendam egregium virum, doctorem Iohannem Mercklin, plebanum eccle-

---

[1] Cod. hic et deinde *Riethfeld*.
[2] Ms. Bamberg.: 1456.
[3] Cod. hic et deinde *Nurunbergensis*.
[4] Cod. *Mengerbergk*; Mengenberg est pagus dioecesis Eistadiensis, ut dicit ms. Bamberg.
[5] Id est est theut. « Kempten » in Bavaria.

siae S. Magni Campidonensis, et ab honesta matrona Barbara Thomannyn cum multa devotione sunt recepti, immo etiam flexis genibus ante illos quinque Fratres. Inter quos fuit frater Martinus Wela, egregius praedicator et honestae conversationis, qui in oppido Campidonensi non parum profecit et potiores cives de consulatu negotio favorabiles reddidit. Inter quos fuerunt singulares benefactores: Ulricus Schneck [1] sacerdos, domicellus Nicolaus de Griesinger et quidam cives Ulmensis, Henricus Bellzinger. Unde et tam senatores quam vulgus Fratribus affecti, obtulerunt eisdem Fratribus locum manendi iuxta quandam capellam S. Ursulae extra muros oppidi Campidonensis, vulgariter *zum Riech.* Sentiens autem dictus doctor Iohannes Mercklin affectum hominum utriusque sortis, status et sexus circa Fratres, avertit ab eis animum et favorem et tantum impedire Fratres studuit, quanto conamine prius eosdem promovit, nec cessavit, donec divino iudicio in quadam ripa mersus, interiit.

Sed et reverendus dominus Abbas Campidonensis, Gerwicus nomine, in faciem Fratribus et eorum fautoribus restitit. Cum enim dominus Nicolaus Griesinger domunculam Fratribus prope castrum suum, nomine *Fischingen*, aedificasset pro eorum habitatione, dictus Abbas eos expulit, empto castro.

Praedictus autem Henricus Bellzinger tandem emit fundum pro habitatione Fratrum et pia cautela usus, Fratribus applicavit, resignans totum ius suum in manus fratris Martini Wela et aliorum Fratrum. Sed nec sic profecerunt, immo iterum expulsi fuerunt, donec post multas persecutiones et pericula frater Martinus de Wela, assumpto socio, ad Romanam Curiam se conferens, a sanctissimo domino Pio II. licentiam aedificandi sub plumbo obtinuit et facta ratificavit. Unde anno Domini 1464 in die sancti Pancratii [2] primus lapis positus fuit pro aedificanda ecclesia.

Anno autem 1466 ecclesia, chorus et coemeterium in die S. Barbarae [3] consecrata sunt, et tandem de anno in annum Fratres, assistente eis devotione fidelium, profecerunt verbo et exemplo cunctaque perfecerunt aedificia pro laude Dei, ubi modo Fratres manent.

Bünicken.

Anno Domini 1477 in capitulo Bambergensi recepta est ecclesia beatae Mariae Virginis prope oppidulum Bünicken; in qua capella a pluribus annis plurima miracula contigerunt ob merita eiusdem gloriosae Virginis. Ex illo ergo capitulo ordinati fuerunt Fratres ad dictam capellam, qui loca conventualia ordinant pro Fratrum habitatione; et ecclesia ampliata consecrata fuit et una cum domibus et attinentiis Fratribus Minoribus de Observantia assignata.

Kaysersbergae.

Anno Domini 1482 in die S. Pancratii positus est primus lapis fundamentalis pro aedificatione chori et ecclesiae Fratrum Minorum in Kaysersberga in praesentia generosi domini, domini Henrici, comitis Würltembergensis, et domini Gulielmi de

---

[1] Ms. Bamb.: *Schnegg, Greissingen, Pelzinger.*

[2] 12 Maii. — [3] 4 Decembris.

Rapolsteyn, baronis, Henrici de Ratzenhusen, militis praefati oppidi Kayserspergae, et[1] maxima multitudine populi, qui omnes cum ingenti gaudio ad diem festum convenerant. Ex post autem anno Domini 1484, in festo sancti Iacobi[2] Apostoli, introducti sunt Fratres Observantiae regularis de familia ad dictam ecclesiam et oppidum cum maxima solemnitate et tripudio civium et totius plebis, quae undique concurrerat, accensisque luminaribus (sic!) manibus portantes, per plateas hinc inde ornatas deducebantur, praesente reverendissimo in Christo patre et domino, domino Suffraganeo Basileensis Episcopi, et obviam venientes cum senatu, clero et universo populo civitatis versus monasterium Alensbachium sororum Ordinis S. Clarae.

Nam Fratres ipsi, relicto eremitorio, iuxta ecclesiam S. Iohannis Baptistae in dominio seu agris monasterii supradicti, ubi habitaverant segregati a tumultu populi XXVI annis, cum processione venerabile Sacramentum Eucharistiae deferentes versum oppidum Kaysersbergam, ad quod tandem solemniter introducti per reverendissimum dominum Suffraganeum. Ecclesia cum solo et aedificiis ad monasterium pertinentibus reverendo patri fratri Iohanni Alphart, Vicario Provinciae Argentinensis, assignata est et pro perpetua inhabitatione Fratribus deputata auctoritate Apostolica. Quo die ecclesia, chorus et quatuor altaria sunt consecrata cum coemeterio extra et parte ambitus intra conventum ad laudem Dei. Amen.

Crucenaci[3].

Anno Domini 1484, dominica[4] infra Octavam Assumptionis beatae Mariae Virginis, introducti sunt Fratres Minores cum reverendo patre fratre Iohanne Alphart, Vicario Provinciae Argentinensis, cum maxima solemnitate, praesentibus illustri principe domino Iohanne, duce Bavariae, cum sua illustri uxore et nobilissima prole, copiosaque multitudine clericorum, nobilium et plebis utriusque sexus, status et conditionis; qui Fratres cum hymnis et canticis obviam venientes deducebant ab ecclesia parochiali ad ecclesiam sancti Wolfgangi et conventum iuxta eam cum suis officinis perfectum; ubi ante fores ecclesiae, lecta Bulla Apostolica, dictus illustris princeps coram omni populo tradidit claves dicto reverendo patri Vicario Provinciae, assignando ei eiusque successoribus de Observantia et familia conventum cum omnibus attinentiis. Quem quidem conventum illustris princeps Fridericus, Bavariae dux et comes in Spanheym, genitor praedicti ducis Iohannis, fundavit et usque ad perfectum deduxit, assistente sibi devotione fidelium, et intercedente S. Wolfgango, cuius meritis iam antea plura miracula in variis languoribus Deus operatus fuerat. Quo die ipsa ecclesia cum choro et certis altaribus fuerunt consecrata ad laudem Dei omnipotentis. Amen.

Zaberniae.

Anno 1486 in die Divisionis Apostolorum[5] intraverunt Fratres conventum Zaberniensem, ubi prius habitaverant quidam Religiosi, dicti *Steygenses*, quorum quidam Ordinis Praedicatorum Frater fuerat caput et principium. Attamen quia totus Ordo

---

[1] Supple: *praesente* vel *assistente*. — [2] 24 Iulii.

[3] Cod. *Crützenach*. — [4] 17 Augusti, et erat dominica XI. post Pentecosten.

[5] 15 Iulii.

sive modus ille vivendi in suis monasteriis — quinque scilicet dumtaxat in orbe universo existentibus — defecerat, crescentibus concupiscentiis malis, reverendissimus dominus Albertus, Episcopus Argentinensis, frater Ottonis, ducis Bavariae, reverendum patrem fratrem Iohannem de Lindenfels, Vicarium Provinciae Argentinensis, cum pluribus notabilibus patribus Provinciae supradictae, fretus auctoritate Summi Pontificis Innocentii VIII, introduxit cum maxima solemnitate et conventum Vicariis Fratrum de Observantia et familia perpetuo subiecit, assignatis eisdem clavibus conventus in nomine Praepositi ecclesiae collegiatae dicti oppidi Zaberniensis, qui antea in dicto monasterio ultimus Prior fuerat, et una cum aliis dominis, quorum intererat, in huiusmodi translatione consensit, ad Dei gloriam. Amen.

FINIS.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Quoad Ministros Provinciales et capitula Provinciae Argentinensis etc. conferatur liber a R. P. Conrado Eubel O. M. Conv. maxima cum diligentia compositus: Geschichte der oberdeutschen (Strassburger) Minoriten-Provinz, Würzburg, F. X. Bucher 1886; et Fortunatus Hueber, Dreifache Chronik.

pag. 17. lin. 13. supra potius legendum est: *compulerunt; haec* pro *compulerunt. Haec.*
» 22. nota 6. l. 1 et 4. *Tyroli* pro *Tyrolo.*
» 24. de nota 6. cfr. pag. 100 nota 4.
» 29. » 11. » *Episc. Spirensis* est error in cod.; legendum est *Hildesiensis,* ut refert fr. Iordanus in suis chronicis c. 35.
pag. 34. nota 4. lin. 1. *optimo* pro *optime.*
» 40. » 1. supra *domum* pro *donum.*
» 46. nota 1. *electum* pro *electus.*
» 47. » 2. » *Colonia* pro *Coloniam.*
» 52. » 16. ab infra *compatientibus* pro *compatienbus,* et l. 8. ab infra legas: Iord. *et* Lomb. (quod verbum deest in cod.).
pag. 54. lin. 2. ab infra *idibus* pro *idus* (quod habet cod.).
» 57. » 16. supra *Tridento* pro *Tridentino.*
» 58. » 1. » *fragrantiam* pro *fragantiam* (quod leg. cod.).
» 63. » 22. supra: Auctor cod. ms. confundit hic duas res: capitulum scilicet Definitorum sic dictum (de quo etiam Eccleston, l. c. coll. XII. loquitur, quin tamen consignet annum, quo erat), et capitulum generale Bononiae, ut communiter dicitur, habitum, quod Wadding. et Iohannes de Kom. — qui in hoc Marianum et Marcum Ulyss. secuti etiam errant circa annum electionis Haymonis — volunt fuisse an. 1242; probabilius tamen erat 1243. Secundum Bernardum de Bessa, l. c. (Chron. XXIV Gen. f. 76. v. c. II.) sub ministerio Haymonis erat capitulum Definitorum apud Montempessulanum. Hoc Wadding. cum Mariano asserit fuisse an. 1240; quod tamen prorsus improbabile est, quia, ut clare patet ex Eccleston, l. c. coll. XIII, Haymo non, ut dicunt auctores isti, an. 1239, sed 1240, et quidem 1 Nov., in Min. Gen. electus est. Hinc illud capitulum Definitorum, cui adfuit Haymo, et quod pronuntiavit mandatum memoratum scribendi super regulam, post an. 1240 factum esse debet.
pag. 66. lin. 11. *butiglario* (butigulario), *sculteto* pro *Butigulo sculteto* (uti habet cod.), et l. 21. supra *Craftonis de Boxberg* (cfr. Regesta Boica, II. 345) pro *Crastonis de Gopperg* (quod habet cod.).
pag. 70. lin. 4. ab infra pro *de Steyncalsi* ms. Bamberg. legit *Steincolae prope Spiram;* delenda sunt igitur p. 71. nota 1 verba: est forsan etc.; et nota 4. *potius* pro *potuis.*
pag. 71. lin. 4. supra *beneficia* pro *beneficiis.*
» 72. » 8. ab infra: Quae dicuntur de Gulielmi libello diffamat. pertinent ad an. 1257.
» 75. nota 1. *Paulum* pro *Pautum.*
» 78. » 13. pro « ad Soldanum Babyl. » intellige: contra paganos Borussiae, uti ex sequentibus patet.
pag. 83. lin. 7. supra *Ministro* pro *Mininistro.*
» 83. » 17. » p. 107. l. 10, p. 121. l. 12 et p. 145. l. 5. ab infra *Berolinum* pro *Berlinum.*
pag. 83. nota 3. et p. 107. nota 5. respectu « Freiburg » cfr. p. 194, nota 6.
» 84. » 15. ab infra: pro *Potanis* legit Hueber (Dreifache Chronik p. 70) *Potams.*
» 86. » 20. ab infra *appelationi* pro *appelatione.*
» 88. l. 2. et p. 94. l. 15. ab infra, p. 96. nota 4, p. 101. l. 2. ab infra, p. 102. l. 2. et 3. supra, p. 126. nota 2. *Basileensis* pro *Basiliensis* (ita cod.).
pag. 88. nota 4. lin. 1. *Iohannes* pro *Iohannis.*
» 90. » 17. ab infra *praedicto* pro *pradicto.*
» 92. » 9. ab infra *Quia* pro *Qui,* et p. 93 l. 3. supra *Magdeburgensis, in* pro *Magdeburgensis in;* l. 9. ab infra *videamur* pro *videamus.*
pag. 98. lin. 3. et p. 101. l. 1. supra D*roco* pro V*roco (Dorchen).* Ita enim exhibent istud nomen duo transsumpta annorum 1285 et 1287, quorum primum asservatur in archivo Status Lucernae, alterum in archivo Fr. Min. Conv. Herbipoli: ideo deleatur nota 4. — Lin. 6. supra: memorata transsumpta exhibent: *Simon de Lans* (Lansio). Ergo Waddingus (nota 4.) errat. — Lin. 7. cod. legit *Bibomo,* non *Bibonio;* et l. 10. ab infra leg. est *vidimavit* pro *vidimiavit.*
pag. 100. lin. 13. supra *Ptolemaida* pro *Ptolomaida* (quod habet cod.).
» 101. » 1. » *Sim. de Lansio* pro *Sim. Dolensi* (quod leg. cod.); et l. 6. p. 112. l. 9. ab infra et nota 7. *Avenionem* pro *Avinionem.*
pag. 101. lin. 13. supra *dicebatur de Chuntzelsau* (theut: Künzelsau, oppidulum Würtembergae ad fluvium « Kocher » situm) pro *Dochuntzelsan.*

pag. 104. lin. 13. ab infra de Hermanno de Gerstagen cfr. Hueber, l. c. p. 70, ubi dicitur: Gersthagen in Alsatia.

pag. 106. lin. 17. supra *lector* pro *letor*, et nota 6. *Accon* pro *Ancon*.

» 107. » 3. » *Lympurk* (Lünburg) pro *Hymburk*. Imagina enim (Imina, Mena, Meina) erat filia domini de Lünburg (ad fluvium « Lahn »), Gerlach I, filii Henrici I, domini de Isenburg (etiam ad eundem fluvium situm). — Nota 5: *Neustadt* probabiliter est *Neustadt-Magdeburg* in Saxonia.

pag. 108. lin. 15. supra *Odendorf* (propre Hallam Suevicam) pro *Oderndoff* (ita cod.).

» 122. » 15. » *elucescant* pro *eluscescant*. — De nota 2. cfr. p. 223. nota 3.

» 124. » 2. » p. 127. nota 4. et p. 135. nota 3. legendum est *Thalheim* pro *Tailheim*, et non est *Kelheim*.

pag. 125. lin. 12. ab infra: Benedictus, scil. de Waldstein (cfr. Gams, Ser. Episc. p. 267) erat tempore Innocentii VIII. (1484-1492) Episc. de Camin (1486-1498).

pag. 127. lin. 4. » pro*curatoribus* pro *curatoribus*.

» 128. » 15. et p. 151. l. 2. ab infra, ac p. 149. nota 3. *Belna* pro *Belua* (ut legit cod.). Est enim Galliae civitas *Beaune*.

pag. 135. lin. 8. Inter Episcopos auxiliares Bambergenses legitur: Waltherus Episc. *Nicopolitanus* pro *Suronensis*.

pag. 144. lin. 7. » *Ariani* pro *Arimini*; cfr. p. 196. nota 3.

» 145. » 9. ab infra *coepit* pro *coepi*.

» 157. » 14. » *notorie* pro *notiorie*.

» 160. » 13. supra *Aramcoeli* pro *Aracoeli*.

» 168. » 2. ab infra quoad opus « Nonaginta dierum » hic erratur tam circa tempus, quo compositum est (scriptum est infra an. 1330-1332) quam circa res, quae in eo contentae dicuntur. Nam Occam, ut ipse in fine libri dicit, solum opiniones utriusque partis collegit; « suam vero sententiam in alio libro prolaturum se esse profitetur ». Cfr. Rietzler, Die literarischen Widersacher etc. p. 242 seq.

pag. 184. nota 3. *20 (30)* Iunii pro *20 (30)* Maii.

» 190. » 8. ab infra Papa *VI*. pro Papa *IV*.

» 192. » 12. supra supple post: « Eodem anno » *scilicet 1359;* quae de causa legendum est nota 4: *14 Martii* pro *10 Febr.*; et nota 7: *19* Aprilis (i. e. an. *1359*, quia constat, fr. Rudolphum mortuum esse an. 1359, Albertum vero eodem anno electum); et nota 8: *17 Maii* pro *29 Aprilis*.

pag. 193. lin. 16. supra *rationabilis* (ita cod.) pro *rationalis*.

» 209. nota 1. Lampertheim hic dictum probabiliter est civitas Alsatiae.

» 210. nota 3. nota *9* pro nota *5*, et p. 211. nota 1. *Mariae* pro *Maria*.

» 211. » 8. ab infra: Bullae ibi citt. habentur in libro: Firmamentum (non Fundamenta) compilato a Bonifacio de Ceva (non Cena, ut pluries scribunt editores « Memoriale » fr. Ioh. de Komorowo).

pag. 213. lin. 8. ab infra ad an. 1379 notamus, in cod. ms. primitus scriptum esse numerum dubium, quem manus posterior correxit atramento nigro in 1380, fortasse quia in margine scriptus est numerus 80: sed quia librarius ipse, ut videtur, atramento rubeo supra nomen Strigoniae posuit num. 1379, ideo etiam nos hunc annum posuimus. Ad hoc accedit, quod secundum acta capituli Strigoniae facti, quae Waddingus (ad an. 1379, n. II.) penes se habuisse affirmat, capitulum dictum revera an. 1379 celebratum fuit, in quo « Fr. Ludovicus Donatus electus est Minister Generalis, iam antea institutus Vicarius Generalis ab Urbano (1378), qui Leonardum Giffonem deposuerat, quia oblatum purpureum honorem contempserat et antipapae Clementi adhaeserat ». Falso igitur ponit annum 1380 Ioh. de Komorowo (cfr. « Memoriale », l. c. p. 139) cum aliis, qui etiam (p. 133) halucinatur, cum capitulum Assisii an. 1369 celebratum esse dicat; in quo sibi ipsi contradicit, cum antea scripserit: anno sequenti (scilicet secundum ipsum 1367) erat capitulum generale.

pag. 216. nota 1. Auctor libri « Conformitates S. Francisci cum Christo » non est, ut dicit Wadding., Bartholomaeus de Pisa *de Albisio*, qui quidem erat devotus frater Ordinis, sed Barthol. de Pisa *Rinonico* vel *Rinonicchi*, ut satis idonee demonstravit D. Vincenzo Follini (cfr. Eco di S. Francesco 30 Iunii 1886).

pag. 217. lin. 14. supra Caroli *IV*. pro Caroli *VI*, et nota 4. *1386* evenit pro *1376* evenit; et pag. 218. l. 17 supra probabiliter rectius 138*9* pro 138*8*.

pag. 222. lin. 4. supra E*rfordiae*, pro F*rfordiae*, et probabiliter rectius 140*4* pro 140*6*.

» 223. nota 1. nota *9* pro nota *8*.

» 224. » 6. ab infra *pugnaret, Galeatio* pro *pugnaret. Galeatio*.

» 225. nota 1. Capit. generale *Assisii*, cuius.

» 226. nota 7. Ioh. de Komorowo « Memoriale » etc. dicit quidem Argentinae, sed contra omnes *an. 1407*.

» 235. » 11. supra *denuntietis* pro *denuntiatis*.

» 236. » 11. » *Damiani* pro *Diamani*.

» 253. nota 1. cfr. pag. 467, nota 5.

» 262. » 18. » *MCCCCXVI* pro *MCCCCXXI*.

» 278. » 7. ab infra *MCCCCXXIII MCCCCXXXIII*.

» 280. » 1. » *Rothenburgum Rottenburgum*; est enim Rothenburg, oppidum Bavariae ad fluvium « Tauber » situm.

pag. 285. nota 1. *districtu* pro *destrictu*.
» 288. nota 3. cfr. p. 311, nota 1.
» 294. » 11. supra *sacrae* pro *sacri*.
» 302. nota 1. » 3. legendum est: ab Ecclesia declaratum esse, illam sententiam fide esse tenendam. — Cfr. Continuatio Waddingi, tom. XXV, ubi habentur multa de Conceptione immaculata B. V. M.
pag. 311. nota 1. lin. 1. *adhaerentibus* pro *ad haerentibus*.
» 320. » 7. supra *Dioecesani* pro *Diocesani*.
» 323. nota 1. cfr. p. 417, nota 3, et liber: « Die Abteien und Stifte des Herzogthums Württemberg im Zeitalter der Reformation » von Conrad Rothenhäusler, Stuttgart 1886, pag. 37. — Socius Caroli ibi memoratus erat, uti exhibetur in cod. ad marg., *Nicolaus Brünlin*,
pag. 327. lin. 12. supra *Iohannes* pro *Iohannis*.
» 342. nota 1. cfr. p. 435. nota 1.
» 361. » 11. ab infra cod. habet: *imitationem* sanctorum *antiquorum*.
» 370. » 14. » cod. legit: *salutaris* operis *exsecutionem*.
» 380. » 14. supra *eorum* pro *eorundem*.
» 384. » 19. » *ecclesiarum* pro *ecclesiarium*.
» 408. » 11. » *eremitoriorum* pro *eremitariorum* (ita cod.).
» 423. » 16. ab infra *Hierapolitanus* pro *Hieropolitanus* (ita cod.).
» 425. » 21. » *stolis* pro *scholis*.
» 430. » 15. » *Prae-* pro *Praes-*, et lin. 5. *dictos* pro *dicto*.
» 431. » 18. supra *quaestas* pro *questas*.
» 451. nota 3. cfr. p. 491. nota 1.
» 451. » 13. » *dicto* pro *dictu*.
» 459. » 11. » *ceteris-que* pro *ceteri-sque*, et notae 4. ac 5. mutandae sunt.
» 485. » 12. ab infra potius sic: *Antonium, gratia Dei tam* pro *Ant. Gratia Dei, tam.*
» 487. nota 3. *Cor. 10,* 5 pro *Cor. 10,* 51.
» 512. » 2. supra *ob* pro *ab*.
» 520. » 20. » Georgius Summer erat electus 1483 in capitulo Schlettstadiensi, mortuus est 31 Aug. 1498; et Bondorffer electus 16 Octobris 1498 Argentinae.
pag. 520. » 15. ab infra *quibusdam* ex pro *quibusdamex*.
» 527. » 8. supra *doctorum* pro *dictorum*.
» 528. » 1. » *disputatione, maxima oritur* pro *disput. maxima, oritur*.
» 557. nota 2. p. *553* pro *453*.
» 569. » 8. » *capitulo* pro *capitolo*.

Opportunum etiam videtur hic subiicere catalogum Ministrorum Provinciae Saxoniae, quem primus publicavit P. Ehrle S. J. (loc. cit. VII. p. 771). Non improbabile esse videtur, eundem extractum fuisse ex illo *Chronicon Saxonicum,* quod citatur a Glassberger. Idem P. Ehrle iam suspicatus est.

Series Ministrorum Provincialium Provinciae Saxoniae (ex cod. 1525 biblioth. Paulinae Lipsiensis).

Anno Domini 1209 S. Franciscus, suae conversionis anno tertio, audito in Evangelio, quae Christus discipulis suis ad praedicandum missis dixit, statim baculo et pera et calceamentis depositis, habitum mutavit et eum quem nunc Fratres Minores portant, assumpsit, imitator evangelicae paupertatis effectus et sedulus Evangelii praedicator; et eodem anno ordo Fratrum Minorum sumpsit initium.

Anno Domini 1226 4° Non. Octobris idem felix Pater Franciscus, institutor primarius ordinis Fratrum Minorum migravit ad Dominum.

1. Anno Domini 1221 fr. Caesarius Teutonicus primus Minister Teutoniae est institutus.

2. Fr. Albertus Pisanus Minister Teutoniae 2us.

Anno Domini 1225 recepta domus Fratrum Minorum Magdeburg in nova civitate.

3. Anno Domini 1227 3us Minister Teutoniae fr. Simon Anglicus est institutus.

4. Anno Domini 1228 fr. Joh. de Plano Carpinis Minister 4us est institutus in Capitulo Wormatiae celebrato; in quo Capitulo B. Francisci canonizatio Fratribus est nuntiata. — Ab eodem Capitulo missus est Simon primus Lector in Magdeburg.

Anno Domini 1229 fr. Joh. Anglicus primus Visitator Teutoniae destinatus est.

Anno Domini 1230 administratio Teutoniae in duas est divisa: in unam Rheni et alteram Saxoniae. Supra Rhenum datus est Minister fr. Odo, Jurisperitus et Longobardus; in Saxonia fr. Simon supradictus est Minister institutus. Sed antequam ad ipsum litterae administrationis pervenissent, morte praeventus est et sepultus in Magdeburg in vigilia B. Viti. — In eodem Capitulo Generali breviaria et antiphonaria secundum ordinem provinciis transmissa sunt.

1. Mortuo igitur fr. Simone, primo Lectore et primo Ministro Saxoniae, qui nondum litteras ministerii sui receperat, substitutus est ei primus Minister Saxoniae fr. Johannes Anglicus (1231, cfr. supra p. 50), cum quo transmissus est fr. Bartholomaeus Anglicus pro Lectore.

2. Minister 2us Saxoniae fr. Iohannes de Plano Carpinis (1232-1270, cfr. supra p. 56).

3. Minister 3us fr. Marquardus (cfr. supra p. 61 et 62), celebravit Capitula Magdeburgi et Erfordiae, Hildensheim, Aldenbur.

4. Minister 4us fr. Gotfridus (1242-45, cfr. supra p. 63 et 65), celebravit Capitula Halberstad, Brunswick, Liptz.

5. Minister 5us fr. Conradus de Brunswick (cfr. supra p. 70), celebravit Capitula Hallis, Magdeburck, Wriberg, Halberstat, Erfordiae, Berleyn, Quedelinburg, Lubike, Torgawe, Cerwist, 1256 Liptz, Luneburg, Magdeburg, Hallis, Saltwedel.

6. Minister 6us fr. Bartholomaeus, celebravit Capitula Halberstad (ibi est electus cfr. supra p. 76), Erfordiae, Stendal, Dresden, Kotobug (?), Brunswick, Liptz, Northusen, Lubeke, Brandenburg.

7. Minister 7us fr. Conradus de Brunswick celebravit Capitula Magdeburg (ibi electus cfr. supra p. 83), Brema, Premplawe, Molhusen, Vriberg, Hildensheim, Berleyn.

8. Minister 8us fr. Otto de Regesten (cfr. supra p. 94) celebravit Capitula in locis infrascriptis: Halberstad, Erfordiae, Hamburg, Liptz.

9. Minister 9us fr. Borchardus. Hic celebravit Capitula Rostok, Wratislaviae, Novo-Brandenburg, Lubeke, Wismariae, Magdeburg, Wratislaviae, Hallis, Brunswick, Liptz, Halberstat, Budissin (cfr. supra p. 101).

10. Minister 10us fr. Johannes de Nova Civitate celebravit Capitula Vriberg, Berleyn (cfr. supra p. 107).

11. Minister 11us fr. Johannes de Saltwedel, electus in Erfordia, celebravit Capitulum in Luneburg et absolutus fuit (cfr. supra p. 108).

12. Minister 12us fr. Borchardus, reelectus in Angermunde, celebravit Capitula Brema, Magdeburg, Sundis, Wratislawiae, Budissin, Stendal, Halberstad (cfr. supra p. 109).

13. Minister 13us fr. Thomas de Kyritz celebravit Capitula in locis infrascriptis: Erfordiae, Nitza, Premislaviae, Rostok, Brunswick, Swidenitz, Luneburg, Liptz, Gorlitz (cfr. supra p. 113).

14. Minister 14us fr. Henricus de Bicheling celebravit capitula Berleyn, Hallis, Hildenshem, Erfordiae, Lubeke (cfr. supra p. 121).

15. Minister 15us fr. Wernerus, et iste celebravit Capitula in locis infrascriptis: Magdeburg, Wratislawiae, Molhusen, Halberstad (cfr. supra p. 128).

16. Minister 16us fr. Johannes de Appenburgk (cfr. supra p. 135) celebravit Capitula Liptz, Brema, Saltel (?).

17. Minister 17us fr. Wernerus de Appenburg (?) celebravit Capitula Dressen, Premslaviae, Budissin, Stendal, Hallis, Lubeke, Swidenitz, Zize, Luneburg, Erfordiae, Magdeburg, Berleyn, Angermunde, Budissin, Rostock, Swedenitz, Vida, Brema, Kyritz, Magdeburg, Brunswick, Erfordiae, Dressen, Budissin, Vida (cfr. supra p. 145).

18. Minister 18us fr. Bartholdus de Hanover celebravit Capitula Luneburg, Lubeke, Berleyn, Magdeburg (cfr. supra p. 188).

19. Minister 19us fr. Olricus de Indagine (?), electus in Liptz, celebravit Capitula Wratislaviae, Stendal, Steteyn, Berleyn, Hanover, Erfordiae, Hallis, Kil, Budissin, Budissin (sic), Berleyn (cfr. supra p. 194).

20. Minister 20us fr. Borchardus de Mansfelt, electus in Zundis, celebravit Capitula Berleyn, Magdeburg, 1375 Curia Regnitz, Wratislaviae, Stetin, Brunswick (cfr. supra p. 205).

21. Minister 21us fr. Fredericus de Nassen (?) celebravit Capitula Dressen, Mysnae, Hamburg 1386 (cfr. supra p. 214).

22. Minister 22us fr. Dithmarus Costerboeck, electus in Gorlitz 1388, celebravit Capitula Rostock 1389, Wrankenvordis 1391 (cfr. supra p. 218).

23. Minister 23us fr. Johannes de Kemnitz (cfr. supra p. 221), electus in Hallis, celebravit Capitula 1394 Liptz 1396 (sic).

24. Minister 24us fr. Johannes de Mynda, S. Theologiae Professor, electus in Magdeburg, celebravit (Capitula) 1397 Egrae, Wratislaviae, Stetin, Hildesheym, Erfordiae 1404 (cfr. supra p. 222).

25. Minister 25us fr. Hermannus Schillingck, electus in Hamburg, celebravit Capitula Sittaviae, Hallis 1409, Dressen 1411, Lubeke 1413, Stendal 1415, Magdeburg 1417, Curia Regnitz (cfr. supra p. 226).

26. Minister 26us fr... delcus (?) Strüve, electus in Hallis, celebravit 1421 Capitulum ibidem in Hallis (cfr. supra p. 277).

27. Minister 27us fr. Fredericus 1421 (Mathermi?), electus in Erphordia, celebravit Capitula Liptz, Wratislaviae 1425 (cfr. supra p. 278).

28. Minister 28us fr. Matthias Döring, S. Theologiae Magister, electus in Erphordia, celebravit Capitula 1427 in Berleyn, 1428 Stetin, 1429 Halberstad, 1430 Arnstede, 1433 Luneborch, 1435 Torgaw, 1437 Sundis in festo Viti, 1439 Legenitz in festo Laurentii, 1442 in Stendal in die Pentecostes, 1446 Zervist in die Pentecostes, 1450 Wratislaviae in die Pentecostes, 1452 Czwikaw in die Joh. Baptistae, 1454 in Stetyn, 1456 in festo Pentecostes[1]. — Item anno Domini 1456 in Stetyn pro festo Pentecostes. In die Pentecostes sub anno Domini 1460 (?) in Brunswick. Item anno Domini 1460 (?) in Northusen (cfr. supra p. 288).

29. Item anno Domini 1461 convocatur in Torgaw, ubi Magister Nicolaus Lagkmann electus est in Ministrum. Tunc Provincia incoepit litigare cum Capitulo (vel Episcopo) Magdeburgensi. — Item anno Domini 1463 erat Capitulum in Hamburck. — Item anno Domini 1466 erat Capitulum in Fribergk. — Item anno Domini 1472 erat Capitulum in Lubeck (cfr. supra p. 389).

30. Item anno Domini 1480 convocatio in Liptz; electus fuit in Ministrum fr. Eberhardus Hylltmann, Doctor Universitatis Liptziensis (?) et filius eiusdem conventus. In Budissin anno Domini 1482 celebravit Capitulum pro festo Visitationis Mariae. Item in Stendal anno Domini 1485 (?) in die Pentecostes in Wratislavia Capitulum celebravit 1488... (cfr. supra p. 471).

---

[1] Quae sequuntur non sunt ab eadem manu scripta.

INDEX NOMINUM ET RERUM.

A

C

D

E

F

G

H

N

O

Q

R

T

U

V

Nota. Advertat lector, quod tam *Bullae Paparum* ac *Capitula generalia et provincialia* quam nomina *Cardinalium, Conventuum, Convocationum, Custodiarum, Custodum, Guardianorum, Ministrorum Generalium et Provincialium, Provinciarum, Vicariorum Generalium*, quae in hoc opere occurrunt, in indice inveniuntur sub verbis: *Bullae* (p. 590-591), *Capitula gen. et prov.* (p. 591-592), *Cardinales* (p. 592-593), *Conventus Ord.* (p. 594-595), *Convocatio, Custodia et Custodes* (p. 595), *Guardiani* (p. 599-600), *Ministri Gen. et Prov.* (p. 605-606), *Provinciae* (p. 609), *Vicarii Gen.* (p. 612).